58

Vak 80





G. Bonnemoon
Weert
Vic.
Beegden
W. L.

Breviarium
Romanum.

VAK 80 No. 58.

Breviarium Romanum

EX DECRETO SS. CONCILII TRIDENTINI
RESTITUTUM,

S. PII V. PONTIFICIS MAXIMI
JUSSU EDITUM,

CLEMENTIS VIII. & URBANI VIII.
AUCTORITATE RECOGNITUM.

Pars Autumnalis.

Tornaci,
Typis Societatis S. JOANNIS EVANG.
DESCLÉE, LEFEBVRE & Soc.
M.DCCC.LXXVII.

Jus proprietatis vindicabitur

Diligenti revisione peracta omnia cum originalibus concordare reperta sunt.

In quorum fidem, etc. Ex secretaria Sacrorum Rituum Congregationis die III. *Martii,* M.DCCC.LXXVII.

Placidus Ralli, S. R. C.
Secretarius.

L. † S.

Edmundus Josephus Dumont,

MISERATIONE DIVINA ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA
EPISCOPUS TORNACENSIS,

Omnibus has visuris salutem in Domino.

CUUM *pluribus Romanorum Pontificum imprimis vero Clementis VIII. et Urbani VIII. decretis sancitum sit ne quis typographus Breviarium Romanum recudat vel in lucem edat, quin ab Ordinario loci facultas in scriptis accepta sit, et de perfecta novae editionis cum archetypis Romanis exemplaribus concordantia certo constet; hinc est quod Nos dederimus in scriptis licentiam illud imprimendi dilectis filiis* DESCLEE, LEFEBVRE ET SOCIIS. *Postquam autem fuimus legitime informati hujusce novae Breviarii Romani in quatuor partes distributi editionis in-24, ut aiunt, partem quartam, quam autumnalem vocant, juxta probatas editiones Romanas fideliter exaratam, cum suo originali, diligenti facta collatione, in omnibus convenire, excusam approbavimus evulgandique licentiam dedimus, prout per praesentes approbamus ac licentiam damus.*

In quorum fidem hasce subsignavimus, sigilloque nostro ac Secretarii nostri chirographo muniri fecimus, Tornaci, die X. Junii anni M.DCCC.LXXVII.

✠ Edmundus Jos. EPŪS TORNACEN.

De Mandato Illmi. ac Rmi. D.D. Episcopi:
L. ✝ S. VICT. DUREZ, *Prosecret.*

EX DECRETORUM REGISTRO

Sacrae Rituum Congregationis

HAEC AD BREVIARIUM ROMANUM ATTINENT.

SACRA Rituum Congregatio declaravit et decrevit, non potuisse post Bullam S. Pii V. de Breviario Romano, neque posse locorum Ordinarios, tam saeculares quam regulares, addere Kalendariis, etiam propriis, Sanctorum Officia, nisi ea dumtaxat quae Breviarii Romani Rubricis, vel Sacrae Rituum Congregationis, seu Sedis Apostolicae licentia conceduntur: neque propria auctoritate, quovis praetextu, mutare ritum, qui habetur in Kalendario Romano, seu Rubricis Breviarii, in altiorem ritum; neque extendere concessa Officia de loco ad locum.

Item vetuit et prohibuit celebrari, per totam Civitatem vel Dioecesim, etiam de cujuscumque Ordinarii auctoritate, Festum cum Officio, eo quod in loco adsit Ecclesia Parochialis, vel Regularis, vel Abbatialis, aut aliqua Reliquia; sed tantum in ipsius Sancti Ecclesia titulari, seu ubi asservatur corpus, aut insignis Reliquia, et non alibi.

Insignes autem Reliquias declaravit esse caput, brachium, crus, aut illam partem corporis, in qua passus est Martyr, modo sit integra, et non parva, et legitime ab Ordinariis approbata.

De Sanctis Episcopis locorum, Martyribus, Civibus, et aliis Festis, de quibus in Kalendario Romano, seu Rubricis Breviarii nihil habetur, uti etiam de Beatis nondum canonizatis; nihil propria, auctoritate constituatur, sed omnino consulatur Sacra Rituum Congregatio.

Decretum quoque nuper editum super electione Sanctorum in Patronos, et impressum, omnino servetur.

Et haec omnia decrevit, statuit, et mandavit, innovando poenas Constitutionis S. Pii V. respective.

Facta demum relatione horum Decretorum SS. D. N. Urbano Papae VIII., ea laudavit et approbavit, atque ab omnibus ubique sub praedictis poenis servari praecepit; nec non in novis Breviariis de mandato Sanctitatis Suae imprimendis apponi jussit.

Loco ✠ Sigilli.

T. TEGRIMIUS, *Episc. Assisien. Secr.*

EJUSDEM PRO SANCTIS AD LIBITUM.

EADEM Sac. Rit. Congreg. habita die 2 Decembris 1673, statuit ex mandato Clementis X. Festa Sanctorum ad libitum in posterum non esse transferenda, si eorum festivitas incidat in diem Dominicam, vel aliquem diem Festorum mobilium, sed tunc illo anno eorum Officia esse omittenda. Quod ipsum postea Innocentius Papa XI. in Congreg habita 24 Ja-

nuarii 1682, generali decreto confirmavit, et extendit insuper etiam ad Octavas et Natalitia Sanctorum, de praecepto in aliqua Religione vel Dioecesi, ex indulto Apostolico recitanda. Ita ut ne quidem dictis Festis vel Octavis Festa ad libitum tunc incidentia possint recitari, sed omitti prorsus debeant.

Permisit tamen, ut festum translatum quod alias eo die celebrandum foret, in alium diem non impeditum transferatur: item ut eodem die omitti possit officium semel per hebdomadam aut mensem recitandum ex indulto Apostolico, ut ita locus sit celebrando Officio ad libitum.

EJUSDEM PRO SANCTIS IN MARTYROLOGIO NON DESCRIPTIS.

OFFICIA Sanctorum ratione Corporis, seu insignis Reliquiae recitanda, ex Decreto Sacrorum Rituum Congregationis 11 Augusti 1691, intelligi debere de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano descriptis, et dummodo constet de identitate Corporis, seu reliquiae insignis illiusmet Sancti qui reperitur in Martyrologio Romano descriptus: de caeteris autem Sanctis in praedicto Martyrologio non descriptis, aut quibus a Sancta Sede non fuerit specialiter concessum, Officia recitari, et Missas celebrari vetuerunt, non obstante quod ipsorum Corpora, vel insignes Reliquiae in Ecclesiis asserventur, quibus tamen ab Ordinariis locorum approbatis debitam Fidelium venerationem (prout hactenus servatum est) exhibendam esse censuerunt, sed absque Officio et Missa, sub poenis de non satisfaciendo praecepto recitandi Officium, aliisque in Constitutione S. Pii contentis. Die 11 Augusti 1691, et Sanctissimus approbavit die 19 Octobris ejusdem anni 1691.

Loco ✠ Sigilli.

J. VALLEMANUS, *S. R. C. Secr.*

DECRETA GENERALIA CIRCA RUBRICAS.

CUM Sacrorum Rituum Congregationi demisse supplicatum fuerit sequentia dubia declarare:

Primum. An, cum multis Congregationibus, Religionibus, sive Ecclesiis, vel Nationibus concessum sit, a Sancta Sede Apostolica, ut semel, vel pluries in singulis hebdomadis, vel mensibus celebrentur varia Officia per annum, verbi gratia de Sanctissimo Sacramento, vel de Sanctis in diebus non impeditis aliquo Festo duplici, vel semiduplici, liceat ejusmodi Officia facere etiam in diebus sanctae Quadragesimae, Adventus, Vigiliarum, et Quatuor Temporum, etiam si de his diebus nulla sit facta specialis mentio in aliquibus Officiorum concessionibus?

Secundum. An dies impeditus Festo duplici, vel semiduplici pro dictis Officiis recitandis, intelligantur etiam dies, in quibus ponendum est Officium de Festo duplici, vel semiduplici trans-

lato, quemadmodum dicitur responsum fuisse olim a Sacra Congregatione: Quod scilicet Festum duplex vel semiduplex etiam translatum necnon dies Octavae sit dies impeditus respectu talium Officiorum ?

Tertium. An Regulares absque speciali privilegio, sed sola communicatione privilegiorum aliarum Religionum possint addere nomen Sancti Fundatoris in Litaniis, et Confiteor, itemque recitare Officia et Missas concessas aliis Religionibus?

Sacrorum Rituum eadem Congregatio ad relationem Eminentissimi et Reverendissimi Domini Card. Colloredo respondit :

Ad primum Negative, *et hujusmodi indulta non habere locum in Feriis Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum, Vigiliarum, sive cum jejunio sive absque jejunio, nec in Feria secunda Rogationum, nec in illa Feria, in qua secundum Rubricas sit reponendum Officium Dominicae.*

Ad secundum Affirmative.

Ad tertium Negative *in omnibus.*

Et ita declaravit, ac servari voluit. Ac insuper ut Declarationes, seu Decreta praedicta omnibus innotescant, typis ea imprimi mandavit. Die 20 *Martii* 1706.

B. Card. Carpineus.

Loco ✠ Sigilli.

B. Inghirami, *Sac. Rit. Congr. Secr.*

De Anno et Ejus Partibus.

ANNUS menses habet duodecim, hebdomadas duas et quinquaginta, et diem unum; dies vero trecentos sexaginta quinque, et fere sex horas: tanto enim temporis intervallo sol Zodiacum perlustrat. Quater autem sex horae singulis quaternis annis diem constituunt; hinc annus ille intercalaris, Bissextus, vel Bissextilis dicitur

DE ANNI CORRECTIONE, EJUSQUE NECESSITATE, AC KALENDARIO GREGORIANO.

QUOD dictum est, annum continere trecentos et sexagintaquinque dies, et fere sex horas, intelligendum est, sex horas non esse integras, cum ad earum complementum aliqua minuta deficiant.

Ex quorum minutorum neglectu progressum est, ac si annus ultra dies 365 contineret integras sex horas; et factum est, ut minuta, quae ultra debitam quantitatem annis singulis tribuebantur, tractu temporis ita excreverint, ut invicem juncta constituerint dies decem: qui causam dederunt, ut Æquinoctium vernum sedem suam mutaverit.

Cui malo occurrens Gregorius XIII. non solum Æquinoctium vernum restituit in pristinam sedem, a qua jam a Concilio Nicaeno, decem circiter diebus in anno correctionis 1582 praecedendo recesserat, quod a Concilio ad xij. Kalendas Aprilis fuerat constitutum, et xiv. Lunam Paschalem suo in loco reposuit: sed viam quoque tradidit et rationem, qua cavetur, ut in posterum et Æquinoctium vernum, et xiv. Luna Paschalis a propriis sedibus nunquam removerentur.

Ut enim Æquinoctium vernum ad xii. Kalendas Aprilis restitueretur, statuit, ut dicti decem dies in mense Octobris ipsius anni 1582, eximerentur, ut post quartam diem Octobris sancto Francisco sacram, sequens dies non esset quinta, sed decima quinta Octobris. Et ita error, qui in praeteritum tot annorum circulis irrepserat, in momento temporis fuit correctus.

Ut autem in posterum idem error vitaretur, ne a xii. Kalendas Aprilis Æquinoctium vernum recederet, statuit idem Gregorius, Bissextum quarto quoque anno (uti mos est) continuari debere, praeterquam in centesimis annis; qui quamvis Bissextiles antea semper fuerint, qualem etiam esse voluit annum 1600 anno correctionis proximum, post eum tamen qui deinceps consequentur centesimi, non omnes Bissextiles essent, sed in quadringentis quibusque annis primi quique tres centesimi sine Bissexto transigerentur; quartus vero quisque centesi-

mus esset Bissextilis, ita ut anni 1700, 1800, 1900, Bissextiles non sint, anno vero 2000, more consueto dies Bissextus intercaletur, Februario dies 29 continente; idemque ordo intermittendi intercalandique Bissextum diem in quadringentis quibusque annis perpetuo conservaretur.

QUATUOR TEMPORA.

QUATUOR Tempora celebrantur quarta et sexta Feria ac Sabbato post tertiam Dominicam Adventus, post primam Dominicam Quadragesimae, post Dominicam Pentecostes, post Festum Exaltationis Sanctae Crucis.

NUPTIAE QUANDO CELEBRARI NON POSSINT JUXTA DECRETUM TRIDENTINI CONCILII.

A DOMINICA prima Adventus usque in diem Epiphaniae, et a Feria quarta Cinerum usque in Oct. Paschatis inclusive, sancta Synodus solemnitates Nuptiarum prohibet. In aliis vero temporibus Nuptias solemniter celebrari permittit.

DE CYCLO DECENNOVENNALI AUREI NUMERI.

CYCLUS decennovennalis Aurei numeri est revolutio numeri 19 annorum ab 1 usque ad 19, qua revolutione peracta, iterum ad unitatem reditur. Verbi gratia, anno 1577, numerus cycli decennovennalis, qui dicitur Aureus, est 1; anno sequenti 1578 est 2, et ita deinceps in sequentibus annis, uno semper amplius usque ad 19, qui Aureus numerus cadet in annum 1595, post quem iterum ad unitatem redeundum est, ita ut anno 1596, Aureus numerus sit rursus 1, et anno 1597 sit 2, &c.

Igitur ut Aureus numerus quolibet anno proposito inveniatur, composita est sequens tabella Aureorum numerorum, cujus usus incipit ab anno 1582 inclusive, duratque in perpetuum. Ex ea enim Aureus numerus cujuslibet anni post annum 1582, reperietur hoc modo.

6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.	1.	2.	3.	4.	5.

Anno 1582 tribuatur primus numerus tabellae, qui est 6; secundus autem, qui est 7, sequenti anno 1583, et ita deinceps in infinitum, donec ad annum, cujus Aureum numerum quaeris perveniatur; redeundo ad principium tabellae, quotiescumque eam percurreris. Nam numerus, in quem annus propositus cadit, dabit Aureum numerum quaesitum.

MODUS BREVIS COGNOSCENDI AUREUM NUMERUM CUJUSQUE ANNI.

NUMERO anni de quo quaeris, adde unicam unitatem 1. Exempli gratia : anno 1833, adde 1 : summam inde conflatam divide per 19, quod superest, erit Aureus numerus ipsius anni : si nihil superest, erit Aureus numerus 19.

DE EPACTIS, ET NOVILUNIIS.

EPACTA nihil aliud est, quam numerus dierum, quibus annus Solaris communis dierum 365, annum communem Lunarem dierum 354 superat : ita ut Epacta primi anni sit 11, cum hoc numero annus Solaris communis Lunarem annum communem excedat; atque adeo sequenti anno Novilunia contingant 11 diebus prius, quam anno primo. Ex quo fit, Epactam secundi anni esse 22, cum eo anno rursum annus Solaris Lunarem annum superet 11 diebus, qui additi ad 11 dies primi anni, efficiunt 22, ac proinde, finito hoc anno, Novilunia contingere 22 diebus prius, quam primo anno : Epactam autem tertii anni esse 3, quia si rursus 11 dies ad 22 adjiciantur, efficietur numerus 33; a quo si rejiciantur 30 dies, qui unam Lunationem Embolismalem constituunt, relinquentur 3, atque ita deinceps. Progrediuntur enim Epactae omnes per continuum augmentum 11 dierum. abjectis tamen 30 quando rejici possunt. Solum quando perventum erit ad ultimam Epactam Aureo numero 19 respondentem, quae est 29, adduntur 12, ut abjectis 30, ex composito numero 41, habeatur rursus Epacta 11, ut in principio. Quod ideo fit, ut ultima Lunatio Embolismica, currente Aureo numero 19, sit tantum 29 dierum. Si enim 30 dies contineret, ut aliae sex Lunationes Embolismicae, non redirent Novilunia post 19 annos Solares ad eosdem dies, sed versus calcem mensium prolaberentur, contingerentque uno die tardius quam ante 19 annos. De qua re plura invenies in libro novae rationis restituendi Kalendarii Romani. Sunt autem novemdecim Epactae, quot et Aurei numeri, respondebantque ipsis Aureis numeris ante Kalendarii correctionem eo modo quo in hac tabella dispositae sunt.

Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ante Kalendarii correctionem.

Aur. num.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.
Epactae.	xi.	xxii.	iii.	xiv.	xxv.	vi.	xvii.	xxviii.

9.	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.
ix.	xx.	i.	xii.	xxiii.	iv.	xv.	xxvi.	vii.	xviii.	xxix.

Quia vero cyclus decennovennalis Aurei numeri imperfectus est, cum Novilunia post 19 annos Solares non praecise ad eadem loca redeant, ut dictum est, imperfectus etiam

erit hic cyclus 19 Epactarum. Quamobrem ita emendatus est ut in posterum loco Aurei numeri, et dictarum 19 Epactarum, utamur 30 numeris Epactalibus ab 1 usque ad 30 ordine progredientibus, quamvis ultima Epacta, sive quae ordine est trigesima, notata numero non sit, sed signo hoc, * propterea quod nulla Epacta esse possit 30. Variis autem temporibus ex his 30 Epactis respondent decem et novem Aureis numeris variae decem et novem Epactae prout Solaris anni, ac Lunaris aequatio exposcit: quae quidem decem et novem Epactae progrediuntur, ut olim, per eumdem numerum 11, addunturque semper 12 illi Epactae quae respondet Aureo numero 19, ut habeatur sequens Epacta respondens Aureo numero 1, ob rationem paulo ante dictam. Id quod sequens tabella perspicuum faciet, quae continet Aureos numeros, et Epactas inter se respondentes ab anno 1582 post detractionem 10 dierum, usque ad annum 1700 exclusive. Quamvis autem vulgares Epactae mutentur in Martio, re ipsa tamen in principio anni mutandae sunt, una cum Aur. num., in cujus locum hae nostrae Epactae succedunt.

Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ab Idibus Octobris anni correctionis 1582 *(detractis prius decem diebus) usque ad annum* 1700 *exclusive.*

Aur. num.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.
Epactae.	xxvi.	vii.	xviii.	xxix.	x.	xxi.	ii.	xiii.	xxiv.
15.	16.	17.	18.	19.	1.	2.	3.	4.	5.
v.	xvi.	xxvii.	viii.	xix.	i.	xii.	xxiii.	iv.	xv.

Itaque si Epacta quocumque anno proposito invenienda sit, quaerendus est Aureus numerus illius anni in superiori ordine illius tabellae, quae illi tempori, in quo propositus annus continetur, congruit. Mox enim sub Aureo numero in inferiori ordine tabellae reperietur Epacta anni propositi vel certe hoc signum. * Ubi ergo illa Epacta vel signum * in Kalendario inventum fuerit, eo die Novilunium fiet. Invenietur autem Aureus numerus vel ex antecedente canone, vel ex tabella Epactarum proposito tempori congruente, tribuendo primum Aureum numerum illius tabellae illi anno, a quo usus tabellae incipit, et secundum Aureum numerum sequenti anno, &c. Eodem modo reperietur Epacta sine Aureo numero, si prima Epacta tabellae tribuatur illi anno, a quo ejus usus incipit, et secunda Epacta sequenti anno, &c.

Exemplum: Anno correctionis 1582, Aureus numerus est 6; nempe primus primae tabellae, cujus usus incipit ab Idibus Octobris dicti anni 1582, detractis prius x diebus. Erit ergo tunc Epacta xxvi, quae sub Aureo numero 6 collocatur, fietque Novilunium die 27 Octobris, et 26 Novembris, et 25 Decembris. Item anno 1582 jam correcto Aureus numerus

est 7, cui in eadem tabella supposita est Epacta vii. quae toto eo anno in Kalendario Novilunia indicabit: ut in Januario die 24, in Februario die 22, in Martio die 24, &c.

Alia Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ab anno 1833 *inclusive, usque ad annum* 1900 *exclusive.*

Aur. num.	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.
Epactae.	ix.	xx.	i.	xii.	xxiii	iv.	xv.	xxvi.
18.	19.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.
vii.	xviii.	*	xi.	xxii.	iii.	xiv.	xxv.	vi.	xvii.	xxviii.

Ad tollendam dubitationem de usu hujus novae tabulae Epactarum, ostendemus rem exemplis. Anno 1833 tribuatur Epacta ix, quae sub Aureo numero 10 collocatur: fietque Novilunium 22 Januarii, 20 Februarii, 22 Martii. Item anno 1834 tribuatur Epacta xx sub Aureo numero 11 collocata; quae toto eo anno in Kalendario Novilunia monstrabit: ut in Januario die 11, in Februario die 9, in Martio die 11. Et sic deinceps per ordinem annis progredientibus, redeundo ad principium Tabellae, quotiescumque eam percurreris. Rursus anno 1862, Epacta non signatur numero, sed hoc signo * quod collocatur sub Aureo numero 1, et in Kalendario toto eo anno Novilunia indicabit; nimirum in Januario die 1 et 31, in Martio (nam in Februario nullum tunc Novilunium, cum in eo signum hoc * non reperiatur) die 1 et 31, in Aprili die 29, &c.

Tabella Litterarum Dominicalium ab Idibus Octobris anni correctionis 1582 *(detractis prius decem diebus), usque ad annum* 1700 *exclusive.*

c	b	A g	f	e	d	c b	A	g	f	e d	c	b	A
g f	e	d	c	b A	g	f	e	d c	b	A	g	f e	d

Usus hujus tabellae hic est. Anno correctionis 1582 post Idus Octobris (detractis prius x diebus) tribuatur littera c primae cellulae, et sequenti anno 1583 littera b secundae, et anno 1584 dentur litterae A g tertiae cellulae, et sic deinceps aliis annis ordine aliae cellulae tribuantur, donec ad annum propositum perventum sit, redeundo ad principium tabellae quotiescumque eam percurreris. Nam cellula, in quam annus propositus cadit, dum modo minor sit, quam annus 1700, dabit litteram Dominicalem propositi anni. Quae si unica occurrerit, annus erit communis; si vero duplex, Bissextilis: et tunc superior littera Dominicam diem

ostendet in Kalendario a principio anni usque ad Festum S. Mathiae Apostoli ; inferior autem, ab hoc Festo usque ad finem anni.

Exempli gratia : Sit invenienda littera Dominicalis anno 1587. Numera ab anno 1582 quem tribue primae litterae c, usque ad annum 1587, tribuendo singulis cellulis singulos annos (computando geminas litteras quascumque superiorem et inferiorem, pro una cellula) cadetque annus 1587 in litteram d, quae sextum locum in tabella occupat. Est ergo toto eo anno littera Dominicalis d, annusque communis est, cum littera simplex occurrat. Rursus sit investiganda littera Dominicalis anno 1616; numera ab anno 1582, ut dictum est, usque ad annum 1616, redeundo ad principium tabellae, postquam eam percurreris, perveniesque ad duas hasce litteras c b, septimo loco positas. Est ergo annus ille Bissextilis, cum duplex littera occurrat, superiorque littera c, Dominicam diem indicabit a principio anni illius, usque ad festum S. Mathiae, inferior autem b, in reliqua parte anni.

Alia Tabella Litterarum Dominicalium ab anno 1833 *inclusive, usque ad annum* 1900 *exclusive.*

f	e	d	c b	A	g	f	e d	c	b	A	g f	e	d
c	b A	g	f	e	d c	b	A	g	f e	d	c	b	A g

Usus hujus tabellae talis est. Anno 1833 tribuatur littera f primae cellulae, et sequenti anno 1834 littera e, et sic deinceps caeteris annis ordine aliae cellulae tribuantur, donec ad annum propositum pervenias, redeundo ad principium tabellae, quotiescumque eam percurreris : Nam cellula, in quam annus propositus cadit, dabit litteram Dominicalem propositi anni. Quae si unica occurrerit, annus erit communis ; si vero duplex, Bissextilis, et tunc superior littera Dominicam diem indicabit in Kalendario a principio anni, usque ad festum S. Mathiae Apostoli, inferior autem, ab hoc festo usque ad finem anni.

DE INDICTIONE.

INDICTIO est revolutio 15 annorum ab 1 usque ad 15, qua revolutione peracta, iterum reditur ad unitatem, initiumque sumit quilibet annus hujus cycli a Januario in Bullis Pontificiis. Et quoniam Indictionum frequens usus est in Diplomatibus et scripturis publicis, facile annum Indictionis currentem quolibet anno proposito inveniemus ex sequenti tabella, cujus usus perpetuus est : initium tamen sumit ab anno correctionis 1582.

TABELLA INDICTIONIS AB ANNO CORRECTIONIS 1582.

10.	11.	12.	13.	14.	15.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.

Nam si anno 1582 tribuas primum numerum, qui est 10, et sequenti anno 1583 secundum numerum, qui est 11, et sic deinceps usque ad annum propositum, redeundo ad principium tabellae, quotiescumque eam percurreris, cadet annus propositus in Indictionem, quae quaeritur.

DE FESTIS MOBILIBUS.

QUONIAM ex decreto sacri Concilii Nicaeni Pascha, ex quo reliqua Festa mobilia pendent, celebrari debet die Dominico, qui proxime succedit xiv Lunae primi mensis, (is vero apud Hebraeos, vocatur primus mensis, cujus xiv Luna vel cadit in diem verni Æquinoctii, quod die 21 mensis Martii contingit vel propius ipsum sequitur) efficitur, ut si Epacta cujusvis anni inveniatur, et ab ea in Kalendario notata inter diem octavum Martii inclusive, et quintum Aprilis inclusive (hujus enim Epactae xiv Luna cadit vel in diem Æquinoctii verni, id est, in diem 21 Martii, vel eum propius sequitur) numerentur inclusive deorsum versus dies quatuordecim; proximus dies Dominicus diem hunc xiv sequens (ne cum Judaeis conveniamus, si forte dies xiv Lunae caderet in diem Dominicum) sit dies Paschae.

Exemplum. Anno 1605. Epacta est x et littera Dominicalis b. Et quoniam invenimus Epactam x inter diem 8 Martii, et 5 Aprilis inclusive positam esse e regione diei 21 Martii, a quo inclusive si deorsum versus numerentur 14 dies, inveniemus xiv Lunam die 3 Aprilis, quae est Dominica, cum e regione illius sit littera Dominicalis b. Ne igitur cum Judaeis conveniamus, qui Pascha celebrant die xiv Lunae, sumenda est littera Dominicalis b, quae sequitur xiv Lunam, nempe ea quae e regione diei 10 Aprilis collocatur: atque eo anno Pascha celebrandum erit die 10 Aprilis. Item anno 1604. Epacta est xxix, et duplex littera Dominicalis d, c, cum annus ille sit Bissextilis. Si igitur ab Epacta xxix quae e regione diei 1 Aprilis ponitur inter diem 8 Martii, et 5 Aprilis inclusive, numerentur dies 14 cadet xiv Luna in diem 14 Aprilis. Et quia tunc currit posterior littera Dominicalis, nempe c, quae post diem 14 Aprilis, id est, post xiv Lunam collocata est e regione diei 18 Aprilis, celebrabitur eo anno Pascha die 18 Aprilis.

Caeterum ut facilius omnia Festa mobilia inveniantur, compositae sunt duae sequentes tabulae Paschales, una antiqua, et nova altera. Ex antiqua ita Festa mobilia reperientur. In latere sinistro tabulae accipiatur Epacta currens, et in linea litterarum Dominicalium

sumatur littera Dominicalis currens infra tamen Epactam currentem, ita ut si littera Dominicalis currens reperiatur e regione Epactae currentis, assumenda sit eadem littera Dominicalis proxime inferior. Nam e regione hujus litterae Dominicalis omnia Festa mobilia continentur.

Exemplum. Anno 1606. Epacta est xxi et littera Dominicalis A. Si igitur in tabula antiqua sumatur littera Dominicalis A, quae primo infra Epactam xxi occurrit, reperietur e regione hujus litterae Dominica Septuagesimae die 22 Januarii, dies Cinerum 8 Februarii, Pascha 26 Martii, Ascensio Domini 4 Maji, Pentecostes 14 Maji, et Festum Corporis Christi 25 Maji. Dominicae autem inter Pentecosten, et Adventum eo anno erunt 28, et Adventus celebrabitur die 3 Decembris: et sic de caeteris. Item anno 1605. Epacta est x et littera Dominicalis b, quae in tabula reperitur e regione Epactae x. Quare sumenda est alia littera b, quae proxime infra Epactam invenitur, e regione cujus invenies Septuagesimam die 6 Febr., diem Cinerum 23 Febr., Pascha 10 Apr., &c.

Notandum autem est, quod quemadmodum in anno communi, cadente littera Dominicali e regione Epactae in tabula antiqua, sumitur eadem littera proxima infra Epactam, ut diximus: ita quoque in anno Bissextili, si alterutra duarum litterarum Dominicalium tunc currentium e regione Epactae reperiatur, assumendae sunt aliae duae similes litterae proxime inferiores, ut Festa mobilia inveniantur.

Ex tabula vero Paschali nova ita eadem Festa mobilia reperientur. In cellula litterae Dominicalis currentis quaeratur Epacta currens. Nam e directo omnia Festa mobilia deprehendentur. Ut anno 1609 in cellula litterae Dominicalis d, tunc currentis e regione Epactae xxiv quae eodem anno currit, habetur Septuagesima die 15 Februarii, dies Cinerum 4 Martii, Pascha 19 Aprilis, &c.

Sed sive antiqua, sive nova tabula Paschali utamur, invenienda sunt omnia Festa mobilia in annis Bissextilibus per litteram Dominicalem posteriorem, quae nimirum currit post Festum sancti Mathiae Apostoli, ne scilicet ambigamus, utra duarum litterarum pro hoc, aut illo Festo indagando accipienda sit: ita tamen, ut Septuagesimae et diei Cinerum inventae in Januario aut Februario addatur unus dies. Quod ideo fit quia ante diem S. Mathiae currit prior littera Dominicalis, quae in Kalendario posteriorem semper sequitur: post Festum autem S. Mathiae in Februario, licet posterior littera currat, additur tamen tunc dies intercalaris, ita ut dies 24 Februarii dicatur 25, et dies 25 dicatur 26, &c. Quod si dies Cinerum cadat in Martium, nihil addendum est, quia tunc et littera posterior currit, et dies mensis propriis numeris respondent, cum dies intercalaris Februario sit additus. Imo nisi per posteriorem litteram investigarentur, non inveniretur recte Septuagesima in anno Bissextili currente Epacta xxiv vel xxv et littera Dominicali d, c, ut in secundo ac

tertio exemplo perspicuum fiet pro annis 4088, et 3784. Exempli gratia : anno 2096 Bissextili. Epacta erit v et litterae Dominicales A g. Si igitur per posteriorem litteram, quae est g, Festa mobilia investigentur, reperietur Septuagesima die 11 Febr. et dies Cinerum 28 Febr. Si autem addatur unus dies, cadet Septuagesima in diem 12 Febr. quae est Dominica, et dies Cinerum in diem 29 Febr. quae est Feria iv. Pascha autem, et reliqua Festa in eos dies cadent qui in tabula expressi sunt. Item anno 4088 Bissextili Epacta erit xxiv et litterae Dominicales d, c. Si igitur per litteram c, quae posterior est, inquirantur Festa mobilia, invenietur Septuagesima die 21 Febr. et si addatur unus dies, cadet in diem 22 Febr. quae est Dominica. Dies autem Cinerum cadet in diem 10 Martii: quare nihil additur, &c. Rursus anno 3784 Bissextili, Epacta erit xxv et litterae Dominicales d, c. Ergo iterum per posteriorem c, reperietur Septuag. die 21 Februarii, hoc est, addita 1 die, 22. Quod si per priorem litteram d, in utroque horum duorum annorum agendum esset, nihil efficeretur, cum infra Epactas xxiv et xxv littera d indicet Septuages. die 15 Februarii, quod falsum esset cum eo anno posterior littera c, Pascha offerat die 25 Aprilis, ac proinde Septuages. die 22 Februarii celebranda sit, ut liquido constat, si a die Paschae, Dominicae retro numerentur usque ad Septuag.

In priori porro tabula Paschali antiqua reformata, Epactis ad sinistram praeposuimus Aureos numeros eodem ordine, quo ante emendationem Kalendarii collocari solebant, ut ex iis Festa mobilia invenirentur. Hoc autem idcirco a nobis factum est, ut Pascha, caeteraque Festa mobilia, a Concil. Nicaeno usque ad ann. 1582 quilibet indagare possit. Eodem autem prorsus artificio, ex Aureis numeris ita distributis Festa mobilia eruuntur, quo ex Epactis. Sit enim explorandum, exempli causa, quando Festa haec celebrata fuerint anno 1450. Quoniam eo anno Aureus numerus fuit 7 et littera Dominicalis d, si Aureus numerus 7 in sinistro latere accipiatur, et prima littera d, infra eum occurrens, reperietur e regione hujus litterae d, Septuagesima die 1 Februarii, dies Cinerum 18 Februarii, Pascha die 5 Aprilis, &c.

Adventus Domini celebratur semper die Dominico, qui propinquior est festo S. Andreae Apostoli, nempe a die 27 Novembris inclusive, usque ad diem 3 Decembris inclusive, ita ut littera Dominicalis currens, quae reperitur in Kalendario a die 27 Novembris usque ad diem 3 Decembris, indicet Dominicam Adventus. Ut, verbi gratia, si littera Dominicalis est g, Dominica Adventus cadet in diem 2 Decembris; quia ibi est littera g, in Kalendario, &c.

Ad finem tandem tabularum Paschalium apposita est tabula temporaria multorum annorum, e regione quorum omnia Festa mobilia inveniuntur; quae quidem tabula ex tabulis Paschalibus excerpta est, ex quibus infinitae aliae erui possunt pro quibuscumque annis.

TABULA PASCHALIS
ANTIQUA REFORMATA.

Aur. Num.		Cycl. Epact.	Litt. Dom.	Septuag.	Dies Cinер.	Pascha.	Ascensio.	Pentecost.	Corp. Chr.	D.p. Pent.		Dom. I. Adv.
16		xxiij		Jan.	Febr.	Mar	Apr.	Maji.	Maji.			
5		xxij	d	18	4	22	30	10	21	28	29	Nov.
		xxj	e	19	5	23	1 Maji	11	22	28	30	
13		xx	f	20	6	24	2	12	23	28	1	Dec.
2		xix	g	21	7	25	3	13	24	28	2	
		xviij	A	22	8	26	4	14	25	28	3	
10		xvij	b	23	9	27	5	15	26	27	27	Nov.
		xvj	c	24	10	28	6	16	27	27	28	
18		xv	d	25	11	29	7	17	28	27	29	
7		xiv	e	26	12	30	8	18	29	27	30	
		xiij	f	27	13	31	9	19	30	27	1	Dec
15		xij	g	28	14	1 Ap	10	20	31	27	2	
4		xj	A	29	15	2	11	21	1 Jun.	27	3	
		x	b	30	16	3	12	22	2	26	27	Nov.
12		ix	c	31	17	4	13	23	3	26	28	
1		viij	d	1 Fe	18	5	14	24	4	26	29	
		vij	e	2	19	6	15	25	5	26	30	
9		vj	f	3	20	7	16	26	6	26	1	Dec.
		v	g	4	21	8	17	27	7	26	2	
17		iv	A	5	22	9	18	28	8	26	3	
6		iij	b	6	23	10	19	29	9	25	27	Nov.
		ij	c	7	24	11	20	30	10	25	28	
14		j	d	8	25	12	21	31	11	25	29	
3			e	9	26	13	22	1 Jun.	12	25	30	
		xxix	f	10	27	14	23	2	13	25	1	Dec.
11		xxviij	g	11	28	15	24	3	14	25	2	
		xxvij	A	12	1 Mar.	16	25	4	15	25	3	
19	25	xxvj	b	13	2	17	26	5	16	24	27	Nov.
8	xxv	xxiv	c	14	3	18	27	6	17	24	28	
			d	15	4	19	28	7	18	24	29	
			e	16	5	20	29	8	19	24	30	
			f	17	6	21	30	9	20	24	1	Dec.
			g	18	7	22	31	10	21	24	2	
			A	19	8	23	1 Jun.	11	22	24	3	
			b	20	9	24	2	12	23	23	27	Nov.
			c	21	10	25	3	13	24	23	28	

TABULA PASCHALIS

Litt. Dominic.	Cyclus Epactarum.	Septuag.	Dies Cinerum.
D	25. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. * 29. 28. 27. 26. **XXV.** 25. 24.	18 Jan. 25 Jan. 1 Febr. 8 Febr. 15 Febr.	4 Febr. 11 Febr. 18 Febr. 25 Febr. 4 Mart.
E	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. * 29. 28. 27. 26. **XXV.** 25. 24.	19 Jan. 26 Jan. 2 Febr. 9 Febr. 16 Febr.	5 Febr. 12 Febr. 19 Febr. 26 Febr. 5 Mart.
F	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. * 29. 28. 27. 26. **XXV.** 25. 24.	20 Jan. 27 Jan. 3 Febr. 10 Febr. 17 Febr.	6 Febr. 13 Febr. 20 Febr. 27 Febr. 6 Mart.
G	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. * 29. 28. 27. 26. **XXV.** 25. 24.	21 Jan. 28 Jan. 4 Febr. 11 Febr. 18 Febr.	7 Febr. 14 Febr. 21 Febr. 28 Febr. 7 Mart.
A	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. * 29. 28. 27. 26. **XXV.** 25. 24.	22 Jan. 29 Jan. 5 Febr. 12 Febr. 19 Febr.	8 Febr. 15 Febr. 22 Febr. 1 Mart. 8 Mart.
B	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. * 29. 28. 27. 26. **XXV.** 25. 24.	23 Jan. 30 Jan. 6 Febr. 13 Febr. 20 Febr.	9 Febr. 16 Febr. 23 Febr. 2 Mart. 9 Mart.
C	24. 23. 22. 21. 20. 19. 18. 17. 16. 15. 14. 13. 12. 11. 10. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1. * 29. 28. 27. 26. **XXV.** 25. 24.	24 Jan. 31 Jan. 7 Febr. 14 Febr. 21 Febr.	10 Febr. 17 Febr. 24 Febr. 3 Mart. 10 Mart.

NOVA REFORMATA.

Pascha.	Ascensio.	Pentec.	Corpus Christi.	Dp. Pent.	Dom. I. Adventus.
22 Mart.	30 Apr.	10 Maji	21 Maji	28	29 Nov.
29 Mart.	7 Maji	17 Maji	28 Maji	27	29
5 Apr.	14 Maji	24 Maji	4 Junii	26	29
12 Apr.	21 Maji	31 Maji	11 Junii	25	29
19 Apr.	28 Maji	7 Junii	18 Junii	24	29
23 Mart.	1 Maji	11 Maji	22 Maji	28	30 Nov.
30 Mart.	8 Maji	18 Maji	29 Maji	27	30
6 Apr.	15 Maji	25 Maji	5 Junii	26	30
13 Apr.	22 Maji	1 Junii	12 Junii	25	30
20 Apr.	29 Maji	8 Junii	19 Junii	24	30
24 Mart.	2 Maji	12 Maji	23 Maji	28	1 Dec.
31 Mart.	9 Maji	19 Maji	30 Maji	27	1
7 Apr.	16 Maji	26 Maji	6 Junii	26	1
14 Apr.	23 Maji	2 Junii	13 Junii	25	1
21 Apr.	30 Maji	9 Junii	20 Junii	24	1
25 Mart.	3 Maji	13 Maji	24 Maji	28	2 Dec.
1 Apr.	10 Maji	20 Maji	31 Maji	27	2
8 Apr.	17 Maji	27 Maji	7 Junii	26	2
15 Apr.	24 Maji	3 Junii	14 Junii	25	2
22 Apr.	31 Maji	10 Junii	21 Junii	24	2
26 Mart.	4 Maji	14 Maji	25 Maji	28	3 Dec.
2 Apr.	11 Maji	21 Maji	1 Junii	27	3
9 Apr.	18 Maji	28 Maji	8 Junii	26	3
16 Apr.	25 Maji	4 Junii	15 Junii	25	3
23 Apr.	1 Junii	11 Junii	22 Junii	24	3
27 Mart.	5 Maji	15 Maji	26 Maji	27	27 Nov.
3 Apr.	12 Maji	22 Maji	2 Junii	26	27
10 Apr.	19 Maji	29 Maji	9 Junii	25	27
17 Apr.	26 Maji	5 Junii	16 Junii	24	27
24 Apr.	2 Junii	12 Junii	23 Junii	23	27
28 Mart.	6 Maji	16 Maji	27 Maji	27	28 Nov.
4 Apr.	13 Maji	23 Maji	3 Junii	26	28
11 Apr.	20 Maji	30 Maji	10 Junii	25	28
18 Apr.	27 Maji	6 Junii	17 Junii	24	28
25 Apr.	3 Junii	13 Junii	24 Junii	23	28

TABELLA TEMPORARIA

Anno D.	Litt. Dom.	Aur. Num.	Epactae.	Septuag.	Dies Cinerum.	Pascha.
1876	b A	15	iv	13 Febr.	1 Mart.	16 Apr.
1877	g	16	xv	28 Jan.	14 Febr.	1 Apr.
1878	f	17	xxvj	17 Febr.	6 Mart.	21 Apr.
1879	e	18	viij	9 Febr.	26 Febr.	13 Apr.
1880	d c	19	xviij	25 Jan.	11 Febr.	28 Mart.
1881	b	1	*	13 Febr.	2 Mart.	17 Apr.
1882	A	2	xj	5 Febr.	22 Febr.	9 Apr.
1883	g	3	xxij	21 Jan.	7 Febr.	25 Mart.
1884	f e	4	iij	10 Febr.	27 Febr.	13 Apr.
1885	d	5	xiv	1 Febr.	18 Febr.	5 Apr.
1886	c	6	xxv	21 Febr.	10 Mart.	25 Apr.
1887	b	7	vj	6 Febr.	23 Febr.	10 Apr.
1888	A g	8	xvij	29 Jan.	15 Febr.	1 Apr.
1889	f	9	xxviij	17 Febr.	6 Mart.	21 Apr.
1890	e	10	ix	2 Febr.	19 Febr.	6 Apr.
1891	d	11	xx	25 Jan.	11 Febr.	29 Mart.
1892	c b	12	j	14 Febr.	2 Mart.	17 Apr.
1893	A	13	xij	29 Jan.	15 Febr.	2 Apr.
1894	g	14	xxiij	21 Jan.	7 Febr.	25 Mart.
1895	f	15	iv	10 Febr.	27 Febr.	14 Apr.
1896	e d	16	xv	2 Febr.	19 Febr.	5 Apr.
1897	c	17	xxvj	14 Febr.	3 Mart.	18 Apr.
1898	b	18	vij	6 Febr.	23 Febr.	10 Apr.
1899	A	19	xviij	29 Jan.	15 Febr.	2 Apr.
1900	g	1	xxix	11 Febr.	28 Febr.	15 Apr.
1901	f	2	x	3 Febr.	20 Febr.	7 Apr.
1902	e	3	xxj	26 Jan.	12 Febr.	30 Mart.
1903	d	4	ij	8 Febr.	25 Febr.	12 Apr.
1904	c b	5	xiij	31 Jan.	17 Febr.	3 Apr.
1905	A	6	xxiv	19 Febr.	8 Mart.	23 Apr.
1906	g	7	v	11 Febr.	28 Febr.	15 Apr.
1907	f	8	xvj	27 Jan.	13 Febr.	31 Mart.
1908	e d	9	xxvij	16 Febr.	4 Mart.	19 Apr.

Anno D.	Ascensio.	Pentec.	Corpus Christi.	Indictio.	D. p. Pent.	Dom. I. Adventus.
1876	25 Maji.	4 Junii.	15 Junii.	4	25	3 Dec.
1877	10 Maji.	20 Maji.	31 Maji.	5	27	2 Dec.
1878	30 Maji.	9 Junii.	20 Junii.	6	24	1 Dec.
1879	22 Maji.	1 Junii.	12 Junii.	7	25	30 Nov.
1880	6 Maji.	16 Maji.	27 Maji.	8	27	28 Nov.
1881	26 Maji.	5 Junii.	16 Junii.	9	24	27 Nov.
1882	18 Maji.	28 Maji.	8 Junii.	10	26	3 Dec.
1883	3 Maji.	13 Maji.	24 Maji.	11	28	2 Dec.
1884	22 Maji.	1 Junii.	12 Junii.	12	25	30 Nov.
1885	14 Maji.	24 Maji.	4 Junii.	13	26	29 Nov.
1886	3 Junii.	13 Junii.	24 Junii.	14	23	28 Nov.
1887	19 Maji.	29 Maji.	9 Junii.	15	25	27 Nov.
1888	10 Maji.	20 Maji.	31 Maji.	1	27	2 Dec.
1889	30 Maji.	9 Junii.	20 Junii.	2	24	1 Dec.
1890	15 Maji.	25 Maji.	5 Junii.	3	26	30 Nov.
1891	7 Maji.	17 Maji.	28 Maji.	4	27	29 Nov.
1892	26 Maji.	5 Junii.	16 Junii.	5	24	27 Nov.
1893	11 Maji.	21 Maji.	1 Junii.	6	27	3 Dec.
1894	3 Maji.	13 Maji.	24 Maji.	7	28	2 Dec.
1895	23 Maji.	2 Junii.	13 Junii.	8	25	1 Dec.
1896	14 Maji.	24 Maji.	4 Junii.	9	26	29 Nov.
1897	27 Maji.	6 Junii.	17 Junii.	10	24	28 Nov.
1898	19 Maji.	29 Maji.	9 Junii.	11	25	27 Nov.
1899	11 Maji.	21 Maji.	1 Junii.	12	27	3 Dec.
1900	24 Maji.	3 Junii.	14 Junii.	13	25	2 Dec.
1901	16 Maji.	26 Maji.	6 Junii.	14	26	1 Dec.
1902	8 Maji.	18 Maji.	29 Maji.	15	27	30 Nov.
1903	21 Maji.	31 Maji.	11 Junii.	1	25	29 Nov.
1904	12 Maji.	22 Maji.	2 Junii.	2	27	27 Nov.
1905	1 Junii.	11 Junii.	22 Junii.	3	24	3 Dec.
1906	24 Maji.	3 Junii.	14 Junii.	4	25	2 Dec.
1907	9 Maji.	19 Maji.	30 Maji.	5	27	1 Dec.
1908	28 Maji.	7 Junii.	18 Junii.	6	25	29 Nov.

Januarius.

C.R.	L.D.		D.M.	
*	A	Kal.	1	Circumcisio Domini, duplex.
xxix	b	iv	2	Octava S. Stephani, duplex, cum Commemoratione Octavarum.
xxviij	c	iij	3	Octava S. Joannis Apostoli, duplex, cum Commem. Octavae SS. Innocentium.
xxvij	d	Prid.	4	Octava SS. Innocentium, duplex.
xxvj	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniae, semid. cum Comm. S. Telesphori Papae et Martyris.
25. xxv	f	viij	6	Epiphania Domini, duplex.
xxiv	g	vij	7	De Octava Epiphaniae.
xxiij	A	vj	8	De Octava.
xxij	b	v	9	De Octava.
xxj	c	iv	10	De Octava.
xx	d	iij	11	De Octava et Commemoratio S. Hygini Papae et Martyris.
xix	e	Prid.	12	De Octava.
xviij	f	Idib.	13	Octava Epiphaniae, duplex. Dominica. ij. post Epiphaniam, SS. Nominis Jesu duplex.
xvij	g	xix	14	Hilarii Ep. Conf. et Eccl. Doct., duplex, cum Comm. S. Felicis Presb. et Mart.
xvi	A	xviij	15	Pauli primi Eremitae Conf., duplex, cum Commemoratione S. Mauri Abbatis.
xv	b	xvij	16	Marcelli Papae et Mart., semiduplex.
xiv	c	xvj	17	Antonii Abbatis, duplex.
xiij	d	xv	18	Cathedra S. Petri Romae, duplex, et Comm. S. Priscae Virginis et Martyris.
xij	e	xiv	19	Canuti Regis et Martyris, semiduplex ad libitum. cum Commemoratione SS. Marii, Marthae, Audifacis et Abachum, Martyrum.
xj	f	xiij	20	Fabiani et Sebastiani Mart., duplex.
x	g	xij	21	Agnetis Virginis et Martyris, duplex.
ix	A	xj	22	Vincentii et Anastasii Mart., semiduplex.
viij	b	x	23	Raymundi de Pennafort Confessoris, semiduplex. cum Commemoratione S. Emerentianae Virginis et Martyris.
vij	c	ix	24	Timothei Episcopi et Martyris, duplex.
vj	d	viij	25	Conversio S. Pauli Apost., duplex.
v	e	vij	26	Polycarpi Episcopi et Martyris, duplex.
iv	f	vj	27	Joannis Chrysostomi Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex.
iij	g	v	28	Agnetis, secundo.
ij	A	iv	29	Francisci Salesii Episcopi et Confessoris, duplex.
j	b	iij	30	Martinae Virg. et Mart., semiduplex.
	c	Prid.	31	Petri Nolasci Confessoris, duplex.

C.E.	L.D.	D.M.	
xxix	d	Kal.	1 **Ignatii Episc. et Mart.**, duplex.
xxviij	e	iv	2 PURIFICATIO B.M.V., **duplex.**
xxvij	f	iij	3 **Blasii Episcopi et Martyris.**
25. xxvj	g	Prid.	4 **Andreae Corsini Episc. Confess.**, duplex.
xxv. xxiv	A	Non.	5 **Agathae Virginis et Martyris**, duplex.
xxiij	b	viij	6 **Titi Episcopi et Confessoris**, duplex, **cum Commemoratione S. Dorotheae Virginis et Martyris.**
xxij	c	vij	7 **Romualdi Abbatis**, duplex.
xxj	d	vj	8 **Joannis de Matha Confessoris**, duplex.
xx	e	v	9 **Apolloniae Virginis et Martyris.**
xix	f	iv	10 **Scholasticae Virginis**, duplex.
xviij	g	iij	11
xvij	A	Prid.	12
xvj	b	Idib.	13
xv	c	xvj	14 **Valentini Presbyteri et Martyris.**
xiv	d	xv	15 **Faustini et Jovitae Martyrum.**
xiij	e	xiv	16
xij	f	xiij	17
xj	g	xij	18 **Simeonis Episcopi et Martyris.**
x	A	xj	19
ix	b	x	20
viij	c	ix	21
vij	d	viij	22 CATHEDRA S. PETRI ANTIOCHIAE, dupl.
vj	e	vij	23 **Petri Damiani Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris**, duplex, **cum Commemoratione Vigiliae.**
v	f	vj	24 MATHIAE APOSTOLI, duplex.
iv	g	v	25
iij	A	iv	26
ij	b	iij	27
j	c	Prid.	28

In anno bissextili Februarius est dierum 29, et Festum S. Mathiae celebratur 25 Februarii, et bis dicitur Sexto Kalendas, id est die 24 et die 25; et Littera Dominicalis, quae assumpta fuit in mense Januario, mutatur in praecedentem, ut, si in Januario Littera Dominicalis fuerit A, mutatur in praecedentem, quae est g, etc., et Littera f bis servit 24 et 25.

C.E.	L.D.		D.M.	
	d	Kal.	1	
xxix	e	vj	2	
xxviij	f	v	3	
xxvij	g	iv	4	Casimiri Conf., semiduplex, et Commem. S. Lucii Papae et Martyris.
xxvj	A	iij	5	
25. xxv	b	Prid.	6	
xxiv	c	Non.	7	Thomae de Aquino Confessoris et Eccl. Doct., duplex, et Comm. SS. Perpetuae et Felicitatis Martyrum.
xxiij	d	viij	8	Joannis de Deo Confessoris, duplex.
xxij	e	vij	9	Franciscae Viduae Romanae, duplex.
xxj	f	vj	10	Quadraginta Martyrum, semiduplex.
xx	g	v	11	
xix	A	iv	12	Gregorii Papae Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex.
xviij	b	iij	13	
xvij	c	Prid.	14	
xvj	d	Idib.	15	
xv	e	xvij	16	
xiv	f	xvj	17	Patritii Episcopi et Confessoris, duplex.
xiij	g	xv	18	
xij	A	xiv	19	Joseph Sponsi Beatae Mariae Virginis Confessoris, duplex.
xj	b	xiij	20	
x	c	xij	21	Benedicti Abbatis, duplex.
ix	d	xj	22	
viij	e	x	23	
vij	f	ix	24	
vj	g	viij	25	Annuntiatio B. Mariae Virginis, dupl. * Feria vi. post Dominicam Passionis, Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis, duplex.
v	A	vij	26	
iv	b	vj	27	
iij	c	v	28	
ij	d	iv	29	
j	e	iij	30	
	f	Prid.	31	

C.E.	L.D.	D.M.		
xxix	g	Kal.	1	
xxviij	A	iv	2	Francisci de Paula Confessoris, duplex.
xxvij	b	iij	3	
25. xxvj	c	Prid.	4	Isidori Episcopi Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex.
xxv.xxiv	d	Non.	5	Vincentii Ferrerii Confessoris, duplex.
xxiij	e	viij	6	
xxij	f	vij	7	
xxj	g	vj	8	
xx	A	v	9	
xix	b	iv	10	
xviij	c	iij	11	Leonis Papae, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex.
xvij	d	Prid.	12	
xvj	e	Idib.	13	Hermenegildi Martyris, semiduplex.
xv	f	xviij	14	Tiburtii, Valeriani, et Maximi Mart.
xiv	g	xvij	15	
xiij	A	xvj	16	
xij	b	xv	17	Aniceti Papae et Martyris.
xj	c	xiv	18	
x	d	xiij	19	
ix	e	xij	20	
viij	f	xj	21	Anselmi Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex.
vij	g	x	22	Soteris et Caji PP. et MM., semiduplex.
vj	A	ix	23	Georgii Martyris, semiduplex.
v	b	viij	24	Fidelis a Sigmaringa Martyris, duplex.
iv	c	vij	25	MARCI EVANGELISTAE, duplex.
iij	d	vj	26	Cleti et Marcellini Pontificum et Martyrum, semiduplex.
ij	e	v	27	
j	f	iv	28	Pauli a Cruce, Confessoris, duplex. Commemoratio S. Vitalis Martyris.
	g	iij	29	Petri Martyris, duplex.
xxix	A	Prid.	30	Catharinae Senensis Virginis, duplex.
				Dominica iij. post Pascha, Festum Patrocinii S. Joseph, duplex.

Maius.

C.E.	L.D.		D.M.	
xxviij	b	Kal.	1	Philippi et Jacobi Apostol., duplex.
xxvij	c	vj	2	Athanasii Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex.
xxvj	d	v	3	Inventio S. Crucis, duplex, et Comm. SS. Alexandri, etc. Martyrum, ac Juvenalis Episcopi et Confessoris.
25.xxv	e	iv	4	Monicae Viduae, duplex.
xxiv	f	iij	5	Pii V. Papae et Confessoris, duplex.
xxiij	g	Prid.	6	Joannis ante Port. Latin., duplex.
xxij	A	Non.	7	Stanislai Episcopi et Martyris, duplex.
xxj	b	viij	8	Apparitio S. Michaelis Archang., duplex.
xx	c	vij	9	Gregorii Nazianzeni, Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex.
xix	d	vj	10	Antonini Episc. Confess., duplex, cum Comm. SS. Gordiani et Epimachi, MM.
xviij	e	v	11	
xvij	f	iv	12	Nerei, Achillei, Domitillae Virginis, atque Pancratii Martyrum, semiduplex.
xvj	g	iij	13	
xv	A	Prid.	14	Bonifacii Martyris.
xiv	b	Idib.	15	
xiij	c	xvij	16	Ubaldi Episcopi et Confess., semiduplex.
xij	d	xvj	17	Paschalis Baylon Confessoris, duplex.
xj	e	xv	18	Venantii Martyris, duplex.
x	f	xiv	19	Petri Coelestini Papae et Confess., duplex, cum Comm. S. Pudentianae Virginis.
ix	g	xiij	20	Bernardini Senensis Confessoris, semid.
viij	A	xij	21	
vij	b	xj	22	
vj	c	x	23	
v	d	ix	24	
iv	e	viij	25	Gregorii VII. Papae et Confess., duplex, cum Comm. S. Urbani Papae et Mart.
iij	f	vij	26	Philippi Nerii Confessoris, duplex, cum Comm. S. Eleutherii Papae et Martyris.
ij	g	vj	27	Mariae Magdalenae de Pazzis Virginis, semiduplex, cum Commem. S. Joannis Papae et Martyris.
j	A	v	28	
	b	iv	29	
xxix	c	iij	30	Felicis Papae et Martyris.
xxviij	d	Prid.	31	Angelae Mericiae Virginis, duplex. Commemoratio S. Petronillae Virginis.

Feria vj. post Octavam SS. Corporis Christi, SS. Cordis Jesu, duplex.

C.E.	L.D.	D.M.	
xxvij	e	Kal. 1	
25. xxvj	f	iv 2	Marcellini, Petri atque Erasmi Martyr.
xxv. xxiv.	g	iij 3	
xxiij	A	Prid. 4	Francisci Caracciolo Confess., duplex.
xxij	b	Non. 5	Bonifacii Episcopi et Martyris, duplex.
xxj	c	viij 6	Norberti Episcopi et Confess., duplex.
xx	d	vij 7	
xix	e	vj 8	
xviij	f	v 9	Primi et Feliciani Martyrum.
xvij	g	iv 10	Margaritae Viduae Reginae Scotiae, semiduplex.
xvj	A	iij 11	Barnabae Apostoli, duplex.
xv	b	Prid. 12	Joannis a S. Facundo Confess., duplex. Comm. SS. Basilidis, etc. Martyrum.
xiv	c	Idib. 13	Antonii de Padua Confessoris, duplex.
xiij	d	xviij 14	Basilii Magni Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex.
xij	e	xvij 15	Viti, Modesti atque Crescentiae, Martyr.
xj	f	xvj 16	
x	g	xv 17	
ix	A	xiv 18	Marci et Marcelliani Martyrum.
viij	b	xiij 19	Julianae de Falconeriis Virginis, duplex. Commemorat. SS. Gervasii et Protasii Martyrum.
vij	c	xij 20	Silverii Papae et Martyris.
vj	d	xj 21	Aloysii Gonzagae Confessoris, duplex.
v	e	x 22	Paulini Episcopi et Confessoris.
iv	f	ix 23	Vigilia.
iij	g	viij 24	Nativitas S. Joannis Bapt., duplex.
ij	A	vij 25	Gulielmi Abbatis, dupl. Comm. Octavae.
i	b	vj 26	Joannis et Pauli Martyrum, dupl. Commemoratio Octavae.
	c	v 27	De Octava Nativitatis S. Joannis.
xxix	d	iv 28	Leonis II. Papae et Confess., semiduplex. Commemoratio Octavae et Vigiliae.
xxviij	e	iij 29	Petri et Pauli Apostolorum, dupl.
xxvij	f	Prid. 30	Commemoratio S. Pauli Apostoli, dupl. cum Commemorat. S. Petri et Octavae S. Joannis.

C.E.	L.	D.	D.	M.	
					Dominica j. Julii, Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., duplex.
xxvj	g	Kal.	1		Octava S. Joannis Baptistae, duplex, cum Commemoratione Octavae Apostolorum.
25. xxv	A	vj	2		VISITATIO B.M.V., duplex, cum Comm. SS. Processi et Martiniani Martyrum.
xxiv	b	v	3		De Octava SS. Apost., semiduplex.
xxiij	c	iv	4		De Octava, semiduplex.
xxij	d	iij	5		De Octava, semiduplex.
xxj	e	Prid.	6		Octava Apostol. Petri et Pauli, duplex.
xx	f	Non.	7		
xix	g	viij	8		Elisabeth Reginae Portug. Vid., semid.
xviij	A	vij	9		
xvij	b	vj	10		Septem Fratrum et SS. Rufinae ac Secundae Martyrum, semiduplex.
xvj	c	v	11		Pii I. Papae et Martyris.
xv	d	iv	12		Joannis Gualberti Abbatis, duplex, et Comm. SS. Naboris et Felicis Martyr.
xiv	e	iij	13		Anacleti Papae et Martyris, semiduplex.
xiij	f	Prid.	14		Bonaventurae Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex.
xij	g	Idib.	15		Henrici Imperatoris, Confess., semidupl.
xj	A	xvij	16		B.M.V. DE MONTE CARMELO, duplex.
x	b	xvj	17		Alexii Confessoris, semiduplex.
ix	c	xv	18		Camilli de Lellis Confess., duplex. Commemoratio S. Symphorosae et septem filiorum, Martyrum.
viij	d	xiv	19		Vincentii a Paulo Confessoris, duplex.
vij	e	xiij	20		Hieronymi Æmiliani Confessoris, duplex, cum Commemoratione S. Margaritae Virginis et Martyris.
vj	f	xij	21		Praxedis Virginis.
v	g	xj	22		Mariae Magdalenae, duplex.
iv	A	x	23		Apollinaris Episcopi et Martyris, duplex, cum Commemoratione S. Liborii Episcopi et Confessoris.
iij	b	ix	24		Vigilia et Comm. S. Christinae Virginis et Martyris.
ij	c	viij	25		JACOBI APOSTOLI, duplex. Commemoratio S. Christophori Martyris.
j	d	vij	26		ANNAE MATRIS B.M.V., duplex.
*	e	vj	27		Pantaleonis Martyris.
xxix	f	v	28		Nazarii, Celsi et Victoris Martyrum, ac Innocentii Papae et Confess. semid.
xxviij	g	iv	29		Marthae Virginis, semiduplex. Comm. SS. Felicis, Simplicii, etc. Martyrum.
xxvij	A	iij	30		Abdon et Sennen Martyrum.
25. xxvj	b	Prid.	31		Ignatii Confessoris, duplex.

C.E.	L.D.		D M.	
xxv. xxiv	c	Kal.	1	Petri ad Vincula duplex, et Comm SS Machabeorum Martyrum
xxiij	d	iv	2	Alphonsi Mariae de Ligorio Ep. Conf. et Ecclesiae Doctoris, duplex. Commem. S. Stephani Papae et Martyris.
xxij	e	iij	3	Inventio S. Stephani Protomart., semid.
xxj	f	Prid.	4	Dominici Confessoris, duplex.
xx	g	Non.	5	Dedicatio S. Mariae ad Nives, dupl
xix	A	viij	6	Transfiguratio Domini, duplex. Comm. S. Xysti, Papae et Martyris.
xviij	b	vij	7	Cajetani Thienaei Confess., duplex, cum Comm. S. Donati Episcopi et Mart.
xvij	c	vj	8	Cyriaci, Largi et Smaragdi Mart., semid.
xvj	d	v	9	Vigilia. Comm. S. Romani Martyris.
xv	e	iv	10	Laurentii Martyris, duplex.
xiv	f	iij	11	De Octava. semid., Comm. SS. Tiburtii et Susannae Martyrum.
xiij	g	Prid.	12	Clarae Virg. duplex, cum Comm. Octavae
xij	A	Idib.	13	De Octava, cum Comm. SS. Hippolyti et Cassiani Martyrum.
xj	b	xix	14	De Octava Comm. Vigil. et S. Eusebii C
x	c	xviij	15	Assumptio B.M.V., duplex. * Dom. infra Octavam Assumpt. S. Joachim Confessoris, duplex.
ix	d	xvij	16	Hyacinthi Conf., dupl. Comm. Octavae Assumptionis et S. Laurentii.
viij	e	xvj	17	Octava S. Laurentii, duplex. Commemor. Octavae Assumptionis.
vij	f	xv	18	De Octava. Comm. S. Agapiti Martyris.
vj	g	xiv	19	De Octava.
v	A	xiij	20	Bernardi Abbatis et Ecclesiae Doctoris, duplex. Commemoratio Octavae.
iv	b	xij	21	Joannae Franciscae, dupl. Comm. Oct.
iij	c	xj	22	Octava Assumpt. B. M. V., dupl Comm. SS. Timothei, etc. Martyrum.
ij	d	x	23	Philippi Benitii Confessoris, duplex Commemoratio Vigiliae.
j	e	ix	24	Bartholomaei Apost. dupl. (Rom. 25.)
*	f	viij	25	Ludovici Regis Confessoris, semiduplex. (Romae 26.)
xxix	g	vij	26	Zephyrini Papae et Martyris.
xxviij	A	vj	27	Josephi Calasanctii Confessoris, duplex.
xxvij	b	v	28	Augustini Episcopi, Confessoris et Eccl. Doct., dupl. Comm. S. Hermetis Mart
xxvj	c	iv	29	Decollatio S. Joannis Bapt., duplex. Commem. S. Sabinae Martyris.
25. xxv	d	iij	30	Rosae Virginis Limanae, duplex. Comm. SS. Felicis, etc. Martyrum.
xxiv	e	Prid.	31	Raymundi Nonnati Confessoris, duplex.

C.E.	L.D.		D.M.	
xxiij	f	Kal.	1	Ægidii Abbatis, et Comm. SS. duodecim Fratrum Martyrum.
xxij	g	iij	2	Stephani Regis Confessoris, semiduplex.
xxj	A	vi	3	
xx	b	Frid.	4	
xix	c	Non.	5	Laurentii Justiniani Episc. Conf., semid.
xviij	d	viij	6	
xvij	e	vij	7	
xvj	f	vi	8	Nativitas B. M. V., duplex, cum Commemoratione S. Adriani Martyris. * Dominica infra Octavam Nativitatis SS. Nominis B. M., duplex.
xv	g	v	9	De Octava. Comm. S. Gorgonii Mart.
xiv	A	vi	10	Nicolai de Tolentino Confessoris, duplex, cum Commemoratione Octavae.
xiij	b	iij	11	De Octava. Comm. SS. Proti, etc. Mart.
xij	c	Frid.	12	De Octava.
xj	d	Idib.	13	De Octava.
x	e	xviij	14	Exaltatio S. Crucis, duplex, cum Commemoratione Octavae Nativitatis.
ix	f	xvij	15	Octava Nativitatis B. Mariae, duplex, cum Comm. S. Nicomedis Martyris. * Dom. iij. Septembris Septem Dolorum B. M. V. duplex.
viij	g	xvj	16	Cornelii et Cypriani Pontificum et Mart., semid. Comm. S. Euphemiae, etc.
vij	A	xv	17	Impressio Stigmat. S. Francisci, duplex.
vj	b	xiv	18	Josephi a Cupertino Confessoris, duplex.
v	c	xiij	19	Januarii Episcopi et Sociorum Martyrum, duplex.
iv	d	xij	20	Eustachii et Sociorum Martyrum, dupl., et Commemoratio Vigiliae.
iij	e	xj	21	Matthaei Apostoli et Evang., dupl.
ij	f	x	22	Thomae a Villanova Episcopi Confess., duplex, cum Commemoratione S. Mauritii et Sociorum Martyrum.
j	g	ix	23	Lini Papae et Mart., semiduplex. Commemoratio S. Theclae Virginis et Mart.
*	A	viij	24	B. M. V. de Mercede, duplex.
xxix	b	vij	25	
xxviij	c	vj	26	Cypriani et Justinae Martyrum.
xxvij	d	v	27	Cosmae et Damiani Martyrum, semid.
25. xxvj	e	iv	28	Wenceslai Ducis et Martyris, semid.
xxv. xxiv	f	iij	29	Dedicatio S. Michaelis Arch., duplex.
xxiij	g	Frid.	30	Hieronymi Presbyteri, et Ecclesiae Doctoris, duplex.

C.E.	L.D.		D.M.	
				* Dominica j. Octobris SS. Rosarii B. M.V., duplex.
xxij	A	Kal.	1	Remigii Episcopi et Confessoris, semid ad libitum vel simplex de praecepto.
xxj	b	vj	2	Angelorum Custodum, duplex.
xx	c	v	3	
xix	d	iv	4	Francisci Confessoris, duplex.
xviij	e	iij	5	Placidi et Sociorum Martyrum.
xvij	f	Prid.	6	Brunonis Confessoris, duplex.
xvj	g	Non.	7	Marci Papae et Confessoris. Commemoratio SS. Sergii etc. Martyrum.
xv	A	viij	8	Birgittae Viduae, duplex.
xiv	b	vij	9	Dionysii, etc. Martyrum, semiduplex.
xiij	c	vj	10	Francisci Borgia Confessoris, semid.
xij	d	v	11	
xj	e	iv	12	
x	f	iij	13	Eduardi Regis Confessoris, semiduplex.
ix	g	Prid.	14	Callisti Papae et Martyris, duplex.
viij	A	Idib.	15	Teresiae Virginis, duplex.
vij	b	xvij	16	
vj	c	xvj	17	Hedwigis Viduae, semiduplex.
v	d	xv	18	LUCAE EVANGELISTAE duplex.
iv	e	xiv	19	Petri de Alcantara Confessoris, duplex.
iij	f	xiij	20	Joannis Cantii Confessoris, duplex.
ij	g	xij	21	Hilarionis Abbatis. Commemoratio SS. Ursulae et Sociarum Virginum et Martyrum.
j	A	xj	22	
	b	x	23	
xxix	c	ix	24	
xxviij	d	viij	25	Chrysanthi et Dariae Martyrum.
xxvij	e	vij	26	Evaristi Papae et Martyris.
xxvj	f	vj	27	Vigilia.
xxv	g	v	28	SIMONIS ET JUDAE APOSTOLORUM dup.
xxiv	A	iv	29	
xxiij	b	iij	30	
xxij	c	Prid.	31	Vigilia.

C.E.	L.D.		D.M.	
xxj	d	Kal.	1	Festum Omnium Sanctorum, duplex.
xx	e	iv	2	Commemoratio omnium fidelium Defunctorum, duplex, et de Octava omnium Sanctorum.
xix	f	iij	3	De Octava.
xviij	g	Prid.	4	Caroli Episcopi Confessoris, duplex, cum Commemoratione Octavae et SS. Vitalis et Agricolae Martyrum.
xvij	A	Non.	5	De Octava.
xvj	b	viij	6	De Octava.
xv	c	vij	7	De Octava.
xiv	d	vj	8	Octava Omnium Sanctorum, duplex. Commemoratio SS. Quatuor Coronatorum Martyrum.
xiij	e	v	9	Dedicatio Basilicae SS. Salvatoris, dupl., et Comm. S. Theodori Martyris.
xij	f	iv	10	Andreae Avellini Confessoris, duplex, et Comm. S. Tryphonis, etc. Martyrum.
xj	g	iij	11	Martini Episcopi et Confessoris, duplex, et Commem. S. Mennae Martyris.
x	A	Prid.	12	Martini Papae et Martyris, semiduplex.
ix	b	Idib.	13	Didaci Confessoris, semiduplex.
viij	c	xviij	14	
vij	d	xvij	15	Gertrudis Virginis, duplex.
vj	e	xvj	16	
v	f	xv	17	Gregorii Thaumaturgi Episcopi, Confessoris, semiduplex.
iv	g	xiv	18	Dedicatio Basilicarum SS. Petri et Pauli, duplex.
iij	A	xiij	19	Elisabeth Viduae, duplex. Commemoratio S. Pontiani Papae et Martyris.
ij	b	xij	20	Felicis de Valois Confessoris, duplex.
j	c	xj	21	Praesentatio B.M.V., duplex.
*	d	x	22	Caeciliae Virginis et Martyris, duplex.
xxix	e	ix	23	Clementis Papae et Martyris, duplex, cum Commem. S. Felicitatis Martyris.
xxviij	f	viij	24	Joannis a Cruce Confessoris, duplex, cum Commem. S. Chrysogoni Martyris.
xxvij	g	vij	25	Catharinae Virginis et Martyris, duplex.
25.xxvj	A	vj	26	Petri Alexandrini Episcopi et Martyris.
xxv.xxiv	b	v	27	
xxiij	c	iv	28	
xxij	d	iij	29	Vigilia, et Commemoratio S. Saturnini Martyris.
xxj	e	Prid.	30	Andreae Apostoli, duplex.

December.

C.E	L.D.		D.M.	
xx	f	Kal.	1	
xix	g	iv	2	Bibianae Virginis et Martyris, semid.
xviij	A	iij	3	Francisci Xaverii Confessoris, duplex.
xvij	b	Prid.	4	Petri Chrysologi Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex. Comm. S. Barbarae Virginis et Martyris.
xvj	c	Non.	5	Sabbae Abbatis, Commemoratio.
xv	d	viij	6	Nicolai Episcopi et Confessoris, duplex.
xiv	e	vij	7	Ambrosii Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris, duplex.
xiij	f	vj	8	Immac. Conceptio B. M. V., duplex.
xij	g	v	9	De Octava.
xj	A	iv	10	De Octava et Commemoratio Feriae et S. Melchiadis.
x	b	iij	11	Damasi Papae et Confessoris, semiduplex. Commemoratio Octavae et Feriae.
ix	c	Prid.	12	De Octava.
viij	d	Idib.	13	Luciae Virginis et Martyris, duplex. Commemoratio Octavae et Feriae.
vij	e	xix	14	De Octava.
vj	f	xviij	15	Octava Immaculatae Conceptionis, dupl. Commemoratio Feriae.
v	g	xvij	16	Eusebii Episcopi et Martyris, semidupl.
iv	A	xvj	17	
iij	b	xv	18	
ij	c	xiv	19	
j	d	xiij	20	Vigilia.
*	e	xij	21	Thomae Apostoli, duplex.
xxix	f	xj	22	
xxviij	g	x	23	
xxvij	A	ix	24	Vigilia.
xxvj	b	viij	25	Nativitas D. N. J. C., duplex.
25. xxv	c	vij	26	Stephani Protomartyris, duplex. Commemoratio Octavae.
xxiv	d	vj	27	Joannis Apostoli et Evangelistae, duplex, cum Commem. Octavarum.
xxiij	e	v	28	SS. Innocentium, duplex, cum Commemoratione Octavarum.
xxij	f	iv	29	Thomae Cantuariensis Episc. et Mart., semiduplex. Commem. Octavarum.
xxj	g	iij	30	De Dominica infra Oct. Nativ. vel de Octava, cum Commem. aliarum Octav.
19. xx	A	Prid.	31	Silvestri Papae et Confessoris, duplex, cum Commemoratione Octavarum.

Haec Epacta **19** nigra nunquam est in usu, nisi quando eodem anno concurrit cum Aureo num. **xix.**

Duae Tabellae

EX RUBRICIS GENERALIBUS EXCERPTAE,

In quarum prima statim videri poterit, de quo celebrandum erit Officium, si plura eodem die Festa occurrant.

In secunda vero, quomodo Officium praecedens concurrat in Vesperis cum Officio sequentis diei.

Ex utraque Tabella hoc ordine reperietur quod quaeritur.

RIMUM inveniatur numerus positus in quadrangulo illo, in quo Festa, de quibus est controversia, sibi invicem occurrunt: deinde legatur Regula juxta dictum numerum descripta, et ex ea clare videbitur quid sit agendum.

Exempli gratia: Quadrangulus, in quo sibi invicem occurrunt Duplex primae Classis, et Dominica primae Classis, erit qui est in angulo superiori primae Tabellae, in quo signatus est numerus 1, quia si ad eum tam Duplex, quam Dominica praedicta ex eorum locis recto tramite pergerent, in eo sibi invicem occurrerent. Regula autem juxta dictum numerum apposita sic habet: 1. Translatio de primo, Officium de secundo. Id est, Duplex primae Classis praedictum transferatur, et Officium fiat de Dominica primae Classis, quia cum in his regulis dicitur, de primo seu praecedenti, intelligitur de Festo in superiori parte Tabellae apposito, ut Duplex praedictum; cum de secundo vel sequenti, de Festo in inferiori parte sub numeris apposito, ut Dominica praedicta.

In aliquibus autem quadrangulis nullus appositus est numerus, vel quia nullus occursus, neque concursus esse potest, vel quia in propriis locis adnotatur in Breviario quid sit agendum.

Scire tamen oportet, quae sint Duplicia primae et secundae Classis et majora per annum, et quae Dominicae et Feriae majores dicantur.

DUPLICIA PRIMAE CLASSIS

In quibus nulla fit Commemoratio quorumcumque Festorum occurrentium, nisi prout supra in Rubricis.

Nativitas Domini.
Epiphania Domini.
Pascha Resurrectionis, cum tribus antecedentibus et duobus sequentibus diebus.
Ascensio Domini.
Pentecostes, cum duobus sequentibus diebus.
Festum Corporis Christi.
Assumptio B. Mariae Virginis.
Nativitas sancti Joannis Baptistae.
Festum sancti Joseph Sponsi B. Mariae Virginis.
Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli.
Festum Omnium Sanctorum.
Dedicatio propriae Ecclesiae.
Patronus vel Titulus Ecclesiae.

DUPLICIA
SECUNDAE CLASSIS,
In quibus de Simplicibus fit Commemoratio in Laudibus tantum.

Circumcisio Domini.
Festum SS. Nominis Jesu.
Festum SS. Trinitatis.
Festum pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.
Purificatio
Annuntiatio
Visitatio
Nativitas
Conceptio
} B. V. Mariae.
Dedicatio S. Michaelis Archangeli.
Natalitia undecim Apostolorum.
Festa Evangelistarum.
Festum sancti Stephani Protomartyris.
SS. Innocentium Martyrum.
Festum S. Laurentii, Mart.
Festum Patrocinii S. Joseph.
Inventio sanctae Crucis.

DOMINICAE MAJORES
dividuntur in duas Classes.

DOMINICAE I. CLASSIS
quae nunquam omittuntur:

Prima Adventus.
Prima Quadragesimae.
Passionis.
Palmarum.
Paschae.
In Albis.
Pentecostes.
Trinitatis.

DOMINICAE II. CLASSIS
Quae non omittuntur, nisi occurrente Patrono vel Titulari Ecclesiae, et ejusdem Dedicatione: et tunc de eis fit semper Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus:

Secunda
Tertia
Quarta
} Adventus
Septuagesimae.
Dominicae Sexagesimae.
Quinquagesimae.
Secunda
Tertia
Quarta
} Quadragesimae.

DUPLICIA MAJORA
PER ANNUM
Quae aliis Duplicibus minoribus praeferuntur:

Transfiguratio Domini.
Exaltatio sanctae Crucis.
SS. Cordis D. N. J. C.
Duo Festa VII. Dolorum.
Commem. B. M. V. de Monte Carmelo.
B. M. V. ad Nives.
Festum SS. Nominis B. M. V.
Festum B. M. V. de Mercede.
Solemnitas SS. Rosarii.
Praesentatio B. M. V.
Apparitio S. Michaelis Arch.
Decollatio S. Joan. Baptistae.
Cathedra S. Petri utraque.
Festum ejusdem ad vincula.
Conversio S. Pauli.
Festum S. Joannis ante Portam Latinam.
S. Barnabae Apostoli.
S. Joachim Patris B. M. V. Confessoris.
S. Annae Matris B. M. V.
Patronorum minus principalium.

FERIAE MAJORES,
de quibus semper fit Commemoratio:

Adventus.
Quadragesimae.
Quatuor Temporum.
Secunda Rogationum.

SI OCCURRAT EODEM DIE

Duplex 1. classis, et	6	4	0	6	2	4	6	2	2	8	4	4	1
Duplex 2. classis,	4	4	0	4	2	4	6	2	8	1	4	1	1
Duplex per annum,	4	4	0	4	2	1	4	8	1	1	4	1	1
Dies infra Octavam,	4	4	0	4	3	3	7	3	5	5	3	3	3
Dies Octavae,	4	4	0	4	2	7	4	2	3	3	4	3	3
Semiduplex,	4	4	0	4	8	1	4	1	1	1	1	1	1
Simplex,	3	3	3	0	3	3	3	3	3	5	3	3	3
Sancta Maria in Sabbato,	5	5	0	4	0	0	0	0	0	0	0	0	0
Feria major,	6	0	6	4	3	3	3	3	3	3	0	0	0
Vigilia,	0	5	6	4	3	3	3	3	3	5	0	0	0
	Vigilia.	Feria major.	Sancta Maria in Sabbato.	Simplex.	Semiduplex.	Dies Octavae.	Dies infra Octavam.	Duplex per annum.	Duplex 2. classis.	Duplex 1. classis.	Dominica per annum.	Dominica 2. classis.	Dominica 1. classis.

1 Translatio de primo, Officium de secundo.

2 Officium de primo, translatio de secundo.

3 Commemoratio de primo, Officium de secundo.

4 Officium de primo, Commemoratio de secundo.

5 Nihil de primo, Officium de secundo.

6 Officium de primo, nihil de secundo.

7 Officium de digniori, Commemoratio de minus digno.

8 Officium de digniori, translatio de minus digno.

Notandum, quod Duplex quodcumque, etiam Patroni, et Tituli Ecclesiae, vel Dedicationis ejusdem, occurrens in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, in die Circumcisionis, in die Octava Epiphaniae, in Feria quarta Cinerum, ac in tota majori Hebdomada, et infra Octavas Paschae et Pentecostes, in Ascensione Domini, in Festo Corporis Christi, in Festo Assumpt. B. V., et Omnium Sanctorum, transfertur.

Infra Octavam Epiphaniae fit tantum de Patrono, vel Titulari Ecclesiae et ejusdem Dedicatione, cum Commemoratione Octavae : alia Festa transferuntur post Octavam.

Infra Oct. Corporis Christi, Semiduplex transfertur, neque fit de Duplici translato, et de ea, quocumque adveniente Duplici, fit Commemoratio.

Infra illas Octavas, in quibus fit de Festis occurrentibus, Semiduplex occurrens in Dominica, transfertur in proxime sequentem diem : quae si fuerit impedita alio simili Festo, transfertur post Octavam.

De Oct. Nativitatis Domini, Epiphaniae, et Corporis Christi, semper fit Commem., quocumque Festo in illis occurr.

De aliis Octavis, quae non sunt in Kalendario, nihil fit a Feria quarta Cinerum usque ad Dominicam in Albis, et a Vigilia Pentecostes usque ad Festum Trinitatis inclusive, et a die 17 Decembris usque ad Epiphaniam.

Dies Octavae nunquam transfertur ; ideo quamquam Nativitas S. Joannis Baptistae occurrens in die Corporis Christi, transferatur in diem sequentem : non tamen transfertur Octava, sed de ea fit tantum Commemoratio in Officio de Octava Corporis Christi.

Si occurrat, ut Patronus, vel Titulus Ecclesiae descriptus sit eodem die in Kalendario cum aliis Sanctis, in ea Ecclesia fit tantum de Patrono, vel Titulari, absque commemoratione aliorum. Qui si in dicto Kalendario descripti sint sub Officio Duplici, vel Semiduplici, transferuntur in primam diem simili Officio non impeditam; et de eis fiat Officium Semiduplex, nisi tamen sint de majoribus Festis, quia tunc de translato quoque fiet Officium Duplex, ac si proprio die celebraretur. Si vero in Kalendario omnes sint tamquam Festum Simplex, de illis nihil fit.

De Feriis Adventus et Quadragesimae, quando de eis non fit Officium, fit Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus cujuscumque Festi : de Quatuor Temporibus, et Feria secunda Rogationum, ac Vigiliis, in Laudibus tantum. Si vero aliqua Vigilia occurrat in Adventu, Quadragesima, et Quatuor Temporibus, vel in diebus Festorum Duplicium primae Classis, sive Patroni, vel Tituli, aut Dedicationis Ecclesiae, de ea nihil fit, nec etiam in Laudibus.

QUANDO CONCURRIT

Dom. maj. seu 1. et 2. clas., cum	o	4	3	4	4	3	3	3	3	3	o
Dom. minor, seu per annum,	o	4	3	4	4	3	3	1	1	1	o
Duplex primae classis,	2	2	4	2	4	4	4	o	4	6	4
Duplex secundae classis,	4	4	4	4	4	4	4	3	6	3	4
Patronus, seu Titulus Eccl.,	2	2	4	2	4	4	4	o	4	o	4
Duplex per annum majus,	4	4	4	4	4	4	6	1	3	1	4
Duplex per annum minus,	4	4	5	4	4	5	3	1	3	1	4
Semiduplex,	4	5	3	4	5	3	3	1	1	1	5
Dies Octavae,	4	4	5	4	4	5	3	1	3	1	4
Dies infra Octavam,	o	o	3	4	5	3	3	1	1	1	5
	Sancta Maria in Sabbato.	Die infra Octavam.	Die Octavae.	Simplici.	Semiduplici.	Duplici per annum minore.	Duplici per annum majore.	Patrono seu Titulo Ecclesiae.	Duplici secundae classis.	Duplici primae classis.	Dominica quacumque.

1 Totum de sequenti, nihil de praecedenti.

2 Totum de praecedenti, nihil de sequenti.

3 Totum de sequenti, Commemoratio de praecedenti.

4 Totum de praecedenti, Commemoratio de sequenti.

5 Capitulum de sequenti, Commemoratio de praecedenti.

6 Totum de digniori, Commemoratio de minus digno.

Simplex, et S. Maria in Sabbato, Feria, et Vigilia non concurrunt.

Notandum, quod in primis Vesperis diei Octavae Ascensionis et Corporis Christi, totum Officium fit de Octava, cum Commemoratione praecedentis Festi Duplicis, nisi fuerit Festum solemne principale, vel primae vel secundae Classis, quia tunc de Festo fieret Officium, et Commem. de Oct.

In secundis Vesperis diei Octavae Epiphaniae, Paschae, Ascensionis, et Corporis Christi, de sequenti Duplici fit tantum Commemoratio, nisi illud fuerit primae, vel secundae Classis, seu Patronus, vel Titulus, aut Dedicatio Ecclesiae: quia tunc de Festo fieret Officium, et de Octava Commemoratio. Et similiter die Octava Corporis Christi in secundis Vesperis concurrente cum die Octava sancti Joannis Baptistae, Vesperae erunt de Octava Corporis Christi cum Commemoratione Octavae S. Joannis.

In secundis Vesperis Duplicis secundae Classis non fit Commemoratio de die infra Octavam, nisi quando de ea fieri debeat Officium die sequenti.

Cum plures fiunt Commemorationes, servetur hic ordo. De Duplici, de Dominica, de Semiduplici, de die infra Oct. de Fer. majori, seu Vigilia, de S. Maria in Sabb., de Simplici.

Absolutiones et Benedictiones

DICENDAE ANTE LECTIONES IN OFFICIO NOVEM ET TRIUM LECTIONUM.

IN I. NOCTURNO, et pro ii. et v. Feria.

Absolutio.

EXAUDI, Dómine Jesu Christe, preces servórum tuórum, et miserére nobis: qui cum Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas in saecula saeculórum. ℟. Amen.

Benedictiones.

1. Benedictióne perpétua benedícat nos Pater aetérnus. ℟. Amen.

2. Unigénitus Dei Filius, nos benedícere et adjuváre dignétur.

3. Spíritus Sancti grátia illúminet sensus et corda nostra.

IN II. NOCTURNO, et pro iii. et vi. Feria

Absolutio.

IPSIUS píetas et misericórdia nos ádjuvet, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculórum. ℟. Amen.

Benedictiones.

4. Deus Pater omnípotens sit nobis propítius et clemens. ℟. Amen.

5. Christus perpétuae det nobis gáudia vitae.

6. Ignem sui amóris accéndat Deus in córdibus nostris.

IN III. NOCTURNO, et pro Feria iv. et Sabbato.

Absolutio.

A VINCULIS peccatórum nostrórum absólvat nos omnípotens et miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Benedictiones.

7. Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio. ℟. Amen.

8. Divínum auxílium máneat semper nobíscum.

9. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Rex Angelórum.

Si Officium fit de Sancto novem Lectionum, octava Benedictio erit:

Cujus festum cólimus, ipse (vel ipsa) intercédat pro nobis ad Dóminum.

Quando sunt plures, dicitur

Quorum vel quarum) festum cólimus, ipsi vel ipsae intercédant pro nobis ad Dóminum.

Si Officium fit de S. Maria, viii. Benedictio erit:

Cujus festum cólimus, ipsa Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dñum.

Si in ultima Lectione legendum sit aliud Evangelium cum Homilia, nona Benedictio erit:

Per evangélica dicta deleántur nostra delícta.

In Officio trium Lectionum dicuntur Absolutiones et Benedictiones praedictae ordine superius in Rubricis generalibus, et in I. Dominica de Adventu descripto: et in eo, quando non legitur Homilia cum Evangelio, et Benedictiones sumendae sunt ex tertio Nocturno, prima Benedictio dicitur:

1. Ille nos benedícat, qui sine fine vivit et regnat.
2. Divínum auxílium.
3. Ad societátem.

In Off. iii. Lect., quando legitur Hom. cum Evang., prima Benedictio erit:

1. Evangélica léctio.
2. Divínum auxílium.
3. Ad societátem.

Si Officium fit de Sancto trium Lectionum, prima Benedictio erit:

1. Ille nos benedícat qui sine fine vivit et regnat.
2. Cujus vel Quorum.
3. Ad societátem.

In Officio de S. Maria in Sabbato, Absolutio et Benedictiones quae ibidem ponuntur.

Oratio

DICENDA ANTE DIVINUM OFFICIUM.

APERI, Dómine, os meum ad benedicéndum nomen sanctum tuum: munda quoque cor meum ab ómnibus vanis, pervérsis et aliénis cogitatiónibus: intellectum illúmina, affectum inflámma, ut digne, atténte ac devóte hoc Officium recitáre váleam, et exaudíri mérear ante conspéctum divínae Majestátis tuae. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Dómine, in unióne illíus divínae intentiónis qua ipse in terris laudes Deo persolvísti, has tibi Horas persólvo.

Oratio

DICENDA POST DIVINUM OFFICIUM.

Orationem sequentem devote post Officium recitantibus, Leo Papa X. defectus et culpas in eo persolvendo ex humana fragilitate contractas indulsit : et dicitur flexis genibus.

SACROSANCTAE et indivíduae Trinitáti, crucifíxi Dómini nostri Jesu Christi humanitáti, beatíssimae et gloriosíssimae sempérque vírginis Maríae fecúndae integritáti, et ómnium Sanctórum universitáti, sit sempitérna laus, honor, virtus et glória, ab omni creatúra, nobísque remíssio ómnium peccatórum per infiníta saecula saeculórum. ℟. Amen.

℣. Beáta víscera Maríae Vírginis, quae portavérunt aetérni Patris Fílium. ℟. Et beáta úbera quae lactavérunt Christum Dóminum.

Pater noster. Ave, María.

Psalterium.


Foderunt manus meas et pedes meos
dinumeraverunt omnia ossa mea.
Ysaie

Psalterium

DISPOSITUM

PER HEBDOMADAM

CUM ORDINARIO OFFICII DE TEMPORE.

PARS AUTUMNALIS.

DOMINICA

AD MATUTINUM.

Ante Matutinum, et omnes Horas, praeterquam ad Completorium, dicitur secreto :

PATER noster, qui es in coelis, sanctificétur nomen tuum. Advéniat regnum tuum. Fiat volúntas tua, sicut in coelo et in terra. Panem nostrum quotidiánum da nobis hódie. Et dimítte nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris. Et ne nos indúcas in tentatiónem: sed líbera nos a malo. Amen.

AVE María, grátia plena, Dñus tecum : benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui Jesus. Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc et in hora mortis nostrae. Amen.

In principio Matutini, et Primae, ac in fine Completorii, dicitur etiam Symbolum Apostolorum.

CREDO in Deum, Patrem omnipoténtem, Creatórem coeli et terrae. Et in Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dñum nostrum, qui concéptus est de Spíritu Sancto, natus ex María Vírgine, passus sub Póntio Piláto, crucifíxus,

mórtuus, et sepúltus : descéndit ad ínferos : tértia die resurréxit a mórtuis : ascéndit ad coelos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis : inde ventúrus est judicáre vivos et mórtuos. Credo in Spíritum Sanctum, Sanctam Ecclésiam cathólicam, Sanctórũ communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, vitam aetérnam. Amen.

Deinde clara voce dicitur: ℣. DOMINE, lábia mea apéries. ℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dñe, ad adjuvándum me festína.

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto : Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in saecula saeculórum. Amen. Allelúia.

Sic dicitur Allelúia, ad omnes Horas per Annum.

Invitatorium sequens dicitur ab Octava Pentecostes usque ad Adventum.

Invitatorium. Adorémus Dóminum, * Qui fecit nos.

Repetitur : Adorémus Dóminum, qui fecit nos.

Psalmus xciv.

VENITE, exultémus Dño, jubilémus Deo salutári nostro : praeoccupémus fáciem ejus in confessióne, et in psalmis jubilémus ei.

Adorémus Dóminum, qui fecit nos.

Quóniam Deus magnus Dóminus, et Rex magnus super omnes deos : quóniam non repéllet Dóminus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terrae, et altitúdines móntium ipse cónspicit.

Qui fecit nos.

Quóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud, et áridam fundavérunt manus ejus : veníte, adorémus, et procidámus ante Deum : plorémus coram Dño, qui fecit nos, quia ipse est Dóminus Deus noster : nos autem pópulus ejus, et oves páscuae ejus.

Adorémus Dóminum, qui fecit nos.

Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne secúndum diem tentatiónis in desérto : ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt et vidérunt ópera mea.

Qui fecit nos.

Quadragínta annis próximus fui generatióni huíc, et dixi : Semper hi errant corde : ipsi vero non cognovérunt vias meas, quibus jurávi in ira mea, si introíbunt in réquiem meam.

Adorémus Dóminum, qui fecit nos.

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto: Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in saecula saeculórum. Amen.

Qui fecit nos.

Adorémus Dóminum, qui fecit nos.

Sequens Hymnus dicitur ab Octava Pentecostes usque ad Dominicam proximiorem Kalendis Octobris.

Hymnus.

DOCTE surgéntes vigilémus omnes,
Semper in psalmis meditémur, atque
Voce concórdi Dómino canámus
Dúlciter hymnos;
Ut pio Regi páriter canéntes,
Cum suis Sanctis mereámur aulam
Ingredi coeli, simul et perénnem
Dúcere vitam.
Praestet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque sancti
Spíritus, cujus résonat per omnem
Glória mundum. Amen.

Sequens Hymnus dicitur a Dominica proximiori Kalendis Octobris usque ad Adventum.

Hymnus.

PRIMO die, quo Trínitas
Beáta mundum cóndidit,
Vel quo resúrgens Cónditor
Nos morte victa líberat:
Pulsis procul torpóribus
Surgámus omnes ócius,
Et nocte quaerámus Deum,
Prophéta sicut praecipit:
Nostras preces ut áudiat,
Suámque dextram pórrigat
Et expiátos sórdibus
Reddat polórum sédibus:
Ut quique sacratíssimo
Hujus diéi témpore
Horis quiétis psállimus,
Donis beátis múneret.
Jam nunc, Patérna cláritas,
Te postulámus áffatim:
Absint faces libídinis,
Et omnis actus nóxius.
Ne foeda sit, vel lúbrica
Compágo nostri córporis,
Ob cujus ignes ígnibus
Avérnus urat ácrius.
Mundi Redémptor quaesumus,
Tu probra nostra díluas;
Nobísque largus cómmoda
Vitae perénnis cónferas.
Praesta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne saeculum. Amen.

Aliis temporibus a supradictis, Invitatorium et Hymnus dicuntur quae habentur in Proprio de Tempore, pro Officii varietate: quod et in Capitulis et Hymnis ad Laudes, et in aliis similibus servetur.

IN I. NOCTURNO.

Per Annum, Antiphona. **Servíte Dómino.**

Asteriscus * notat pausam cantus in choro.

Psalmus i.

BEATUS vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestilléntiae non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quaecúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem própicit ventus a fácie terrae.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Glória Patri, et Fílio, * et Spirítui Sancto :

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, * et in saecula saeculórum. Amen.

Hic versus **Glória** semper dicitur in fine omnium Psalmorum nisi aliter notetur.

Psalmus ii.

QUARE fremuérunt Gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia ?

Astitérunt reges terrae, et príncipes convenérunt in unum, * advérsus Dóminum et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in coelis, irridébit eos : * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * praedicans praecéptum ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi Gentes haereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terrae.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas figuli confríenges eos.

Et nunc reges intellígite : * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dño in timóre : * et exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplinam nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Psalmus iii.

DOMINE, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimae meae: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dñe, suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum: * et exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa: * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus: * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Psalmus vi.

DOMINE, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei, Dómine, quóniam infírmus sum: * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde: * sed tu, Dómine, úsquequo?

Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam: * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui: * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum: * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite a me omnes, qui operámini iniquitátē: * quóniam exaudívit Dñus vocem fletus mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam, * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant, et conturbéntur veheménter omnes inimíci mei: * convertántur, et erubéscant valde velóciter.

Per Annum, Añ. Servíte Dómino in timóre, et exultáte ei cum tremóre.

Añ. Deus judex justus.

Psalmus vii.

DOMINE Deus meus, in te sperávi: * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, et líbera me.

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, * dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine Deus meus, si feci istud, * si est iníquitas in mánibus meis :

Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * décidam mérito ab inimícis meis inánis.

Persequátur inimícus ánimam meam, et comprehéndat, et concúlcet in terra vitam meam, * et glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exúrge, Dñe, in ira tua: * et exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exúrge, Dómine Deus meus, in praecépto quod mandásti : * et synagóga populórum circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere : * Dóminus júdicat pópulos.

Júdica me, Dómine, secúndum justítiam meam, * et secúndum innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum, et díriges justum, * scrutans corda et renes Deus.

Justum adjutórium meum a Dómino, * qui salvos facit rectos corde.

Deus judex justus, fortis, et pátiens : * numquid irascitur per síngulos dies ?

Nisi convérsi fuéritis, gládium suum vibrábit : * arcum suum teténdit, et parávit illum.

Et in eo parávit vasa mortis, * sagíttas suas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injustítiam : * concépit dolórem, et péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, et effódit eum : * et íncidit in fóveam, quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus : * et in vérticem ipsíus iníquitas ejus descéndet.

Confitébor Dómino secúndum justítiam ejus : * et psallam nómini Dómini altíssimi.

Psalmus viii.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomem tuum in univérsa terra !

Quóniã eleváta est magnificéntia tua, * super coelos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo coelos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quae tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus ? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus,* oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres coeli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra !

Psalmus ix.

CONFITEBOR tibi, Dómine, in toto corde meo : * narrábo ómnia mirabília tua.

Laetábor et exultábo in te : * psallam nómini tuo, Altíssime.

In converténdo inimícum meum retrórsum : * infirmabúntur, et períbunt a fácie tua.

Quóniam fecísti judícium meum et causam meam : * sedísti super thronum qui júdicas justítiam.

Increpásti Gentes, et périit ímpius : * nomen eórum delésti in aetérnum, et in saeculum saeculi.

Inimíci defecérunt frámeae in finem : * et civitátes eórum destruxísti.

Périit memória eórum cum sónitu : * et Dóminus in aetérnum pérmanet.

Parávit in judício thronum suum : * et ipse judicábit orbem terrae in aequitáte, judicábit pópulos in justítia.

Et factus est Dñus refúgium páuperi : * adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne.

Et sperent in te, qui novérunt nomen tuum : * quóniam non dereliquísti quaeréntes te, Dómine.

Psállite Dño, qui hábitat in Sion : * annuntiáte inter Gentes stúdia ejus :

Quóniam requírens sánguinem eórum recordátus est : * non est oblítus clamórem páuperum.

Miserére mei, Dómine : * vide humilitátem meam de inimícis meis.

Qui exáltas me de portis mortis, * ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis fíliae Sion.

Exultábo in salutári tuo : * infixae sunt Gentes in intéritu, quem fecérunt.

In láqueo isto, quem abscondérunt, * comprehénsus est pes eórum.

Cognoscétur Dñus judícia fáciens : * in opéribus mánuum suárum comprehénsus est peccátor.

Convertántur peccatóres in infernũ, * omnes Gentes quae obliviscúntur Deum.

Quóniam non in finem oblívio erit páuperis : * patiéntia páuperum non períbit in finem.

Exúrge, Dómine, non confortétur homo : * judicéntur Gentes in conspéctu tuo.

Constítue, Dómine, legislatórem super eos : * ut sciant Gentes quóniam hómines sunt.

Ut quid, Dñe, recessísti longe, * déspicis in opportunitátibus, in tribulatióne ?

Dum supérbit ímpius, incénditur pauper : * comprehendúntur in consíliis quibus cógitant.

Quóniam laudátur peccátor in desidériis ánimae suae : * et iníquus benedícitur.

Exacerbávit Dñum peccátor : * secúndum multitúdinem irae suae non quaeret.

Non est Deus in conspéctu ejus : * inquinátae sunt viae illíus in omni témpore.

Auferúntur judícia tua a fácie ejus : * ómnium inimicórum suórum dominábitur.

Dixit enim in corde suo : * Non movébor a generatióne in generatiónem sine malo.

Cujus maledictióne os plenum est, et amaritúdine, et dolo : * sub lingua ejus labor et dolor.

Sedet in insídiis cum divítibus in occúltis, * ut interfíciat innocéntem.

Oculi ejus in páuperem respíciunt : * insidiátur in abscóndito, quasi leo in spelúnca sua.

Insidiátur ut rápiat páuperem : * rápere páuperem, dum áttrahit eum.

In láqueo suo humiliábit eum, * inclinábit se, et cadet cum dominátus fúerit páuperum.

Dixit enim in corde suo : Oblítus est Deus : * avértit fáciem suam, ne vídeat in finem.

Exúrge, Dómine Deus, exaltétur manus tua : * ne obliviscáris páuperum.

Propter quid irritávit ímpius Deum ? * dixit enim in corde suo : Non requíret.

Vides quóniam tu labórem et dolórem consíderas : * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelíctus est pauper : * órphano tu eris adjútor.

Cóntere bráchium peccatóris et malígni : * quaerétur peccátum illíus, et non inveniétur.

Dóminus regnábit in aetérnum, et in saeculum saeculi : * períbitis Gentes de terra illíus.

Desidérium páuperum exaudivit Dóminus : * praeparatiónem cordis eórum audívit auris tua.

Judicáre pupíllo et húmili, * ut non appónat ultra magnificáre se homo super terram.

Psalmus x.

IN Dómino confído : quómodo dícitis ánimae meae : * Tránsmigra in montem sicut passer ?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quae perfecísti, destruxérunt : * justus autem quid fecit ?

Dñus in templo sancto suo, * Dóminus in coelo sedes ejus :

Oculi ejus in páuperem respíciunt : * pálpebrae ejus intérrogant fílios hóminum.

Dñus intérrogat justum et ímpium : * qui autem díligit iniquitátem odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos : * ignis, et sulphur, et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus, et justítias diléxit : * aequitátem vidit vultus ejus.

Per Annum, Añ. Deus judex justus, fortis, et longánimis : numquid irascétur per síngulos dies ?

Añ. Tu Dómine.

Psalmus xi.

SALVUM me fac, Dñe, quóniam defécit sanctus : * quóniam diminútae sunt veritátes a fíliis hóminũ.

Vana locúti sunt unusquísque ad próximum suum : * lábia dolósa, in corde et corde locúti sunt.

Dispérdat Dóminus univérsa lábia dolósa, * et linguam magníloquam.

Qui dixérunt : Linguam nostram magnificábimus, lábia nostra a nobis sunt, * quis noster Dóminus est ?

Propter misériam ínopũ, et gémitum páuperum * nunc exúrgam, dicit Dóminus.

Ponam in salutári : * fiduciáliter agam in eo :

Elóquia Dómini, elóquia casta : * argéntum igne examinátum, probátum terrae purgátum séptuplum.

Tu, Dñe, servábis nos : et custódies nos * a generatióne hac in aetérnum.

In circúitu ímpii ámbulant : * secúndum altitúdinem tuam multiplicásti fílios hóminum.

Psalmus xii.

USQUEQUO, Dñe, obliviscéris me in finem ? * Usquequo avértis fáciem tuam a me ?

Quámdiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem ?

Usquequo exaltábitur inimícus meus super me ? * réspice, et exáudi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte : * nequándo dicat inimícus meus : Praeválui advérsus eum.

Qui tríbulant me, exultábunt si motus fúero : * ego autem in misericórdia tua sperávi.

Exultábit cor meum in salutári tuo : cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi : * et psallam nómini Dómini altíssimi.

Psalmus xiii.

DIXIT insípiens in corde suo : * Non est Deus.

Corrúpti sunt, et abominábiles facti sunt in stúdiis suis : * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Dñus de coelo prospéxit super fílios hóminum, * ut videat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt : * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Sepúlchrum patens est guttur eórum : linguis suis dolóse agébant, * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Quorum os maledictióne et amaritúdine plenum est : * velóces pedes eórum ad effundéndum sánguinem.

Contrítio et infelícitas in viis eórum, et viam pacis non cognovérunt : * non est timor Dei ante óculos eórum.

Nonne cognóscent omnes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam sicut escam panis?

Dóminum non invocavérunt, * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Dñus in generatióne justa est, consílium ínopis confudístis : * quóniam Dñus spes ejus est.

Quis dabit ex Sion salutáre Israël? * cum avérterit Dóminus captivitátem plebis suae, exultábit Jacob, et laetábitur Israël.

Psalmus xiv.

DOMINE, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam:

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum glorificat:

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit haec, * non movébitur in aetérnum.

Per Annum, Añ. Tu, Dómine, servábis nos, et custódies nos.

℣. Memor fui nocte nóminis tui, Dómine. ℟. Et custodívi legem tuam.

Post Versículum cujuslíbet Nocturni dicitur Pater noster secréto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Absolutio.

EXAUDI, Dñe Jesu Christe, preces servórum tuórum, et miserére nobis, qui cum Patre et Spíritu Sancto, vivis et regnas in saecula saeculórum. ℟. Amen.

℣. Jube, domne, benedícere.

Benedictio. Benedictióne perpétua benedícat nos Pater aetérnus. ℟. Amen.

Deinde leguntur Lectiones cum Responsoriis, ut in Proprio de Tempore assignantur.

Pro secunda Lectione.

Bened. Unigénitus Dei Fílius nos benedícere et adjuváre dignétur. ℟. Amen.

Pro tertia Lectione.

Bened. Spíritus Sancti grátia illúminet sensus et corda nostra. ℟. Amen.

IN II. NOCTURNO.

Per Annum, Añ. Bonórum meórum.

Psalmus xv.

CONSERVA me, Dñe, quóniam sperávi in te. * Dixi Dño: Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátae sunt infirmitátes eórum: * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus: * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars haereditátis meae, et cálicis mei: * tu es, qui restítues haereditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in praeclária: * étenim haeréditas mea praeclára est mihi.

Benedícam Dñum, qui tríbuit mihi intellléctum: * ínsuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper: * quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc laetátum est cor meum, et exultávit lingua mea: * ínsuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno: * nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitae, adimplébis me laetítia cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Per Annum Antiphona.

Bonórum meórum non

índiges, in te sperávi, consérva me, Dómine.

Aña. Propter verba.

Psalmus xvi.

EXAUDI, Dómine, justítiam meam : * inténde deprecatiónem meam.

Auribus pércipe oratiónem meam,* non in lábiis dolósis.

De vultu tuo judícium meum pródeat : * óculi tui vídeant aequitátes.

Probásti cor meum, et visitásti nocte : * igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas.

Ut non loquátur os meum ópera hóminum : * propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

Pérfice gressus meos in sémitis tuis : * ut non moveántur vestígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudísti me, Deus : * inclína aurem tuam mihi, et exáudi verba mea.

Mirífica misericórdias tuas, * qui salvos facis sperántes in te.

A resisténtibus déxterae tuae custódi me, * ut pupíllam óculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me : * a fácie impiórum qui me. * afflixérunt.

Inimíci mei ánimã meam circumdedérunt, ádipem suum conclusérunt : * os eórum locútum est supérbiam.

Projiciéntes me nunc circumdedérunt me : * óculos suos statuérunt declináre in terram.

Suscepérunt me sicut leo parátus ad praedam : * et sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exúrge, Dómine, praeveni eum, et supplánta eum : * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manus tuae.

Dñe, a paucis de terra dívide eos in vita eórum : * de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

Saturáti sunt fíliis : * et dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

Ego autem in justítia apparébo conspéctui tuo : * satiábor cum apparúerit glória tua.

Per Annum, Antiphona. Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

Aña. Díligam te.

Et non repetitur in Psalmo : quod semper fit, quando Antiphona incipit a primo Versu Psalmi, et Psalmus tunc incipitur ab eo verbo, in quo desinit Antiphona, sive integra dicatur, sive tantum inchoata ; si tamen eadem sint verba, et continuetur Antiphona cum Psalmo.

Psalmus xvii.

DILIGAM te, Dñe, fortitúdo mea : * Dñus firmaméntum meum, et refúgium meum, et liberátor meus.

Deus meus adjútor meus, * et sperábo in eum.

Protéctor meus, et cornu salútis meae, * et susceptor meus.

Laudans invocábo Dóminum : * et ab inimícis meis salvus ero.

Circumdedérunt me dolóres mortis : * et torrénte iniquitátis conturbavérunt me.

Dolóres inférni circumdedérunt me : * praeoccupavérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invocávi Dóminum, * et ad Deum meum clamávi :

Et exaudívit de templo sancto suo vocem meam : * et clamor meus in conspéctu ejus, introívit in aures ejus.

Commóta est, et contrémuit terra : * fundaménta móntium conturbáta sunt, et commóta sunt, quóniam irátus est eis.

Ascéndit fumus in ira ejus : et ignis a fácie ejus exársit : * carbónes succénsi sunt ab eo.

Inclinávit coelos, et descéndit : * et calígo sub pédibus ejus.

Et ascéndit super Chérubim, et volávit: * volávit super pennas ventórum.

Et pósuit ténebras latíbulum suum, in circúitu ejus tabernáculum ejus : * tenebrósa aqua in núbibus áeris.

Prae fulgóre in conspéctu ejus nubes transiérunt, * grando et carbónes ignis.

Et intónuit de coelo Dóminus, et Altíssimus dedit vocem suam : * grando et carbónes ignis.

Et misit sagíttas suas, et dissipávit eos : * fúlgura multiplicávit, et conturbávit eos.

Et apparuérunt fontes aquárum, * et reveláta sunt fundaménta orbis terrárum.

Ab increpatióne tua, Dómine, * ab inspiratióne spíritus irae tuae.

Misit de summo, et accépit me : * et assúmpsit me de aquis multis.

Erípuit me de inimícis meis fortíssimis, et ab iis qui odérunt me : * quóniam confortáti sunt super me.

Praevenérunt me in die afflictiónis meae: * et factus est Dñus protéctor meus.

Et edúxit me in latitúdinem : * salvum me fecit, quóniam vóluit me.

Et retríbuet mihi Dñus secúndum justítiam meam, * et secúndum puritátem mánuum meárum retríbuet mihi :

Quia custodívi vias Dñi, * nec ímpie gessi a Deo meo.

Quóniam ómnia judícia ejus in conspéctu meo : * et justítias ejus non répuli a me.

Et ero immaculátus cum eo : * et observábo me ab iniquitáte mea.

Et retríbuet mihi Dóminus secúndum justítiam meam : * et secúndum puritátem mánuum meárum in conspéctu oculórum ejus.

Cum sancto sanctus eris, * et cum viro innocénte innocens eris :

Et cum elécto eléctus eris : * et cum pervérso pervertéris.

Quóniam tu pópulum húmilē salvum fácies : * et óculos superbórum humiliábis.

Quóniam tu illúminas lucérnam meam, Dómine : * Deus meus, illúmina ténebras meas.

Quóniam in te erípiar a tentatióne, * et in Deo meo transgrédiar murum.

Deus meus impollúta via ejus : elóquia Dómini igne examináta : * protéctor est ómnium sperántium in se.

Quóniam quis Deus praeter Dñum ? * aut quis Deus praeter Deum nostrum ?

Deus qui praecínxit me virtúte : * et pósuit immaculátam viam meam.

Qui perfécit pedes meos tamquam cervórum, * et super excélsa státuens me.

Qui docet manus meas ad praelium : * et posuísti, ut arcum aereum, bráchia mea.

Et dedísti mihi protectiónem salútis tuae : * et déxtera tua suscépit me :

Et disciplína tua corréxit me in finem : * et disciplína tua ipsa me docébit.

Dilatásti gressus meos subtus me : * et non sunt infirmáta vestígia mea :

Pérsequar inimícos meos, et comprehéndam illos : * et non convértar, donec defíciant.

Confríngam illos, nec póterunt stare : * cadent subtus pedes meos.

Et praecinxísti me virtúte ad bellum : * et supplantásti insurgéntes in me subtus me.

Et inimícos meos dedísti mihi dorsum, * et odiéntes me disperdidísti.

Clamavérunt, nec erat qui salvos fáceret, ad Dóminum : * nec exaudívit eos.

Et commínuam eos, ut púlverem ante fáciem venti : * ut lutum plateárum delébo eos.

Eripies me de contradictiónibus pópuli : * constítues me in caput Géntium.

Pópulus, quem non cognóvi, servívit mihi : * in auditu auris obedívit mihi.

Fílii aliéni mentíti sunt mihi, * fílii aliéni inveteráti sunt, et claudicavérunt a sémitis suis.

Vivit Dóminus, et benedíctus Deus meus, * et exaltétur Deus salútis meae.

Deus, qui das vindíctas mihi, et subdis pópulos sub me, * liberátor meus de inimícis meis iracúndis.

Et ab insurgéntibus in me exaltábis me : * a viro iníquo erípies me.

Proptérea confitébor tibi in natiónibus, Dómine : * et nómini tuo psalmum dicam.

Magníficans salútes Regis ejus, et fáciens misericórdiam christo suo David, * et sémini ejus usque in saeculum.

Per Annum, Aña. Díligam te, Dómine, virtus mea.

℣. Quóniam tu illúminas lucérnam meam, Dómine. ℟. Deus meus, illúmina ténebras meas.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Absolutio.

IPSIUS píetas et misericórdia nos ádjuvet, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculórum. ℟. Amen.

℣. Jube, domne, benedícere.

Bened. Deus Pater omnípotens sit nobis propítius et clemens. ℟. Amen.

Pro quinta Lectione.

Bened. Christus perpétuae det nobis gáudia vitae. ℟. Amen.

Pro sexta Lectione.

Bened. Ignem sui amóris accéndat Deus in córdibus nostris. ℟. Amen.

IN III. NOCTURNO.

Per Annum, Aña. Non sunt loquélae.

Psalmus xviii.

COELI enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélae, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terrae verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exultavit ut gigas ad curréndam viam, * a summo coelo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat a caléore ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas : * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam praestans párvulis.

Justítiae Dómini rectae, laetificántes corda: * praecéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in saeculum saeculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum: * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me: * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint dominàti, tunc immaculátus ero: * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * et redémptor meus.

Per Annum, Añа. Non sunt loquélae, neque sermónes, quorum non audiántur voces eórum.

Añа. Exáudiat.

Psalmus xix.

EXAUDIAT te Dñus in die tribulatiónis: * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto: * et de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícii tui: * et holocáustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secúndum cor tuum: * et omne consílium tuum confírmet.

Laetábimur in salutári tuo: * et in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dñus omnes petitiónes tuas: * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dñus Christum suum.

Exáudiet illum de coelo sancto suo: * in potentátibus salus dexterae ejus.

Hi in cúrribus, et hi in equis: * nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, et cecidérunt: * nos autem surréximus, et erécti sumus.

Dñe, salvum fac regem: * et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

Per Annum, Añа. Exáudiat te Dóminus, in die tribulatiónis.

Antiphona. Dómine.

Psalmus xx.

DOMINE, in virtúte tua laetábitur rex: * et super salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei: * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: * posuísti in cápite

ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te : * et tribuísti ei longitúdinem diérum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo : * glóriam et mágnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in saeculum saeculi: * laetificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino : * et in misericórdia Altíssimi, non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui : * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala : * cogitavérunt consília, quae non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum : * in relíquiis tuis praeparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua : * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Per Annum, Aña. Dómine, in virtúte tua laetábitur rex.

℣. Exaltáre, Dómine, in virtúte tua. ℟. Cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Absolutio.

A VINCULIS peccatórum nostrórum absólvat nos omnípotens et miséricors Dóminus. ℟. Amen.

℣. Jube, domne, benedícere.

Bened. Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio. ℟. Amen.

Pro octava Lectione.

Bened. Divínum auxílium máneat semper nobíscum. ℟. Amen.

Pro nona Lectione.

Bened. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Rex Angelórum. ℟. Amen.

Sequens Hymnus semper dicitur post ultimam Lectionem in omnibus Dominicis et Festis tantum : in feriali Officio non dicitur, sed ejus loco ponitur tertium Responsorium.

Hymnus.

SS. Ambrosii et Augustini.

TE Deum laudámus : te Dóminum confitémur :

Te aetérnum Patrem omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli, tibi Coeli, et univérsae Potestátes,

Tibi Chérubim et Séraphim, incessábili voce proclámant:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt coeli et terra majestátis glóriae tuae.

Te gloriósus Apostolórum chorus,

Te Prophetárum laudábilis númerus,

Te Mártyrum candidátus laudat exércitus.

Te per orbem terrárum sancta confitétur Ecclésia,

Patrem imménsae majestátis,

Venerándum tuum verum et únicum Fílium,

Sanctum quoque Paráclitum Spíritum.

Tu Rex glóriae, Christe.

Tu Patris sempitérnus es Fílius.

Tu, ad liberándum suscepturus hóminem, non horruísti Vírginis úterum.

Tu, devícto mortis acúleo, aperuísti credéntibus regna coelórum.

Tu ad déxteram Dei sedes, in glória Patris.

Judex créderis esse ventúrus.

Te ergo quaesumus, tuis fámulis súbveni: quos pretióso sánguine redemísti.

Ætérna fac cum sanctis tuis in glória numerári.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic haereditáti tuae.

Et rege eos, et extólle illos usque in aetérnum.

Per síngulos dies benedícimus te.

Et laudámus nomen tuum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Dignáre, Dñe, die isto sine peccáto nos custodíre.

Miserére nostri, Dómine: miserére nostri.

Fiat misericórdia tua, Dñe, super nos, quemádmodum sperávimus in te.

In te, Dómine, sperávi: non confúndar in aetérnum.

AD LAUDES.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adjuvándum me festína.

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in saecula saeculórum. Amen. Allelúia.

Ab Octava Pentecostes usque ad Adventum, Añia. Allelúia.

Psalmus xcii.

DOMINUS regnávit, decórem indútus est: * indútus est Dóminus fortitúdinem, et praecínxit se.

Etenim firmávit orbem terrae, * qui non commovébitur.

Paráta sedes tua ex tunc:* a saeculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine:* elevavérunt flúmina vocem suam.

Elevavérunt flúmina fluctus suos,* a vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris,* mirábilis in altis Dñus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis:* domum tuam decet sanctitúdo, Dñe, in longitúdinem diérum.

Psalmus xcix.

JUBILATE Deo omnis terra :* servíte Dómino in laetítia.

Introíte in conspéctu ejus,* in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus:* ipse fecit nos, et non ipsi nos :

Pópulus ejus, et oves páscuae ejus:* introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis: confitémini illi.

Laudáte nomen ejus : quóniam suávis est Dóminus, in aetérnum misericórdia ejus,* et usque in generatiónem et generatiónem véritas ejus.

Psalmus lxii.

DEUS, Deus meus,* ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea,* quam multiplíciter tibi caro mea.

In terra desérta, et ínvia, et inaquósa :* sic in sancto appárui tibi, ut vidérem virtútem tuam, et glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas:* lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea :* et in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea :* et lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutínis meditábor in te :* quia fuísti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exultábo, adhaesit ánima mea post te :* me suscépit déxtera tua.

Ipsi vero in vanum quaesiérunt ánimam meam, introíbunt in inferióra terrae:* tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex vero laetábitur in Deo, laudabúntur omnes qui jurant in eo :* quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

Hic non dicitur Glória Patri.

Psalmus lxvi.

DEUS misereátur nostri, et benedícat nobis :* illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri.

Ut cognoscámus in terra viam tuam :* in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus : * confiteántur tibi pópuli omnes.

Laeténtur et exúltent gentes : * quóniam júdicas pópulos in aequitáte, et gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus : confiteántur tibi pópuli omnes : * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus : * et métuant eum omnes fines terrae.

Glória Patri, etc.

Per Annum, Añ. Alielúia, allelúia.

Antiphona. Tres púeri.

Canticum trium puerorum *Danielis* iii. *e.*

BENEDICITE ómnia ópera Dómini Dño: * laudáte et superexaltáte eum in saecula.

Benedícite Angeli Dómini Dño : * benedícite coeli Dómino.

Benedícite aquae omnes, quae super coelos sunt, Dómino: * benedícite omnes virtútes Dómini Dómino.

Benedícite sol et luna Dómino: * benedícite stellae coeli Dómino.

Benedícite omnis imber et ros Dño : * benedícite omnes spíritus Dei Dño.

Benedícite ignis et aestus Dómino: * benedícite frigus et aestus Dómino.

Benedícite rores et pruína Dómino : * benedícite gelu et frigus Dómino.

Benedícite glácies et nives Dómino : * benedícite noctes et dies Dómino.

Benedícite lux et ténebrae Dómino : * benedícite fúlgura et nubes Dómino.

Benedícat terra Dóminum : * laudet et superexáltet eum in saecula.

Benedícite montes et colles Dómino : * benedícite univérsa germinántia in terra Dómino.

Benedícite fontes Dómino : * benedícite mária et flúmina Dómino.

Benedícite cete et ómnia, quae movéntur in aquis, Dómino: * benedícite omnes vólucres coeli Dómino.

Benedícite omnes béstiae et pécora Dño : * benedícite fílii hóminum Dómino.

Benedícat Israël Dóminum : * laudet et superexáltet eum in saecula.

Benedícite sacerdótes Dómini Dómino : * benedícite servi Dómini Dómino.

Benedícite spíritus, et ánimae justórum Dño : * benedícite sancti, et húmiles corde Dómino.

Benedícite Ananía, Azaría, Mísaël Dómino : * laudáte et superexaltáte eum in saecula.

Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu : * laudémus et superexaltémus eum in saecula.

Benedíctus es, Dómine, in firmaménto coeli:* et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in saecula.

Hic non dicitur Glória Patri, neque Amen in aliis Canticis dicuntur.

Per Annum, Añ. Tres púeri jussu regis in fornácem missi sunt, non timéntes flammam ignis, dicéntes: Benedíctus Deus.

Antiphona. Allelúia.

Psalmus cxlviii.

LAUDATE Dñum de coelis : * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum omnes Angeli ejus:* laudáte eum omnes virtútes ejus.

Laudáte eum sol et luna:* laudáte eum omnes stellae, et lumen.

Laudáte eum coeli coelórum : * et aquae omnes, quae super coelos sunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.

Státuit ea in aetérnum, et in saeculum saeculi : * praecéptum pósuit, et non praeteríbit.

Laudáte Dñum de terra,* dracónes, et omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum:* quae fáciunt verbum ejus.

Montes, et omnes colles:* ligna fructífera, et omnes cedri :

Béstiae, et univérsa pécora : * serpéntes, et vólucres pennátae :

Reges terrae, et omnes pópuli : * príncipes, et omnes júdices terrae.

Júvenes, et vírgines : senes cum junióribus laudent nomen Dómini : * quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Conféssio ejus super coelum et terram :* et exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus : * fíliis Israël, pópulo appropinquánti sibi.

Hic non dic. Glória Patri.

Psalmus cxlix.

CANTATE Dño cánticum novum :* laus ejus in Ecclésia sanctórum.

Laetétur Israël in eo, qui fecit eum:* et fílii Sion exúltent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro:* in tympano, et psaltério psallant ei :

Quia beneplácitũ est Dño in pópulo suo : * et exaltábit mansuétos in salútem.

Exultábunt sancti in glória : * laetabúntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum :* et gládii ancípites in mánibus eórum :

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus : * increpatiónes in pópulis.

Ad alligándos reges eórum in compédibus :* et nóbiles eórum in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis judícium conscríptum : * glória haec est ómnibus sanctis ejus.

Hic non dic. Glória Patri.

Psalmus cl.

LAUDATE Dñum in sanctis ejus : * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secúndum multitúdinẽ magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubae : * laudáte eum in psaltério, et cíthara.

Laudáte eum in tympano, et choro : * laudáte eum in chordis, et órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus : laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

Glória Patri, etc.

Per Annum, Añ. Allelúia, allelúia, allelúia.

Sequens Capitulum dicitur in Dominicis, a Dominica tertia post Pentecosten usque ad Adventum.

Capitulum. *Apoc.* vii. *c.*

BENEDICTIO, et cláritas, et sapiéntia, et gratiárum áctio, honor, virtus, et fortitúdo Deo nostro in saecula saeculórum. Amen. ℟. Deo grátias.

Sic respondetur in fine omnium Capitulorum.

Ab Octava Pentecostes usque ad Dominicam proximiorem Kalendis Octobris.

Hymnus.

ECCE jam noctis tenuátur umbra,
Lux et aurórae rútilans coruscat :
Súpplices rerum Dóminum canóra
Voce precémur.
Ut reos culpae miserátus, omnem
Pellat angórem, tríbuat salútem,
Donet et nobis bona sempitérnae
Múnera pacis.
Praestet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque sancti
Spíritus, cujus résonat per omnem
Glória mundum.
Amen.

Per Anpum, ℣. Dñus regnávit, decórem índuit. ℟. Induit Dñus fortitúdinem, et praecínxit se virtúte.

A Dominica proximiori Kalendis Octobris usque ad Adventum.

Hymnus.

AETERNE rerum Cónditor,
Noctem diémque qui regis,
Et témporum das témpora,
Ut álleves fastídium.
Noctúrna lux viántibus
A nocte noctem ségregans,

Praeco diéi jam sonat,
Jubárque so is évocat.
Hoc excitátus Lúcifer
Solvit polum calígine :
Hoc omnis errónum cohors
Viam nocéndi déserit.
Hoc nauta vires cólligit,
Pontíque mitéscunt freta :
Hóc, ipsa petra Ecclésiae,
Canénte, culpam díluit.
Surgámus ergo strénue :
Gallus jacéntes éxcitat,
Et somnoléntos íncrepat,
Gallus negántes árguit.
Gallo canénte spes redit,
Ægris salus refúnditur,
Mucro latrónis cónditur,
Lapsis fides revértitur.
Jesu, labántes réspice,
Et nos vidéndo córrige :
Si réspicis, labes cadunt,
Fletúque culpa sólvitur.
Tu lux refúlge sénsibus,
Mentísque somnum díscute:
Te nostra vox primum sonet,
Et vota solvámus tibi.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, et per omne saeculum. Amen.

Per Annum, ℣. Dóminus regnávit, decórem índuit. ℟. Induit Dñus fortitúdinem, et praecínxit se virtúte.

Canticum Zachariae.
Luc. i. *g.*

BENEDICTUS Dñus Deus Israël, * quia visitávit, et fecit redemptiónem plebis suae :

Et eréxit cornu salútis nobis : * in domo David púeri sui.

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui a saeculo sunt, prophetárum ejus :

Salútem ex inimícis nostris, * et de manu ómnium, qui odérunt nos :

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris : * et memorári testaménti sui sancti.

Jusjurándum, quod jurávit ad Abraham patrem nostrum, * datúrum se nobis :

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi.

In sanctitáte, et justítia coram ipso, * ómnibus diébus nostris.

Et tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis : * praeíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus :

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus : * in remissiónem peccatórum eórum :

Per víscera misericórdiae Dei nostri : * in quibus visitávit nos, óriens ex alto :

Illumináre his, qui in ténebris, et in umbra mortis sedent : * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

Glória Patri, etc.

Deinde dicitur Antiphona et Oratio propria, et post eam, si occurrat eo die aliquod Festum Simplex, fit de eo Commemoratio.

Postremo (si id tempus requirit) fiunt Commemorationes de S. Maria, de S. Joseph, de Apostolis, et de Patrono Ecclesiae in ordine aliarum Commemorationum secundum illius dignitatem, et ultimo loco de Pace, ut infra in Vesperis Sabbati.

In fine, si discedendum sit a Choro, dicitur Ańa **Salve Regína,** ut habetur infra post Completorium.

DOMINICA
AD PRIMAM.

Pater noster. Ave María. Credo. ℣. Deus, in adjutórium, ut supra. ℟. 18.

Hymnus.

JAM lucis orto sídere
Deum precémur súpplices,
Ut in diúrnis áctibus
Nos servet a nocéntibus.

Linguam refraenans témperet,
Ne litis horror ínsonet :
Visum fovéndo cóntegat,
Ne vanitátes háuriat.

Sint pura cordis íntima,
Absístat et vecórdia :
Carnis terat supérbiam
Potus cibíque párcitas.

Ut, cum dies abscésserit,
Noctémque sors redúxerit,
Mundi per abstinéntiam
Ipsi canámus glóriam.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, et per omne saeculum. Amen.

In Dominicis per Annum, Antiphona. **Allelúia.**

Psalmus liii.

DEUS in nómine tuo salvum me fac : * et in virtúte tua júdica me.

Deus, exáudi oratiónem meam : * áuribus pércip verba oris mei.

Quóniam aliéni insurrexérunt advérsum me, et fortes quaesiérunt ánimam meam : * et non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus ádjuvat me : * et Dóminus suscéptor est ánimae meae.

Avérte mala inimícis meis : * et in veritáte tua dispérde illos.

Voluntárie sacrificábo tibi, * et confitébor nómini tuo, Dómine : quóniam bonum est :

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me : * et super inimícos meos despéxit óculus meus.

Sequens Psalmus **Confitémini Dño** dicitur tantum in Dominicis, quando fit Offic. de Dominica ut in Psalterio.

Psalmus cxvii.

CONFITEMINI Dño quóniam bonus : * quóniam in saeculum misericórdia ejus.

Dicat nunc Israël quóniam bonus : * quóniam in saeculum misericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aaron : * quóniam in saeculum misericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum : * quóniam in saeculum misericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum : * et exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjútor: * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dñus mihi adjútor : * et ego despíciã inimícos meos.

Bonum est confídere in Dómino, * quam confídere in hómine :

Bonum est speráre in Dómino, * quam speráre in princípibus.

Omnes Gentes circuiérunt me : * et in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdántes circumdedérunt me : * et in nómine Dñi quia ultus sum in eos.

Circumdedérunt me sicut apes, et exarsérunt sicut ignis in spinis: * et in nómine Dñi quia ultus sum in eos.

Impúlsus evérsus sum ut cáderem : * et Dóminus suscépit me.

Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus : * et factus est mihi in salútem.

Vox exultatiónis, et salútis * in tabernáculis justórũ.

Déxtera Dñi fecit virtútem : déxtera Dómini exaltávit me, * déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar, sed vivam: * et narrábo ópera Dómini.

Castígans castigávit me Dóminus : * et morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas justítiae, ingréssus in eas confitébor Dño : * haec porta Dómini, justi intrábunt in eam.

Confitébor tibi quóniam exaudísti me : * et factus es mihi in salútem.

Lápidem, quem reprobavérunt aedificántes : * hic factus est in caput ánguli.

A Dómino factum est istud : * et est mirábile in óculis nostris.

Haec est dies, quam fecit Dóminus : * exultémus, et laetémur in ea.

O Dómine, salvum me fac, o Dómine, bene prosperáre : * benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini : * Deus Dóminus, et illúxit nobis.

Constitúite diem solémnem in condénsis, * usque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, et confitébor tibi : * Deus meus es tu, et exaltábo te.

Confitébor tibi quóniam exaudísti me : * et factus es mihi in salútem.

Confitémini Dómino quóniam bonus : * quóniam in saeculum misericórdia ejus.

Psalmus cxviii.

BEATI immaculáti in via : * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti, qui scrutántur testimónia ejus : * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operántur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandásti * mandáta tua custodíri nimis.

Utinam dirigántur viae meae, * ad custodiéndas justificatiónes tuas.

Tunc non confúndar, * cum perspéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis : * in eo quod dídici judícia justítiae tuae.

Justificatiónes tuas custódiam: * non me derelínquas usquequáque.

In quo córrigit adolescéntior viam suam ? * in custodiéndo sermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te : * ne repéllas me a mandátis tuis.

In corde meo abscóndi elóquia tua: * ut non peccem tibi.

Benedíctus es, Dómine: * doce me justificatiónes tuas.

In lábiis meis, * pronuntiávi ómnia judícia oris tui.

In via testimoniórum tuórum delectátus sum, * sicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor : * et considerábo vias tuas.

In justificatiónibus tuis meditábor: * non oblivíscar sermónes tuos.

RETRIBUE servo tuo, vivífica me : * et custódiam sermónes tuos.

Revéla óculos meos : * et considerábo mirabília de lege tua.

Incola ego sum in terra: * non abscóndas a me mandáta tua.

Concupívit ánima mea desideráre justificatiónes tuas, * in omni témpore.

Increpásti supérbos : * maledícti qui declínant a mandátis tuis.

Aufer a me oppróbrium, et contémptum : * quia testimónia tua exquisívi.

Etenim sedérunt príncipes, et advérsum me loquebántur: * servus autem tuus exercebátur in justificatiónibus tuis.

Nam et testimónia tua meditátio mea est: * et consílium meum justificatiónes tuae.

Adhaesit paviménto ánima mea : * vivífica me secúndum verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, et exaudísti me : * doce me justificatiónes tuas.

Viam justificatiónum tuárum ínstrue me : * et exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea prae taedio : * confírma me in verbís tuis.

Viam iniquitátis ámove a me : * et de lege tua miserére mei.

Viam veritátis elégi : * judícia tua non sum oblítus.

Adhaesi testimóniis tuis, Dómine : * noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucúrri, * cum dilatásti cor meum.

Sequens Symbolum dicitur in Dominicis tantum, quando fit Officium de Dominica ut in Psalterio.

Symbolum S. Athanasii.

QUICUMQUE vult salvus esse, * ante ómnia opus est ut téneat cathólicam fidem.

Quam nisi quisque íntegram inviolatámque serváverit, * absque dúbio in aetérnum peribit.

Fides autem cathólica haec est : * ut unum Deum in Trinitáte, et Trinitátem in unitáte veneremur.

Neque confundéntes persónas, * neque substántiam separántes.

Alia est enim persóna Patris, ália Fílii, * ália Spíritus Sancti.

Sed Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti una est divínitas : * aequális glória, coaetérna majéstas.

Qualis Pater, talis Fílius, * talis Spíritus Sanctus.

Increátus Pater, increátus Fílius, * increátus Spíritus Sanctus.

Imménsus Pater, imménsus Fílius, * imménsus Spíritus Sanctus.

Aetérnus Pater, aetérnus Fílius, * aetérnus Spíritus Sanctus.

Et tamen non tres aetérni, * sed unus aetérnus.

Sicut non tres increáti, nec tres imménsi, * sed unus increátus, et unus imménsus.

Similiter omnípotens Pater, omnípotens Fílius, * omnípotens Spíritus Sanctus.

Et tamen non tres omnipoténtes, * sed unus omnípotens.

Ita Deus Pater, Deus Fílius, * Deus Spíritus Sanctus.

Et tamen non tres Dii * sed unus est Deus.

Ita Dñus Pater, Dóminus Fílius, * Dóminus Spíritus Sanctus.

Et tamen non tres Dómini; * sed unus est Dóminus.

Quia, sicut singillátim unamquámque persónam Deum ac Dóminum confitéri Christiána veritáte compéllimur : * ita tres Deos aut Dóminos dícere

Cathólica Religióne prohibémur.

Pater a nullo est factus: * nec creátus, nec génitus.

Fílius a Patre solo est : * non factus, nec creátus, sed génitus.

Spíritus Sanctus à Patre et Fílio : * non factus, nec creátus, nec génitus, sed procédens.

Unus ergo Pater, non tres Patres : unus Fílius, non tres Fílii : * unus Spíritus Sanctus, non tres Spíritus Sancti.

Et in hac Trinitáte nihil prius aut postérius, nihil majus aut minus ; * sed totae tres persónae coaetérnae sibi sunt, et coaequáles.

Ita ut per ómnia, sicut jam supra dictum est, * et únitas in Trinitáte, et Trínitas in unitáte veneránda sit.

Qui vult ergo salvus esse, * ita de Trinitáte séntiat.

Sed necessárium est ad aetérnam salútem, * ut incarnatiónem quoque Dñi nostri Jesu Christi fidéliter credat.

Est ergo fides recta, ut credámus et confiteámur, * quia Dóminus noster Jesus Christus Dei Fílius, Deus et homo est.

Deus est ex substántia Patris ante saecula génitus : * et homo est ex substántia matris in saeculo natus.

Perféctus Deus, perféctus homo : * ex ánima rationáli, et humána carne subsístens.

Æquális Patri secúndum divinitátem : * minor Patre secúndum humanitátem.

Qui, licet Deus sit et homo, * non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversióne divinitátis in carnem ; * sed assumptióne humanitátis in Deum.

Unus omníno non confusióne substántiae : * sed unitáte persónae.

Nam sicut ánima rationális et caro unus est homo : * ita Deus et homo unus est Christus.

Qui passus est pro salúte nostra : descéndit ad ínferos : * tértia die resurréxit a mórtuis.

Ascéndit ad coelos, sedet ad déxterã Dei Patris omnipoténtis: * inde ventúrus est judicáre vivos et mórtuos.

Ad cujus advéntum omnes hómines resúrgere habent cum corpóribus suis: * et redditúri sunt de factis própriis ratiónem.

Et qui bona egérunt, ibunt in vitam aetérnam : * qui vero mala, in ignem aetérnum.

Haec est fides cathólica, * quam nisi quisque fidéliter firmitérque credíderit, salvus esse non póterit.

Glória Patri, etc.

Aña. Allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum. 1 *Tim.* i. *d.*

REGI saeculórum immortáli et invisíbili, soli Deo honor et glória in saecula saeculórum. Amen. ℟. Deo grátias.

℟. br. Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. Et repetitur: Christe, Fili Dei vivi, miserére nobis. ℣. Qui sedes ad déxteram Patris. ℟. Miserére nobis. ℣. Glória Patri, et Filio, et Spirítui Sancto. ℟. Christe, Fili Dei vivi, miserére nobis.

℣. Exúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

Sequentes Preces non dicuntur in Duplicibus nec infra Octav.: sed tunc dicto ℟. brevi, dicitur Dóminus vobíscum, et Oratio Dómine, Deus omnípotens, ut infra.

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Credo in Deum, secreto usque ad ℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam aetérnam. Amen.

℣. Et ego ad te, Dñe, clamávi. ℟. Et mane orátio mea praevéniet te.

℣. Repleátur os meum laude. ℟. Ut cantem glóriam tuam, tota die magnitúdinem tuam.

℣. Dómine, avérte fáciem tuam a peccátis meis. ℟. Et omnes iniquitátes meas dele.

℣. Cor mundum crea in me, Deus. ℟. Et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

℣. Ne projícias me a fácie tua. ℟. Et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

℣. Redde mihi laetítiam salutáris tui. ℟. Et spíritu principáli confírma me.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit coelum et terram.

Deinde Hebdomadarius facit confessionem.

CONFITEOR Deo omnipoténti, beátae Maríae semper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptístae, sanctis Apóstolis Petro et Paulo, ómnibus Sanctis, et vobis, fratres: quia peccávi nimis cogitatióne, verbo et ópere: mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnem Baptístam, sanctos Apóstolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et vos fratres,

oráre pro me ad Dóminum Deum nostrum.

Chorus respondet:

MISEREATUR tui omnípotens Deus, et dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam aetérnam. ℟. Amen.

Deinde repetit confessionem, et ubi dicitur vobis fratres, et vos fratres, dicatur tibi Pater, et te Pater.

Facta confessione a Choro, Hebdomadarius dicit:

MISEREATUR vestri omnípotens Deus, et dimíssis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam aetérnam. ℟. Amen.

INDULGENTIAM, absolutiónem et remissiónem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dñus. ℟. Amen.

Et prosequitur: ℣. Dignáre, Dómine, die isto. ℟. Sine peccáto nos custodíre.

℣. Miserére nostri, Dñe. ℟. Miserére nostri.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

℣. Dñe, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DOMINE, Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos pervenire fecísti, tua nos hódie salva virtúte: ut in hac die ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justítiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes et ópera. Per Dñum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia saecula saeculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Deinde in Choro legitur Martyrologium. Et quando dicenda est Prima de B. M., praeponitur Lectioni Martyrologii. Postea Hebdomadarius dicit: ℣. Pretiósa in conspéctu Dómini. ℟. Mors sanctórum ejus.

Et absolute sine Orémus,

Oratio.

SANCTA María, et omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum, ut nos mereámur ab eo adjuvári et salvári, qui vivit et regnat in saecula saeculórum. ℟. Amen.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adjuvándum me festína.

Et dic. ter: ultimo additur Glória Patri. Sicut erat.

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Réspice in servos tuos, Dñe, et in ópera tua, et dírige fílios eórum. ℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos, et ópera mánuum nostrárum dírige super nos, et opus mánuum nostrárum dírige.

℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat.

Orémus. Oratio.

DIRIGERE et sanctificáre, régere et gubernáre dignáre, Dñe Deus, Rex coeli et terrae hódie corda et córpora nostra, sensus, sermónes et actus nostros in lege tua, et in opéribus mandatórum tuórum, ut hic, et in aetérnum, te auxiliánte, salvi et líberi esse mereámur, Salvátor mundi: Qui vivis et regnas in saecula saeculórum. ℟. Amen.

℣. Jube, domne, benedícere:

Bened. Dies et actus nostros in sua pace dispónat Dñus omnípotens. ℟. Amen.

Ad Absolutionem Capituli in Dominicis et Feriis per Annum, ab Octava Pentecostes usque ad Adventum exclusive.

Lectio brevis. 2 *Thess.* iii.

DOMINUS autem dírigat corda et córpora nostra in caritáte Dei, et patiéntia Christi. Tu autem, Dñe, miserére nobis. ℟. Deo grátias.

Post Lectionem brevem dicitur ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Benedícite. ℟. Deus.

Bened. Dóminus nos benedícat, et ab omni malo deféndat, et ad vitam perdúcat aetérnam; et Fidélium ánimae per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

IN FERIALI OFFICIO AD PRIMAM.

Pater noster. Ave María. Credo. ℣. Deus, in adjutórium, ut supra. 18.

Hymnus.

JAM lucis orto sídere
Deum precémur súpplices,
Ut in diúrnis áctibus
Nos servet a nocéntibus.

Linguam refraenans témperet,
Ne litis horror ínsonet:
Visum fovéndo cóntegat,
Ne vanitátes háuriat.

Sint pura cordis íntima,
Absístat et vecórdia:

Carnis terat supérbiam
Potus cibíque párcitas.
Ut, cum dies abcésserit,
Noctémque sors redúxerit,
Mundi per abstinéntiam
Ipsi canámus glóriam.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne saeculum. Amen.

Per Annum, Añа. Beáti qui ámbulant.

Psalmus liii.

EUS, in nómine tuo salvum me fac: * et in virtúte tua júdica me.

Deus exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe verba oris mei.

Quóniam aliéni insurrexérunt advérsum me, et fortes quaesiérunt ánimam meam: * et non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus ádjuvat me: * et Dóminus suscéptor est ánimae meae.

Avérte mala inimícis meis: * et in veritáte tua dispérde illos.

Voluntárie sacrificábo tibi, * et confitébor nómini tuo, Dómine: quóniam bonum est:

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me: * et super inimícos meos despéxit óculus meus.

Post Psal. Deus in nómine loco Psalmi Confitémini, dicitur unus ex infrascriptis Psalmis secundum Ferias distinctis. Sabbato autem dicuntur tantum tres Psalmi sicut in Festis.

FERIA SECUNDA.

Psalmus xxiii.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus: * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * et super flúmina praeparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus, et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino: * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Haec est generátio quaeréntium eum, * quaeréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles: * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae? * Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in praelio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles: * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriae.

FERIA TERTIA.

Psalmus xxiv.

AD te, Dómine, levávi ánimam meam : * Deus meus, in te confído, non erubéscam.

Neque irrídeant me inimíci mei : * étenim univérsi, qui sústinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes * supervácue.

Vias tuas, Dómine, demónstra mihi : * et sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, et doce me : * quia tu es Deus salvátor meus, et te sustínui tota die.

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, * et misericordiárum tuárum, quae a saeculo sunt.

Delícta juventútis meae, * et ignorántias meas ne memíneris.

Secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu: * propter bonitátem tuam, Dñe.

Dulcis et rectus Dñus : * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in judício : * docébit mites vias suas.

Univérsae viae Dómini, misericórdia et véritas, * requiréntibus testaméntum ejus et testimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dñe, propitiáberis peccáto meo : * multum est enim.

Quis est homo qui timet Dóminum? * legem státuit ei in via, quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur : * et semen ejus haereditábit terram.

Firmaméntum est Dñus timéntibus eum : * et testaméntum ipsíus ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum : * quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, et miserére mei : * quia únicus et pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátae sunt : * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam et labórem meum : * et dimítte univérsa delícta mea.

Réspice inimícos meos quóniam multiplicáti sunt : * et ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam, et érue me : * non erubéscam, quóniam sperávi in te.

Innocéntes et recti adhaesérunt mihi : * quia sustínui te.

Líbera, Deus, Israël, * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

FERIA QUARTA.

Psalmus xxv.

JUDICA me, Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingréssus

sum : * et in Dño sperans non infirmábor.

Proba me, Dómine, et tenta me : * ure renes meos et cor meum.

Quóniam misericórdia tua ante óculos meos est : * et complácui in veritáte tua.

Non sedi cum concílio vanitátis : * et cum iníqua geréntibus non introíbo.

Odívi ecclésiam malignántium : * et cum ímpiis non sedébo.

Lavábo inter innocéntes manus meas : * et circúmdabo altáre tuum, Dñe :

Ut áudiam vocem laudis, * et enárrem univérsa mirabília tua.

Dómine, diléxi decórem domus tuae, * et locum habitatiónis glóriae tuae.

Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam, * et cum viris sánguinum vitam meam :

In quorum mánibus iniquitátes sunt : * déxtera eórum repléta est munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingréssus sum : * rédime me, et miserére mei.

Pes meus stetit in diréto : * in ecclésiis benedícam te, Dómine.

FERIA QUINTA.

Psalmus xxii.

DOMINUS regit me, et nihil mihi déerit : * in loco páscuae ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me : * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiae, * propter nomen suum.

Nam, et si ambulávero in médio umbrae mortis, non timébo mala : * quóniam tu mecum es.

Virga tua, et báculus tuus : * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsus eos, qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum : * et calix meus inébrians quam praeclárus est !

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitae meae :

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

FERIA SEXTA.

Psalmus xxi.

DEUS, Deus meus, réspice in me : quare me dereliquísti ? * longe a salúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus, clamábo per diem, et non exáudies : * et nocte, et non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * Laus Israël.

In te speravérunt patres nostri : * speravérunt, et liberásti eos.

Ad te clamavérunt, et salvi facti sunt : * in te speravérunt, et non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, et non homo : * oppróbrium hóminum, et abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me, derisérunt me : * locúti sunt lábiis, et movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum : * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es, qui extraxísti me de ventre : * spes mea ab ubéribus matris meae. In te projéctus sum ex útero :

De ventre matris meae Deus meus es tu, * ne discésseris a me :

Quóniam tribulátio próxima est : * quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi : * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens, et rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum : * et dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquéscens * in médio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit fáucibus meis : * et in púlverem mortis deduxísti me.

Quóniã circumdedérunt me canes multi : * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas et pedes meos : * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi vero consideravérunt et inspexérunt me : * divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum a me : * ad defensiónem meam cónspice.

Erue a frámea, Deus, ánimam meam : * et de manu canis únicam meam :

Salva me ex ore leónis : * et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis : * in médio ecclésiae laudábo te.

Qui timétis Dñum, laudáte eum : * univérsum semen Jacob, glorificáte eum :

Tímeat eum omne semen Israël : * quóniam non sprevit, neque despéxit deprecatiónem páuperis :

Nec avértit fáciem suam a me : * et cum clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in eccléstia magna : * vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.

Édent páuperes, et saturabúntur : et laudábunt Dñum qui requírunt eum : * vivent corda eórum in saeculum saeculi.

Reminiscéntur, et converténtur ad Dóminum * univérsi fines terrae :

Et adorábunt in conspéctu ejus* univérsae famíliae Géntium.

Quóniam Dómini est regnum: * et ipse dominábitur Géntium.

Manducavérunt, et adoravérunt omnes pingues terrae : * in conspéctu ejus cadent omnes, qui descéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet: * et semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dño generátio ventúra: * et annuntiábunt coeli justítiam ejus pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

Sabbato nihil additur, ut supra in Rubrica. 32.

Dein. dic. Psalmus cxviii.

BEATI immaculáti in via * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti, qui scrutántur testimónia ejus : * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operántur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandásti * mandáta tua custodíri nimis.

Utinam dirigántur viae meae * ad custodiéndas justificatiónes tuas.

Tunc non confúndar, * cum perspéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis : * in eo quod didici judícia justítiae tuae.

Justificatiónes tuas custódiam : * non me derelínquas usquequáque.

In quo córrigit adolescéntior viam suam? * in custodiéndo sermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te : * ne repéllas me a mandátis tuis.

In corde meo abscóndi elóquia tua : * ut non peccem tibi.

Benedíctus es, Dñe: * doce me justificatiónes tuas.

In lábiis meis, * pronuntiávi ómnia judícia oris tui.

In via testimoniórum tuórum delectátus sum, * sicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor : * et considerábo vias tuas.

In justificatiónibus tuis meditábor: * non oblivíscar sermónes tuos.

RETRIBUE servo tuo, vivífica me : * et custódiam sermónes tuos.

Revéla óculos meos : * et considerábo mirabília de lege tua.

Incola ego sum in terra: * non abscóndas a me mandáta tua.

Concupívit ánima mea desideráre justificatiónes tuas, * in omni témpore.

Increpásti supérbos : * maledícti qui declínant a mandátis tuis.

Aufer a me oppróbrium et contémptum : * quia testimónia tua exquisívi.

Etenim sedérunt príncipes, et advérsum me loquebántur: * servus autem tuus exercebátur in justificatiónibus tuis.

Nam et testimónia tua meditátio mea est: * et consílium meum justificatiónes tuae.

Adhaesit paviménto ánima mea: * vivífica me secúndum verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, et exaudísti me: * doce me justificatiónes tuas.

Viam justificatiónum tuárum ínstrue me: * et exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea prae taedio: * confírma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove a me: * et de lege tua miserére mei.

Viam veritátis elégi: * judícia tua non sum oblítus.

Adhaesi testimóniis tuis, Dñe: * noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucúrri, * cum dilatásti cor meum.

Per Annum, Antiphona. Beáti qui ámbulant in lege tua, Dómine.

Capitulum. *Zach.* viii. *d.*

PACEM et veritátem dilígite, ait Dóminus omnípotens. ℟. Deo grátias.

℟. br. Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. Et repetitur: Christe, Fili Dei vivi, miserére nobis. ℣. Qui sedes ad déxteram Patris. ℟. Miserére nobis. ℣. Glória Patri, et Fílio, et Spíritui Sancto. ℟. Christe, Fili Dei vivi, miserére nobis.

℣. Exúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Credo in Deum, secreto.

℣. Carnis resurrectiónẽ. ℟. Vitam aetérnam. Amen.

℣. Et ego ad te, Dómine, clamávi. ℟. Et mane orátio mea praevéniet te.

℣. Repleátur os meum laude. ℟. Ut cantem glóriam tuam, tota die magnitúdinem tuam.

℣. Dómine, avérte fáciem tuam a peccátis meis. ℟. Et omnes iniquitátes meas dele.

℣. Cor mundum crea in me, Deus. ℟. Et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

℣. Ne projícias me a fácie tua. ℟. Et Spíritum Sanctum tuum ne áuferas a me.

℣. Redde mihi laetítiam salutáris tui. ℟. Et spíritu principáli confírma me.

Quando ad Laudes non sunt dictae Preces feriales

statim dicitur : Adjutórium **nostrum,** et Confíteor Deo, ut infra.

Quando autem ad Laudes dictae sunt Preces feriales inferius positae post Laudes Feriae secundae, tunc ad Primam praedictae Preces et sequentes dicuntur flexis genibus.

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo. ℟. A viro iníquo éripe me.

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me.

℣. Eripe me de operántibus iniquitátem. ℟. Et de viris sánguinum salva me.

℣. Sic psalmum dicam nómini tuo in saeculum saeculi. ℟. Ut reddam vota mea de die in diem.

℣. Exáudi nos, Deus, salutáris noster. ℟. Spes ómnium fínium terrae, et in mari longe.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adjuvándum me festína.

℣. Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortális. ℟. Miserére nobis.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino. ℟. Et ómnia, quae intra me sunt, nómini sancto ejus.

℣. Bénedic, ánima mea, Dño. ℟. Et noli oblivísci omnes retributiónes ejus.

℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis. ℟. Qui sanat omnes infirmitátes tuas.

℣. Qui rédimit de intéritu vitam tuam. ℟. Qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus.

℣. Qui replet in bonis desidérium tuum. ℟. Renovábitur, ut áquilae, juvéntus tua.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit coelum et terram.

Deinde Hebdomadarius facit confessionem :

CONFITEOR Deo omnipoténti, beátae Maríae semper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptístae, sanctis Apóstolis Petro et Paulo, ómnibus Sanctis, et vobis, fratres : quia peccávi nimis cogitatióne, verbo, et ópere : mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnem Baptístam, sanctos Apóstolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et vos, fratres, oráre pro me ad Dóminum Deum nostrum.

Chorus respondet :

MISEREATUR tui omnípotens Deus, et dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam aetérnam. ℟. Amen.

Deinde repetit confessionem : et ubi dicitur vobis fratres, et vos fratres, dicatur tibi pater, et te pater.

Facta confessione a Choro, Hebdomadarius dicit :

ABSOLVAT vos omnípotens Deus, et dimíssis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam aetérnam. ℟. Amen.

INDULGENTIAM, absolutiónem, et remissiónem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dñus. ℟. Amen.

Et prosequitur ℣. Dignáre, Dñe, die isto. ℟. Sine peccáto nos custodíre.

℣. Miserére nostri, Dñe. ℟. Miserére nostri.

℣. Fiat misericórdia tua, Dñe, super nos. ℟. Quemádmodu sperávimus in te.

℣. Dñe, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DOMINE Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos pervenire fecísti : tua nos hódie salva virtúte, ut in hac die ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justítiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes, et ópera. Per Dñum nostrum Jesum Christum Filium tuum : qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia saecula saeculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Deinde in Choro legitur Martyrologium. Et quando dicenda est Prima de beata Maria, praeponitur Lectioni Martyrologii.

Postea Hebdomadarius dicit : ℣. Pretiósa in conspéctu Dómini. ℟. Mors Sanctórum ejus.

Et absolute sine Orémus,

Oratio.

SANCTA María, et omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum : ut nos mereámur ab eo adjuvári et salvári qui vivit et regnat in saecula saeculórum.

℟. Amen.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dñe, ad adjuvándum me festína.

Et dicitur ter : ultimo additur Glória Patri. Sicut erat.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Réspice in servos tuos, Dñe, et in ópera tua, et dírige fílios eórum. ℟. Et sit splendor Dñi Dei nostri super nos, et ópera mánuum nostrárum dírige super nos, et opus mánuum nostrárum dírige.

℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat.

Orémus. Oratio.

DIRIGERE et sanctificáre, régere et gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex coeli et terrae, hódie corda et córpora nostra, sensus, sermónes, et actus nostros in lege tua, et in opéribus mandatórum tuórum, ut hic, et in aetérnum, te auxiliánte, salvi et líberi esse mereámur, Salvátor mundi : Qui vivis et regnas in saecula saeculórum. ℟. Amen.

℣. Jube, domne, benedícere.

Benedictio. Dies et actus nostros in sua pace dispónat Dóminus omnípotens. ℟. Amen.

Ad Absolutionem Capituli in Dominicis et Feriis per Annum, ab Octava Pentecostes usque ad Adventũ exclusive.

Lectio brevis.

2 *Thessalon.* iii. *b.*

DOMINUS autem dírigat corda et córpora nostra in charitáte Dei, et patiéntia Christi. Tu autem, Dómine, miserére nobis. ℟. Deo grátias.

Post Lectionem brevem dicitur ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dñi. ℟. Qui fecit coelum et terram. ℣. Benedícite. ℟ Deus.

Bened. Dñus nos benedícat, et ab omni malo defréndat, et ad vitam perdúcat aetérnam : et Fidélium ánimae per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

IN FESTIS
per annum.

Post Psalmum Deus, in nómine tuo, dicitur tantum Psalmus Beáti immaculáti et Retríbue. 35.

Deinde Ána competens, et reliqua, ut supra in Dominica. 29. Sed in Duplicibus, et infra Octavas non dicuntur Preces. Dicto Benedicámus Dómino, dicitur Prima de B. Maria, si dicenda est; postea legitur Martyrologium in Choro. Deinde dicitur ℣. Pretiósa cum reliquis, ut supra. 39.

Ad Absolutionem Capituli in Festis dicitur Capitulum Nonae.

AD TERTIAM.

Pater noster. Ave María. Deus, in adjutórium.

Hymnus.

NUNC Sancte nobis Spíritus,
Unum Patri cum Fílio,

Dignáre promptus íngeri
Nostro refúsus péctori.
Os, lingua, mens, sensus, vigor,
Confessiónem pérsonent,
Flamméscat igne cáritas,
Accéndat ardor próximos.
Praesta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne saeculum. Amen.

In Dominicis per Annum, Añа. Allelúia.

In feriali Officio per Annum, Antiphona. Deduc me.

Psalmus.

LEGEM pone mihi, Dómine, viam justificatiónum tuárum : * et exquíram eam semper.

Da mihi intelléctum, et scrutábor legem tuam : * et custódiam illam in toto corde meo.

Deduc me in sémitam mandatórum tuórum : * quia ipsam vólui.

Inclína cor meum in testimónia tua : * et non in avarítiam.

Avérte óculos meos ne vídeant vanitátem : * in via tua vivífica me.

Státue servo tuo elóquium tuum, * in timóre tuo.

Amputa oppróbrium meum quod suspicátus sum : * quia judícia tua jucúnda.

Ecce concupívi mandáta tua : * in aequitáte tua vivífica me.

Et véniat super me misericórdia tua, Dómine : * salutáre tuum secúndum elóquium tuum.

Et respondébo exprobrántibus mihi verbum : * quia sperávi in sermónibus tuis.

Et ne áuferas de ore meo verbum veritátis usquequáque : * quia in judíciis tuis superspérávi.

Et custódiam legem tuam semper : * in saeculum et in saeculum saeculi.

Et ambulábam in latitúdine : * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar in testimóniis tuis in conspéctu regum : * et non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis, * quae diléxi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua, quae diléxi : * et exercébar in justificatiónibus tuis.

MEMOR esto verbi tui servo tuo, * in quo mihi spem dedísti.

Haec me consoláta est in humilitáte mea : * quia elóquium tuum vivificávit me.

Supérbi iníque agébant usquequáque : * a lege autem tua non declinávi.

Memor fui judiciórum tuórum a saeculo, Dñe : * et consolátus sum.

Deféctio ténuit me,* pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

Cantábiles mihi erant justificatiónes tuae,* in loco peregrinatiónis meae.

Memor fui nocte nóminis tui, Dómine : * et custodívi legem tuam.

Haec facta est mihi:* quia justificatiónes tuas exquisívi.

Pórtio mea, Dómine, * dixi custodíre legem tuam.

Deprecátus sum fáciem tuam in toto corde meo:* miserére mei secúndum elóquium tuum.

Cogitávi vias meas : * et convérti pedes meos in testimónia tua.

Parátus sum, et non sum turbátus : * ut custódiam mandáta tua.

Funes peccatórum circumpléxi sunt me : * et legem tuam non sum oblítus.

Média nocte surgébam ad confiténdum tibi,* super judícia justificatiónis tuae.

Párticeps ego sum ómnium timéntium te : * et custodiéntium mandáta tua.

Misericórdia tua, Dñe, plena est terra : * justificatiónes tuas doce me.

BONITATEM fecísti cum servo tuo, Dómine, * secúndum verbum tuum.

Bonitátem, et disciplínam, et sciéntiam doce me : * quia mandátis tuis crédidi.

Priúsquam humiliárer ego delíqui : * propterea elóquium tuum custodívi.

Bonus es tu : * et in bonitáte tua doce me justificatiónes tuas.

Multiplicáta est super me iníquitas superbórum:* ego autem in toto corde meo scrutábor mandáta tua.

Coagulátum est sicut lac cor eórum : * ego vero legem tuam meditátus sum.

Bonum mihi quia humiliásti me : * ut discam justificatiónes tuas.

Bonum mihi lex oris tui,* super míllia auri et argénti.

Manus tuae fecérunt me, et plasmavérunt me : * da mihi intelléctum, et discam mandáta tua.

Qui timent te vidébunt me, et laetabúntur : * quia in verba tua supersperávi.

Cognóvi, Dómine, quia aequitas judícia tua : * et in veritáte tua humiliásti me.

Fiat misericórdia tua ut consolétur me,* secúndum elóquium tuum servo tuo.

Véniant mihi miseratiónes tuae, et vivam : * quia lex tua meditátio mea est.

Confundántur supérbi, quia injúste iniquitátem fecérunt in me : * ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertántur mihi timéntes te: * et qui novérunt testimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis, * ut non confúndar.

Añ. Allelúia, allelúia, allelúia.

Sequens Capitulum, et alia in aliis Horis, dicuntur in Dominicis, a tertia post Pentecósten usque ad Adventum. Responsoria brevia etiam eodem tempore: similiter et quae sequuntur in feriali Officio.

Capitulum. 1 *Joan.* iv. *c.*

DEUS cáritas est: et qui manet in caritáte, in Deo manet, et Deus in eo.

℟. br. Inclína cor meum, Deus, ℣ In testimónia tua. Inclína. ℣. Avérte óculos meos, ne vídeant vanitátem: in via tua vivífica me. ℟. In testimónia tua. Glória Patri. Inclína cor.

℣. Ego dixi, Dómine, miserére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

In feriali Officio per Annum, Añ. Deduc me, Dñe, in sémitam mandatórum tuórum.

Capitulum. *Jerem.* xvii. *c.*

SANA me, Dómine, et sanábor: salvum me fac, et salvus ero: quóniam laus mea tu es.

℟. br. Sana ánimam meam, * Quia peccávi tibi. Sana. ℣. Ego dixi, Dñe, miserére mei. ℟. Quia peccávi. Glória Patri. Sana.

℣. Adjútor meus esto, ne derelínquas me. ℟. Neque despícias me, Deus salutáris meus.

Quando ad Matutinum dictae sunt Preces, ad Tertiam, Sextam et Nonam flexis genibus dicitur:

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Dómine Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

℣. Exúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio conveniens.

AD SEXTAM.

Pater noster. Ave María. Deus in adjutórium. 18.

Hymnus.

RECTOR potens, verax Deus,
Qui témperas rerum vices,
Splendóre mane illúminas,
Et ígnibus merídiem.

Extíngue flammas lítium,
Aufer calórem nóxium,
Confer salútem córporum,
Verámque pacem córdium.
Praesta, Pater piíssime,
Patríque compar Únice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne saeculum. Amen.

In Dominicis per Annum, Aña. **Allelúia.**

In feriali Officio per Annum, Antiphona. **Adjuva me.**

Psalmus.

EFECIT in salutáre tuum ánima mea : * et in verbum tuum supersperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, * dicéntes : Quando consoláberis me ?

Quia factus sum sicut uter in pruína : * justificatiónes tuas non sum oblítus,

Quot sunt dies servi tui: * quando fácies de persequéntibus me judícium ?

Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes : * sed non ut lex tua.

Omnia mandáta tua véritas : * iníque persecúti sunt me, ádjuva me.

Paulo minus consummavérunt me in terra : * ego autem non derelíqui mandáta tua.

Secúndum misericórdiam tuam vivífica me:* et custódiam testimónia oris tui.

In aetérnum, Dómine, * verbum tuum pérmanet in coelo.

In generatiónem et generatiónem véritas tua : * fundásti terram, et pérmanet.

Ordinatióne tua persevérat dies * : quóniam ómnia sérviunt tibi.

Nisi quod lex tua meditátio mea est : * tunc forte periíssem in humilitáte mea.

In aetérnum non oblivíscar justificatiónes tuas : * quia in ipsis vivificásti me.

Tuus sum ego, salvum me fac: * quóniam justificatiónes tuas exquisívi.

Me expectavérunt peccatóres ut pérderent me : * testimónia tua intelléxi.

Omnis consummatiónis vidi finem : * latum mandátum tuum nimis.

QUOMODO diléxi legem tuam, Dómine? * tota die meditátio mea est.

Super inimícos meos prudéntem me fecísti mandáto tuo : * quia in aetérnum mihi est.

Super omnes docéntes me intelléxi: * quia testimónia tua meditátio mea est.

Super senes intelléxi : * quia mandáta tua quaesívi.

Ab omni via mala prohíbui pedes meos : * ut custódiam verba tua.

A judíciis tuis non declinávi : * quia tu legem posuísti mihi.

Quam dúlcia fáucibus meis elóquia tua, * super mel ori meo !

A mandátis tuis intellexi : * proptérea odívi omnem viam iniquitátis.

Lucérna pédibus meis verbum tuum, * et lumen sémitis meis.

Jurávi, et státui * custodíre judícia justítiae tuae.

Humiliátus sum usquequáque, Dómine : * vivífica me secúndum verbum tuum.

Voluntária oris mei beneplácita fac, Dñe : * et judícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis semper : * et legem tuam non sum oblítus.

Posuérunt peccatóres láqueum mihi : * et de mandátis tuis non errávi.

Haereditáte acquisívi testimónia tua in aetérnum : * quia exultátio cordis mei sunt.

Inclinávi cor meum ad faciéndas justificatiónes tuas in aetérnum, * propter retributiónem.

INIQUOS ódio hábui : * et legem tuam diléxi.

Adjútor et suscéptor meus es tu : * et in verbum tuum supersperávi.

Declináte a me malígni : * et scrutábor mandáta Dei mei.

Súscipe me secúndum elóquium tuum, et vivam : * et non confúndas me ab expectatióne mea.

Adjuva me, et salvus ero : * et meditábor in justificatiónibus tuis semper.

Sprevísti omnes discedéntes a judíciis tuis : * quia injústa cogitátio eórum.

Praevaricántes reputávi omnes peccatóres terrae : * ídeo diléxi testimónia tua.

Confige timóre tuo carnes meas : * a judíciis enim tuis tímui.

Feci judícium et justítiam : * non tradas me calumniántibus me.

Súscipe servum tuum in bonum : * non calumniéntur me supérbi.

Oculi mei defecérunt in salutáre tuum : * et in elóquium justítiae tuae.

Fac cum servo tuo secúndum misericórdiam tuam : * et justificatiónes tuas doce me.

Servus tuus sum ego : * da mihi intellectum, ut sciam testimónia tua.

Tempus faciéndi, Dómine : * dissipavérunt legem tuam.

Ideo diléxi mandáta tua, * super aurum et topázion.

Proptérea ad ómnia mandáta tua dirigébar : * omnem viam iníquam ódio hábui.

Añia. Allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum. *Galat.* vi.

ALTER altérius ónera portáte, et sic adimplébitis legem Christi.

℟. br. In aetérnum, Dñe, * Pérmanet verbum tuum. In aetérnum. ℣. In saeculum saeculi véritas tua. ℟. Pérmanet. Glória Patri. In aetérnum.

℣. Dñus regit me, et nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuae ibi me collocávit.

In feriali Officio per Annum, Añia. Adjuva me, et salvus ero, Dómine.

Capitulum. Alter altérius.

℟. br. Benedícam Dóminum, * In omni témpore. Benedícam. ℣. Semper laus ejus in ore meo. ℟. In omni. Glória Patri. Benedícam.

℣. Dóminus regit me, et nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuae ibi me collocávit.

Quando ad Matutinum dictae sunt Preces, flexis genibus dicitur:

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Dómine Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

℣. Exúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

Pater noster. Ave María. Deus, in adjutórium. 18.

Hymnus.

RERUM Deus, tenax vigor,
Immótus in te pérmanens,
Lucis diúrnae témpora
Succéssibus detérminans:
Largíre lumen véspere,
Quo vita nusquam décidat,
Sed praemium mortis sacrae
Perénnis instet glória.
Praesta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne saeculum. Amen.

In Dominicis per Annum, Añia. Allelúia.

In feriali Officio per Annum, Añia. Aspice in me.

Psalmus.

IRABILIA testimónia tua: * ídeo scrutáta est ea ánima mea.

Declarátio sermónum tuórum illúminat: * et intelléctum dat párvulis.

Os meum apérui, et attráxi spíritum: * quia mandáta tua desiderábam.

Aspice in me, et miserére mei, * secúndum judícium diligéntium nomen tuum.

Gressus meos dírige secúndum elóquium tuum : * et non dominétur mei omnis injustítia.

Rédime me a calúmniis hóminum : * ut custódiam mandáta tua.

Fáciem tuam illúmina super servum tuum : * et doce me justificatiónes tuas.

Exitus aquárum deduxérunt óculi mei : * quia non custodiérunt legem tuam.

Justus es, Dómine : * et rectum judícium tuum.

Mandásti justítiam testimónia tua : * et veritátem tuam nimis.

Tabéscere me fecit zelus meus : * quia oblíti sunt verba tua inimíci mei.

Ignítum elóquium tuum veheménter : * et servus tuus diléxit illud.

Adolescéntulus sum ego, et contémptus : * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Justítia tua, justítia in aetérnum : * et lex tua véritas.

Tribulátio et angústia invenérunt me : * mandáta tua meditátio mea est.

Æquitas testimónia tua in aetérnum : * intellectum da mihi, et vivam.

CLAMAVI in toto corde meo, exáudi me, Dómine : * justificatiónes tuas requíram.

Clamávi ad te, salvum me fac : * ut custódiam mandáta tua.

Praevéni in maturitáte, et clamávi : * quia in verba tua supersperávi.

Praevenérunt óculi mei ad te dilúculo: * ut meditárer elóquia tua.

Vocem meam audi secúndum misericórdiam tuam, Dómine : * et secúndum judícium tuum vivífica me.

Appropinquavérunt persequéntes me iniquitáti : * a lege autem tua longe facti sunt.

Prope es tu, Dómine : * et omnes viae tuae véritas.

Inítio cognóvi de testimóniis tuis: * quia in aetérnum fundásti ea.

Vide humilitátem meam, et éripe me : * quia legem tuam non sum oblítus.

Júdica judícium meum, et rédime me : * propter elóquium tuum vivífica me.

Longe a peccatóribus salus : * quia justificatiónes tuas non exquisiérunt.

Misericórdiae tuae multae, Dómine : * secúndum judícium tuum vivífica me.

Multi qui persequúntur me, et tríbulant me: * a testimóniis tuis non declinávi.

Vidi praevaricántes, et tabescébam : * quia elóquia tua non custodiérunt.

Vide quóniam mandáta tua diléxi, Dómine : * in misericórdia tua vivífica me.

Princípium verbórum tuórum, véritas: * in aetérnum ómnia judícia justítiae tuae.

PRINCIPES persecúti sunt me gratis : * et a verbis tuis formidávit cor meum.

Laetábor ego super elóquia tua : * sicut qui invénit spólia multa.

Iniquitátem ódio hábui, et abominátus sum : * legem autem tuam diléxi.

Sépties in die laudem dixi tibi, * super judícia justítiae tuae.

Pax multa diligéntibus legem tuam : * et non est illis scándalum.

Expectábam salutáre tuum, Dómine : * et mandáta tua diléxi.

Custodívit ánima mea testimónia tua : * et diléxit ea veheménter.

Servávi mandáta tua, et testimónia tua : * quia omnes viae meae in conspéctu tuo.

Appropínquet deprecátio mea in conspéctu tuo, Dómine: * juxta elóquium tuum da mihi intellectum.

Intret postulátio mea in conspéctu tuo : * secúndum elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hymnum, * cum docúeris me justificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum : * quia ómnia mandáta tua aequitas.

Fiat manus tua ut salvet me : * quóniam mandáta tua elégi.

Concupívi salutáre tuum, Dómine: * et lex tua meditátio mea est.

Vivet ánima mea, et laudábit te : * et judícia tua adjuvábunt me.

Errávi, sicut ovis quae périit: * quaere servum tuum, quia mandáta tua non sum oblítus.

Antiphona. Allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum. 1 *Cor.* vi. *d.*

EMPTI enim estis prétio magno. Glorificáte et portáte Deum in córpore vestro.

℟. br. Clamávi in toto corde meo, * Exáudi me, Dñe. Clamávi. ℣. Justificatiónes tuas requíram. Exáudi. Glória Patri. Clamávi. ℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

In feriali Officio per Annum, Añа. Aspice in me, et miserére mei, Dómine.

Capit. Empti enim estis.

℟. br. Rédime me, Dómine, * Et miserére mei. Rédime. ℣. Pes enim meus stetit in via recta. ℟. Et miserére. Glória. Rédime. ℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

Quando ad Matutinum dictae sunt Preces, flexis genibus dicitur :

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Dómine Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

℣. Exúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio conveniens.

Vesperae in Dominica, et in Feriis habentur inferius post Laudes Sabbati.

FERIA SECUNDA

AD MATUTINUM.

Pater noster. Ave María. Credo.

℣. Dómine, lábia mea apéries, ut supra. 2.

Invit. Veníte, * Exultémus Dómino.

Psalm. Jubilémus Deo salutári nostro, ut supra. 2.

Hymnus.

SOMNO refóctis ártubus,
Spreto cubíli, súrgimus :
Nobis, Pater, canéntibus
Adésse te depóscimus.

Te lingua primum cóncinat
Te mentis ardor ámbiat :
Ut áctuum sequéntium
Tu, Sancte, sis exórdium.

Cedant tenébrae lúmini,
Et nox diúrno síderi :
Ut culpa, quam nox íntulit,
Lucis labáscat múnere.

Precámur iídem súpplices,
Noxas ut omnes ámputes,
Et ore te canéntium,
Laudéris omni témpore.

Praesta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne saeculum. Amen.

Invitatoria per Ferias dicuntur in feriali Officio ab Octava Pentecostes usque ad Adventum. Hymni vero tam ad Matutinum, quam ad Laudes et Vesperas, et Antiphonae Nocturnorum ut infra.

Ant. Dóminus defénsor.

Psalmus xxvi.

DOMINUS illuminátio mea, et salus mea, * quem timébo?

Dóminus protéctor vitae meae : * a quo trepidábo?

Dum appróp iant super me nocéntes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt, et cecidérunt.

Si consístant advérsum me castra, * non timébit cor meum.

Si exúrgat advérsum me praelium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii a Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitae meae :

Ut vídeam voluptátem Dómini, * et vísitem templum ejus.

Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo : * in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me : * et nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi, et immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis : * cantábo, et psalmum dicam Dómino.

Exáudi, Dómine, vocem meam, qua clamávi ad te : * miserére mei, et exáudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea : * fáciem tuam, Dñe, requíram.

Ne avértas fáciem tuam a me : * ne declínes in ira a servo tuo.

Adjútor meus esto : * ne derelínquas me, neque despícias me, Deus salutáris meus.

Quóniam pater meus, et mater mea dereliquérunt me : * Dóminus autem assúmpsit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua : * et dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me : * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, et mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age : * et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum.

Psalmus xxvii.

AD te, Dñe, clamábo ; Deus meus, ne síleas a me : * nequándo táceas a me, et assimilábor descendéntibus in lacum.

Exáudi, Dómine, vocem deprecatiónis meae dum oro ad te : * dum extóllo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatóribus : * et cum operántibus iniquitátem ne perdas me.

Qui loquúntur pacem cum próximo suo, * mala autem in córdibus eórum.

Da illis secúndum ópera eórum, * et secúndum nequítiam adinventiónum ipsórum.

Secúndū ópera mánuum eórum tríbue illis : * redde retributiónem eórum ipsis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dñi, et in ópera mánuum ejus * déstrues illos, et non aedificábis eos.

Benedíctus Dóminus : * quóniam exaudivit vocem deprecatiónis meae.

Dóminus adjútor meus, et protéctor meus : * in ipso

sperávit cor meum, et adjútus sum.

Et reflóruit caro mea : * et ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suae, * et protéctor salvatiónum Christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic haereditáti tuae : * et rege eos, et extólle illos usque in aetérnum.

Ant. Dóminus defénsor vitae meae.

Antiphona. Adoráte.

Psalmus xxviii.

AFFERTE Dómino, fílii Dei : * afférte Dómino fílios aríetum

Afférte Dño glóriam et honórem, afférte Dño glóriam nómini ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Vox Dómini super aquas, Deus majestátis intónuit: * Dñus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte : * vox Dñi in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis cedros : * et confrínget Dóminus cedros Líbani :

Et comminuet eas tamquam vítulum Líbani : * et diléctus quemádmodum fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis : * vox Dómini concutiéntis desértum: et commovébit Dóminus desértum Cades.

Vox Dómini praeparántis cervos, et revelábit condénsa : * et in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit: * et sedébit Dóminus Rex in aetérnum.

Dñus virtútem pópulo suo dabit : * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

Psalmus xxix.

EXALTABO te, Dñe, quóniam suscepísti me : * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus, clamávi ad te, * et sanásti me.

Dómine, eduxísti ab inférno ánimam meam : * salvásti me a descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino, sancti ejus : * et confitémini memóriae sanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus : * et vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus : * et ad matutínum laetítia.

Ego autem dixi in abundántia mea : * Non movébor in aetérnum.

Dómine, in voluntáte tua, * praestitísti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam a me, * et factus sum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo : * et ad Deum meum deprecábor.

Quae utílitas in sánguine meo, * dum descéndo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, et misértus est mei : * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti planctum meum in gáudium mihi: * conscidísti saccum meum, et circumdedísti me laetítia :

Ut cantet tibi glória mea, et non compúngar : * Dómine Deus meus, in aetérnum confitébor tibi.

Añia. Adoráte Dóminum in aula sancta ejus.

Añia. In tua justítia.

Psalmus xxx.

IN te, Dómine, sperávi, non confúndar in aetérnum : * in justítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuam, * accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protectórem : et in domum refúgii, * ut salvum me fácias.

Quóniam fortitúdo mea, et refúgium meum es tu : * et propter nomen tuum dedúces me, et enútries me.

Edúces me de láqueo hoc, quem abscondérunt mihi : * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas commendo spíritum meum : * redemísti me, Dómine Deus veritátis.

Odísti observántes vanitátes, * supervácue.

Ego autem in Dómino sperávi : * exultábo, et laetábor in misericórdia tua.

Quóniam respexísti humilitátem meam, * salvásti de necessitátibus ánimam meam.

Nec conclusísti me in mánibus inimíci : * statuísti in loco spatióso pedes meos.

Miserére mei, Dómine, quóniam tríbulor : * conturbátus est in ira óculus meus, ánima mea, et venter meus:

Quóniam defécit in dolóre vita mea : * et anni mei in gemítibus.

Infirmáta est in paupertáte virtus mea : * et ossa mea conturbáta sunt.

Super omnes inimícos meos factus sum oppróbrium et vicínis meis valde : * et timor notis meis.

Qui vidébant me, foras fugérunt a me : * oblivióni datus sum, tamquam mórtuus a corde.

Factus sum tamquam vas pérditum : * quóniam audívi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu.

In eo dum convenírent simul advérsum me, * accípere ánimam meam consiliáti sunt.

Ego autem in te sperávi, Dómine : * dixi : Deus meus es tu : in mánibus tuis sortes meae.

Eripe me de manu inimicórum meórum, * et a persequéntibus me.

Illústra fáciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericórdia tua: * Dñe, non confúndar, quóniam invocávi te.

Erubéscant ímpii, et deducánturin inférnum: * muta fiant lábia dolósa.

Quae loquúntur advérsus justum iniquitátem, * in supérbia, et in abusióne.

Quam magna multitúdo dulcédinis tuae, Dómine, * quam abscondísti timéntibus te!

Perfecísti eis, qui sperant in te, * in conspéctu filiórum hóminum.

Abscóndes eos in abscóndito faciéi tuae * a conturbatióne hóminum.

Próteges eos in tabernáculo tuo * a contradictióne linguárum.

Benedíctus Dóminus: * quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte munita.

Ego autem dixi in excéssu mentis meae: * Projéctus sum a fácie oculórum tuórum.

Ideo exaudísti vocem oratiónis meae, * dum clamárem ad te.

Dilígite Dñum, omnes sancti ejus: * quóniam veritátem requíret Dóminus, et retríbuet abundánter faciéntibus supérbiam.

Viríliter ágite, et confortétur cor vestrum, * omnes qui sperátis in Dómino.

Psalmus xxxi.

BEATI, quorum remíssae sunt iniquitátes: * et quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem tota die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua: * convérsus sum in aerúmna mea, dum confígitur spina.

Delictum meum cógnitum tibi feci: * et injustítiam meam non abscóndi.

Dixi: Confitébor advérsum me injustítiam meam Dómino: * et tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus, * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum a tribulatióne, quae circúmdedit me: * exultátio mea érue me a circumdántibus me.

Intellectum tibi dabo, et ínstruam te in via hac, qua gradiéris: * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fíeri sicut equus et mulus, * quibus non est intelléctus.

In camo et fraeno maxíllas eórum constrínge, * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris, * sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Laetámini in Dómino, et exultáte justi, * et gloriámini omnes recti corde.

Aña. In tua justítia líbera me, Dómine.

Aña. Rectos decet.

Psalmus xxxii.

EXULTATE justi in Dño : * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dño in cíthara : * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum : * bene psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini, * et ómnia ópera ejus in fide.

Díligit misericórdiam et judícium : * misericórdia Dómini plena est terra.

Verbo Dómini coeli firmáti sunt : * et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre aquas maris : * ponens in thesáuris abyssos.

Tímeat Dóminum omnis terra : * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem.

Quóniam ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.

Dóminus díssipat consília géntium : * réprobat autem cogitatiónes populórum, et réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in aetérnum manet : * cogitatiónes cordis ejus in generatióne et generatiónē.

Beáta gens, cujus est Dóminus, Deus ejus : * pópulus, quem elégit in haereditátem sibi.

De coelo respéxit Dñus : * vidit omnes fílios hóminum.

De praeparáto habitáculo suo * respéxit super omnes, qui hábitant terram.

Qui finxit singillátim corda eórum : * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex per multam virtútem : * et gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suae.

Fallax equus ad salútem : * in abundántia autem virtútis suae non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super metuéntes eum : * et in eis, qui sperant super misericórdia ejus.

Ut éruat a morte ánimas eórum : * et alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dñum : * quóniam adjútor et protéctor noster est.

Quia in eo laetábitur cor nostrum : * et in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos : * quemádmodum sperávimus in te.

Psalmus xxxiii.

BENEDICAM Dñum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant mansuéti, et laeténtur.

Magnificáte Dóminum mecum : * et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me : * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illuminámini : * et fácies vestrae non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dñus exaudívit eum : * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum : * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus : * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dñum, omnes sancti ejus : * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt : * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte fílii, audíte me : * timórem Dñi docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam : * díligit dies vidére bonos ?

Próhibe linguam tuam a malo : * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum : * inquíre pacem, et perséquere eam.

Óculi Dómini super justos : * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dñi super faciéntes mala : * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos : * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde : * et húmiles spíritu salvábit.

Multae tribulatiónes justórum : * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum : * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima : * et qui odérunt justum delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum : * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Añ. Recťos decet collaudátio.

Antiphona. Expúgna.

Psalmus xxxiv.

JUDICA, Dómine, nocéntes me : * expúgna impugnántes me.

Apprehénde arma et scutum : * et exúrge in adjutórium mihi.

Effúnde frámeam, et conclúde advérsus eos, qui persequúntur me: * dic ánimae meae: Salus tua ego sum.

Confundántur et revereántur, * quaeréntes ánimam meam.

Avertántur retrórsum, et confundántur * cogitántes mihi mala.

Fiant tamquam pulvis ante fáciem venti: * et Angelus Dñi coárctans eos.

Fiat via illórum ténebrae et lúbricum: * et Angelus Dómini pérsequens eos.

Quóniam gratis abscondérunt mihi intéritum láquei sui: * supervácue exprobravérunt ánimam meam.

Véniat illi láqueus, quem ignórat: et cáptio, quam abscóndit, apprehéndat eum: * et in láqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exultábit in Dómino: * et delectábitur super salutári suo.

Omnia ossa mea dicent: * Dómine, quis símilis tibi?

Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus: * egénum et páuperem a diripiéntibus eum.

Surgéntes testes iníqui, * quae ignorábam interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis: * sterilitátem ánimae meae.

Ego autem cum mihi molésti essent, * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam: * et orátio mea in sinu meo convertétur.

Quasi próximum, et quasi fratrem nostrum, sic complacébam: * quasi lugens et contristátus, sic humiliábar.

Et advérsum me laetáti sunt et convenérunt: * congregáta sunt super me flagélla, et ignorávi.

Dissipáti sunt, nec compúncti, tentavérunt me, subsannavérunt me subsannatióne: * frenduérunt super me déntibus suis.

Dómine, quando respícies? * restítue ánimam meam a malignitáte eórum, a leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in eccléssia magna, * in pópulo gravi laudábo te.

Non supergáudeant mihi qui adversántur mihi iníque: * qui odérunt me gratis et ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacífice loquebántur: * et in iracúndia terrae loquéntes, dolos cogitábant.

Et dilatavérunt super me os suum: * dixérunt: Euge, euge, vidérunt óculi nostri.

Vidísti, Dómine, ne síleas: * Dómine, ne discédas a me.

Exúrge et intende judício meo : * Deus meus, et Dóminus meus in causam meam.

Júdica me secúndum justítiam tuam, Dómine Deus meus, * et non supergáudeant mihi.

Non dicant in córdibus suis : Euge, euge, ánimae nostrae : * nec dicant : Devorávimus eum.

Erubéscant, et revereántur simul, * qui gratulántur malis meis.

Induántur confusióne et reveréntia * qui magna loquúntur super me.

Exúltent et laeténtur qui volunt justítiam meam : * et dicant semper : Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem servi ejus.

Et lingua mea meditábitur justítiam tuam, * tota die laudem tuam.

Psalmus xxxv.

DIXIT injústus ut delínquat in semetipso : * non est timor Dei ante óculos ejus.

Quóniam dolóse egit in conspéctu ejus : * ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium.

Verba oris ejus iníquitas, et dolus : * nóluit intellígere ut bene ágeret.

Iniquitátem meditátus est in cubíli suo : * ástitit omni viae non bonae, malítiam autem non odívit.

Dómine, in coelo misericórdia tua : * et véritas tua usque ad nubes.

Justítia tua sicut montes Dei : * judícia tua abyssus multa.

Hómines, et juménta salvábis, Dñe : * quemádmodum multiplicásti misericórdiam tuam, Deus.

Fílii autem hóminum, * in tégmine alárum tuárum sperábunt.

Inebriabúntur ab ubertáte domus tuae : * et torrénte voluptátis tuae potábis eos.

Quóniam apud te est fons vitae : * et in lúmine tuo vidébimus lumen.

Praeténde misericórdiam tuam sciéntibus te, * et justítiam tuam his, qui recto sunt corde.

Non véniat mihi pes superbiae : * et manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui operántur iniquitátem : * expúlsi sunt, nec potuérunt stare.

Ańa. Expúgna impugnántes me.

Antiphona. Revéla.

Psalmus xxxvi.

NOLI aemulári in malignántibus : * neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Quóniam tamquam foenum velóciter aréscent : * et quemádmodum ólera herbárum cito décident.

Spera in Dómino, et fac bonitátem : * et inhábita terram, et pascéris in divítiis ejus.

Delectáre in Dómino : * et dabit tibi petitiónes cordis tui.

Revéla Dómino viam tuam et spera in eo : * et ipse fáciet.

Et edúcet quasi lumen justítiam tuam : et judícium tuum tamquam meridiem : * súbditus esto Dómino, et ora eum.

Noli aemulári in eo, qui prosperátur in via sua : * in hómine faciénte injustítias.

Désine ab ira, et derelínque furórem : * noli aemulári ut malignéris.

Quóniam qui malignántur, exterminabúntur : * sustinéntes autem Dóminum, ipsi haereditábunt terram.

Et adhuc pusíllum, et non erit peccátor : * et quaeres locum ejus, et non invénies.

Mansuéti autem haereditábunt terram : * et delectabúntur in multitúdine pacis.

Observábit peccátor justum : * et stridébit super eum déntibus suis.

Dóminus autem irridébit eum : * quóniam próspicit quod véniet dies ejus.

Gládium evaginavérunt peccatóres : * intendérunt arcum suum,

Ut dejíciant páuperem et ínopem : * ut trucident rectos corde.

Gládius eórum intret in corda ipsórum : * et arcus eórum confringátur.

Mélius est módicum justo, * super divítias peccatórum multas.

Quóniam bráchia peccatórum conteréntur : * confírmat autem justos Dóminus.

Novit Dñus dies immaculatórum : * et haeréditas eórum in aetérnum erit.

Non confundéntur in témpore malo, et in diébus famis saturabúntur : * quia peccatóres períbunt.

Inimíci vero Dñi mox ut honorificáti fúerint et exaltáti : * deficiéntes, quemádmodum fumus defícient.

Mutuábitur peccátor, et non solvet : * justus autem miserétur et tríbuet.

Quia benedicéntes ei haereditábunt terram : * maledicéntes autem ei disperíbunt.

Apud Dóminum gressus hóminis dirigéntur : * et viam ejus volet.

Cum cecíderit, non collidétur : * quia Dñus suppónit manum suam.

Júnior fui, étenim sénui : * et non vidi justum derelíctum, nec semen ejus quaerens panem.

Tota die miserétur et cómmodat : * et semen illíus in benedictióne erit.

Declína a malo, et fac bonum : * et inhábita in saeculum saeculi.

Quia Dóminus amat judícium, et non derelínquet sanctos suos: * in aetérnum conservabúntur.

Injústi puniéntur: * et semen impiórum períbit.

Justi autem haereditábunt terram : * et inhabitábunt in saeculum saeculi super eam.

Os justi meditábitur sapiéntiam, * et lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipsíus : * et non supplantabúntur gressus ejus.

Considerat peccátor justum : * et quaerit mortificáre eum.

Dóminus autem non derelínquet eum in mánibus ejus : * nec damnábit eum, cum judicábitur illi.

Expécta Dñum, et custódi viam ejus : et exaltábit te ut haereditáte cápias terram: * cum perierint peccatóres vidébis.

Vidi ímpium superexaltátum, * et elevátum sicut cedros Líbani.

Et transívi, et ecce non erat : * et quaesívi eum, et non est invéntus locus ejus.

Custódi innocéntiam, et vide aequitátem: * quóniam sunt relíquiae hómini pacífico.

Injústi autem disperíbunt simul : * relíquiae impiórum interíbunt.

Salus autem justórum a Dómino : * et protéctor eórum in témpore tribulatiónis.

Et adjuvábit eos Dñus et liberábit eos : * et éruet eos a peccatóribus, et salvábit eos : quia speravérunt in eo.

Psalmus xxxvii.

DOMINE, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Quóniam sagíttae tuae infíxae sunt mihi : * et confirmásti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea a fácie irae tuae: * non est pax óssibus meis a fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meae supergréssae sunt caput meum ; * et sicut onus grave gravátae sunt super me.

Putruérunt, et corrúptae sunt cicatríces meae, * a fácie insipiéntiae meae.

Miser factus sum, et curvátus sum usque in finem: * tota die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus : * et non est sánitas in carne mea.

Afflíctus sum, et humiliátus sum nimis : * rugiébam a gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum : * et gémitus meus a te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea : * et lumen oculórum meórum, et ipsum non est mecum.

Amíci mei, et próximi mei * advérsum me appropinquavérunt, et stetérunt.

Et qui juxta me erant, de longe stetérunt: * et vim faciébant qui quaerébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes:* et dolos tota die meditabántur.

Ego autem tamquam surdus non audiébam : * et sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens:* et non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi : * tu exáudies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi : Nequándo supergáudeant mihi inimíci mei: * et dum commovéntur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagélla parátus sum:*et dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo : * et cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, et confirmáti sunt super me : * et multiplicáti sunt qui odérunt me iníque.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi : * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelínquas me, Dñe Deus meus : * ne discésseris a me.

Inténde in adjutórium meum,* Dómine Deus salútis meae.

Añ. Revéla Dño viam tuam.

Per Ann. ℣. Dñe, in coelo misericórdia tua. ℟. Et véritas tua usque ad nubes.

Pro uno Mart. ℣. Glória et honóre coronásti eum, Dñe. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Pro pluribus Martyribus, ℣. Laetámini in Dño, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Pro Confessore Pontifice et non Pontifice, ℣. Amávit eum Dñus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriae índuit eum.

Pro una Sancta, ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

AD LAUDES.

℣. Deus in adjutórium meum inténde, ut supra, 18.

Antiphona. Miserére.

Psalmus l.

MISERERE mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miserationú tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea: * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci : * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum : * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti : * incérta et occúlta sapiéntiae tuae manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor: * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et laetítiam : * et exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis : * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus : * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua : * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi laetítiam salutáris tui : * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas : * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus Deus, Deus salútis meae : * et exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries:* et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique:* holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus : * cor contrítum, et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion : * ut aedificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiae, oblatiónes, et holocáusta:* tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Ańa. Miserére mei, Deus.

Antiphona. Intéllige.

Psalmus v.

VERBA mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meae,* Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : * Dñe, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo : * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus : * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem : * perdes

omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus:* ego autem in multitúdine misericórdiae tuae.

Introíbo in domum tuam : * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua:* propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant, * júdica illos Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos : * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et laeténtur omnes, qui sperant in te,* in aetérnum exultábunt : et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum : * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonae voluntátis tuae * coronásti nos.

Ańa. Intéllige clamórem meum, Dómine.

Ańa. Deus Deus meus, ad te de luce vígilo.

Psal. idem ut supra. 19.

Antiph. Convérsus est.

Cantic. Isaiae Prophetae.

Cap. xii.

CONFITEBOR tibi, Dómine, quóniam irátus es mihi : * convérsus est furor tuus et consolátus es me.

Ecce Deus salvátor meus, * fiduciáliter agam, et non timébo :

Quia fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, * et factus est mihi in salútem.

Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris:* et dicétis in illa die : Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus :

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus : * mementóte quóniam excélsum est nomen ejus.

Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit : * annuntiáte hoc in univérsa terra.

Exúlta, et lauda habitátio Sion : * quia magnus in médio tui sanctus Israël.

Ańa. Convérsus est furor tuus, Dómine, et consolátus es me.

Ańa. Laudáte Dñum de coelis.

Psal. idem ut supra. 21.

Capitulum sequens dicit. in feriali Officio, ab Oct. Pentec. usque ad Advent.

Capitulum. *Rom.* xiii. *d.*

NOX praecéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera

tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus.

SPLENDOR Patérnae glóriae,
De luce lucem próferens,
Lux lucis, et fons lúminis,
Diem dies illúminans:
Verúsque sol illábere,
Micans nitóre pérpeti:
Jubárque Sancti Spíritus
Infúnde nostris sénsibus.
Votis vocémus et Patrem,
Patrem poténtis grátiae,
Patrem perénnis glóriae,
Culpam reléget lúbricam.
Confírmet actus strénuos,
Dentes retúndat ínvidi,
Casus secúndet ásperos:
Agénda recte dírigat.
Mentem gubérnet et regat,
Sit pura nobis cástitas:
Fides calóre férveat,
Fraudis venéna nésciat.
Christúsque nobis sit cibus,
Potúsque noster sit fides:
Laeti bibámus sóbriam
Profusiónem Spíritus.
Laetus dies hic tránseat:
Pudor sit ut dilúculum:
Fides velut merídies:
Crepúsculum mens nésciat.
Aurora lucem próvehit.
Cum luce nobis pródeat
In Patre totus Fílius,
Et totus in Verbo Pater.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne saeculum. Amen.

Per Annum, ℣. Repléti sumus mane misericórdia tua. ℟. Exultávimus, et delectáti sumus.

Ad Bened. Ánt. Benedíctus Dñus Deus Israël.

In Feriis Quatuor Temporum et Vigiliarum quae jejunantur, post Antiphonã ad Benedictus, dicuntur sequentes Preces flexis genibus; aliis temporibus non dicuntur.

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster totum dicitur clara voce.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Ego dixi, Dómine, miserére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

℣. Convértere, Dómine, úsquequo. ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exúltent.

℣. Dómine, salvum fac regem. ℟. Et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic

haereditáti tuae. ℟. Et rege eos, et extólle illos usque in aetérnum.

℣. Meménto congregatiónis tuae. ℟. Quam possedísti ab inítio.

℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis.

℣. Orémus pro fidélibus defúnctis. ℟. Réquiem aetérnam dona eis, Dómine, et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

℣. Pro frátribus nostris abséntibus. ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperántes in te.

℣. Pro afflíctis et captívis. ℟. Líbera eos, Deus Israël, ex ómnibus tribulatiónibus suis.

℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eos.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Deinde dic, Psalmus cxxix.

DE profúndis clamávi ad te, Dñe : * Dómine, exáudi vocem meam:

Fiant aures tuae intendéntes, * in vocem deprecatiónis meae.

Si iniquitátes observáveris, Dñe : * Dómine, quis sustinébit ?

Quia apud te propitiátio est: * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dñum misericórdia : * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Glória Patri, etc.

Finito Psalmo, dicitur ℣. Dómine Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

℣. Exúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Deinde dicitur Oratio propria.

Et quando in feriali Officio fiunt commemorationes communes de S. Maria, de S. Joseph, de Apostolis, et de Pace, ante eas tam in Laudibus quam in Vesperis fit sequens commemoratio de Cruce.

Añ. Per signum Crucis de inimícis nostris líbera nos, Deus noster.

℣. Omnis terra adóret te, et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

Orémus. Orátio.

PERPETUA nos, quaesumus Dómine, pace custódi : quos per lignum sanctae Crucis redímere dignátus es.

Quae commem. de Cruce fit etiam, quando non dicuntur Preces, in feriali tantum Officio.

FERIA TERTIA

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Jubilémus Deo, * Salutári nostro.

Psalmus. Veníte. 2.

Hymnus.

CONSORS Patérni lúminis,
Lux ipse lucis, et dies :
Noctem canéndo rúmpimus,
Assíste postulántibus.
Aufer tenébras méntium,
Fuga catérvas daemonum,
Expélle somnoléntiam,
Ne pigritántes óbruat.
Sic, Christe, nobis ómnibus
Indúlgeas credéntibus,
Ut prosit exorántibus,
Quod praecinéntes psállimus.
Praesta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne saeculum. Amen.

Aña. Ut non delínquam.

Psalmus xxxviii.

DIXI : Custódiam vias meas : * ut non delínquam in lingua mea.

Pósui ori meo custódiam, * cum consísteret peccátor advérsum me.

Obmútui, et humiliátus sum, et sílui a bonis : * et dolor meus renovátus est.

Concáluit cor meum intra me : * et in meditatióne mea exardéscet ignis.

Locútus sum in lingua mea : * notum fac mihi, Dómine, finem meum,

Et número rum diérum meórum quis est : * ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurábiles posuísti dies meos : * et substántia mea tamquam níhilum ante te.

Verúmtamen univérsa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertránsit homo : * sed et frustra conturbátur.

Thesaurízat : * et ignórat cui congregábit ea.

Et nunc quae est expectátio mea? nonne Dñus? * et substántia mea apud te est.

Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me : * oppróbrium insipiénti dedísti me.

Obmútui, et non apérui os meum, quóniam tu fecísti : * ámove a me plagas tuas.

A fortitúdine manus tuae ego defléci in increpatiónibus : * propter iniquitátem corripuísti hóminem.

Et tabéscere fecísti sicut aráneam ánimam ejus : * verúmtamen vane conturbátur omnis homo.

Exáudi oratiónem meam, Dómine, et deprecatiónem meam : * áuribus pércipe lácrymas meas.

Ne síleas : quóniam ádvena ego sum apud te, et peregrínus, * sicut omnes patres mei.

Remítte mihi, ut refrígerer priúsquam ábeam, * et ámplius non ero.

Psalmus xxxix.

EXPECTANS expectávi Dóminum, * et inténdit mihi.

Et exaudívit preces meas : * et edúxit me de lacu misériae, et de luto faecis.

Et státuit super petram pedes meos : * et diréxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum, * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi et timébunt : * et sperábunt in Dño.

Beátus vir, cujus est nomen Dómini spes ejus : * et non respéxit in vanitátes et insánias falsas.

Multa fecísti tu, Dómine Deus meus, mirabília tua : * et cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi et locútus sum : * multiplicáti sunt super número.

Sacrifícium et oblatiónem noluísti : * aures autem perfecísti mihi.

Holocáustum et pro peccáto non postulásti : * tunc dixi : Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me ut fácerem voluntátem tuam : * Deus meus vólui, et legem tuam in médio cordis mei.

Annuntiávi justítiã tuam in ecclésia magna, * ecce lábia mea non prohibébo : Dómine, tu scisti.

Justítiam tuam non abscóndi in corde meo : * veritátem tuam et salutáre tuum dixi.

Non abscóndi misericórdiam tuam et veritátem tuam * a concílio multo.

Tu autem, Dñe, ne longe fácias miseratiónes tuas a me : * misericórdia tua et véritas tua semper suscepérunt me.

Quóniã circumdedérunt me mala, quorum non est número : * comprehendérunt me iniquitátes meae, et non pótui ut vidérem.

Multiplicátae sunt super capíllos cápitis mei : * et cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me : * Dómine, ad adjuvándum me réspice.

Confundántur et revereántur simul, qui quaerunt

ánimam meam, * ut áuferant eam.

Convertántur retrórsum, et revereántur, * qui volunt mihi mala.

Ferant conféstim confusiónem suam, * qui dicunt mihi : Euge, euge.

Exúltent, et laeténtur super te omnes quaeréntes te : * et dicant semper : Magnificétur Dñus : qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem mendícus sum, et pauper: * Dóminus sollícitus est mei.

Adjútor meus, et protéctor meus tu es : * Deus meus, ne tardáveris.

Añ. Ut non delínquam in lingua mea.

Antiphona. Sana.

Psalmus xl.

BEATUS, qui intélligit super egénum et páuperem : * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terra: * et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus: * univérsum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi: Dómine, miserére mei : * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi:* quando moriétur, et períbit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur, * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foras, * et loquebátur in idípsum.

Advérsum me susurrábant omnes inimíci mei: * advérsum me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advérsum me : * Numquid qui dormit, non adjíciet ut resúrgat?

Étenim homo pacis meae, in quo sperávi : * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem, Dñe, miserére mei, et resúscita me : * et retríbuam eis.

In hoc cognóvi, quóniam voluísti me: * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti: * et confirmásti me in conspéctu tuo in aetérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Israël a saeculo, et usque in saeculum : * fiat, fiat.

Psalmus xli.

QUEMADMODUM desíderat cervus ad fontes aquárum : * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum : *

quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymae meae panes die ac nocte: * dum dícitur mihi quotídie: Ubi est Deus tuus?

Haec recordátus sum, et effúdi in me ánimam meam: * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis et confessiónis: * sonus epulántis.

Quare tristis es, ánima mea? * et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est: * proptérea memor ero tui de terra Jordánis, et Hermóniim a monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, et fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam: * et nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitae meae, * dicam Deo: Suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei * et quare contristátus incédo, dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi, qui tríbulant me inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies: Ubi est Deus tuus? * quare tristis es, ánima mea, et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Añ. Sana, Dñe, ánimam meam, quia peccávi tibi.

Antiphona. Eructávit.

Psalmus xliii.

DEUS, áuribus nostris audívimus: * patres nostri annuntiavérunt nobis.

Opus, quod operátus es in diébus eórum, * et in diébus antíquis.

Manus tua Gentes dispérdidit, et plantásti eos: * afflixísti pópulos, et expulísti eos.

Nec enim in gládio suo possedérunt terram, * et bráchium eórum non salvávit eos:

Sed déxtera tua, et bráchium tuum, et illuminátio vultus tui: * quóniam complacuísti in eis.

Tu es ipse Rex meus et Deus meus: * qui mandas salútes Jacob.

In te inimícos nostros ventilábimus cornu, * et in nómine tuo spernémus insurgéntes in nobis.

Non enim in arcu meo sperábo : * et gládius meus non salvábit me.

Salvásti enim nos de afflígéntibus nos : * et odiéntes nos confudísti.

In Deo laudábimur tota die : * et in nómine tuo confitébimur in saeculum.

Nunc autem repulísti et confudísti nos : * et non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris.

Avertísti nos retrórsum post inimícos nostros : * et qui odérunt nos, diripiébant sibi.

Dedísti nos tamquam oves escárum : * et in Géntibus dispersísti nos.

Vendidísti pópulum tuum sine prétio : * et non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.

Posuísti nos opprobrium vicínis nostris, * subsannatiónem et derísum his, qui sunt in circúitu nostro.

Posuísti nos in similitúdinem géntibus: * commotiónem cápitis in pópulis.

Tota die verecúndia mea contra me est, * et confúsio faciéi meae coopéruit me.

A voce exprobrántis, et obloquéntis: * a fácie inimici, et persequéntis.

Haec ómnia venérunt super nos, nec obliti sumus te : * et iníque non égimus in testaménto tuo.

Et non recéssit retro cor nostrum : * et declinásti sémitas nostras a via tua :

Quóniam humiliásti nos in loco afflictiónis, * et coopéruit nos umbra mortis.

Si obliti sumus nomen Dei nostri, * et si expándimus manus nostras ad deum aliénum :

Nonne Deus requíret ista ? * ipse enim novit abscóndita cordis.

Quóniam propter te mortificámur tota die : * aestimáti sumus sicut oves occisiónis.

Exúrge, quare obdórmis, Dómine ? * exúrge, et ne repéllas in finem.

Quare fáciem tuam avértis, * oblivísceris inópiae nostrae, et tribulatiónis nostrae ?

Quóniam humiliáta est in púlvere ánima nostra: * conglutinátus est in terra venter noster.

Exúrge, Dómine, ádjuva nos : * et rédime nos propter nomen tuum.

Psalmus xliv.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribae, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma prae fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis : * propterea benedíxit te Deus in aetérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime.

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna,

Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttae tuae acútae, pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi : * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * proptérea unxit te Deus Deus tuus óleo laetítiae prae consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliae regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.

Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam : * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dñus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliae Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur : omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliae Regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam : * próximae ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in laetítia et exultatióne : * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in aetérnum : * et in saeculum saeculi.

Ant. Eructávit cor meum verbum bonum.

Antiphona. Adjútor.

Psalmus xlv.

DEUS noster refúgium, et virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quae invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra : * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátae sunt aquae eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus laetíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus, in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátae sunt Gentes, et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Vénite, et vidéte ópera Dñi, quae pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terrae.

Arcum cónteret, et confrínget arma : * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus: * exaltábor in Géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob

Psalmus xlvi.

OMNES Gentes pláudite mánibus : * jubiláte Deo in voce exultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis : * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis: * et Gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis haereditátem suam: * spéciem Jacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo : * et Dóminus in voce tubae.

Psállite Deo nostro, psállite : * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terrae Deus : * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super Gentes : * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham : * quóniam dii fortes terrae veheménter eleváti sunt.

Ańa. Adjútor in tribulatiónibus.

Antiphona. Magnus Dóminus.

Psalmus xlvii.

MAGNUS Dóminus, et laudábilis nimis * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne universae terrae mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cum suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terrae congregáti sunt : * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admirá-ti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt: * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis, * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri : * Deus fundávit eam in aetérnum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam, * in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terrae : * justítia plena est déxtera tua.

Laetétur mons Sion, et exúltent fíliae Judae, * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, et complectímini eam : * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus : * et distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in aetérnum, et in saeculum saeculi : * ipse reget nos in saecula.

Psalmus xlviii.

AUDITE haec, omnes Gentes : * áuribus percípite omnes, qui habitátis orbem :

Quique terrígenae, et fílii hóminum : * simul in unum dives et pauper.

Os meum loquétur sapiéntiam : * et meditátio cordis mei prudéntiam.

Inclinábo in parábolam aurem meam : * apériam in psaltério propositiónem meam.

Cur timébo in die mala ? * iníquitas calcánei mei circúmdabit me :

Qui confídunt in virtúte sua : * et in multitúdine divitiárum suárum gloriántur.

Frater non rédimit, rédimet homo : * non dabit Deo placatiónem suam.

Et prétium redemptiónis ánimae suae : * et laborábit in aetérnum, et vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum, cum víderit sapiéntes moriéntes : * simul insípiens, et stultus períbunt.

Et relínquent aliénis divítias suas : * et sepúlchra eórum domus illórum in aetérnum.

Tabernácula eórum in progénie, et progénie : * vocavérunt nómina sua in terris suis.

Et homo, cum in honóre esset, non intelléxit : * comparátus est juméntis insipiéntibus, et símilis factus est illis.

Haec via illórum scándalum ipsis : * et póstea in ore suo complacébunt.

Sicut oves in inférno pósiti sunt : * mors depáscet nos.

Et dominabúntur eórum justi in matutíno : * et auxílium eórum veteráscet in inférno a glória eórum.

Verúmtamen Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, * cum accéperit me.

Ne timúeris, cum dives factus fúerit homo : * et cum multiplicáta fúerit glória domus ejus.

Quóniam cum interíerit, non sumet ómnia : * neque

descéndet cum eo glória ejus.

Quia ánima ejus in vita ipsíus benedicétur: * confitébitur tibi cum beneféceris ei.

Introíbit usque in progénies patrum suórum: * et usque in aetérnum non vidébit lumen.

Homo, cum in honóre esset, non intelléxit: * comparátus est juméntis insipiéntibus, et símilis factus est illis.

Ant. Magnus Dóminus, et laudábilis nimis.

Ant. Deus deórum.

Psalmus xlix.

DEUS deórum Dñus locútus est: * et vocávit terram,

A solis ortu usque ad occásum: * ex Sion spécies decóris ejus.

Deus maniféste véniet: * Deus noster et non silébit.

Ignis in conspéctu ejus exardéscet: * et in circúitu ejus tempéstas válida.

Advocábit coelum desúrsum: * et terram discérnere pópulum suum.

Congregáte illi sanctos ejus: * qui órdinant testaméntum ejus super sacrifícia.

Et annuntiábunt coeli justítiam ejus: * quóniam Deus judex est.

Audi pópulus meus, et loquar: Israël, et testificábor tibi: * Deus Deus tuus ego sum.

Non in sacrifíciis tuis árguam te: * holocáusta autem tua in conspéctu meo sunt semper.

Non accípiam de domo tua vítulos: * neque de grégibus tuis hircos.

Quóniam meae sunt omnes ferae silvárum, * juménta in móntibus et boves.

Cognóvi ómnia volatília coeli: * et pulchritúdo agri mecum est.

Si esuríero, non dicam tibi: * meus est enim orbis terrae, et plenitúdo ejus.

Numquid manducábo carnes taurórum? * aut sánguinem hircórum potábo?

Immola Deo sacrifícium laudis: * et redde Altíssimo vota tua.

Et invóca me in die tribulatiónis: * éruam te, et honorificábis me.

Peccatóri autem dixit Deus: * Quare tu enárras justítias meas, et assúmis testaméntum meum per os tuum?

Tu vero odísti disciplínam: * et projecísti sermónes meos retrórsum:

Si vidébas furem, currébas cum eo: * et cum adúlteris portiónem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítia: * et lingua tua concinnábat dolos.

Sedens advérsus fratrem tuum loquebáris, et advérsus fílium matris tuae ponébas scándalum : * haec fecísti, et tácui.

Existimásti iníque quod ero tui símilis : * árguam te, et státuam contra fáciem tuam.

Intellígite haec qui obliviscímini Deum : * nequándo rápiat, et non sit qui erípiat.

Sacrifícium laudis honorificábit me : * et illic iter, quo osténdam illi salutáre Dei.

Psalmus li.

QUID gloriáris in malítia, * qui potens es in iniquitáte?

Tota die injustítiam cogitávit lingua tua : * sicut novácula acúta fecísti dolum.

Dilexísti malítiam super benignitátem : * iniquitátem magis quam loqui aequitátem.

Dilexísti ómnia verba praecipitatiónis, * lingua dolósa.

Proptérea Deus déstruet te in finem, * evéllet te, et emigrábit te de tabernáculo tuo : et radícem tuam de terra vivéntium.

Vidébunt justi, et timébunt, et super eum ridébunt, et dicent : * Ecce homo, qui non pósuit Deum adjutórem suum :

Sed sperávit in multitúdine divitiárum suárum : * et praeváluit in vanitáte sua.

Ego autem, sicut olíva fructífera in domo Dei, * sperávi in misericórdia Dei in aetérnum : et in saeculum saeculi.

Confitébor tibi in saeculum, quia fecísti : * et expectábo nomen tuum, quóniam bonum est in conspéctu sanctórum tuórum.

Ańa. Deus deórum Dóminus locútus est.

Per Annum, ℣. Immola Deo sacrifícium laudis. ℟. Et redde Altíssimo vota tua.

Pro uno Martyre, ℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Pro pluribus Martyribus, ℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et deléctántur in laetítia.

Pro Confessore Pontifice, ℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Pro Confessore non Pontifice, ℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Pro una Sancta, ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus non commovébitur.

AD LAUDES.

Antiphona. Dele, Dómine, * iniquitátem meam. Psalmus Miserére, ut supra. 60.

Añt. Salutáre.

Psalmus xlii.

UDICA me, Deus, et discérne causam meam de gente non sancta, * ab hómine iníquo, et dolóso érue me.

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea : * quare me repulísti? et quare tristis incédo, dum afflígit me inimícus?

Emítte lucem tuam et veritátem tuam : * ipsa me deduxérunt, et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei:* ad Deum, qui laetíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus Deus meus : * quare tristis es ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Añ. Salutáre vultus mei, et Deus meus.

Añ. Ad te de luce * vígilo, Deus.

Ps. Deus, Deus meus. 19.

Antiphona. Cunctis diébus.

Canticum Ezechiae
Isaiae xxxviii. *b.*

EGO dixi : In dimídio diérum meórum * vadam ad portas ínferi.

Quaesívi resíduum annórum meórum : * dixi : Non vidébo Dóminum Deum in terra vivéntium.

Non aspíciam hóminem ultra, * et habitatórem quiétis.

Generátio mea ablàta est, et convolúta est a me, * quasi tabernáculum pastórum.

Praecísa est velut a texénte, vita mea : dum adhuc ordírer, succídit me : * de mane usque ad vésperam fínies me.

Sperábam usque ad mane,* quasi leo sic contrívit ómnia ossa mea :

De mane usque ad vésperam fínies me:*sicut pullus hirúndinis sic clamábo, meditábor ut colúmba :

Attenuáti sunt óculi mei,* suspiciéntes in excélsum :

Dómine, vim pátior, respónde pro me. * Quid dicam, aut quid respondébit mihi, cum ipse fécerit?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimae meae.

Dómine, si sic vívitur, et in tálibus vita spíritus mei, corrípies me, et vivificábis me. * Ecce in pace amaritúdo mea amarissima:

Tu autem eruísti ánimam meam ut non períret : * projecísti post tergum tuum ómnia peccáta mea.

Quia non inférnus confitébitur tibi, neque mors laudábit te : * non expectábunt qui descéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens vivens ipse confitébitur tibi, sicut et ego hódie : * pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine, salvum me fac, * et psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitae nostrae in domo Dómini.

Aña. Cunctis diébus vitae nostrae salvos nos fac, Dñe.

Aña. Omnes Angeli * ejus, laudáte Dñum de coelis.

Psalm. Laudáte Dóminum de coelis. 21.

Capitulum. *Rom.* xiii. *d.*

NOX praecéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus.

ALES diéi núntius
Lucem propínquam praecinit :
Nos excitátor méntium
Jam Christus ad vitam vocat.
Auférte, clamat, léctulos,
Ægro sopóre désides :
Castíque, recti, ac sóbrii
Vigiláte, jam sum próximus.

Jesum ciámus vócibus,
Flentes, precántes, sóbrii :
Intenta supplicátio
Dormíre cor mundum vetat.
Tu, Christe, somnum díscute :
Tu rumpe noctis víncula :
Tu solve peccátum vetus,
Novúmque lumen íngere.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito
Nunc et per omne saeculum. Amen.

℣. Repléti sumus mane misericórdia tua. ℟. Exultávimus, et delectáti sumus.

Ad Bened. Aña. Eréxit nobis * Dñus cornu salútis in domo David púeri sui.

Preces quando dic. habentur supra in Feria ii. 63.

FERIA QUARTA
AD MATUTINUM.

Invit. In manu tua, Dómine, * Omnes fines terrae.

Psalmus. Venite. 2.

Hymnus.

RERUM Creátor óptime,
Rectórque noster, áspice :
Nos a quiéte nóxia
Mersos sopóre líbera :
Te, sancte Christe, póscimus,
Ignósce culpis ómnibus :
Ad confiténdum súrgimus,
Morásque noctis rúmpimus.

Mentes manúsque tóllimus,
Prophéta sicut nóctibus
Nobis geréndum praecipit,
Paulúsque gestis cénsuit.
Vides malum, quod fécimus :
Occúlta nostra pándimus :
Preces geméntes fúndimus,
Dimítte quod peccávimus.
Praesta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne saeculum. Amen.
Añ. Avértit Dóminus.

Psalmus liii.

DIXIT insípiens in corde suo : * Non est Deus.

Corrúpti sunt, et abominábiles facti sunt in iniquitátibus : * non est qui fáciat bonum.

Deus de coelo prospéxit super fílios hóminum : * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt : * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Nonne scient omnes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam ut cibum panis?

Deum non invocavérunt : * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Deus dissipávit ossa eórum qui homínibus placent : * confúsi sunt, quóniam Deus sprevit eos.

Quis dabit ex Sion salutáre Israël? * cum convérterit Deus captivitátem plebis suae, exultábit Jacob, et laetábitur Israël.

Psalmus liv.

EXAUDI, Deus, oratiónem meam, et ne despéxeris deprecatiónem meam : * inténde mihi, et exáudi me.

Contristátus sum in exercitatióne mea : * et conturbátus sum a voce inimíci, et a tribulatióne peccatóris.

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes : * et in ira molésti erant mihi.

Cor meum conturbátum est in me : * et formído mortis cécidit super me.

Timor et tremor venérunt super me : * et contexérunt me ténebrae :

Et dixi : Quis dabit mihi pennas sicut colúmbae, * et volábo, et requiéscam?

Ecce elongávi fúgiens : * et mansi in solitúdine.

Expectábã eum, qui salvum me fecit * a pusillanimitáte spíritus, et tempestáte.

Praecípita, Dñe, divide linguas eórum : * quóniam vidi iniquitátem, et contradictiónem in civitáte.

Die ac nocte circúmdabit eam super muros ejus iníquitas : * et labor in médio ejus, et injustítia.

Et non defécit de platéis ejus * usúra, et dolus.

Quóniam si inimícus meus maledixísset mihi, * sustinuíssem útique.

Et si is, qui óderat me, super me magna locútus fuísset : * abscondíssem me fórsitan ab eo.

Tu vero, homo unánimis, * dux meus, et notus meus :

Qui simul mecum dulces capiébas cibos : * in domo Dei ambulávimus cum consénsu.

Véniat mors super illos: * et descéndant in inférnum vivéntes :

Quóniam nequítiae in habitáculis eórum : * in médio eórum.

Ego autem ad Deum clamávi: * et Dñus salvábit me.

Véspere, et mane, et merídie narrábo et annuntiábo : * et exáudiet vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his, qui appropínquant mihi : * quóniam inter multos erant mecum.

Exáudiet Deus, et humiliábit illos, * qui est ante saecula.

Non enim est illis commutátio, et non timuérunt Deum : * exténdit manum suam in retribuéndo.

Contaminavérunt testaméntum ejus, divísi sunt ab ira vultus ejus : * et appropinquávit cor illíus.

Molíti sunt sermónes ejus super óleum : * et ipsi sunt jácula.

Jacta super Dñum curam tuam, et ipse te enútriet : * non dabit in aetérnum fluctuatiónem justo.

Tu vero, Deus, dedúces eos, * in púteum intéritus.

Viri sánguinum, et dolósi non dimidiábunt dies suos : * ego autem sperábo in te, Dómine.

Añ. Avértit Dóminus captivitátem plebis suae.

Añ. Quóniam.

Psalmus lv.

MISERERE mei, Deus, quóniam conculcávit me homo : * tota die impúgnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei tota die : * quóniam multi bellántes advérsum me.

Ab altitúdine diéi timébo : * ego vero in te sperábo.

In Deo laudábo sermónes meos, in Deo sperávi : * non timébo quid fáciat mihi caro.

Tota die verba mea execrabántur : * advérsum me omnes cogitatiónes eórum, in malum.

Inhabitábunt et abscóndent : * ipsi calcáneum meum observábunt.

Sicut sustinuérunt ánimam meam, pro níhilo

salvos fácies illos : * in ira pópulos confrínges.

Deus, vitam meam annuntiávi tibi : * posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo,

Sicut et in promissióne tua : * tunc converténtur inimíci mei retrórsum :

In quacúmque die invocávero te : * ecce cognóvi quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum, in Dómino laudábo sermónem : * in Deo sperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

In me sunt, Deus, vota tua, * quae reddam, laudatiónes tibi.

Quóniam eripuísti ánimam meam de morte, et pedes meos de lapsu : * ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

Psalmus lvi.

MISERERE mei, Deus, miserére mei : * quóniam in te confídit ánima mea.

Et in umbra alárum tuárum sperábo, * donec tránseat iníquitas.

Clamábo ad Deum Altíssimum : * Deum qui benefécit mihi.

Misit de coelo, et liberávit me : * dedit in oppróbrium conculcántes me.

Misit Deus misericórdiam suam, et veritátem suam, * et erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum : dormívi conturbátus.

Fílii hóminum dentes eórum arma et sagíttae : * et lingua eórum gládius acútus.

Exaltáre super coelos, Deus : * et in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis : * et incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meam fóveam : * et incidérunt in eam.

Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum : * cantábo, et psalmum dicam.

Exúrge glória mea, exúrge psaltérium et cíthara : * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine : * et psalmum dicam tibi in géntibus :

Quóniam magnificáta est usque ad coelos misericórdia tua, * et usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super coelos, Deus : * et super omnem terram glória tua.

Ańa. Quóniam in te confídit ánima mea.

Ańa. Justa judicáte.

Psalmus lvii.

SI vere útique justítiam loquímini : * recta judicáte fílii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini : * in terra

injustítias manus vestrae concínnant.

Alienáti sunt peccatóres a vulva, erravérunt ab útero: * locúti sunt falsa.

Furor illis secúndũ similitúdinem serpéntis: * sicut áspidis surdae, et obturántis aures suas,

Quae non exáudiet vocem incantántium: * et venéfici incantántis sapiénter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum: * molas leónum confríngat Dñus.

Ad níhilum devénient tamquam aqua decúrrens: * inténdit arcum suum donec infirméntur.

Sicut cera, quae fluit, auferéntur: * supercécidit ignis, et non vidérunt solem.

Priúsquam intellígerent spinae vestrae rhamnum: * sicut vivéntes, sic in ira absórbet eos.

Laetábitur justus cum víderit vindíctam: * manus suas lavábit in sánguine peccatóris.

Et dicet homo: Si útique est fructus justo: * útique est Deus júdicans eos in terra.

Psalmus lviii.

ERIPE me de inimícis meis, Deus meus: * et ab insurgéntibus in me líbera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem: * et de viris sánguinum salva me.

Quia ecce cepérunt ánimam meam: * irruérunt in me fortes.

Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine: * sine iniquitáte cucúrri, et diréxi.

Exúrge in occúrsum meum, et vide: * et tu, Dñe Deus virtútum, Deus Israël,

Inténde ad visitándas omnes gentes: * non misereáris ómnibus, qui operántur iniquitátem.

Converténtur ad vésperam: et famem patiéntur ut canes, * et circuíbunt civitátem.

Ecce loquéntur in ore suo, et gládius in lábiis eórum: * quóniam quis audívit?

Et tu, Dómine, deridébis eos: * ad níhilum dedúces omnes gentes.

Fortitúdinem meam ad te custódiam, quia Deus suscéptor meus es: * Deus meus, misericórdia ejus praevéniet me.

Deus osténdet mihi super inimícos meos, ne occídas eos: * nequándo obliviscántur pópuli mei.

Dispérge illos in virtúte tua: * et depóne eos, protéctor meus, Dómine:

Delíctum oris eórum, sermónem labiórum ipsórum: * et comprehendántur in supérbia sua.

Et de execratióne et mendácio annuntiabúntur in

consummatióne : * in ira consummatiónis, et non erunt.

Et scient quia Deus dominábitur Jacob : * et finium terrae.

Converténtur ad vésperam, et famem patiéntur ut canes : * et circuíbunt civitátem.

Ipsi dispergéntur ad manducándum : * si vero non fúerint saturáti, et murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam : * et exultábo mane misericórdiam tuam.

Quia factus es suscéptor meus, * et refúgium meum, in die tribulatiónis meae.

Adjútor meus tibi psallam, quia Deus suscéptor meus es : * Deus meus, misericórdia mea.

Añs. Justa judicáte fílii hóminum.

Añs. Da nobis.

Psalmus lix.

DEUS, repulísti nos, et destruxísti nos : * irátus es, et misértus es nobis.

Commovísti terram, et conturbásti eam : * sana contritiónes ejus, quia commóta est.

Ostendísti pópulo tuo dura : * potásti nos vino compunctiónis.

Dedísti metuéntibus te significatiónem : * ut fúgiant a fácie arcus :

Ut liberéntur dilécti tui : * salvum fac déxtera tua, et exáudi me.

Deus locútus est in sancto suo : * Laetábor, et partíbor Síchimam : et convállem tabernaculórum metíbor.

Meus est Gálaad, et meus est Manásses : * et Ephraïm fortitúdo cápitis mei.

Juda rex meus : * Moab olla spei meae.

In Idumaeam exténdam calceaméntum meum : * mihi alienígenae súbditi sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam ? * quis dedúcet me usque in Idumaeam ?

Nonne tu, Deus, qui repulísti nos : * et non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris ?

Da nobis auxílium de tribulatióne : * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem : * et ipse ad níhilum dedúcet tribulántes nos.

Psalmus lx.

EXAUDI, Deus, deprecatiónem meam : * inténde oratióni meae.

A finibus terrae ad te clamávi : * dum anxiarétur cor meum, in petra exaltásti me.

Deduxísti me, quia factus es spes mea : * turris fortitúdinis a fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in saecula : * prótegar in velaménto alárum tuárum.

Quóniam tu, Deus meus, exaudísti oratiónẽ meam : * dedísti haereditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjícies : * annos ejus usque in diem generatiónis et generatiónis.

Pérmanet in aetérnum in conspéctu Dei : * misericórdiam et veritátem ejus quis requíret ?

Sic psalmum dicam nómini tuo in saeculum saeculi : * ut reddam vota mea de die in diem.

Añ. Da nobis, Dómine, auxílium de tribulatióne.

Añ. Nonne Deo.

Psalmus lxi.

NONNE Deo subjécta erit ánima mea ? * ab ipso enim salutáre meum.

Nam et ipse Deus meus, et salutáris meus : * suscéptor meus, non movébor ámplius.

Quoúsque irrúitis in hóminem ? * interfícitis univérsi vos : tamquam paríeti inclináto et macériae depúlsae ?

Verúmtamen prétium meum cogitavérunt repéllere, cucúrri in siti : * ore suo benedicébant, et corde suo maledicébant.

Verúmtamen Deo subjécta esto ánima mea : * quóniam ab ipso patiéntia mea.

Quia ipse Deus meus, et salvátor meus : * adjútor meus, non emigrábo.

In Deo salutáre meum, et glória mea : * Deus auxílii mei, et spes mea in Deo est.

Speráte in eo omnis congregátio pópuli, effúndite coram illo corda vestra : * Deus adjútor noster in aetérnum.

Verúmtamen vani fílii hóminum, mendáces fílii hóminum in statéris : * ut decípiant ipsi de vanitáte in idípsum.

Nolíte speráre in iniquitáte, et rapínas nolíte concupíscere : * divítiae si áfluant, nolíte cor appónere.

Semel locútus est Deus, duo haec audívi, quia potéstas Dei est, et tibi, Dómine, misericórdia : * quia tu reddes unicuíque juxta ópera sua.

Psalmus lxiii.

EXAUDI, Deus, oratiónem meam cum déprecor : * a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me a convéntu malignántium : * a multitúdine operántium iniquitátẽ.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas : * intendérunt arcum rem amáram,

ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum, et non timébunt : * firmavérunt sibi sermónē nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos : * dixérunt : Quis vidébit eos ?

Scrutáti sunt iniquitátes : * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum : * et exaltábitur Deus.

Sagíttae parvulórum fáctae sunt plagae eórum : * et infirmátae sunt contra eos linguae eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos : * et tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei : * et facta ejus intellexérunt.

Laetábitur justus in Dño, et sperábit in eo, * et laudabúntur omnes recti corde.

Aña. Nonne Deo subjécta erit ánima mea ?

Aña. Benedícite.

Psalmus lxv.

JUBILATE Deo omnis terra, psalmum dícite nómini ejus : * date glóriam laudi ejus.

Dícite Deo quam terribília sunt ópera tua, Dómine ! * in multitúdine virtútis tuae mentiéntur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te, et psallat tibi : * psalmum dicat nómini tuo.

Veníte, et vidéte ópera Dei : * terríbilis in consíliis super fílios hóminum.

Qui convértit mare in áridam, in flúmine pertransíbunt pede : * ibi laetábimur in ipso.

Qui dominátur in virtúte sua in aetérnum, óculi ejus super Gentes respíciunt : * qui exásperant non exalténtur in semetípsis.

Benedícite Gentes Deum nostrum : * et audítam fácite vocem laudis ejus,

Qui pósuit ánimam meam ad vitam : * et non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probásti nos, Deus : * igne nos examinásti, sicut examinátur argéntum.

Induxísti nos in láqueum, posuísti tribulatiónes in dorso nostro : * imposuísti hómines super cápita nostra.

Transívimus per ignem et aquam : * et eduxísti nos in refrigérium.

Introíbo in domum tuam in holocáustis : * reddam tibi vota mea, quae distinxérunt lábia mea.

Et locútum est os meum, * in tribulatióne mea.

Holocáusta medulláta ófferam tibi cum incénso aríetum : * ófferam tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte, et narrábo, omnes qui timétis Deum, * quanta fecit ánimae meae.

Ad ipsum ore meo clamávi, * et exaltávi sub lingua mea.

Iniquitátem si aspéxi in corde meo, * non exáudiet Dóminus.

Proptérea exaudívit Deus, * et atténdit voci deprecatiónis meae.

Benedíctus Deus, * qui non amóvit oratiónem meam, et misericórdiam suam a me.

Psalmus lxvii.

EXURGAT Deus, et dissipéntur inimíci ejus, * et fúgiant qui odérunt eum, a fácie ejus.

Sicut déficit fumus, defíciant : * sicut fluit cera a fácie ignis, sic péreant peccatóres a fácie Dei.

Et justi epuléntur, et exúltent in conspéctu Dei : * et delecténtur in laetítia.

Cantáte Deo, psalmum dícite nómini ejus : * iter fácite ei, qui ascéndit super occásum : Dóminus nomen illi.

Exultáte in conspéctu ejus, * turbabúntur a fácie ejus, patris orphanórum, et júdicis viduárum.

Deus in loco sancto suo : * Deus qui inhabitáre facit unius moris in domo :

Qui edúcit vinctos in fortitúdine, * simíliter eos, qui exásperant, qui hábitant in sepúlchris.

Deus, cum egrederéris in conspéctu pópuli tui, * cum pertransíres in desérto :

Terra mota est, étenim coeli distillavérunt a fácie Dei Sínaï, * a fácie Dei Israël.

Plúviam voluntáriam segregábis, Deus, haereditáti tuae : * et infirmáta est, tu vero perfecísti eam.

Animália tua habitábunt in ea : * parásti in dulcédine tua páuperi, Deus.

Dóminus dabit verbum evangelizántibus, * virtúte multa.

Rex virtútum dilécti dilécti : * et speciéi domus divídere spólia.

Si dormiátis inter médios cleros, pennae colúmbae deargentátae, * et posterióra dorsi ejus in pallóre auri.

Dum discérnit coeléstis reges super eam, nive dealbabúntur in Selmon : * mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulátus, mons pinguis : * ut quid suspicámini montes coagulátos ?

Mons, in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo : * étenim Dóminus habitábit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia laetántium : * Dóminus in eis in Sina in Sancto.

Ascendísti in altum, cepísti captivitátem : * accepísti dona in homínibus :

Etenim non credéntes, * inhabitáre Dñum Deum.

Benedíctus Dóminus die quotídie : * prósperum iter fáciet nobis Deus salutárium nostrórum.

Deus noster, Deus salvos faciéndi : * et Dñi Dómini éxitus mortis.

Verúmtamen Deus confrínget cápita inimicórum suórum : * vérticem capílli perambulántium in delíctis suis.

Dixit Dóminus : Ex Basan convértam, * convértam in profúndum maris :

Ut intingátur pes tuus in sánguine : * lingua canum tuórum ex inimícis, ab ipso.

Vidérunt ingréssus tuos, Deus, * ingréssus Dei mei: Regis mei qui est in Sancto.

Praevenérunt príncipes conjúncti psalléntibus, * in médio juvenculárum tympanistriárum.

In ecclésiis benedícite Deo Dómino, * de fóntibus Israël.

Ibi Bénjamin adolescéntulus, * in mentis excéssu.

Príncipes Juda, duces eórum : * príncipes Zábulon, príncipes Néphtali.

Manda, Deus, virtúti tuae : * confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis.

A templo tuo in Jerúsalem, * tibi ófferent reges múnera.

Increpa feras arúndinis, congregátio taurórum in vaccis populórum: * ut exclúdant eos, qui probáti sunt argénto.

Díssipa gentes, quae bella volunt : vénient legáti ex Ægypto : * Æthiópia praevéniet manus ejus Deo.

Regna terrae, cantáte Deo : * psállite Dómino :

Psállite Deo, qui ascéndit super coelum coeli, * ad Oriéntem.

Ecce dabit voci suae vocem virtútis, date glóriam Deo super Israël, * magnificéntia ejus, et virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in sanctis suis, Deus Israël ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suae, * benedíctus Deus.

Ańa. Benedícite, Gentes, Deum nostrum.

Per Annum, ℣. Deus, vitam meam annuntiávi tibi. ℟. Posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo.

Pro uno Martyre, ℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Pro pluribus Martyribus, ℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dñum est merces eórum.

Pro Conf. Pont. ℣. Tu es sacérdos in aetérnum. ℟. Secúndum órdinem Melchísedech.

Pro Confes. non Pontif. ℣. Lex Dei ejus in corde

ipsíus. ℟. Et non supplantabúntur gressus ejus.

Pro una Sancta, ℣. Elégit eam Deus, et praeelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

AD LAUDES.

Aña. Amplius lava me, * Dñe, ab injustítia mea.

Psalm. Miserére, ut supra. 60.

Antiphona. Te decet.

Psalmus lxiv.

TE decet hymnus, Deus, in Sion : * et tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exáudi oratiónẽ meam : * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum praevaluérunt super nos : * et impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus, quem elegísti, et assumpsísti : * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domus tuae : * sanctum est templum tuum, mirábile in aequitáte.

Exáudi nos, Deus, salutáris noster, * spes ómnium fínium terrae, et in mari longe.

Praeparans montes in virtúte tua, accínctus poténtia : * qui contúrbas profúndum maris sonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, et timébunt qui hábitant términos a signis tuis : * éxitus matutíni, et véspere delectábis.

Visitásti terram et inebriásti eam : * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis, parásti cibum illórum : * quóniam ita est praeparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus : * in stillicídiis ejus laetábitur gérminans.

Benedíces corónae anni benignitátis tuae : * et campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti : * et exultatióne colles accingéntur.

Indúti sunt aríetes óvium, et valles abundábunt fruménto : * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Aña. Te decet hymnus, Deus, in Sion.

Aña. Lábia mea * laudábunt te in vita mea, Deus meus.

Psalm. Deus, Deus meus, ut supra. 19.

Aña. Dóminus judicábit.

Canticum Annae. 1 *Reg.* ii.

EXULTAVIT cor meum in Dómino, * et exaltátum est cornu meum in Deo meo :

Dilatátum est os meum super inimícos meos : * quia laetáta sum in salutári tuo.

Non est sanctus, ut est Dñus : neque enim est álius extra te, * et non est fortis sicut Deus noster.

Nolíte multiplicáre loqui sublímia, * gloriántes :

Recédant vétera de ore vestro: quia Deus scientiárum, Dóminus est, * et ipsi praeparántur cogitatiónes.

Arcus fórtium superátus est, * et infírmi accíncti sunt róbore.

Repléti prius, pro pánibus se locavérunt : * et famélici saturáti sunt,

Donec stérilis péperit plúrimos : * et quae multos habébat fílios, infirmáta est.

Dóminus mortíficat et vivíficat, * dedúcit ad ínferos et redúcit.

Dñus páuperem facit et ditat, * humíliat et súblevat.

Súscitat de púlvere egénum, * et de stércore élevat páuperem :

Ut sédeat cum princípibus, * et sólium glóriae téneat.

Dómini enim sunt cárdines terrae, * et pósuit super eos orbem.

Pedes sanctórum suórum servábit, et ímpii in ténebris conticéscent: * quia non in fortitúdine sua roborábitur vir.

Dóminum formidábunt adversárii ejus : * et super ipsos in coelis tonábit :

Dóminus judicábit fines terrae, et dabit impérium Regi suo, * et sublimábit cornu Christi sui.

Aña. Dóminus judicábit fines terrae.

Aña. Coeli coelórum * laudáte Deum.

Psalm. Laudáte Dóminum de coelis. 21.

Capitulum. *Rom.* xiii. *d.*

NOX praecéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus.

NOX et ténebrae et núbila,
Confúsa mundi et túrbida :
Lux intrat, albéscit polus :
Christus venit, discédite.

Calígo terrae scínditur
Percússa solis spículo,
Rebúsque jam color redit,
Vultu niténtis síderis.

Te, Christe, solum nóvimus :
Te mente pura et símplici,
Flendo et canéndo quaesumus,
Inténde nostris sénsibus.

Sunt multa fucis íllita,
Quae luce purgéntur tua :
Tu vera lux coeléstium
Vultu seréno illúmina.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne saeculum. Amen.

℣. Repléti sumus mane misericórdia tua. ℟. Exultávimus, et delectáti sumus.

Ad Bened. Ańa. De manu ómnium, * qui odérunt nos, líbera nos, Dómine.

Preces quando dic., habentur supra in Feria ii. 63.

FERIA QUINTA
AD MATUTINUM.

Invitator. Dóminum qui fecit nos, * Veníte adorémus.

Ps. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

QOX atra rerum cóntegit
Terrae colóres ómnium :
Nos confiténtes póscimus
Te, juste judex córdium.

Ut áuferas piácula,
Sordésque mentis ábluas:
Donésque, Christe, grátiam,
Ut arceántur crímina.

Mens ecce torpet ímpia,
Quam culpa mordet nóxia :
Obscúra gestit tóllere,
Et te, Redémptor, quaerere.

Repélle tu calíginem,
Intrínsecus quam máxime,
Ut in beáto gáudeat
Se collocári lúmine.

Praesta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne saeculum. Amen.

Ańa. Dómine Deus.

Psalmus lxviii.

SALVUM me fac, Deus : * quóniam intravérunt aquae usque ad ánimam meam.

Infíxus sum in limo profúndi : * et non est substántia.

Veni in altitúdinem maris : * et tempéstas demérsit me.

Laborávi clamans, raucae factae sunt fauces meae : * defecérunt óculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicáti sunt super capíllos cápitis mei, * qui odérunt me gratis.

Confortáti sunt qui persecúti sunt me inimici mei injúste : * quae non rápui, tunc exsolvébam.

Deus, tu scis insipiéntiam meam : * et delícta mea a te non sunt abscóndita.

Non erubéscant in me qui expéctant te, Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundántur super me * qui quaerunt te, Deus Israël.

Quóniam propter te sustínui oppróbrium : * opéruit confúsio fáciem meam.

Extráneus factus sum frátribus meis, * et peregrínus fíliis matris meae.

Quóniam zelus domus tuae comédit me : * et oppróbria exprobrántium tibi, cecidérunt super me.

Et opérui in jejúnio ánimam meam : * et factum est in oppróbrium mihi.

Et pósui vestiméntum meum cilícium : * et factus sum illis in parábolam.

Advérsum me loquebántur qui sedébant in porta : * et in me psallébant qui bibébant vinum.

Ego vero oratiónem meam ad te, Dómine : * tempus benepláciti, Deus.

In multitúdine misericórdiae tuae exáudi me, * in veritáte salútis tuae :

Eripe me de luto, ut non infígar : * líbera me ab iis, qui odérunt me, et de profúndis aquárum.

Non me demérgat tempéstas aquae, neque absórbeat me profúndum : * neque úrgeat super me púteus os suum.

Exáudi me, Dómine, quóniam benígna est misericórdia tua : * secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum réspice in me.

Et ne avértas fáciem tuam a púero tuo : * quóniam tríbulor, velóciter exáudi me.

Intende ánimae meae, et líbera eam : * propter inimícos meos éripe me.

Tu scis impropérium meum, et confusiónem meam, * et reveréntiam meam.

In conspéctu tuo sunt omnes qui tríbulant me, * impropérium expectávit cor meum, et misériam.

Et sustínui qui simul contristarétur, et non fuit : * et qui consolarétur, et non invéni.

Et dedérunt in escam meam fel : * et in siti mea potavérunt me acéto.

Fiat mensa eórum coram ipsis in láqueum, * et in retributiónes, et in scándalum.

Obscuréntur óculi eórum ne vídeant : * et dorsum eórum semper incúrva.

Effúnde super eos iram tuam : * et furor irae tuae comprehéndat eos.

Fiat habitátio eórum desérta : * et in tabernáculis eórum non sit qui inhábitet.

Quóniam quem tu percussísti, persecúti sunt : * et super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Appóne iniquitátem super iniquitátem eórum : * et non intrent in justítiam tuam.

Deleántur de libro vivéntium : * et cum justis non scribántur.

Ego sum pauper et dolens : * salus tua, Deus, suscépit me.

Laudábo nomen Dei cum cántico : * et magnificábo eum in laude :

Et placébit Deo super vítulum novéllum : * córnua producéntem et úngulas.

Vídeant páuperes et laeténtur : * quaerite Deum, et vivet ánima vestra :

Quóniam exaudívit páuperes Dñus : * et vinctos suos non despéxit.

Laudent illum coeli et terra,* mare, et ómnia reptília in eis.

Quóniam Deus salvam fáciet Sion : * et aedificabúntur civitátes Juda.

Et inhabitábunt ibi,* et haereditáte acquírent eam.

Et semen servórum ejus possidébit eam,* et qui díligunt nomen ejus, habitábunt in ea.

Psalmus lxix.

DEUS, in adjutórium meum inténde : * Dñe, ad adjuvándum me festína.

Confundántur, et revereántur,* qui quaerunt ánimam meam :

Avertántur retrórsum, et erubéscant,* qui volunt mihi mala :

Avertántur statim erubescéntes, * qui dicunt mihi : Euge, euge.

Exúltent et laeténtur in te omnes qui quaerunt te,* et dicant semper : Magnificétur Dóminus: qui díligunt salutáre tuum.

Ego vero egénus, et pauper sum:* Deus, ádjuva me.

Adjútor meus, et liberátor meus es tu : * Dómine, ne moréris.

Añ. Dómine Deus, in adjutórium meum inténde.

Añ. Esto mihi.

Psalmus lxx.

IN te, Dómine, sperávi, non confúndar in aetérnum : * in justítia tua líbera me, et éripe me.

Inclína ad me aurem tuam,* et salva me.

Esto mihi in Deum protectórem, et in locum munítum: * ut salvum me fácias,

Quóniam firmaméntum meum,* et refúgium meum es tu.

Deus meus, éripe me de manu peccatóris, * et de manu contra legem agéntis et iníqui :

Quóniam tu es patiéntia mea, Dómine : * Dómine, spes mea a juventúte mea.

In te confirmátus sum ex útero : * de ventre matris meae tu es protéctor meus :

In te cantátio mea semper : * tamquam prodígium factus sum multis: et tu adjútor fortis.

Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam : * tota die magnitúdine tuam.

Ne projícias me in témpore senectútis:* cum defécerit virtus mea, ne derelínquas me.

Quia dixérunt inimíci mei mihi : * et qui custodiébant ánimam meam, consílium fecérunt in unum,

Dicéntes: Deus derelíquit eum, persequímini, et comprehéndite eum: * quia non est qui erípiat.

Deus, ne elongéris a me:* Deus meus, in auxílium meum réspice.

Confundántur, et defíciant detraéntes ánimae meae : * operiántur confusióne, et pudóre qui quaerunt mala mihi.

Ego autem semper sperábo : * et adjíciam super omnem laudem tuam.

Os meum annuntiábit justítiam tuam : * tota die salutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini : * Dómine, memorábor justítiae tuae solíus.

Deus, docuísti me a juventúte mea : * et usque nunc pronuntiábo mirabília tua.

Et usque in senéctam et sénium : * Deus, ne derelínquas me,

Donec annúntiem bráchium tuum * generatióni omni, quae ventúra est :

Poténtiam tuam, et justítiam tuam, Deus, usque in altíssima, quae fecísti magnália : * Deus, quis símilis tibi?

Quantas ostendísti mihi tribulatiónes multas, et malas : et convérsus vivificásti me : * et de abyssis terrae íterum reduxísti me :

Multiplicásti magnificéntiam tuam : * et convérsus consolátus es me.

Nam et ego confitébor tibi in vasis psalmi veritátem tuam : * Deus, psallam tibi in cíthara, sanctus Israël.

Exultábunt lábia mea cum cantávero tibi : * et ánima mea, quam redemísti.

Sed et lingua mea tota die meditábitur justítiam tuam : * cum confúsi et revériti fúerint qui quaerunt mala mihi.

Psalmus lxxi.

DEUS, judícium tuum regi da : * et justítiam tuam fílio regis :

Judicáre pópulum tuum in justítia, * et páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo : * et colles justítiam.

Judicábit páuperes pópuli, et salvos fáciet fílios páuperum : * et humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole, et ante lunam, * in generatióne et generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus : * et sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia, et abundántia pacis: * donec auferátur luna.

Et dominábitur a mari usque ad mare : * et a flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes : * et inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharsis, et ínsulae múnera ófferent : * reges

Arabum et Saba dona addúcent :

Et adorábunt eum omnes reges terrae : * omnes Gentes sérvient ei :

Quia liberábit páuperem a poténte : * et páuperem, cui non erat adjútor.

Parcet páuperi et ínopi:* et ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris et iniquitáte rédimet ánimas eórum : * et honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, et dábitur ei de auro Arábiae, et adorábunt de ipso semper : * tota die benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terra in summis móntium, superextollétur super Líbanum fructus ejus : * et florébunt de civitáte sicut foenum terrae.

Sit nomen ejus benedíctum in saecula : * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipso omnes tribus terrae : * omnes Gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dñus Deus Israël, * qui facit mirabília solus :

Et benedíctũ nomen majestátis ejus in aetérnum : * et replébitur majestáte ejus omnis terra : fiat, fiat.

Añ. Esto mihi, Dñe, in Deum protectórem.

Antiphona. Liberásti virgam.

Psalmus lxxii.

QUAM bonus Israël Deus * his, qui recto sunt corde!

Mei autem pene moti sunt pedes : * pene effúsi sunt gressus mei.

Quia zelávi super iníquos, * pacem peccatórum videns.

Quia non est respéctus morti eórum : * et firmaméntum in plaga eórum.

In labóre hóminum non sunt, * et cum homínibus non flagellabúntur :

Ideo ténuit eos supérbia, * opérti sunt iniquitáte et impietáte sua.

Pródiit quasi ex ádipe iníquitas eórum : * transiérunt in affectum cordis.

Cogitavérunt, et locúti sunt nequítiam : * iniquitátem in excélso locúti sunt.

Posuérunt in coelum os suum : * et lingua eórum transívit in terra.

Ideo convertétur pópulus meus hic : * et dies pleni inveniéntur in eis.

Et dixérunt : Quómodo scit Deus, * et si est sciéntia in excélso?

Ecce ipsi peccatóres, et abundántes in saeculo, * obtinuérunt divítias.

Et dixi : Ergo sine causa justificávi cor meum, * et lavi inter innocéntes manus meas :

Et fui flagellátus tota die, * et castigátio mea in matutínis.

Si dicébam: Narrábo sic:* ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

Existímábã ut cognóscerem hoc, *labor est ante me:

Donec intrem in sanctuárium Dei : * et intélligam in novíssimis eórum.

Verúmtamen propter dolos posuísti eis : * dejecísti eos dum allevaréntur.

Quómodo facti sunt in desolatiónem, súbito defecérunt : * periérunt propter iniquitátem suam.

Velut sómnium surgéntium, Dómine, * in civitáte tua imáginem ipsórum ad níhilum rédiges.

Quia inflammátum est cor meum, et renes mei commutáti sunt : * et ego ad níhilum redáctus sum, et nescívi.

Ut juméntum factus sum apud te : * et ego semper tecum.

Tenuísti manum déxteram meam : et in voluntáte tua deduxísti me, * et cum glória suscepísti me.

Quid enim mihi est in coelo? * et a te quid vólui super terram?

Defécit caro mea, et cor meum : * Deus cordis mei, et pars mea Deus in aetérnum.

Quia ecce, qui elóngant se a te, períbunt : * perdidísti omnes, qui fornicántur abs te.

Mihi autem adhaerére Deo bonum est : * pónere in Dño Deo spem meam :

Ut annúntiem omnes praedicatiónes tuas, * in portis filiae Sion.

Psalmus lxxiii.

UT quid, Deus, repulísti in finem: * irátus est furor tuus super oves páscuae tuae ?

Memor esto congregatiónis tuae, * quam possedísti ab inítio.

Redemísti virgam haereditátis tuae : * mons Sion, in quo habitásti in eo.

Leva manus tuas in supérbias eórum in finem: * quanta malignátus est inimícus in sancto !

Et gloriáti sunt qui odérunt te : * in médio solemnitátis tuae.

Posuérunt signa sua, signa : * et non cognovérunt sicut in éxitu super summum.

Quasi in silva lignórum secúribus excidérunt jánuas ejus in idípsum : * in secúri et áscia dejecérunt eam.

Incendérunt igni Sanctuárium tuum : * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde suo cognátio eórum simul : * Quiéscere faciámus omnes dies festos Dei a terra.

Signa nostra non vídimus, jam non est prophéta: * et nos non cognóscet ámplius.

Usquequo, Deus, improperábit inimícus: * irrítat adversárius nomen tuum in finem?

Ut quid avértis manum tuam, et déxteram tuam, * de médio sinu tuo in finem?

Deus autem Rex noster ante saecula: * operátus est salútem in médio terrae.

Tu confirmásti in virtúte tua mare: * contribulásti cápita dracónum in aquis.

Tu confregísti cápita dracónis: * dedísti eum escam pópulis Æthíopum.

Tu dirupísti fontes, et torréntes: * tu siccásti flúvios Ethan.

Tuus est dies, et tua est nox: * tu fabricátus es auróram et solem.

Tu fecísti omnes términos terrae: * aestátem et ver tu plasmásti ea.

Memor esto hujus, inimícus improperávit Dño: * et pópulus insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi, * et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Réspice in testaméntum tuum: * quia repléti sunt, qui obscuráti sunt terrae dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúsus: * pauper et inops laudábunt nomen tuum.

Exúrge, Deus, júdica causam tuam: * memor esto improperiórum tuórum, eórum quae ab insipiénte sunt tota die.

Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum: * superbia eórum, qui te odérunt, ascéndit semper.

Añа. Liberásti virgam haereditátis tuae.

Añа. Et invocábimus.

Psalmus lxxiv.

CONFITEBIMUR tibi, Deus: * confitébimur, et invocábimus nomen tuum.

Narrábimus mirabília tua: * cum accépero tempus, ego justítias judicábo.

Liquefácta est terra, et omnes qui hábitant in ea: * ego confirmávi colúmnas ejus.

Dixi iníquis: Nolíte iníque ágere: * et delinquéntibus: Nolíte exaltáre cornu:

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum: * nolíte loqui advérsus Deum iniquitátem.

Quia neque ab Oriénte, neque ab Occidénte, neque a desértis móntibus: * quóniam Deus judex est.

Hunc humíliat, et hunc exáltat: * quia calix in manu Dñi vini meri plenus misto.

Et inclinávit ex hoc in hoc : verúmtamen fáex ejus non est exinaníta : * bibent omnes peccatóres terrae.

Ego autem annuntiábo in saeculum : * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confríngam : * et exaltabúntur córnua justi.

Psalmus lxxv.

DOTUS in Judaea Deus : * in Israël magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus : * et habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * scutum, gládium, et bellum.

Illúminans tu mirabíliter a móntibus aetérnis : * turbáti sunt omnes insipiéntes corde.

Dormiérunt somnum suum : * et nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

Ab increpatióne tua, Deus Jacob, * dormitavérunt qui ascendérunt equos.

Tu terríbilis es, et quis resístet tibi? * ex tunc ira tua.

De coelo audítum fecísti judícium : * terra trémuit et quiévit,

Cum exúrgeret in judíciũ Deus, * ut salvos fáceret omnes mansuétos terrae.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi : * et relíquiae cogitatiónis diem festum agent tibi.

Vovéte, et réddite Dño Deo vestro : * omnes qui in circúitu ejus affértis múnera.

Terríbili et ei qui aufert spíritum príncipum, * terríbili apud reges terrae.

Añа. Et invocábimus nomen tuum, Dómine.

Añа. Tu es Deus.

Psalmus lxxvi.

VOCE mea ad Dñum clamávi : * voce mea ad Deum, et inténdit mihi.

In die tribulatiónis meae Deum exquisívi, mánibus meis nocte contra eum : * et non sum decéptus.

Rénuit consolári ánima mea, * memor fui Dei, et delectátus sum, et exercitátus sum : et defécit spíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei : * turbátus sum, et non sum locútus.

Cogitávi dies antíquos: * et annos aetérnos in mente hábui.

Et meditátus sum nocte cum corde meo, * et exercitábar, et scopébam spíritum meum.

Numquid in aetérnum projíciet Deus : * aut non appónet ut complacítior sit adhuc?

Aut in finem misericórdiam suam abscíndet, * a generatióne in generatiónem?

Aut obliviscétur miseréri Deus? * aut continébit in ira sua misericórdias suas?

Et dixi: Nunc coepi: * haec mutátio déxterae Excélsi.

Memor fui óperum Dómini: * quia memor ero ab inítio mirabílium tuórum,

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis: * et in adinventiónibus tuis exercébor.

Deus, in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster? * tu es Deus qui facis mirabília.

Notam fecísti in pópulis virtútem tuam: * redemísti in bráchio tuo pópulum tuum, fílios Jacob, et Joseph.

Vidérunt te aquae, Deus, vidérunt te aquae: * et timuérunt, et turbátae sunt abyssi.

Multitúdo sónitus aquárum: * vocem dedérunt nubes.

Etenim sagíttae tuae tránseunt: * vox tonítrui tui in rota.

Illuxérunt coruscatiónes tuae orbi terrae: * commóta est, et contrémuit terra.

In mari via tua, et sémitae tuae in aquis multis: * et vestígia tua non cognoscéntur.

Deduxísti sicut oves pópulum tuum, * in manu Móysi et Aaron.

Psalmus lxxvii.

ATTENDITE pópule meus legem meam: * inclináte aurem vestram in verba oris mei.

Apériam in parábolis os meum: * loquar propositiónes ab inítio.

Quanta audívimus et cognóvimus ea: * et patres nostri narravérunt nobis.

Non sunt occultáta a fíliis eórum, * in generatióne áltera.

Narrántes laudes Dómini, et virtútes ejus, * et mirabília ejus quae fecit.

Et suscitávit testimónium in Jacob: * et legem pósuit in Israël.

Quanta mandávit pátribus nostris nota fácere ea fíliis suis: * ut cognóscat generátio áltera.

Fílii qui nascéntur, et exúrgent, * et narrábunt fíliis suis,

Ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscántur óperum Dei: * et mandáta ejus exquírant.

Ne fiant sicut patres eórum: * generátio prava et exásperans.

Generátio, quae non diréxit cor suum: * et non est créditus cum Deo spíritus ejus.

Fílii Ephrem intendéntes et mitténtes arcum: * convérsi sunt in die belli.

Non custodiérunt testaméntum Dei : * et in lege ejus noluérunt ambuláre.

Et oblíti sunt benefactórum ejus, * et mirabílium ejus quae osténdit eis.

Coram pátribus eórum fecit mirabília in terra Ægypti, * in campo Táneos.

Interrúpit mare, et perdúxit eos: * et státuit aquas quasi in utre.

Et dedúxit eos in nube diéi : * et tota nocte in illuminatióne ignis.

Interrúpit petram in erémo : * et adaquávit eos velut in abysso multa.

Et edúxit aquam de petra : * et dedúxit tamquam flúmina aquas.

Et apposuérunt adhuc peccáre ei : * in iram excitavérunt Excélsum in inaquóso.

Et tentavérunt Deum in córdibus suis : * ut péterent escas animábus suis.

Et male locúti sunt de Deo : * dixérunt : Numquid póterit Deus paráre mensam in deserto ?

Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquae, * et torréntes inundavérunt.

Numquid et panem póterit dare, * aut paráre mensam pópulo suo ?

Ideo audívit Dóminus, et dístulit : * et ignis accénsus est in Jacob, et ira ascéndit in Israël :

Quia non credidérunt in Deo, * nec speravérunt in salutári ejus :

Et mandávit núbibus désuper, * et jánuas coeli apéruit.

Et pluit illis manna ad manducándum, * et panem coeli dedit eis.

Panem Angelórum manducávit homo : * cibária misit eis in abundántia.

Tránstulit Austrum de coelo : * et indúxit in virtúte sua Africum.

Et pluit super eos sicut púlverem carnes : * et sicut arénam maris volatília pennáta.

Et cecidérunt in médio castrórum eórum : * circa tabernácula eórum.

Et manducavérunt et saturáti sunt nimis, et desidérium eórum áttulit eis : * non sunt fraudáti a desidério suo.

Adhuc escae eórum erant in ore ipsórum : * et ira Dei ascéndit super eos.

Et occídit pingues eórum, * et eléctos Israël impedívit.

In ómnibus his peccavérunt adhuc : * et non credidérunt in mirabílibus ejus.

Et defecérunt in vanitáte dies eórum : * et anni eórum cum festinatióne.

Cum occíderet eos, quaerébant eum : * et revertebántur, et dilúculo veniébant ad eum.

Et rememoráti sunt quia Deus adjútor est eórum : * et Deus excélsus redémptor eórum est.

Et dilexérunt eum in ore suo,* et lingua sua mentíti sunt ei :

Cor autem eórum non erat rectum cum eo : * nec fidéles hábiti sunt in testaménto ejus.

Ipse autem est miséricors, et propítius fiet peccátis eórum : * et non dispérdet eos.

Et abundávit ut avérteret iram suam : * et non accéndit omnem iram suam:

Et recordátus est quia caro sunt : * spíritus vadens, et non rédiens.

Quóties exacerbavérunt eum in desérto, * in iram concitavérunt eum in inaquóso ?

Et convérsi sunt, et tentavérunt Deum : * et sanctum Israël exacerbavérunt.

Non sunt recordáti manus ejus, * die qua redémit eos de manu tribulántis,

Sicut pósuit in Ægypto signa sua,* et prodígia sua in campo Táneos.

Et convértit in sánguinem flúmina eórum, * et imbres eórum, ne bíberent.

Misit in eos coenomyíam, et comédit eos : * et ranam, et dispérdidit eos.

Et dedit aerúgini fructus eórum : * et labóres eórum locústae.

Et occídit in grándine víneas eórum : * et moros eórum in pruína.

Et trádidit grándini juménta eórum : * et possessiónem eórum igni.

Misit in eos iram indignatiónis suae : * indignatiónem, et iram, et tribulatiónem : immissiónes per ángelos malos.

Viam fecit sémitae irae suae, non pepércit a morte animábus eórum : * et juménta eórum in morte conclúsit.

Et percússit omne primogénitum in terra Ægypti: * primítias omnis labóris eórum in tabernáculis Cham.

Et ábstulit sicut oves pópulum suum : * et perdúxit eos tamquam gregem in desérto.

Et dedúxit eos in spe, et non timuérunt : * et inimícos eórum opéruit mare.

Et indúxit eos in montem sanctificatiónis suae,* montem, quem acquisívit déxtera ejus.

Et ejécit a fácie eórum Gentes : * et sorte divísit eis terram in funículo distributiónis.

Et habitáre fecit in tabernáculis eórum * tribus Israël.

Et tentavérunt, et exacerbavérunt Deum excélsum: * et testimónia ejus non custodiérunt.

Et avertérunt se, et non servavérunt pactum : * quemádmodum patres eórum, convérsi sunt in arcum pravum.

In iram concitavérunt eum in cóllibus suis : * et in sculptílibus suis ad aemulatiónem eum provocavérunt.

Audívit Deus, et sprevit : * et ad níhilum redégit valde Israël.

Et répulit tabernáculum Silo, * tabernáculum suum, ubi habitávit in homínibus.

Et trádidit in captivitátem virtútem eórum : * et pulchritúdinem eórum in manus inimíci.

Et conclúsit in gládio pópulum suum : * et haereditátem suam sprevit.

Júvenes eórum comédit ignis : * et vírgines eórum non sunt lamentátae.

Sacerdótes eórum in gládio cecidérunt : * et víduae eórum non plorabántur.

Et excitátus est tamquam dórmiens Dñus, * tamquam potens crapulátus a vino.

Et percússit inimícos suos in posterióra : * oppróbrium sempitérnum dedit illis.

Et répulit tabernáculum Joseph : * et tribum Ephraïm non elégit :

Sed elégit tribum Juda, * montem Sion quem diléxit.

Et aedificávit sicut unicórnium sanctifícium suum in terra, * quam fundávit in saecula.

Et elégit David servum suum, et sústulit eum de grégibus óvium : * de post foeántes accépit eum,

Páscere Jacob servum suum, * et Israël haereditátem suam :

Et pavit eos in innocéntia cordis sui : * et in intellléctibus mánuum suárum dedúxit eos.

Ańa. Tu es Deus, qui facis mirabília.

Ańa. Propítius esto.

Psalmus lxxviii.

DEUS, venérunt Gentes in haereditátem tuam, polluérunt templum sanctum tuum : * posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam.

Posuérunt morticína servórum tuórum, escas volatílibus coeli : * carnes sanctórum tuórum béstiis terrae.

Effudérunt sánguinem eórum tamquam aquam in circúitu Jerúsalem : * et non erat qui sepelíret.

Facti sumus oppróbrium vicínis nostris : * subsannátio et illúsio his, qui in circúitu nostro sunt.

Usquequo, Dómine, irascéris in finem : * accendétur velut ignis zelus tuus ?

Effúnde iram tuam in Gentes, quae te non novérunt : * et in regna, quae nomen tuum non invocavérunt :

Quia comedérunt Jacob:* et locum ejus desolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum, cito antícipent nos misericórdiae tuae: * quia páuperes facti sumus nimis.

Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos: * et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum:

Ne forte dicant in Géntibus: Ubi est Deus eórum? * et innotéscat in natiónibus coram óculis nostris.

Ultio sánguinis servórum tuórum, qui effúsus est: * introéat in conspéctu tuo gémitus compeditórum.

Secúndũ magnitúdinem bráchii tui, * pósside fílios mortificatórum.

Et redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: * impropérium ipsórum, quod exprobravérunt tibi, Dñe.

Nos autem pópulus tuus, et oves páscuae tuae,* confitébimur tibi in saeculum:

In generatiónem et generatiónem * annuntiábimus laudem tuam.

Psalmus lxxix.

QUI regis Israël, inténde: * qui dedúcis velut ovem Joseph.

Qui sedes super Chérubim, * manifestáre coram Ephraïm, Bénjamin, et Manásse.

Excita poténtiam tuam, et veni, * ut salvos fácias nos.

Deus, convérte nos: * et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

Dómine Deus virtútum, * quoúsque irascéris super oratiónem servi tui?

Cibábis nos pane lacrymárum: * et potum dabis nobis in lácrymis in mensúra?

Posuísti nos in contradictiónem vicínis nostris: * et inimíci nostri subsannavérunt nos.

Deus virtútum convérte nos: * et osténde fáciem tuam: et salvi érimus.

Víneam de Ægypto transtulísti: * ejecísti Gentes, et plantásti eam.

Dux itíneris fuísti in conspéctu ejus: * plantásti radíces ejus, et implévit terram.

Opéruit montes umbra ejus: * et arbústa ejus cedros Dei.

Exténdit pálmites suos usque ad mare: * et usque ad flumen propágines ejus.

Ut quid destruxísti macériam ejus: * et vindémiant eam omnes, qui praetergrediúntur viam?

Exterminávit eam aper de silva: * et singulàris ferus depástus est eam.

Deus virtútum convértere: * réspice de coelo, et vide, et vísita víneam istam.

Et pérfice eam, quam plantávit déxtera tua : * et super fílium hóminis, quem confirmásti tibi.

Incénsa igni, et suffóssa * ab increpatióne vultus tui períbunt.

Fiat manus tua super virum déxterae tuae : * et super fílium hóminis, quem confirmásti tibi.

Et non discédimus a te, vivificábis nos : * et nomen tuum invocábimus.

Dómine Deus virtútum, convérte nos : * et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

Ańa. Propítius esto peccátis nostris, Dómine.

Per Annum, ℣. Gaudébunt lábia mea, cum cantávero tibi. ℟. Et ánima mea, quam redemísti.

Pro uno Martyre, ℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Pro pluribus Martyribus, ℣. Laetámini in Dómino, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Pro Confessore Pontifice et non Pontifice. ℣. Amávit eum Dñus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriae índuit eum.

Pro una Sancta, ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

AD LAUDES.

Antiphona. Tibi soli peccávi, * Dómine, miserére mei.

Psalm. Miserére. 60.

Antiphona. Dómine.

Psalmus lxxxix.

OMINE, refúgium factus es nobis : * a generatióne in generatiónem.

Priúsquam montes fíerent, aut formarétur terra, et orbis : * a saeculo et usque in saeculum tu es Deus.

Ne avértas hóminem in humilitátem : * et dixísti : Convertímini, fílii hóminum.

Quóniam mille anni ante óculos tuos, * tamquam dies hestérna, quae praetériit,

Et custódia in nocte, * quae pro níhilo habéntur, eórum anni erunt.

Mane sicut herba tránseat, mane flóreat, et tránseat : * véspere décidat, indúret, et aréscat.

Quia defécimus in ira tua, * et in furóre tuo turbáti sumus.

Posuísti iniquitátes nostras in conspéctu tuo : * saeculum nostrum in illuminatióne vultus tui.

Quóniam omnes dies nostri defecérunt : * et in ira tua defécimus.

Anni nostri sicut aránea meditabúntur: * dies annórum nostrórum in ipsis, septuagínta anni.

Si autem in potentátibus octogínta anni: * et ámplius eórum, labor et dolor.

Quóniã supervénit mansuetúdo: * et corripiémur.

Quis novit potestátem irae tuae: * et prae timóre tuo iram tuam dinumeráre?

Déxteram tuam sic notam fac: * et erudítos corde in sapiéntia.

Convértere, Dñe, úsquequo? * et deprecábilis esto super servos tuos.

Repléti sumus mane misericórdia tua: * et exultávimus, et delectáti sumus ómnibus diébus nostris.

Laetáti sumus pro diébus, quibus nos humiliásti: * annis, quibus vídimus mala.

Réspice in servos tuos, et in ópera tua: * et dírige fílios eórum.

Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos, et ópera mánuum nostrárum dírige super nos: * et opus mánuum nostrárum dírige.

Aña. Dómine, refúgium factus es nobis.

Aña. In matutínis * meditábor in te.

Psalmus. Deus, Deus meus. 19.

Aña. Cantémus.

Canticum Moysis.
Exod. xv.

CANTEMUS Dño: glorióse enim magnificátus est, * equum et ascensórem dejécit in mare.

Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, * et factus est mihi in salútem:

Iste Deus meus, et glorificábo eum: * Deus patris mei, et exaltábo eum.

Dóminus quasi vir pugnátor, omnípotens nomen ejus. * Currus Pharaónis et exércitum ejus projécit in mare:

Elécti príncipes ejus submérsi sunt in mari Rubro. * Abyssi operuérunt eos, descendérunt in profúndum quasi lapis.

Déxtera tua, Dómine, magnificáta est in fortitúdine: déxtera tua, Dómine, percússit inimícum. * Et in multitúdine glóriae tuae deposuísti adversários tuos:

Misísti iram tuam, quae devorávit eos sicut stípulam. * Et in spíritu furóris tui congregátae sunt aquae:

Stetit unda fluens, * congregátae sunt abyssi in médio mari.

Dixit inimícus: Pérsequar, et comprehéndam, * dívidam spólia, implébitur ánima mea:

Evaginábo gládium meum, * interfíciet eos manus mea.

Flavit spíritus tuus, et opéruit eos mare : * submérsi sunt quasi plumbum in aquis veheméntibus.

Quis símilis tui in fórtibus, Dómine? * quis símilis tui, magníficus in sanctitáte, terríbilis atque laudábilis, fáciens mirabília?

Extendísti manum tuam, et devorávit eos terra. * Dux fuísti in misericórdia tua pópulo quem redemísti :

Et portásti eum in fortitúdine tua, * ad habitáculum sanctum tuum.

Ascendérunt pópuli, et iráti sunt : * dolóres obtinuérunt habitatóres Philísthiim.

Tunc conturbáti sunt príncipes Edom, robústos Moab obtínuit tremor : * obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

Irruat super eos formído et pavor, * in magnitúdine bráchii tui :

Fiant immóbiles quasi lapis, donec pertránseat pópulus tuus, Dñe, * donec pertránseat pópulus tuus iste, quem possedísti.

Introdúces eos, et plantábis in monte haereditátis tuae, * firmíssimo habitáculo tuo quod operátus es, Dómine :

Sanctuárium tuum, Dñe, quod firmavérunt manus tuae. * Dóminus regnábit in aetérnum et ultra.

Ingréssus est enim eques Phárao cum cúrribus et equítibus ejus in mare : * et redúxit super eos Dñus aquas maris :

Fílii autem Israël ambulavérunt per siccum * in médio ejus.

Ańa. Cantémus Dómino glorióse.

Ańa. In sanctis ejus * laudáte Deum.

Psalmus. Laudáte Dóminum de coelis. 21.

Capitulum. *Rom.* xiii. *d.*

NOX praecéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus.

LUX ecce surgit áurea,
Pallens facéssat caecitas,
Quae nosmet in praeceps diu
Erróre traxit dévio.

Haec lux serénũ cónferat,
Purósque nos praestet sibi:
Nihil loquámur súbdolum,
Volvámus obscúrum nihil.

Sic tota decúrrat dies,
Ne lingua mendax, ne manus
Oculíve peccent lúbrici,
Ne noxa corpus ínquinet.

Speculátor adstat désuper,
Qui nos diébus ómnibus,
Actúsque nostros próspicit
A luce prima in vésperum.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne saeculum. Amen.

℣. Repléti sumus mane misericórdia tua. ℟. Exultávimus, et delectáti sumus.

Ad Benedictus, Añ. In sanctitáte * serviámus Dño, et liberábit nos ab inimícis nostris.

Preces, quando dicendae sunt, habentur supra in Feria ii. 63.

FERIA SEXTA
AD MATUTINUM.

Invit. Adorémus Dóminum. * Quóniam ipse fecit nos.

Ps. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

TU Trinitátis Unitas,
Orbem poténter quae regis,
Atténde laudis cánticum
Quod excubántes psállimus.

Nam léctulo consúrgimus
Noctis quiéto témpore,
Ut flagitémus ómnium
A te medélam vúlnerum.

Quo fraude quidquid daemonum
In nóctibus delíquimus,
Abstérgat illud coelitus
Tuae potéstas glóriae.

Ne corpus adstet sórdidũ,
Nec torpor instet córdium,
Ne críminis contágio
Tepéscat ardor spíritus.

Ob hoc, Redémptor, quaesumus,
Reple tuo nos lúmine,
Per quod diérum círculis
Nullis ruámus áctibus.

Praesta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne saeculum. Amen.

Antiphona. Exultáte.

Psalmus lxxx.

EXULTATE Deo adjutóri nostro: * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum, et date tympanum : * psaltérium jucúndum cum cithara.

Buccináte in Neoménia tuba, * in insígni die solemnitátis vestrae :

Quia praecéptum in Israël est : * et judícium Deo Jacob.

Testimónium in Joseph pósuit illud, cum exíret de terra Ægypti : * linguam, quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorsum ejus : * manus ejus in cóphino serviérunt.

In tribulatióne invocásti me, et liberávi te : * exaudívi te in abscóndito tempestátis : probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi pópulus meus, et contestábor te : * Israël si audíeris me, non erit in te deus recens, neque adorábis deum aliénum.

Ego enim sum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti : * diláta os tuum, et implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam : * et Israël non inténdit mihi.

Et dimísi eos secúndum desidéria cordis eórum, * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audísset me : * Israël si in viis meis ambulásset :

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliássem : * et super tribulántes eos misíssem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti sunt ei : * et erit tempus eórum in saecula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti : * et de petra, melle saturávit eos.

Psalmus lxxxi.

DEUS stetit in synagóga deórum : * in médio autem deos dijúdicat.

Usquequo judicátis iniquitátem : * et fácies peccatórum súmitis ?

Judicáte egéno, et pupíllo : * húmilem et páuperem justificáte.

Erípite páuperem : * et egénum de manu peccatóris liberáte.

Nesciérunt, neque intellexérunt, in ténebris ámbulant : * movebúntur ómnia fundaménta terrae.

Ego dixi : Dii estis, * et fílii Excélsi omnes.

Vos autem sicut hómines moriémini : * et sicut unus de princípibus cadétis.

Surge, Deus, júdica terram : * quóniam tu haereditábis in ómnibus Géntibus.

Añа. Exultáte Deo adjutóri nostro.

Añа. Tu solus.

Psalmus lxxxii.

DEUS, quis símilis erit tibi ? * ne táceas, neque compescáris, Deus :

Quóniam ecce inimíci tui sonuérunt : * et qui odérunt te, extulérunt caput.

Super pópulum tuum malignavérunt consílium : * et cogitavérunt advérsus sanctos tuos.

Dixérunt : Veníte, et disperdámus eos de gente : * et non memorétur nomen Israël ultra.

Quóniam cogitavérunt unanímiter : * simul advérsum te testaméntum disponuérunt, tabernácula Idumaeórum et Ismahelítae :

Moab, et Agaréni, Gebal, et Ammon, et Amalec : * alienígenae cum habitántibus Tyrum.

Etenim Assur venit cum illis : * facti sunt in adjutórium fíliis Lot.

Fac illis sicut Mádian, et Sísarae : * sicut Jabin in torrénte Cisson.

Disperiérunt in Endor : * facti sunt ut stercus terrae.

Pone príncipes eórũ sicut Oreb, et Zeb, * et Zébee, et Sálmana :

Omnes príncipes eórum : * qui dixérunt : Haereditáte possideámus Sanctuárium Dei.

Deus meus, pone illos ut rotam : * et sicut stípulam ante fáciem venti.

Sicut ignis, qui combúrit silvam : * et sicut flamma combúrens montes :

Ita persequéris illos in tempestáte tua : * et in ira tua turbábis eos.

Imple fácies eórum ignomínia : * et quaerent nomen tuum, Dómine.

Erubéscant, et conturbéntur in saeculum saeculi : * et confundántur, et péreant.

Et cognóscant quia nomen tibi Dóminus : * tu solus Altíssimus in omni terra.

Psalmus lxxxiii.

QUAM dilécta tabernácula tua, Dñe virtútum : * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum : * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum : * rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua, Dómine : * in saecula saeculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te : * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum, in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protéctor noster áspice Deus : * et réspice in fáciem Christi tui :

Quia mélior est dies una in átriis tuis * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei : * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam et veritátem díligit Deus : * grátiam, et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia : * Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Aña. Tu solus Altíssimus super omnem terram.

Aña. Benedixísti.

Psalmus lxxxiv.

BENEDIXISTI, Dómine, terram tuam: * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuae : * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam : * avertísti ab ira indignatiónis tuae.

Convérte nos, Deus salutáris noster : * et avérte iram tuam a nobis.

Numquid in aetérnum irascéris nobis ? * aut exténdes iram tuam a generatióne in generatiónem ?

Deus, tu convérsus vivificábis nos : * et plebs tua laetábitur in te.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam : * et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus : * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos : * et in eos, qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus : * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia, et véritas obviavérunt sibi : * justítia, et pax osculátae sunt.

Véritas de terra orta est: * et justítia de coelo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem : * et terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit : * et ponet in via gressus suos.

Psalmus lxxxv.

INCLINA, Dómine, aurem tuam, et exáudi me : * quóniam inops, et pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum : * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.

Miserére mei, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die: * laetífica ánimam servi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam tu, Dómine, suávis et mitis : * et multae misericórdiae ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dñe, oratiónē meam : * et inténde voci deprecatiónis meae.

In die tribulatiónis meae clamávi ad te : * quia exaudísti me.

Non est símilis tui in diis, Dómine: * et non est secúndum ópera tua.

Omnes Gentes quascúmque fecísti, vénient, et adorábunt coram te, Dñe : * et glorificábunt nomen tuum.

Quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília : * tu es Deus solus.

Deduc me, Dñe, in via tua, et ingrédiar in veritáte

tua : * laetétur cor meum ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, * et glorificábo nomen tuum in aetérnum :

Quia misericórdia tua magna est super me : * et eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, et synagóga poténtium quaesiérunt ánimam meam : * et non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu, Dómine Deus miserátor et miséricors, * pátiens, et multae misericórdiae, et verax,

Réspice in me, et miserére mei, * da impérium tuum púero tuo : et salvum fac fílium ancíllae tuae.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, et confundántur : * quóniam tu, Dómine, adjuvísti me, et consolátus es me.

Añ. Benedixísti, Dómine, terram tuam.

Antiphona. Fundaménta ejus.

Psalmus lxxxvi.

FUNDAMENTA ejus in móntibus sanctis : * díligit Dñus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenae, et Tyrus, et pópulus Æthiopũ, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea : * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et príncipum : * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut laetántium ómnium * habitátio est in te.

Psalmus lxxxvii.

DOMINE Deus salútis meae : * in die clamávi, et nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea : * inclína aurem tuam ad precem meam :

Quia repléta est malis ánima mea : * et vita mea inférno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum : * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlchris, quorum non es memor ámplius : * et ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri : * in tenebrósis, et in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus : * et omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longe fecísti notos meos a me: * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, et non egrediébar: * óculi mei languérunt prae inópia.

Clamávi ad te, Dómine, tota die: * expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília: * aut médici suscitábunt, et confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepúlchro misericórdiam tuam, * et veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua: * et justítia tua in terra oblivióni?

Et ego ad te, Dómine, clamávi: * et mane orátio mea praevéniet te.

Ut quid, Dómine, repéllis oratiónem meam: * avértis fáciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in labóribus a juventúte mea: * exaltátus autem, humiliátus sum et conturbátus.

In me transiérunt irae tuae: * et terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die: * circumdedérunt me simul.

Elongásti a me amícum, et próximum: * et notos meos a miséria.

Ana. Fundaménta ejus in móntibus sanctis.

Antiphona. Benedíctus.

Psalmus lxxxviii.

MISERICORDIAS Dómini, * in aetérnum cantábo.

In generatiónem et generatiónem * annuntiábo veritátem tuam in ore meo.

Quóniam dixísti: In aetérnum misericórdia aedificábitur in coelis: * praeparábitur véritas tua in eis.

Dispósui testaméntum eléctis meis, jurávi David servo meo? * usque in aetérnum praeparábo semen tuum.

Et aedificábo in generatiónem, et generatiónem * sedem tuam.

Confitebúntur coeli mirabília tua, Dómine: * étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum.

Quóniam quis in núbibus aequábitur Dómino: * símilis erit Deo in fíliis Dei?

Deus, qui glorificátur in consílio sanctórum: * magnus et terríbilis super omnes qui in circúitu ejus sunt.

Dómine Deus virtútum, quis símilis tibi? * potens es, Dómine, et véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris potestáti maris: * motum autem flúctuum ejus tu mitigas.

Tu humiliásti sicut vulnerátum, supérbum: * in bráchio virtútis tuae dispersísti inimícos tuos.

Tui sunt coeli, et tua est terra, orbem terrae et plenitúdinem ejus tu fundásti: * aquilónē, et mare tu creásti.

Thabor et Hermon in nómine tuo exultábunt: * tuum bráchium cum poténtia.

Firmétur manus tua, et exaltétur déxtera tua: * justítia et judícium praeparátio sedis tuae.

Misericórdia et véritas, praecédent fáciem tuam: * beátus pópulus, qui scit jubilatiónem.

Dómine, in lúmine vultus tui ambulábunt, et in nómine tuo exultábunt tota die: * et in justítia tua exaltabúntur.

Quóniam glória virtútis eórum tu es: * et in beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum.

Quia Dómini est assúmptio nostra: * et sancti Israël regis nostri.

Tunc locútus es in visióne sanctis tuis, et dixísti: * Pósui adjutórium in poténte: et exaltávi eléctum de plebe mea.

Invéni David servum meum: * óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliábitur ei: * et bráchium meum confortábit eum.

Nihil proficiet inimícus in eo, * et fílius iniquitátis non appónet nocére ei.

Et concídam a fácie ipsíus inimícos ejus: * et odiéntes eum in fugam convértam.

Et véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: * et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus: * et in flumínibus déxteram ejus.

Ipse invocábit me: Pater meus es tu: * Deus meus, et suscéptor salútis meae:

Et ego primogénitum ponam illum * excélsum prae régibus terrae.

In aetérnum servábo illi misericórdiam meam: * et testaméntum meum fidéle ipsi.

Et ponam in saeculum saeculi semen ejus: * et thronum ejus sicut dies coeli.

Si autem derelíquerint fílii ejus legem meam: * et in judíciis meis non ambuláverint:

Si justítias meas profanáverint: * et mandáta mea non custodíerint:

Visitábo in virga iniquitátes eórum: * et in verbéribus peccáta eórum.

Misericórdiam autem meam non dispérgam ab eo: * neque nocébo in veritáte mea:

Neque profanábo testaméntum meum: * et quae procédunt de lábiis meis non fáciam irríta.

Semel jurávi in sancto meo, si David méntiar: *

semen ejus in aetérnum manébit.

Et thronus ejus sicut sol in conspéctu meo, * et sicut luna perfécta in aetérnum: et testis in coelo fidélis.

Tu vero repulísti et despexísti: * distulísti Christum tuum.

Evertísti testaméntum servi tui: * profanásti in terra sanctuárium ejus.

Destruxísti omnes sepes ejus: * posuísti firmaméntum ejus formídinem.

Diripuérunt eum omnes transeúntes viam: * factus est oppróbrium vicínis suis.

Exaltásti déxteram deprimentium eum: * laetificásti omnes inimícos ejus.

Avertísti adjutórium gládii ejus: * et non es auxiliátus ei in bello.

Destruxisti eum ab emundatióne: * et sedem ejus in terram collisísti.

Minorásti dies témporis ejus: * perfudísti eum confusióne.

Usquequo, Dómine, avértis in finem: * exardéscet sicut ignis ira tua?

Memoráre quae mea substántia: * numquid enim vane constituísti omnes fílios hóminum?

Quis est homo, qui vivet, et non vidébit mortem: * éruet ánimam suam de manu ínferi?

Ubi sunt misericórdiae tuae antíquae, Dómine, * sicut jurásti David in veritáte tua?

Memor esto, Dómine, oppróbrii servórum tuórum * (quod contínui in sinu meo) multárum Géntium.

Quod exprobravérunt inimíci tui, Dómine, * quod exprobravérunt commutatiónem Christi tui.

Benedíctus Dóminus in aetérnum: * fiat, fiat.

Psalmus xciii.

DEUS ultiónum Dóminus: * Deus ultiónum líbere egit.

Exaltáre qui júdicas terram: * redde retributiónem supérbis.

Usquequo peccatóres, Dómine, * úsquequo peccatóres gloriabúntur:

Effabúntur, et loquéntur iniquitátem: * loquéntur omnes, qui operántur injustítiam?

Pópulum tuum, Dómine, humiliavérunt: * et haereditátem tuam vexavérunt.

Víduam, et ádvenam interfecérunt: * et pupíllos occidérunt.

Et dixérunt: Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite insipiéntes in pópulo: * et stulti aliquándo sápite.

Qui plantávit aurem, non áudiet? * aut qui finxit óculum, non considerat?

Qui córripit Gentes, non árguet: * qui docet hóminem sciéntiam?

Dóminus scit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanae sunt.

Beátus homo, quem tu erudíeris, Dómine : * et de lege tua docúeris eum.

Ut mítiges ei a diébus malis: * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repéllet Dóminus plebem suam: * et haereditátem suam non derelínquet.

Quoadúsque justítia convertátur in judícium : * et qui juxta illam omnes qui recto sunt corde.

Quis consúrget mihi advérsus malignántes? * aut quis stabit mecum advérsus operántes iniquitátem?

Nisi quia Dóminus adjúvit me : * paulo minus habitásset in inférno ánima mea.

Si dicébam : Motus est pes meus : * misericórdia tua, Dómine, adjuvábat me.

Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo : * consolatiónes tuae laetificavérunt ánimam meam.

Numquid adhaeret tibi sedes iniquitátis : * qui fingis labórem in praecépto?

Captábunt in ánimam justi : * et sánguinem innocéntem condemnábunt.

Et factus est mihi Dñus in refúgium : * et Deus meus in adjutórium spei meae.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum : et in malítia eórum dispérdet eos : * dispérdet illos Dóminus Deus noster.

Ant. Benedíctus Dóminus in aetérnum.

Ant. Cantáte.

Psalmus xcv.

CANTATE Dómino cánticum novum : * cantáte Dño omnis terra.

Cantáte Dño, et benedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dñus, et laudábilis nimis : * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii Géntium daemónia: * Dóminus autem coelos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriae Géntium, afférte Dño glóriam et honórem : * afférte Dño glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite

in Géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terrae qui non commovébitur : * judicábit pópulos in aequitáte.

Laeténtur coeli, et exúltet terra, commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia quae in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dñi, quia venit: * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrae in aequitáte,* et pópulos in veritáte sua.

Psalmus xcvi.

DOMINUS regnávit, exúltet terra : * laeténtur ínsulae multae.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum praecédet,* et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terrae : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dñi : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt coeli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes,qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, et laetáta est Sion.

Et exultavérunt fíliae Judae, * propter judícia tua, Dómine :

Quóniam tu Dñus Altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dñum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde laetítia.

Laetámini justi in Dómino : * et confitémini memóriae sanctificatiónis ejus.

Ańa. Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus.

Per Annum, ℣. Intret orátio mea in conspéctu tuo, Dñe. ℟. Inclína aurem tuam ad precem meam.

Pro uno Martyre, ℣. Posuísti, Dñe, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Pro pluribus Martyribus, ℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in laetítia.

Pro Confessor. Pontif. ℣. Elegit eum Dóminus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Pro Conf. non Pont. ℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Pro una Sancta, ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus non commovébitur.

AD LAUDES.

Ańa. Spíritu principáli confírma cor meum, Deus.

Psalm. Miserére. 6o.

Ańa. In veritáte.

Psalmus cxlii.

DOMINE, exáudi oratiónem meam : áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua : * exáudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo : * quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam : * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos saeculi : * et anxiátus est super me spíritus meus, in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, meditátus sum in ómnibus opéribus tuis : * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te : * ánima mea sicut terra sine aqua tibi :

Velóciter exáudi me, Dómine : * defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam a me : * et símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi mane misericórdiam tuam: * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem : * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dñe, ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me, in aequitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam : * et in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes, qui tríbulant ánimam meam : * quóniam ego servus tuus sum.

Ańa. In veritáte tua exáudi me, Dómine.

Ańa. Illúmina, * Dñe, vultum tuum super nos.

Ps. Deus, Deus meus. 19.

Ańa. Dómine.

Canticum Habacuc.

Cap. iii.

DOMINE, audívi auditiónem tuam, * et tímui.

Dñe, opus tuum * in médio annórum vivífica illud.

In médio annórum notum fácies : * cum irátus fúeris, misericórdiae recordáberis.

Deus ab Austro véniet,* et sanctus de monte Pharan :

Opéruit coelos glória ejus : * et laudis ejus plena est terra.

Splendor ejus ut lux erit:* córnua in mánibus ejus :

Ibi abscóndita est fortitúdo ejus : * ante fáciem ejus ibit mors.

Et egrediétur diábolus ante pedes ejus.* Stetit, et mensus est terram.

Aspéxit, et dissólvit Gentes : * et contríti sunt montes saeculi.

Incurváti sunt colles mundi,* ab itinéribus aeternitátis ejus.

Pro iniquitáte vidi tentória Æthiópiae, * turbabúntur pelles terrae Mádian.

Numquid in flumínibus irátus es, Dñe? * aut in flumínibus furor tuus? vel in mari indignátio tua?

Qui ascéndes super equos tuos : * et quadrígae tuae salvátio.

Súscitans suscitábis arcum tuum : * juraménta tríbubus, quae locútus es :

Flúvios scindes terrae : vidérunt te, et doluérunt montes : * gurges aquárum tránsiit.

Dedit abyssus vocem suam : * altitúdo manus suas levávit.

Sol, et luna stetérunt in habitáculo suo,* in luce sagittárum tuárum, ibunt in splendóre fulgurántis hastae tuae.

In frémitu conculcábis terram : * in furóre obstupefácies Gentes.

Egréssus es in salútem pópuli tui:* in salútem cum Christo tuo :

Percussísti caput de domo ímpii : * denudásti fundaméntum ejus usque ad collum.

Maledixísti sceptris ejus, cápiti bellatórum ejus,* veniéntibus ut turbo ad dispergéndum me.

Exultátio eórum * sicut ejus, qui dévorat páuperem in abscóndito.

Viam fecísti in mari equis tuis,* in luto aquárum multárum.

Audívi, et conturbátus est venter meus : * a voce contremuérunt lábia mea.

Ingrediátur putrédo in óssibus meis, * et subter me scáteat.

Ut requiéscam in die tribulatiónis : * ut ascéndam ad pópulum accínctum nostrum.

Ficus enim non florébit : * et non erit germen in víneis.

Mentiétur opus olívae : * et arva non áfferent cibum.

Abscindétur de ovíli pecus : * et non erit arméntu in praesépibus.

Ego autem in Dómino gaudébo : * et exultábo in Deo Jesu meo.

Deus Dóminus fortitúdo mea:* et ponet pedes meos quasi cervórum.

Et super excélsa mea dedúcet me victor * in psalmis canéntem.

Ańa. Dómine, audívi auditum tuum, et tímui.

Ańa. In tympano * et choro, in chordis et órgano laudáte Deum.

Psalm. Laudáte Dñum de coelis. 21.

Capitulum. *Rom.* xiii. *d.*

NOX praecéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus.

AETERNA coeli glória,
Beáta spes mortálium,
Summi Tonántis Unice,
Castaeque proles Vírginis;
Da déxterã surgéntibus,
Exúrgat ut mens sóbria,
Flagrans et in laudem Dei
Grates repéndat débitas.
Ortus refúlget lúcifer,
Praeítque solem núntius:
Cadunt tenébrae nóctium:
Lux sancta nos illúminet:
Manénsque nostris sénsibus,
Noctem repéllat saeculi,
Omníque fine témporis
Purgáta servet péctora.
Quaesíta jam primum fides
In corde radíces agat,
Secúnda spes congáudeat,
Qua major extat cáritas.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne saeculum. Amen.

℣. Repléti sumus mane misericórdia tua. ℟. Exultávimus, et delectáti sumus.

Ad Benedictus, Ańa. Per víscera * misericórdiae Dei nostri visitávit nos óriens ex alto.

Preces, quando dicendae sunt, habentur supra in Feria ii. 63.

SABBATO

AD MATUTINUM.

Invit. Dóminum Deum nostrum * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

SUMMAE Parens clementiae,
Mundi regis qui máchinam,
Unius et substántiae,
Trinúsque persónis Deus:
Nostros pius cum cánticis
Fletus benígne súscipe:
Ut corde puro sórdium
Te perfruámur lárgius.
Lumbos, jecúrque mórbidum
Flammis adúre cóngruis,
Accíncti ut artus éxcubent
Luxu remóto péssimo.

Quicúmque ut horas nóctium
Nunc concinéndo rúmpimus,
Ditémur omnes áffatim
Donis beátae pátriae.
Praésta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne saeculum. Amen.
Ańa. Quia mirabília.

Psalmus xcvii.

CANTATE Dómino cánticum novum : * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus : * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum: * in conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiae suae, * et veritátis suae dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terrae * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo omnis terra : * cantáte, et exultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara et voce psalmi : * in tubis ductílibus, et voce tubae córneae.

Jubiláte in conspéctu Regis Dómini : * moveátur mare, et plenitúdo ejus : orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt a conspéctu Dñi : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in aequitáte.

Psalmus xcviii.

DOMINUS regnávit, irascántur pópuli : * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus : * et excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno : quóniam terríbile, et sanctum est : * et honor regis judícium díligit.

Tu parásti directiónes : * judícium et justítiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dñum Deum nostrum, et adoráte scabéllum pedum ejus : * quóniam sanctum est.

Móyses et Aaron in sacerdótibus ejus : * et Sámuel inter eos, qui ínvocant nomen ejus :

Invocábant Dóminum, et ipse exaudiébat eos : * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, * et praecéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster, tu exaudiébas eos : * Deus, tu propítius fuísti eis, et ulcíscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte in monte sancto ejus : * quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

Aña. Quia mirabília fecit Dóminus.

Sequens Antiphona et Psalmus **Jubiláte.** hic praetermittitur, quando dicitur in Laudibus, ut in Sabbatis in quibus fit Officium de S. Maria, et ejus loco dicitur Antiphona et Psalmus **Bonum** est confitéri Dómino, ut infra.

Aña. Jubiláte.

Psalmus xcix.

JUBILATE Deo omnis terra : * servíte Dómino in laetítia.

Introíte in conspéctu ejus, * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus : * ipse fecit nos, et non ipsi nos :

Pópulus ejus, et oves páscuae ejus: * introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis : confitémini illi.

Laudáte nomen ejus : quóniam suávis est Dñus, in aetérnum misericórdia ejus, * et usque in generatiónem et generatiónem véritas ejus.

Vel Psalmus xci.

BONUM est confitéri Dómino : * et psállere nómini tuo, Altíssime.

Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam : * et veritátem tuam per noctem.

In decachórdo psaltério : * cum cántico, in cíthara.

Quia delectásti me, Dómine, in factúra tua : * et in opéribus mánuum tuárum exultábo.

Quam magnificáta sunt ópera tua, Dómine ! * nimis profúndae factae sunt cogitatiónes tuae :

Vir insípiens non cognóscet : * et stultus non intélliget haec.

Cum exórti fúerint peccatóres sicut foenum : * et apparúerint omnes, qui operántur iniquitátem :

Ut intéreant in saeculum saeculi : * tu autem Altíssimus in aetérnum, Dómine.

Quóniam ecce inimíci tui, Dómine, quóniam ecce inimíci tui períbunt : * et dispergéntur omnes, qui operántur iniquitátem.

Et exaltábitur sicut unicórnis cornu meum : * et senéctus mea in misericórdia úberi.

Et despéxit óculus meus inimícos meos : * et in insurgéntibus in me malignántibus aúdiet auris mea.

Justus, ut palma florébit : * sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dñi, * in átriis domus Dei nostri florébunt.

Adhuc multiplicabúntur in senécta úberi: * et bene patiéntes erunt, ut annúntient :

Quóniam rectus Dñus Deus noster : * et non est iníquitas in eo.

Psalmus c.

MISERICORDIAM, et judícium * cantábo tibi, Dómine :

Psallam, et intélligam in via immaculáta, * quando vénies ad me.

Perambulábam in innocéntia cordis mei, * in médio domus meae.

Non proponébam ante óculos meos rem injústam: * faciéntes praevaricatiónes odívi.

Non adhaesit mihi cor pravum : * declinántem a me malígnum non cognoscébam.

Detrahéntem secréto próximo suo, * hunc persequébar.

Supérbo óculo, et insatiábili corde, * cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terrae ut sédeant mecum : * ámbulans in via immaculáta, hic mihi ministrábat.

Non habitábit in médio domus meae qui facit supérbiam : * qui lóquitur iníqua, non diréxit in conspéctu oculórum meórum.

In matutíno interficiébā omnes peccatóres terrae : * ut dispérderem de civitáte Dómini omnes operántes iniquitátem.

Aña. Jubiláte Deo omnis terra.

Vel Aña. Bonum est confitéri Dómino.

Aña. Clamor meus.

Psalmus ci.

DOMINE, exáudi oratiónem meam : * et clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam a me : * in quacúmque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te, * velóciter exáudi me.

Quia defecérunt sicut fumus dies mei : * et ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percússus sum ut foenum, et áruit cor meum : * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitus mei * adhaesit os meum carni meae.

Símilis factus sum pellicáno solitúdinis : * factus sum sicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi, * et factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Tota die exprobrábant mihi inimíci mei : * et qui laudábant me advérsum me jurábant.

Quia cínerem tamquam panem manducábam, * et

potum meum cum fletu miscébam.

A fácie irae et indignatiónis tuae : * quia élevans allisísti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt : * et ego sicut foenum árui.

Tu autem, Dómine, in aetérnum pérmanes : * et memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

Tu exúrgens miseréberis Sion : * quia tempus miseréndi ejus,quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus : * et terrae ejus miserebúntur.

Et timébunt Gentes nomen tuum, Dñe, * et omnes reges terrae glóriam tuam.

Quia aedificávit Dóminus Sion : * et vidébitur in glória sua.

Respéxit in oratiónem humílium : * et non sprevit precem eórum.

Scribántur haec in generatióne áltera : * et pópulus, qui creábitur, laudábit Dóminum :

Quia prospéxit de excélso sancto suo : * Dóminus de coelo in terram aspéxit :

Ut audíret gémitus compeditórum : * ut sólveret fílios interemptórum :

Ut annúntient in Sion nomen Dómini : * et laudem ejus in Jerúsalem.

In conveniéndo pópulos in unum, * et reges ut sérviant Dómino.

Respóndit ei in via virtútis suae : * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum : * in generatiónem et generatiónem anni tui.

Inítio tu, Dñe, terram fundásti : * et ópera mánuum tuárum sunt coeli.

Ipsi períbunt, tu autem pérmanes : * et omnes sicut vestiméntum veterascent.

Et sicut opertórium mutábis eos, et mutabúntur : * tu autem idem ipse es, et anni tui non defícient.

Fílii servórum tuórum habitábunt : * et semen eórum in saeculum dirigétur.

Psalmus cii.

BENEDIC ánima mea Dómino : * et ómnia, quae intra me sunt, nómini sancto ejus :

Bénedic ánima mea Dómino : * et noli oblivísci omnes retributiónes ejus :

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis : * qui sanat omnes infirmitátes tuas.

Qui rédimit de intéritu vitam tuam : * qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus.

Qui replet in bonis desidérium tuum : * renovábitur ut áquilae juvéntus tua :

Fáciens misericórdias Dóminus : * et judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Móysi, * fíliis Israël voluntátes suas.

Miserátor, et miséricors Dóminus : * longánimis, et multum miséricors.

Non in perpétuum irascétur: * neque in aetérnum comminábitur.

Non secúndum peccáta nostra fecit nobis : * neque secúndum iniquitátes nostras retríbuit nobis.

Quóniam secúndum altitúdinem coeli a terra : * corroborávit misericórdiam suam super timéntes se.

Quantum distat ortus ab occidénte : * longe fecit a nobis iniquitátes nostras.

Quómodo miserétur pater filiórum, misértus est Dóminus timéntibus se : * quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum.

Recordátus est quóniam pulvis sumus : * homo, sicut foenum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorébit.

Quóniam spíritus pertransíbit in illo, et non subsístet : * et non cognóscet ámplius locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab aetérno, * et usque in aetérnum super timéntes eum.

Et justítia illíus in fílios filiórum, * his qui servant testaméntum ejus :

Et mémores sunt mandatórum ipsíus, * ad faciéndum ea.

Dñus in coelo parávit sedem suam: * et regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino omnes Angeli ejus : * poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem sermónum ejus.

Benedícite Dño omnes virtútes ejus: * minístri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dño ómnia ópera ejus : * in omni loco dominatiónis ejus, bénedic ánima mea Dómino.

Ana. Clamor meus ad te véniat, Deus.

Ana. Bénedic.

Psalmus ciii.

BENEDIC ánima mea Dómino : * Dómine Deus meus, magnificátus es veheménter.

Confessiónem, et decórem induísti : * amíctus lúmine sicut vestiménto :

Exténdens coelum sicut pellem : * qui tegis aquis superióra ejus.

Qui ponis nubem ascénsum tuum : * qui ámbulas super pennas ventórum.

Qui facis ángelos tuos, spíritus : * et minístros tuos ignem uréntem.

Qui fundásti terram super stabilitátem suam: * non inclinábitur in saeculum saeculi.

Abyssus, sicut vestiméntum amíctus ejus : * super montes stabunt aquae.

Ab increpatióne tua fúgient : * a voce tonítrui tui formidábunt.

Ascéndunt montes: et descéndunt campi * in locum, quem fundásti eis.

Términum posuísti, quem non transgrediéntur : * neque converténtur operíre terram.

Qui emíttis fontes in convállibus : * inter médium móntium pertransíbunt aquae.

Potábunt omnes béstiae agri: * exspectábunt ónagri in siti sua.

Super ea vólucres coeli habitábunt : * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de superióribus suis : * de fructu óperum tuórum satiábitur terra :

Prodúcens foenum juméntis, * et herbam servitúti hóminum :

Ut edúcas panem de terra : * et vinum laetíficet cor hóminis :

Ut exhílaret fáciem in óleo: * et panis cor hóminis confírmet.

Saturabúntur ligna campi, et cedri Líbani, quas plantávit : * illic pásseres nidificábunt.

Heródii domus dux est eórum : * montes excélsi cervis : petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora: * sol cognóvit occásũ suum.

Posuísti ténebras, et facta est nox : * in ipsa pertransíbunt omnes béstiae silvae.

Cátuli leónum rugiéntes, ut rápiant, * et quaerant a Deo escam sibi.

Ortus est sol, et congregáti sunt : * et in cubílibus suis collocabúntur.

Exíbit homo ad opus suum : * et ad operatiónem suam usque ad vésperum.

Quam magnificáta sunt ópera tua, Dñe ! * ómnia in sapiéntia fecísti : impléta est terra possessióne tua.

Hoc mare magnum, et spatiósum mánibus : * illic reptília, quorum non est número.

Animália pusílla cum magnis : * illic naves pertransíbunt.

Draco iste, quem formásti ad illudéndum ei : * ómnia a te expéctant ut des illis escam in témpore.

Dante te illis, colligent : * aperiénte te manum tuam, ómnia implebúntur bonitáte.

Averténte autem te fáciem, turbabúntur : * áufer es spíritum eórum, et defícient, et in púlverem suum reverténtur.

Emíttes spíritum tuum, et creabúntur : * et renovábis fáciem terrae.

Sit glória Dómini in saeculum : * laetábitur Dóminus in opéribus suis :

Qui réspicit terram, et facit eam trémere: * qui tangit montes, et fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea : * psallam Deo meo quámdiu sum.

Jucúndum sit ei elóquium meum : * ego vero delectábor in Dómino.

Deficiant peccatóres a terra, et iníqui ita ut non sint: * bénedic ánima mea Dño.

Psalmus civ.

CONFITEMINI Dómino, et invocáte nomen ejus : * annuntiáte inter Gentes ópera ejus.

Cantáte ei, et psállite ei: * narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómine sancto ejus : * laetétur cor quaeréntium Dóminum.

Quaerite Dóminum, et confirmámini : * quaerite fáciem ejus semper.

Mementóte mirabílium ejus, quae fecit : * prodígia ejus, et judícia oris ejus.

Semen Abraham, servi ejus : * fílii Jacob, elécti ejus.

Ipse Dóminus Deus noster : * in univérsa terra judícia ejus.

Memor fuit in saeculum testaménti sui: * verbi, quod mandávit in mille generatiónes :

Quod dispósuit ad Abraham, * et juraménti sui ad Isaac :

Et státuit illud Jacob in praecéptum : * et Israël in testaméntum aetérnum :

Dicens : tibi dabo terram Chánaan, * funículum haereditátis vestrae.

Cum essent número brevi, * paucíssimi et íncolae ejus :

Et pertransiérunt de gente in gentem, * et de regno ad pópulum álterum.

Non relíquit hóminem nocére eis : * et corrípuit pro eis reges.

Nolíte tángere christos meos: * et in prophétis meis nolíte malignári.

Et vocávit famem super terram : * et omne firmaméntum panis contrívit.

Misit ante eos virum : * in servum venúmdatus est Joseph.

Humiliavérunt in compédibus pedes ejus, ferrum pertránsiit ánimam ejus, * donec veníret verbum ejus.

Elóquium Dómini inflammávit eum : * misit rex, et solvit eum ; princeps populórum, et dimísit eum.

Constítuit eum dóminum domus suae : * et príncipem omnis possessiónis suae :

Ut erudíret príncipes ejus sicut semetípsum : * et senes ejus prudéntiam docéret.

Et intrávit Israël in Ægyptum : * et Jacob áccola fuit in terra Cham.

Et auxit pópulum suum veheménter : * et firmávit eum super inimícos ejus.

Convértit cor eórum ut odírent pópulum ejus : * et dolum fácerent in servos ejus.

Misit Móysen servum suum : * Aaron, quem elégit ipsum.

Pósuit in eis verba signórum suórum,* et prodigiórum in terra Cham.

Misit ténebras, et obscurávit : * et non exacerbávit sermónes suos.

Convértit aquas eórum in sánguinem : * et occídit pisces eórum.

Edidit terra eórum ranas* in penetrálibus regum ipsórum.

Dixit, et venit coenomyía : * et cínifes in ómnibus fínibus eórum.

Pósuit plúvias eórum grándinem : * ignem comburéntem in terra ipsórum.

Et percússit víneas eórum, et ficúlneas eórum : * et contrívit lignum fínium eórum.

Dixit, et venit locústa, et bruchus, * cujus non erat númerus :

Et comédit omne foenum in terra eórum: * et comédit omnem fructum terrae eórum.

Et percússit omne primogénitum in terra eórum : * primítias omnis labóris eórum.

Et edúxit eos cum argénto et auro : * et non erat in tríbubus eórum infírmus.

Laetáta est Ægyptus in profectióne eórum : * quia incúbuit timor eórum super eos.

Expándit nubem in protectiónem eórum,* et ignem ut lucéret eis per noctem.

Petiérunt, et venit cotúrnix : * et pane coeli saturávit eos.

Dirúpit petram, et fluxérunt aquae : * abiérunt in sicco flúmina;

Quóniã memor fuit verbi sancti sui,* quod hábuit ad Abraham púerum suum.

Et edúxit pópulum suum in exultatióne,* et eléctos suos in laetítia.

Et dedit illis regiónes Géntium : * et labóres populórum possedérunt :

Ut custódiant justificatiónes ejus, * et legem ejus requírant.

Ant. Bénedic ánima mea Dómino.

Ant. Vísita nos.

Psalmus cv.

CONFITEMINI Dómino quóniam bonus : * quóniam in saeculum misericórdia ejus.

Quis loquétur poténtias Dómini, * audítas fáciet omnes laudes ejus?

Beáti qui custódiunt judícium, * et fáciunt justítiam in omni témpore.

Meménto nostri, Dñe, in beneplácito pópuli tui : * vísita nos in salutári tuo :

Ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum, ad laetándum in laetítia gentis tuae : * ut laudéris cum haereditáte tua.

Peccávimus cum pátribus nostris : * injúste égimus, iniquitátem fécimus.

Patres nostri in Ægypto non intellexérunt mirabília tua : * non fuérunt mémores multitúdinis misericórdiae tuae.

Et irritavérunt ascendéntes in mare, * Mare rubrum.

Et salvávit eos propter nomen suum : * ut notam fáceret poténtiam suam.

Et increpúit Mare rubrum, et exsiccátum est : * et dedúxit eos in abyssis sicut in desérto.

Et salvávit eos de manu odiéntium : * et redémit eos de manu inimíci.

Et opéruit aqua tribulántes eos : * unus ex eis non remánsit.

Et credidérunt verbis ejus : * et laudavérunt laudem ejus.

Cito fecérunt, oblíti sunt óperum ejus : * et non sustinuérunt consílium ejus.

Et concupiérunt concupiscéntiã in desérto : * et tentavérunt Deum in inaquóso.

Et dedit eis petitiónem ipsórum : * et misit saturitátem in ánimas eórum.

Et irritavérunt Móysen in castris : * Aaron sanctum Dómini.

Apérta est terra, et deglutívit Dathan : * et opéruit super congregatiónem Abíron.

Et exársit ignis in synagóga eórum : * flamma combússit peccatóres.

Et fecérunt vítulum in Horeb : * et adoravérunt scúlptile.

Et mutavérunt glóriam suam * in similitúdinem vítuli comedéntis foenum.

Oblíti sunt Deum, qui salvávit eos, * qui fecit magnália in Ægypto, mirabília in terra Cham : terribília in Mari rubro.

Et dixit ut dispérderet eos : * si non Móyses eléctus ejus stetísset in confractióne in conspéctu ejus :

Ut avérteret iram ejus, ne dispérderet eos : * et pro níhilo habuérunt terram desiderábilem :

Non credidérunt verbo ejus, et murmuravérunt in tabernáculis suis : * non exaudiérunt vocem Dómini.

Et elevávit manum suam super eos : * ut prostérneret eos in desérto :

Et ut dejíceret semen eórum in natiónibus : * et dispérgeret eos in regiónibus.

Et initiáti sunt Beélphegor : * et comedérunt sacrifícia mortuórum.

Et irritavérunt eum in adinventiónibus suis : * et multiplicáta est in eis ruína.

Et stetit Phínees, et placávit : * et cessávit quassátio.

Et reputátum est ei in justítiam, * in generatiónem et generatiónem usque in sempitérnum.

Et irritavérunt eum ad Aquas contradictiónis : * et vexátus est Móyses propter eos : quia exacerbavérunt spíritum ejus.

Et distínxit in lábiis suis : * non disperdidérunt gentes, quas dixit Dóminus illis.

Et commísti sunt inter gentes, et didicérunt ópera eórum : et serviérunt sculptílibus eórum : * et factum est illis in scándalum.

Et immolavérunt fílios suos, * et fílias suas daemóniis.

Et effudérunt sánguinem innocéntem : * sánguinem filiórum suórum et filiárum suárum, quas sacrificavérunt sculptílibus Chánaan.

Et infécta est terra in sanguínibus, et contamináta est in opéribus eórum : * et fornicáti sunt in adinventiónibus suis.

Et irátus est furóre Dóminus in pópulum suum : * et abominátus est haereditátem suam.

Et trádidit eos in manus géntium : * et dominári sunt eórum qui odérunt eos.

Et tribulavérunt eos inimíci eórum, et humiliáti sunt sub mánibus eórum : * saepe liberávit eos.

Ipsi autem exacerbavérunt eum in consílio suo : * et humiliáti sunt in iniquitátibus suis.

Et vidit cum tribularéntur : * et audívit oratiónem eórum.

Et memor fuit testaménti sui : * et poenítuit eum secúndum multitúdinem misericórdiae suae.

Et dedit eos in misericórdias * in conspéctu ómnium qui céperant eos.

Salvos nos fac, Dómine Deus noster : * et cóngrega nos de Natiónibus :

Ut confiteámur nómini sancto tuo : * et gloriémur in laude tua.

Benedíctus Dñus Deus Israël a saeculo et usque in saeculum : * et dicet omnis pópulus : Fiat, fiat.

Psalmus cvi.

CONFITEMINI Dómino quóniam bonus : * quóniam in saeculum misericórdia ejus.

Dicant qui redémpti sunt a Dómino, quos redémit de manu inimíci : * et de regiónibus congregávit eos :

A solis ortu, et occásu : * ab aquilóne, et mari.

Erravérunt in solitúdine in inaquóso : * viam civitátis habitáculi non invenérunt,

Esuriéntes, et sitiéntes: * ánima eórum in ipsis defécit.

Et clamavérunt ad Dóminum cum tribularéntur: * et de necessitátibus eórum erípuit eos.

Et dedúxit eos in viam rectam: * ut irent in civitátem habitatiónis.

Confiteántur Dño misericórdiae ejus: * et mirabília ejus fíliis hóminum.

Quia satiávit ánimam inánem: * et ánimam esuriéntem satiávit bonis.

Sedéntes in ténebris, et umbra mortis: * vinctos in mendicitáte, et ferro.

Quia exacerbavérunt elóquia Dei: * et consílium Altíssimi irritavérunt.

Et humiliátum est in labóribus cor eórum: * infirmáti sunt, nec fuit qui adjuváret.

Et clamavérunt ad Dóminum cum tribularéntur: * et de necessitátibus eórum liberávit eos.

Et edúxit eos de ténebris, et umbra mortis: * et víncula eórum disrúpit.

Confiteántur Dño misericórdiae ejus: * et mirabília ejus fíliis hóminum.

Quia contrívit portas aereas: * et vectes férreos confrégit.

Suscépit eos de via iniquitátis eórum: * propter injustítias enim suas humiliáti sunt.

Omnem escam abominata est ánima eórum: * et appropinquavérunt usque ad portas mortis.

Et clamavérunt ad Dóminum cum tribularéntur: * et de necessitátibus eórum liberávit eos.

Misit verbum suum, et sanávit eos: * et erípuit eos de interitiónibus eórum.

Confiteántur Dño misericórdiae ejus: * et mirabília ejus fíliis hóminum.

Et sacrifícent sacrifícium laudis: * et annúntient ópera ejus in exultatióne.

Qui descéndunt mare in návibus, * faciéntes operatiónem in aquis multis.

Ipsi vidérunt ópera Dómini, * et mirabília ejus in profúndo.

Dixit, et stetit spíritus procéllae: * et exaltáti sunt fluctus ejus.

Ascéndunt usque ad coelos, et descéndunt usque ad abyssos: * ánima eórum in malis tabescébat.

Turbáti sunt, et moti sunt sicut ébrius: * et omnis sapiéntia eórum devoráta est.

Et clamavérunt ad Dóminum cum tribularéntur, * et de necessitátibus eórum edúxit eos.

Et státuit procéllam ejus in auram: * et siluérunt fluctus ejus.

Et laetáti sunt quia siluérunt: * et dedúxit eos in portum voluntátis eórum.

Confiteántur Dño misericórdiae ejus : * et mirabília ejus fíliis hóminum.

Et exáltent eum in ecclésia plebis : * et in cáthedra seniórum laudent eum.

Pósuit flúmina in desértum : * et éxitus aquárum in sitim.

Terram fructíferam in salsúginem,* a malítia inhabitántium in ea.

Pósuit desértũ in stagna aquárum : * et terram sine aqua in éxitus aquárum.

Et collocávit illic esuriéntes : * et constituérunt civitátem habitatiónis.

Et seminavérunt agros, et plantavérunt víneas: * et fecérunt fructum nativitátis.

Et benedíxit eis, et multiplicáti sunt nimis : * et juménta eórum non minorávit.

Et pauci facti sunt: * et vexáti sunt a tribulatióne malórum, et dolóre.

Effúsa est contémptio super príncipes : * et errare fecit eos in ínvio, et non in via.

Et adjúvit páuperem de inópia : * et pósuit sicut oves famílias.

Vidébunt recti, et laetabúntur: * et omnis iníquitas oppilábit os suum.

Quis sápiens et custódiet haec? * et intélliget misericórdias Dómini?

Añа. Vísita nos, Dñe, in salutári tuo.

Añа. Confitébor Dño.

Psalmus cvii.

PARATUM cor meum, Deus, parátum cor meum : * cantábo, et psallam in glória mea.

Exúrge glória mea, exúrge psaltérium, et cíthara : * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine : * et psallam tibi in natiónibus.

Quia magna est super coelos misericórdia tua : * et usque ad nubes véritas tua :

Exaltáre super coelos, Deus, et super omnem terram glória tua:* ut liberéntur dilécti tui.

Salvum fac déxtera tua, et exáudi me : * Deus locútus est in sancto suo :

Exultábo, et dívidam Síchimam, * et convállem tabernaculórum dimétiar.

Meus est Gálaad, et meus est Manásses: * et Ephraïm suscéptio cápitis mei.

Juda rex meus : * Moab lebes spei meae.

In Idumaeam exténdam calceaméntũ meum : * mihi alienígenae amíci facti sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam ? * quis dedúcet me usque in Idumaeam?

Nonne tu, Deus, qui repulísti nos,* et non exíbis, Deus, in virtútibus nostris?

Da nobis auxílium de tribulatióne : * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem : * et ipse ad níhilum dedúcet inimícos nostros.

Psalmus cviii.

DEUS, laudem meam ne tacúeris : * quia os peccatóris, et os dolósi super me apértum est.

Locúti sunt advérsum me lingua dolósa, et sermónibus ódii circumdedérunt me : * et expugnavérunt me gratis.

Pro eo ut me dilígerent : detrahébant mihi : * ego autem orábam.

Et posuérunt advérsum me mala pro bonis : * et ódium pro dilectióne mea.

Constítue super eum peccatórem : * et diábolus stet a dextris ejus.

Cum judicátur, éxeat condemnátus : * et orátio ejus fiat in peccátum.

Fiant dies ejus pauci : * et episcopátum ejus accípiat alter.

Fiant fílii ejus órphani : * et uxor ejus vídua.

Nutántes transferántur fílii ejus, et mendícent : * et ejiciántur de habitatiónibus suis.

Scrutétur foenerátor omnem substántiam ejus : * et dirípiant aliéni labóres ejus.

Non sit illi adjútor : * nec sit qui misereátur pupíllis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum : * in generatióne una deleátur nomen ejus.

In memóriam rédeat iníquitas patrum ejus in conspéctu Dñi : * et peccátum matris ejus non deleátur.

Fiant contra Dñum semper, et dispéreat de terra memória eórum : * pro eo quod non est recordátus fácere misericórdiam.

Et persecútus est hóminem ínopem, et mendícum, * et compúnctum corde mortificáre.

Et diléxit maledictiónem, et véniet ei : * et nóluit benedictiónem, et elongábitur ab eo.

Et índuit maledictiónem sicut vestiméntum, * et intrávit sicut aqua in interióra ejus, et sicut óleum in óssibus ejus.

Fiat ei sicut vestiméntum, quo operítur : * et sicut zona, qua semper praecíngitur.

Hoc opus eórum, qui détrahunt mihi apud Dóminum : * et qui loquúntur mala advérsus ánimam meam.

Et tu, Dómine, Dómine, fac mecum propter nomen tuum : * quia suávis est misericórdia tua.

Líbera me, quia egénus, et pauper ego sum : * et cor meum conturbátum est intra me.

Sicut umbra cum declínat, ablátus sum : * et excússus sum sicut locústae.

Génua mea infirmáta sunt a jejúnio : * et caro mea immutáta est propter óleum.

Et ego factus sum oppróbrium illis : * vidérunt me, et movérunt cápita sua.

Adjuva me, Dñe Deus meus : * salvum me fac secúndum misericórdiã tuam.

Et sciant quia manus tua haec : * et tu, Dómine, fecísti eam.

Maledícent illi, et tu benedíces : * qui insúrgunt in me, confundántur : servus autem tuus laetábitur.

Induántur qui détrahunt mihi, pudóre : * et operiántur sicut diplóide confusióne sua.

Confitébor Dño nimis in ore meo : * et in médio multórum laudábo eum.

Quia ástitit a dextris páuperis, * ut salvam fáceret a persequéntibus ánimam meam.

Aña. Confitébor Dómino nimis in ore meo.

Per Annum, ℣. Dñe, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Pro Beata Maria, ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

AD LAUDES.

Aña. Benígne fac * in bona voluntáte tua, Dñe.

Psalm. Miserére. 60.

Aña. Bonum est.

Psalmus xci.

BONUM est confitéri Dño : * et psállere nómini tuo, Altíssime.

Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam : * et veritátem tuam per noctem.

In decachórdo, psaltério : * cum cántico, in cíthara.

Quia delectásti me, Dñe, in factúra tua : * et in opéribus mánuum tuárum exultábo.

Quam magnificáta sunt ópera tua, Dñe! * nimis profúndae factae sunt cogitatiónes tuae :

Vir insípiens non cognóscet : * et stultus non intélliget haec.

Cum exórti fúerint peccatóres sicut foenum : * et apparúerint omnes, qui operántur iniquitátem :

Ut intéreant in saeculum saeculi : * tu autem Altíssimus in aetérnum, Dómine.

Quóniam ecce inimíci tui, Dñe, quóniam ecce inimici tui períbunt : * et dispergéntur omnes, qui operántur iniquitátem.

Et exaltábitur sicut unicórnis cornu meum : * et senéctus mea in misericórdia úberi.

Et despéxit óculus meus inimícos meos : * et in insurgéntibus in me malignántibus áudiet auris mea.

Justus, ut palma florébit : * sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dñi, * in átriis domus Dei nostri florébunt.

Adhuc multiplicabúntur in senécta úberi : * et bene patiéntes erunt, ut annúntient :

Quóniam rectus Dóminus Deus noster : * et non est iníquitas in eo.

Añа. Bonum est confitéri Dómino.

Añа. Métuant Dñum * omnes fines terrae.

Ps. Deus, Deus meus. 19.

Antiphona. Date magnitúdinem.

Canticum Moysis.
Deut. xxxii.

AUDITE coeli quae loquor, * áudiat terra verba oris mei.

Concréscat ut plúvia doctrína mea, * fluat ut ros elóquium meum,

Quasi imber super herbam, et quasi stillae super grámina. * Quia nomen Dómini invocábo :

Date magnificéntiam Deo nostro. * Dei perfécta sunt ópera, et omnes viae ejus judícia :

Deus fidélis, et absque ulla iniquitáte, justus et rectus. * Peccavérunt ei, et non fílii ejus in sórdibus :

Generátio prava atque pervérsa. * Haeccine reddis Dómino pópule stulte et insípiens?

Numquid non ipse est pater tuus, * qui possédit te, et fecit, et creávit te ?

Meménto diérum antiquórum, * cógita generatiónes síngulas :

Intérroga patrem tuum, et annuntiábit tibi : * majóres tuos, et dicent tibi.

Quando dividébat Altíssimus Gentes : * quando separábat fílios Adam,

Constítuit términos populórum * juxta número filiórum Israël.

Pars autem Dñi, pópulus ejus : * Jacob funículus haereditátis ejus.

Invénit eum in terra desérta, * in loco horróris, et vastae solitúdinis :

Circumdúxit eum, et dócuit : * et custodívit quasi pupíllam óculi sui.

Sicut áquila próvocans ad volándum pullos suos, * et super eos vólitans,

Expándit alas suas, et assúmpsit eum, * atque portávit in húmeris suis.

Dóminus solus dux ejus fuit : * et non erat cum eo deus aliénus.

Constítuit eum super excélsam terram : * ut coméderet fructus agrórum,

Ut súgeret mel de petra, * oleúmque de saxo durissimo :

Butyrum de arménto, et lac de óvibus * cum ádipe

agnórum, et aríetum filiórum Basan :

Et hircos cum medúlla trítici, * et sánguinem uvae bíberet meracíssimum.

Incrassátus est diléctus, et recalcitrávit : * incrassátus, impinguátus, dilatátus,

Derelíquit Deum factórem suum, * et recéssit a Deo salutári suo.

Provocavérunt eum in diis aliénis, * et in abominatiónibus ad iracúndiam concitavérunt.

Immolavérunt daemóniis, et non Deo, * diis, quos ignorábant :

Novi recentésque venérunt, * quos non coluérunt patres eórum.

Deum, qui te génuit dereliquísti, * et oblítus es Dómini creatóris tui.

Vidit Dñus, et ad iracúndiam concitátus est : * quia provocavérunt eum fílii sui et fíliae.

Et ait : Abscóndam fáciem meam ab eis, * et considerábo novíssima eórum :

Generátio enim pervérsa est, * et infidéles fílii.

Ipsi me provocavérunt in eo, qui non erat Deus, * et irritavérunt in vanitátibus suis :

Et ego provocábo eos in eo, qui non est pópulus, * et in gente stulta irritábo illos.

Ignis succénsus est in furóre meo, * et ardébit usque ad inférni novíssima :

Devorabítque terram cum gérmine suo, * et móntium fundaménta combúret.

Congregábo super eos mala, * et sagíttas meas complébo in eis.

Consuméntur fame, * et devorábunt eos aves morsu amaríssimo :

Dentes bestiárum immíttam in eos, * cum furóre trahéntium super terram, atque serpéntium.

Foris vastábit eos gládius, et intus pavor, * júvenem simul ac vírginem, lacténtem cum hómine sene.

Dixi: Ubinam sunt? * cessáre fáciam ex homínibus memóriam eórum.

Sed propter iram inimicórum dístuli : * ne forte superbírent hostes eórum.

Et dícerent : Manus nostra excélsa, et non Dñus, * fecit haec ómnia.

Gens absque consílio est, et sine prudéntia. * Utinam sáperent, et intellígerent, ac novíssima providérent.

Quómodo persequátur unus mille, * et duo fugent decem míllia?

Nonne ídeo, quia Deus suus véndidit eos, * et Dñus conclúsit illos?

Non enim est Deus noster ut dii eórum : * et inimíci nostri sunt júdices.

De vínea Sodomórum, vínea eórum,* et de suburbánis Gomórrhae :

Uva eórum uva fellis,* et botri amaríssimi.

Fel dracónum vinum eórum,* et venénum áspidum insanábile.

Nonne haec cóndita sunt apud me,* et signáta in thesáuris meis ?

Mea est últio, et ego retríbuam in témpore,* ut labátur pes eórum :

Juxta est dies perditiónis, * et adésse festínant témpora.

Judicábit Dóminus pópulum suum, * et in servis suis miserébitur :

Vidébit quod infirmáta sit manus,* et clausi quoque defecérunt, residuíque consúmpti sunt.

Et dicet : Ubi sunt dii eórum,* in quibus habébant fidúciam ?

De quorum víctimis comedébant ádipes,* et bibébant vinum libáminum :

Surgant, et opituléntur vobis, * et in necessitáte vos prótegant.

Vidéte quod ego sim solus,* et non sit álius Deus praeter me :

Ego occídam, et ego vívere fáciam:* percútiam, et ego sanábo, et non est qui de manu mea possit erúere.

Levábo ad coelum manum meam, et dicam :* Vivo ego in aetérnum.

Si acúero ut fulgur gládium meum, * et arripúerit judícium manus mea :

Reddam ultiónem hóstibus meis,* et his, qui odérunt me retríbuam.

Inebriábo sagíttas meas sánguine,* et gládius meus devorábit carnes.

De cruóre occisórum,* et de captivitáte, nudáti inimicórum cápitis.

Laudáte gentes pópulum ejus,* quia sánguinem servórũ suórum ulciscétur :

Et vindíctam retríbuet in hostes eórum,* et propítius erit terrae pópuli sui.

Ańa. Date magnitúdinem Deo nostro.

Ańa. In cymbalis * benesonántibus laudáte Deum.

Psalm. Laudáte Dóminum de coelis. 21.

Capitulum. *Rom.* xiii.

NOX praecéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus.

AURORA jam spargit polum :
Terris dies illábitur :
Lucis resúltat spículum :
Discédat omne lúbricum.

Phantásma noctis éxulet:
Mentis reátus córruat :
Quidquid tenébris hórridum
Nox áttulit culpae, cadat.

Ut mane, quod nos últimum
Hic deprecámur cérnui,
Cum luce nobis éffluat,
Hoc dum canóre cóncrepat.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne saeculum. Amen.

℣. Repléti sumus mane misericórdia tua. ℟. Exultávimus, et delectáti sumus.

Ad Benedictus, Aña. Illumináre, Dñe, * his qui in ténebris sedent, et dírige pedes nostros in viam pacis, Deus Israël.

Preces, quando dicendae sunt, habentur supra in Feria ii. 63.

DOMINICA
AD VESPERAS.

Pater noster. Ave María. ℣. Deus in adjutórium. Aña. Dixit Dóminus.

Psalmus cix.

DIXIT Dñus Dño meo : * Sede a dextris meis :
Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuae emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuae in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non poenitébit eum : * Tu es sacérdos in aetérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dñus a dextris tuis, * confrégit in die irae suae reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Aña. Dixit Dóminus Dño meo : Sede a dextris meis.

Antiphona. Fidélia.

Psalmus cx.

CONFITEBOR tibi, Dñe, in toto corde meo : * in consílio justórũ, et congregatióne.

Magna ópera Dómini : * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio et magnificéntia opus ejus : * et justítia ejus manet in saeculum saeculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors et miserátor Dñus : * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in saeculum testaménti sui : * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo :

Ut det illis haereditátem géntium : * ópera mánuum ejus véritas, et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus : confirmáta in saeculum saeculi,* facta in veritáte et aequitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo : * mandávit in aetérnum testaméntũ suum.

Sanctum, et terríbile nomen ejus : * inítium sapiéntiae timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in saeculum saeculi.

Ańa. Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in saeculum saeculi.

Antiphona. In mandátis.

Psalmus cxi.

BEATUS vir, qui timet Dñum : * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : * generátio rectórum benedicétur.

Glória et divítiae in domo ejus : * et justítia ejus manet in saeculum saeculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis : * miséricors, et miserátor, et justus.

Jucúndus homo qui miserétur et cómmodat, dispónet sermónes suos in judício : * quia in aetérnum non commovébitur.

In memória aetérna erit justus : * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, confirmátum est cor ejus : * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus : justítia ejus manet in saeculum saeculi, * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, et irascétur, déntibus suis fremet et tabéscet : * desidérium peccatórum períbit.

Ańa. In mandátis ejus cupit nimis.

Ańa. Sit nomen Dómini.

Psalmus cxii.

LAUDATE púeri Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in saeculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Domini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super coelos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat,* et humília réspicit in coelo et in terra ?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum laetántem.

Ańa. Sit nomen Dómini benedíctum in saecula.

Ańa. Nos qui vívimus.

Psalmus cxiii.

IN éxitu Israël de Ægypto, * domus Jacob de pópulo bárbaro :

Facta est Judaea sanctificátio ejus, * Israël potéstas ejus.

Mare vidit, et fugit : * Jordánis convérsus est retrórsum.

Montes exultavérunt ut aríetes: * et colles sicut agni óvium.

Quid est tibi mare quod fugísti : * et tu Jordánis, quia convérsus es retrórsum ?

Montes exultástis sicut aríetes, * et colles sicut agni óvium.

A fácie Dómini mota est terra, * a fácie Dei Jacob.

Qui convértit petram in stagna aquárum, * et rupem in fontes aquárum.

Non nobis, Dómine, non nobis : * sed nómini tuo da glóriam.

Super misericórdia tua, et veritáte tua : * nequándo dicant Gentes : Ubi est Deus eórum ?

Deus autem noster in coelo: * ómnia quaecúmque vóluit, fecit.

Simulácra géntium argéntum, et aurum, * ópera mánuum hóminum.

Os habent, et non loquéntur: * óculos habent, et non vidébunt.

Aures habent, et non áudient : * nares habent, et non odorábunt.

Manus habent, et non palpábunt : pedes habent, et non ambulábunt : * non clamábunt in gúttur suo.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea : * et omnes qui confídunt in eis.

Domus Israël sperávit in Dómino : * adjútor eórum et protéctor eórum est.

Domus Aaron sperávit in Dómino : * adjútor eórum et protéctor eórum est.

Qui timent Dóminum, speravérunt in Dómino : * adjútor eórum et protéctor eórum est.

Dóminus memor fuit nostri : * et benedíxit nobis :

Benedíxit dómui Israël: * benedíxit dómui Aaron.

Benedíxit ómnibus, qui timent Dóminum, * pusíllis cum majóribus.

Adjíciat Dóminus super vos : * super vos, et super fílios vestros.

Benedícti vos a Dómino, * qui fecit coelum, et terram.

Coelum coeli Dómino : * terram autem dedit fíliis hóminum.

Non mórtui laudábunt te, Dómine: * neque omnes, qui descéndunt in infernum.

Sed nos qui vívimus, benedícimus Dómino, * ex hoc nunc, et usque in saeculum.

Ant. Nos qui vívimus, benedícimus Dómino.

Capitulum. 2 *Cor.* i.

BENEDICTUS Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

Hymnus.

LUCIS Creátor óptime
Lucem diérum próferens,
Primórdiis lucis novae,
Mundi parans originem.
Qui mane junctum vésperi
Diem vocári praecipis,
Illábitur tetrum chaos,
Audi preces cum flétibus.
Ne mens graváta crímine,
Vitae sit exul múnere,
Dum nil perénne cógitat,
Seséque culpis illigat.
Coeléste pulset óstium :
Vitále tollat praemium :
Vitémus omne nóxium :
Purgémus omne péssimum.
Praesta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne saeculum. Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Praedictus Hymnus cum suo Versu dicitur a Dominica tertia post Pentec. usque ad Adventum. Capit. vero praedictum dicitur in eisdem Dominicis. Dicitur etiam in feriali Officio ab Octava Pentecostes usque ad Adventum. Similiter et Versus.

Antiphonae autem cum Psalmis semper dicuntur ut supra, quando fit Offic. de Dominica.

Canticum
Beatae Mariae Virginis.
Luc. i. *e.*

MAGNIFICAT * ánima mea Dóminum : Et exultávit spíritus meus * in Deo salutári meo.

Quia respéxit humilitátem ancíllae suae : * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

Quia fecit mihi magna qui potens est : * et sanctum nomen ejus.

Et misericórdia ejus a progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in brachio suo : * dispérsit supérbos mente cordis sui.

Depósuit poténtes de sede, * et exaltávit húmiles.

Esuriéntes implévit bonis : * et dívites dimísit inánes.

Suscépit Israël púerum suum, * recordátus misericórdiae suae.

Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham, et sémini ejus in saecula.

Glória Patri, et Fílio, etc.

Deinde dicitur Antiphona et Oratio propria.

FERIA SECUNDA
AD VESPERAS.

Antiphona. Inclinávit.

Psalmus cxiv.

DILEXI, quóniam exáudiet Dñus * vocem oratiónis meae.

Quia inclinávit aurem suam mihi : * et in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis : * et perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem et dolórem invéni : * et nomen Dómini invocávi.

O Dñe, líbera ánimam meam : * miséricors Dñus, et justus, et Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus:* humiliátus sum, et liberávit me.

Convértere ánima mea in réquiem tuam : * quia Dóminus benefécit tibi.

Quia erípuit ánimam meam de morte : * óculos meos a lácrymis, pedes meos a lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Aña. Inclinávit Dóminus aurem suam mihi.

Antiphona. Crédidi

Psalmus cxv.

CREDIDI, propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo:* Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dño, * pro ómnibus, quae retríbuit mihi ?

Cálicem salutáris accípiam : * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dño reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dñi mors sanctórum ejus :

O Dómine, quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancíllae tuae.

Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Aña. Crédidi, propter quod locútus sum.

Antiphona. Laudáte.

Psalmus cxvi.

LAUDATE Dóminum omnes Gentes: * laudáte eum omnes pópuli :

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus : * et véritas Dómini manet in aetérnum.

Aña. Laudáte Dóminum omnes Gentes.

Antiphona. Clamávi.

Psalmus cxix.

AD Dñum cum tribulárer clamávi : * et exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam a lábiis iníquis, * et a lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam ?

Sagíttae poténtis acútae, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est : habitávi cum habitántibus Cedar : * multum íncola fuit ánima mea.

Cum his, qui odérunt pacem, eram pacíficus : * cum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Añ. Clamávi, et exaudívit me.

Antiphona. Unde véniet.

Psalmus cxx.

LEVAVI óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum a Dómino, * qui fecit coelum et terram.

Non det in commotiónem pedem tuum : * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet, * qui custódit Israël.

Dñus custódit te, Dóminus protéctio tua, * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te: * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intróitum tuum, et éxitum tuum : * ex hoc nunc, et usque in saeculum.

Añ. Unde véniet auxílium mihi.

Capitulum. 2 *Cor.* i.

ENEDICTUS Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

Hymnus.

IMMENSE coeli Cónditor,
Qui mixta ne confúnderent,
Aquae fluénta dívidens,
Coelum dedísti límitem.

Firmans locum coeléstibus,
Simúlque terrae rívulis:
Ut unda flammas témperet,
Terrae solum ne díssipent.

Infúnde nunc, piíssime,
Donum perénnis grátiae :
Fraudis novae ne cásibus
Nos error átterat vetus.

Lucem fides adáugeat :
Sic lúminis jubar ferat :
Haec vana cuncta próterat :
Hanc falsa nulla cómprimant.

Praesta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne saeculum. Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magníficat, Ána. Magníficat * ánima mea Dóminum, quia respéxit Deus humilitátem meam.

In Ferus Quatuor Temporum et Vigiliarum quae jejunantur, post Antiphonam ad Magnif. dicuntur sequentes Preces flexis genibus, si dicendae sint.

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, totum dicitur clara voce.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Ego dixi, Dñe, miserére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

℣. Convértere, Dómine, úsquequo. ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos.

℣. Fiat misericórdia tua, Dñe, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exúltent.

℣. Dómine, salvum fac Regem. ℟. Et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic haereditáti tuae. ℟. Et rege eos, et extólle illos usque in aetérnum.

℣. Meménto congregatiónis tuae. ℟. Quam possedísti ab inítio.

℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis.

℣. Orémus pro fidélibus defúnctis. ℟. Réquiem aetérnam dona eis, Dñe, et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

℣. Pro frátribus nostris absséntibus. ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperántes in te.

℣. Pro afflíctis et captívis. ℟. Líbera eos, Deus Israël, ex ómnibus tribulatiónibus suis.

℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eos.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Psalmus l.

MISERERE mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum,* dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea : * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci : * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum : * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti : * incérta, et occúlta sapiéntiae tuae manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor : * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et laetítiam: * et exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis : * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus : * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua : * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi laetítiam salutáris tui : * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas: * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meae : * et exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries : * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique : * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus : * cor contrítum, et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dñe, in bona voluntáte tua Sion : * ut aedificéntur muri Jerúsalē.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiae, oblatiónes, et holocáusta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Glória Patri, et Fílio, etc.

Finito Psalmo, dicitur :

℣. Dómine Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

℣. Exúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio, quando propria non assignatur, dicitur de Dominica praecedenti ut habetur in Proprio de Tempore.

Añae cum Psalmis semper dic. ad Vesp. in Offic. fer. ut hic in Psalt. : Hymni vero ab Oct. Pentec. usque ad Advent. Añа autem ad Magnif. eodem tempore.

FERIA TERTIA

AD VESPERAS.

Añа. In domum Dómini.

Psalmus cxxi.

LAETATUS sum in his, quae dicta sunt mihi : * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri, * in átriis tuis Jerúsalem.

Jerúsalem, quae aedificátur ut cívitas : * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dñi : * testimónium Israël ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quae ad pacem sunt Jerúsalem : * et abundántia diligéntibus te :

Fiat pax in virtúte tua : * et abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, et próximos meos, * loquébar pacem de te :

Propter domum Dñi Dei nostri, * quaesívi bona tibi.

Ańa. In domum Dómini laetántes íbimus.

Antiphona. Qui hábitas.

Psalmus cxxii.

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in coelis.

Ecce sicut óculi servórum, * in mánibus dominórum suórum,

Sicut óculi ancíllae in mánibus dóminae suae : * ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum donec misereátur nostri.

Miserére nostri, Dómine, miserére nostri: * quia multum repléti sumus despectióne :

Quia multum repléta est ánima nostra: * oppróbrium abundántibus, et despéctio supérbis.

Ańa. Qui hábitas in coelis, miserére nobis.

Antiphona. Adjutórium.

Psalmus cxxiii.

NISI quia Dñus erat in nobis, dicat nunc Israël : * nisi quia Dóminus erat in nobis,

Cum exúrgerent hómines in nos, * forte vivos deglutíssent nos :

Cum irascerétur furor eórum in nos, * fórsitan aqua absorbuísset nos.

Torréntem pertransívit ánima nostra : * fórsitan pertransísset ánima nostra aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima nostra sicut passer erépta est * de láqueo venántium :

Láqueus contrítus est, * et nos liberáti sumus.

Adjutórium nostrum in nómine Dómini, * qui fecit coelum et terram.

Ańa. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

Antiphona. Bénefac.

Psalmus cxxiv.

QUI confídunt in Dómino, sicut mons Sion : * non commovébitur

in aetérnum, qui hábitat in Jerúsalem.

Montes in circúitu ejus: * et Dóminus in circúitu pópuli sui, ex hoc nunc et usque in saeculum.

Quia non relínquet Dóminus virgam peccatórum super sortem justórum: * ut non exténdant justi ad iniquitátem manus suas.

Bénefac, Dñe, bonis, * et rectis corde.

Declinántes autem in obligatiónes, addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem : * pax super Israël.

Añia. Bénefac, Dómine, bonis, et rectis corde.

Antiphona. Facti sumus.

Psalmus cxxv.

IN converténdo Dñus captivitátem Sion : * facti sumus sicut consoláti :

Tunc replétum est gáudio os nostrum : * et lingua nostra exultatióne.

Tunc dicent inter Gentes : * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum : * facti sumus laetántes.

Convérte, Dómine, captivitátem nostram, * sicut torrens in Austro.

Qui séminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Eúntes ibant et flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exultatióne, * portántes manípulos suos.

Antiphona. Facti sumus sicut consoláti.

Capitulum. 2 *Cor.* i.

BENEDICTUS Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

Hymnus.

TELLURIS alme Cónditor,
Mundi solum qui séparans,
Pulsis aquae moléstiis,
Terram dedísti immóbilem:
Ut germen aptum próferens,
Fulvis decóra flóribus,
Foecúnda fructu sisteret,
Pastúmque gratum rédderet.
Mentis perústae vúlnera
Munda viróre grátiae :
Ut facta fletu díluat,
Motúsque pravos átterat.
Jussis tuis obtémperet :
Nullis malis appróximet :
Bonis repléri gáudeat,
Et mortis ictum nésciat
Praesta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne saeculum. Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magníficat, Añа. Exúltet * spíritus meus in Deo salutári meo.

Preces si dicendae sint habentur supra in Vesperis Feriae ii. 63.

FERIA QUARTA
AD VESPERAS.

Añа. Non confundétur.

Psalmus cxxvi.

NISI Dñus aedificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui aedíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cum déderit diléctis suis somnum: * ecce haeréditas Dómini fílii : merces, fructus ventris.

Sicut sagíttae in manu poténtis * ita fílii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis: * non confundétur cum loquétur inimícis suis in porta.

Añа. Non confundétur cum loquétur inimícis suis in porta.

Antiphona. Beáti.

Psalmus cxxvii.

BEATI omnes, qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis : * beátus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans, * in latéribus domus tuae.

Fílii tui sicut novéllae olivárum, * in circúitu mensae tuae.

Ecce sic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dñus ex Sion : * et vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitae tuae.

Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem super Israël.

Añа. Beáti omnes qui timent Dóminum.

Antiphona. Saepe.

Psalmus cxxviii.

SAEPE expugnavérunt me a juventúte mea, * dicat nunc Israël.

Saepe expugnavérunt me a juventúte mea : * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres : * prolongavérunt iniquitátem suam.

Dóminus justus concídit cervíces peccatórum: * confundántur, et convertántur retrórsum omnes, qui odérunt Sion.

Fiant sicut foenum tectórum : * quod priúsquam evellátur, exáruit :

De quo non impiévit manum suam qui metit, * et

sinum suum qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui praeteríbant : Benedíctio Dómini super vos : * benedíximus vobis in nómine Dómini.

Ańa. Saepe expugnavérunt me a juventúte mea.

Ańa. De profúndis.

Psalmus cxxix.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine : * Dńe, exáudi vocem meam :

Fiant aures tuae intendéntes, * in vocem deprecatiónis meae.

Si iniquitátes observáveris, Dómine: * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est: * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia : * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ańa. De profúndis clamávi ad te, Dómine.

Antiphona. Speret.

Psalmus cxxx.

DOMINE, non est exaltátum cor meum : * neque eláti sunt óculi mei.

Neque ambulávi in magnis : * neque in mirabílibus super me.

Si non humíliter sentiébam: * sed exaltávi ánimam meam :

Sicut ablactátus est super matre sua, * ita retribútio in ánima mea.

Speret Israël in Dño, * ex hoc nunc et usque in saeculum.

Antiphona. Speret Israël in Dómino.

Capitulum. 2. *Cor.* i.

BENEDICTUS Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in ómni tribulatióne nostra.

Hymnus.

CAELI Deus sanctíssime,
Qui lúcidas mundi plagas
Candóre pingis ígneo,
Augens decóro lúmine.

Quarto die qui flámmeam
Dum solis accéndis rotam,
Lunae minístras órdinem,
Vagósque cursus síderum.

Ut nóctibus, vel lúmini
Diremptiónis términum,
Primórdiis et ménsium
Signum dares notíssimum.

Expélle noctem córdium:
Abstérge sordes méntium :
Resólve culpae vínculum :
Evérte moles críminum.

Praesta, Pater piíssime, Patríque compar Unice, Cum Spíritu Paráclito Regnans per omne saeculum. Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magníficat, Ánt. Respéxit Dñus * humilitátem meam, et fecit in me magna, qui potens est.

Preces quando dicendae sunt, habentur supra in Vesperis Feriae ii. 140.

FERIA QUINTA
AD VESPERAS.

Antiphona. Et omnis.

Psalmus cxxxi.

EMENTO, Dómine, David, * et omnis mansuetúdinis ejus :

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob :

Si introíero in tabernáculum domus meae, * si ascéndero in lectum strati mei :

Si dédero somnum óculis meis, * et pálpebris meis dormitatiónem :

Et réquiem tempóribus meis : donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephrata : * invénimus eam in campis silvae.

Introíbimus in tabernáculum ejus : * adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus.

Surge, Dómine, in réquiem tuam, * tu et arca sanctificatiónis tuae.

Sacerdótes tui induántur justítiam : * et sancti tui exúltent.

Propter David servum tuum, * non avértas fáciem Christi tui.

Jurávit Dóminus David veritátem, et non frustrábitur eam : * de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodíerint fílii tui testaméntum meum, * et testimónia mea haec quae docébo eos :

Et fílii eórum usque in saeculum, * sedébunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion : * elégit eam in habitatiónem sibi.

Haec réquies mea in saeculum saeculi : * hic habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam : * páuperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam salutári : * et sancti ejus exultatióne exultábunt.

Illuc prodúcam cornu David, * parávi lucérnam Christo meo.

Inimícos ejus índuam confusióne : * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

Ánt. Et omnis mansuetúdinis ejus.

Antiphona. Ecce.

Psalmus cxxxii.

ECCE quam bonum, et quam jucúndum * habitáre fratres in unum :

Sicut unguéntum in cápite, * quod descéndit in barbam, barbam Aaron,

Quod descéndit in oram vestiménti ejus : * sicut ros Hermon, qui descéndit in montem Sion.

Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem, * et vitam usque in saeculum.

Ańa. Ecce quam bonum, et quam jucúndum habitáre fratres in unum.

Antiphona. Omnia.

Psalmus cxxxiv.

LAUDATE nomen Dómini, * laudáte servi Dóminum.

Qui statis in domo Dómini * in átriis domus Dei nostri.

Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus : * psállite nómini ejus, quóniam suáve.

Quóniam Jacob elégit sibi Dóminus * Israël in possessiónem sibi.

Quia ego cognóvi quod magnus est Dóminus, * et Deus noster prae ómnibus diis.

Omnia quaecúmque vóluit, Dñus fecit in coelo, et in terra, * in mari, et in ómnibus abyssis.

Edúcens nubes ab extrémo terrae : * fúlgura in plúviam fécit.

Qui producit ventos de thesáuris suis: * qui percússit primogénita Ægypti ab hómine usque ad pecus.

Et misit signa, et prodígia in médio tui Ægypte: * in Pharaónem, et in omnes servos ejus.

Qui percússit gentes multas : * et occídit reges fortes :

Sehon regem Amorrhaeórum, et Og regem Basan, * et ómnia regna Chánaan.

Et dedit terram eórum haereditátem, * haereditátem Israël pópulo suo.

Dñe, nomen tuum in aetérnum : * Dñe, memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

Quia judicábit Dóminus pópulum suum : * et in servis suis deprecábitur.

Simulácra Géntium argéntum, et aurum: * ópera mánuum hóminum.

Os habent, et non loquúntur : * óculos habent, et non vidébunt.

Aures habent, et non áudient : * neque enim est spíritus in ore ipsórum.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea : * et omnes, qui confídunt in eis.

Domus Israël benedícite Dómino : * domus Aaron benedícite Dómino.

Domus Levi benedícite Dómino : * qui timétis Dóminum, benedícite Dómino.

Benedíctus Dóminus ex Sion, * qui hábitat in Jerúsalem.

Ańa. Omnia quaecúmque vóluit, Dóminus fecit.

Antiphona. Quóniam in aetérnum.

Psalmus cxxxv.

CONFITEMINI Dómino, quóniam bonus : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Confitémini Deo deórũ : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Qui facit mirabília magna solus : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Qui fecit coelos in intellĕctu : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Qui firmávit terram super aquas : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Qui fecit luminária magna : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Solem in potestátem diéi : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Lunam, et stellas in potestátem noctis : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Qui percússit Ægyptum cum primogénitis eórum : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Qui edúxit Israël de médio eórum : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

In manu poténti, et brácchio excélso : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Qui divísit Mare rubrum in divisiónes : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Et edúxit Israël per médium ejus : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Et excússit Pharaónem, et virtútem ejus in Mari rubro : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Qui tradúxit pópulum suum per desértum : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Qui percússit reges magnos : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Et occídit reges fortes : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Sehon regem Amorrhaeórum : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Et Og regem Basan : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Et dedit terram eórum haereditátem : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Haereditátem Israël servo suo : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Quia in humilitáte nostra memor fuit nostri : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Et redémit nos ab inimícis nostris : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Qui dat escam omni carni : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Confitémini Deo coeli : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum : * quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Ańa. Quóniam in aetérnum misericórdia ejus.

Ańa. Hymnum cantáte.

Psalmus cxxxvi.

SUPER flúmina Babylónis, illic sédimus et flévimus : * cum recordarémur Sion :

In salícibus in médio ejus, * suspéndimus órgana nostra.

Quia illic interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, * verba cantiónum :

Et qui abduxérunt nos:* Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodo cantábimus cánticum Dómini * in terra aliéna ?

Si oblítus fúero tui Jerúsalem, * oblivióni detur déxtera mea.

Adhaereat lingua mea fáucibus meis,* si non memínero tui :

Si non proposúero Jerúsalem,* in princípio laetítiae meae.

Memor esto, Dñe, filiórũ Edom, * in die Jerúsalem :

Qui dicunt : Exinaníte, exinaníte * usque ad fundaméntum in ea.

Fília Babylónis mísera:* beátus, qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quam retribuísti nobis.

Beátus, qui tenébit,* et allídet párvulos tuos ad petram.

Ańa. Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Capitulum. 2 *Cor.* i.

BENEDICTUS Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

Hymnus.

QAGNAE Deus poténtiae,
Qui fértili natos aqua
Partim relínquis gúrgiti,
Partim levas in áera.

Demérsa lymphis ímprimens,
Subvécta coelis érigens :
Ut stirpe ab una pródita,
Divérsa répleant loca.

Largíre cunctis sérvulis,
Quos mundat unda sánguinis,

Nescíre lapsus críminum,
Nec ferre mortis taedium.
Ut culpa nullum dépri-
mat :
Nullum éfferat jactántia :
Elísa mens ne cóncidat :
Eláta mens ne córruat.
Praesta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne saecu-
lum. Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magníficat, Ańa. Fac, Deus, poténtiam * in bráchio tuo : dispérde supérbos, et exálta húmiles.

Preces, quando dicendae sunt, habentur supra in Vesperis Feriae ii. 140.

FERIA SEXTA

AD VESPERAS.

Antiphona. In conspéctu.

Psalmus cxxxvii.

CONFITEBOR tibi, Dómine, in toto corde meo : * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi : * adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, et veritáte tua : * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me : * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dñe, omnes reges terrae : * quia audiérunt ómnia verba oris tui :

Et cantent in viis Dñi : * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dñus, et humília réspicit : * et alta a longe cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me : * et super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me : * Dómine, misericórdia tua in saeculum : ópera mánuum tuárum ne despícias.

Ańa. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus.

Antiphona. Dómine.

Psalmus cxxxviii.

DOMINE, probásti me, et cognovísti me : * tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam.

Intellexísti cogitatiónes meas de longe : * sémitam meam, et funículum meum investigásti.

Et omnes vias meas praevidísti : * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce, Dómine, tu cognovísti ómnia novíssima, et

antíqua : * tu formásti me, et posuísti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me : * confortáta est, et non pótero ad eam.

Quo ibo a spíritu tuo? * et quo a fácie tua fúgiam?

Si ascéndero in coelum, tu illic es: * si descéndero in inférnum, ades.

Si súmpsero pennas meas dilúculo, * et habitávero in extrémis maris :

Etenim illuc manus tua dedúcet me: * et tenébit me déxtera tua.

Et dixi : Fórsitan ténebrae conculcábunt me : * et nox illumínátio mea in delíciis meis.

Quia ténebrae non obscurabúntur a te, et nox sicut dies illumínábitur : * sicut ténebrae ejus, ita et lumen ejus.

Quia tu possedísti renes meos : * suscepísti me de útero matris meae.

Confitébor tibi quia terribíliter magnificátus es : * mirabília ópera tua, et ánima mea cognóscit nimis.

Non est occultátum os meum a te, quod fecísti in occúlto: * et substántia mea in inferióribus terrae.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui, et in libro tuo omnes scribéntur: * dies formabúntur, et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus : * nimis confortátus est principátus eórum.

Dinumerábo eos, et super arénam multiplicabúntur : * exurréxi, et adhuc sum tecum.

Si occíderis, Deus, peccatóres : * viri sánguinum declináte a me :

Quia dícitis in cogitatióne : * accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam : * et super inimícos tuos tabescébam?

Perfécto ódio óderam illos : * et inimíci facti sunt mihi.

Proba me, Deus, et scito cor meum : * intérroga me, et cognósce sémitas meas.

Et vide, si via iniquitátis in me est: * et deduc me in via aetérna.

Ant. Dómine, probásti me, et cognovísti me.

Antiph. A viro iníquo.

Psalmus cxxxix.

ERIPE me, Dómine, ab hómine malo : * a viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde : * tota die constituébant praelia.

Acuérunt linguas suas sicut serpéntis : * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Custódi me, Dómine, de manu peccatóris : * et ab

homínibus iníquis éripe me.

Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos : * abscondérunt supérbi láqueum mihi.

Et funes extendérunt in láqueum: * juxta iter scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino : Deus meus es tu : * exáudi, Dómine, vocem deprecatiónis meae.

Dómine, Dómine, virtus salútis meae : * obumbrásti super caput meum in die belli :

Ne tradas me, Dómine, a desidério meo peccatóri: * cogitavérunt contra me, ne derelínquas me, ne forte exalténtur.

Caput circúitus eórum: * labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent super eos carbónes, in ignem dejícies eos: * in misériis non subsístent.

Vir linguósus non dirigétur in terra : * virum injústum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium ínopis: * et vindíctam páuperum.

Verúmtamen justi confitebúntur nómini tuo : * et habitábunt recti cum vultu tuo.

Aña. A viro iníquo líbera me, Dómine.

Antiphona. Dómine.

Psalmus cxl.

DOMINE, clamávi ad te, exáudi me : * inténde voci meae, cum clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea sicut incénsum in conspéctu tuo:* elevátio mánuum meárum sacrifícium vespertínum.

Pone, Dómine, custódiam ori meo : * et óstium circumstántiae lábiis meis.

Non declines cor meum in verba malítiae, * ad excusándas excusatiónes in peccátis.

Cum homínibus operántibus iniquitátem : * et non communicábo cum eléctis eórum.

Corrípiet me justus in misericórdia, et increpábit me : * óleum autem peccatóris non impínguet caput meum.

Quóniam adhuc et orátio mea in beneplácitis eórum:* absórpti sunt juncti petrae júdices eórum.

Audient verba mea quóniam potuérunt:* sicut crassitúdo terrae erúpta est super terram.

Dissipáta sunt ossa nostra secus infernum : * quia ad te, Dómine, Dñe, óculi mei: in te sperávi, non áuferas ánimam meam.

Custódi me a láqueo quem statuérunt mihi:* et a scándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres : * singuláriter sum ego donec tránseam.

Ana. Dómine, clamávi ad te, exáudi me.

Antiphona. Pórtio mea.

Psalmus cxli.

VOCE mea ad Dóminum clamávi : * voce mea ad Dóminum deprecátus sum :

Effúndo in conspéctu ejus oratiónem meam, * et tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio.

In deficiéndo ex me spíritum meum, * et tu cognovísti sémitas meas.

In via hac, qua ambulábam, * abscondérunt láqueum mihi.

Considerábam ad déxteram, et vidébam : * et non erat qui cognósceret me.

Périit fuga a me, * et non est qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te, Dómine, * dixi : Tu es spes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Inténde ad deprecatiónem meam : * quia humiliátus sum nimis.

Líbera me a persequéntibus me : * quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimam meam ad confiténdum nómini tuo : * me expéctant justi, donec retríbuas mihi.

Ana. Pórtio mea, Dómine, sit in terra vivéntium.

Capitulum. 2 *Cor.* i.

BENEDICTUS Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

Hymnus.

HOMINIS supérne Cónditor,
Qui cuncta solus órdinans,
Humum jubes producere
Reptántis et ferae genus :

Et magna rerum córpora,
Dictu jubéntis vívida,
Per témporum certas vices
Obtemperáre sérvulis.

Repélle, quod cupídinis
Ciénte vi nos ímpetit,
Aut móribus se súggerit,
Aut áctibus se intérserit.

Da gaudiórum praemia,
Da gratiárum múnera :
Dissólve litis víncula :
Adstrínge pacis foedera.

Praesta, Pater pissime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne saeculum. Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magníficat, Ana. Depósuit poténtes, * sanctos persequéntes : et exaltávit húmiles, Christum confiténtes.

Preces, quando dicendae sunt, habentur supra in Vesperis Feriae ii. 140.

SABBATO
AD VESPERAS.

Antiphona. Benedíctus.

Psalmus cxliii.

ENEDICTUS Dóminus Deus meus, qui docet manus meas ad praelium, * et dígitos meos ad bellum.

Misericórdia mea, et refúgium meum : * susceptor meus, et liberátor meus :

Protéctor meus, et in ipso sperávi : * qui subdit pópulum meum sub me.

Dómine, quid est homo, quia innotuísti ei ? * aut fílius hóminis, quia réputas eum ?

Homo vanitáti símilis factus est : * dies ejus sicut umbra praetéreunt.

Dómine, inclína coelos tuos, et descénde : * tange montes, et fumigábunt.

Fúlgura coruscatiónem, et dissipábis eos : * emítte sagíttas tuas, et conturbábis eos :

Emítte manum tuam de alto, éripe me, et líbera me de aquis multis : * de manu filiórum alienórum.

Quorum os locútum est vanitátem : * et déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Deus, cánticum novum cantábo tibi : * in psalterio decachórdo psallam tibi.

Qui das salútem régibus : * qui redemísti David servum tuum de gládio malígno : éripe me.

Et érue me de manu filiórum alienórum, quorum os locútum est vanitátem : * et déxtera eórum, déxtera iniquitátis :

Quorum fílii, sicut novéllae plantatiónes * in juventúte sua.

Fíliae eórum compósitae : * circumornátae ut similitúdo templi.

Promptuária eórum plena, * eructántia ex hoc in illud.

Oves eórum fetósae, abundántes in egréssibus suis : * boves eórum crassae.

Non est ruína macériae, neque tránsitus : * neque clamor in platéis eórum.

Beátum dixérunt pópulum, cui haec sunt : * beátus pópulus, cujus Dóminus Deus ejus.

Ant. Benedíctus Dóminus Deus meus.

Ant. Per síngulos dies.

Psalmus cxliv.

EXALTABO te, Deus meus Rex : * et benedícam nómini tuo in saeculum, et in saeculũ saeculi.

Per síngulos dies benedícam tibi : * et laudábo nomen tuum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Magnus Dóminus et laudábilis nimis : * et magnitúdinis ejus non est finis.

Generátio et generátio laudábit ópera tua : * et poténtiam tuam pronuntiábunt.

Magnificéntiam glóriae sanctitátis tuae loquéntur : * et mirabília tua narrábunt.

Et virtútem terribílium tuórum dicent : * et magnitúdinem tuam narrábunt.

Memóriam abundántiae suavitátis tuae eructábunt : * et justítia tua exultábunt.

Miserátor et miséricors Dóminus : * pátiens, et multum miséricors.

Suávis Dóminus univérsis : * et miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus.

Confiteántur tibi, Dñe, ómnia ópera tua : * et sancti tui benedícant tibi.

Glóriam regni tui dicent : * et poténtiam tuam loquéntur :

Ut notam fáciant fíliis hóminum poténtiam tuam : * et glóriam magnificéntiae regni tui.

Regnum tuum regnum ómnium saeculórum : * et dominátio tua in omni generatióne et generatiónem.

Fidélis Dñus in ómnibus verbis suis : * et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Allevat Dóminus omnes qui córruunt : * et érigit omnes elísos.

Oculi ómnium in te sperant, Dómine : * et tu das escam illórum in témpore opportúno.

Aperis tu manum tuam : * et imples omne ánimal benedictióne.

Justus Dóminus in ómnibus viis suis : * et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Prope est Dñus ómnibus invocántibus eum : * ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium se fáciet, * et deprecatiónem eórum exáudiet : et salvos fáciet eos.

Custódit Dóminus omnes diligéntes se : * et omnes peccatóres dispérdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum : * et benedícat omnis caro nómini sancto ejus in saeculum, et in saeculum saeculi.

Ant. Per síngulos dies benedícam te, Dómine.

Antiphona. Laudábo.

Psalmus cxlv.

LAUDA ánima mea Dóminum, laudábo Dñum in vita mea : * psallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus : * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, et revertétur in terram suam : * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus, cujus Deus Jacob

adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsíus : * qui fecit coelum et terram, mare, et ómnia, quae in eis sunt.

Qui custódit veritátem in saeculum, facit judícium injúriam patiéntibus : * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos : * Dóminus illúminat caecos.

Dóminus érigit elísos, * Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas, pupíllum et víduam suscípiet : * et vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dñus in saecula, Deus tuus Sion, * in generatiónem et generatiónem.

Añа. Laudábo Deum meum in vita mea.

Antiphona. Deo nostro.

Psalmus cxlvi.

LAUDATE Dóminum quóniam bonus est psalmus : * Deo nostro sit jucúnda, decóraque laudátio.

Ædíficans Jerúsalem Dóminus : * dispersiónes Israélis congregábit.

Qui sanat contrítos corde : * et álligat contritiónes eórum.

Qui númerat multitúdinem stellárum : * et ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dñus noster, et magna virtus ejus : * et sapiéntiae ejus non est número.

Suscípiens mansuétos Dñus : * humílians autem peccatóres usque ad terram.

Praecínite Dómino in confessióne : * psállite Deo nostro in cíthara.

Qui óperit coelum núbibus : * et parat terrae plúviam.

Qui prodúcit in móntibus foenum : * et herbam servitúti hóminum.

Qui dat juméntis escam ipsórum : * et pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátē habébit : * nec in tíbiis viri beneplácitū erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timéntes eum : * et in eis, qui sperant super misericórdia ejus.

Añа. Deo nostro jucúnda sit laudátio.

Antiphona. Lauda.

Psalmus cxlvii.

LAUDA Jerúsalem Dóminum : * lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum : * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem : * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terrae : * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : * nébulam sicut cinerem spargit,

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : * ante

fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea : * flabit spíritus ejus, et fluent aquae.

Qui annúntiat verbum suum Jacob : * justítias, et judícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni: * et judícia sua non manifestávit eis.

Antiphona. Lauda Jerúsalem Dóminum.

Capitulum. *Rom.* xi. *d.*

ALTITUDO divitiárum sapiéntiae et sciéntiae Dei : quam incomprehensibília sunt judícia ejus, et investigábiles viae ejus!

Hymnus.

JAM sol recédit ígneus :
Tu lux perénnis, Unitas,
Nostris, beáta Trínitas,
Infúnde lumen córdibus.

Te mane laudum cármine,
Te deprecámur véspere;
Dignéris ut te súpplices
Laudémus inter coelites.

Patri, simúlque Fílio,
Tibíque, Sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Saeclum per omne glória.
Amen.

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te, Dómine.
℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Capitulum O altitúdo, dicitur in Vesperis Sabbati ab Oct. Pentecostes usque ad Adventum cum Hymno et Versu sequenti. Antiphona ad Magnificat dicitur prout assignatur infra in Proprio de Tempore. Post Añam dicit. Oratio propria.

Deinde fiunt sequentes Commem. communes, seu Suffragia Sanctorum quae dic. etiam ad Laudes.

COMMEMORATIO DE CRUCE

In fer. tantum Offic., etiam quando non dic. preces.

AD VESP. ET LAUDES.

Aña. Per signum Crucis de inimícis nostris líbera nos, Deus noster.

℣. Omnis terra adóret te, et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

Orémus. Oratio.

PERPETUA nos, quaesumus, Dñe, pace custódi: quos per lignum sanctae Crucis redímere dignátus es.

COMMEMORATIONES COMMUNES

Sive Suffragia Sanctorum.

DE S. MARIA,

quando non dicitur ejus Officium Parvum.

AD VESP. ET LAUDES.

Aña. Sancta María, succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora

pro pópulo, intérveni pro Clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam commemoratiónem.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus. Oratio.

CONCEDE nos fámulos tuos, quaesumus Dñe Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére, et gloriósa beátae Maríae semper Vírginis intercessióne, a praesénti liberári tristítia, et aetérna pérfrui laetítia.

DE S. JOSEPH.

AD VESPERAS.

Añа. Ecce fidélis servus et prudens, quem constítuit Dñus super famíliam suam.

℣. Glória et divítiae in domo ejus. ℟. Et justítia ejus manet in saeculum saeculi.

AD LAUDES.

Añа. Ipse Jesus erat incípiens quasi annórum trigínta ut putabátur fílius Joseph.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Orémus. Oratio.

DEUS, qui ineffábili providéntia beátum Joseph sanctíssimae Genitrícis tuae sponsum elígere dignátus es : praesta quaesumus ; ut, quem protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in coelis.

DE APOSTOLIS.

AD VESPERAS.

Añа. Petrus Apóstolus, et Paulus Doctor Géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam, Dómine.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

AD LAUDES.

Añа. Gloriósi príncipes terrae, quómodo in vita sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terrae verba eórum.

Orémus. Oratio.

DEUS, cujus déxtera beátũ Petrum ambulántem in flúctibus, ne mergerétur, eréxit, et coapóstolum ejus Paulum tértio naufragántem, de profúndo pélagi liberávit: exáudi nos propítius, et concéde, ut ambórum méritis, aeternitátis glóriam consequámur.

DE PATRONO

VEL TITULARI ECCLESIAE

fiat Commemoratio consueta ante, vel post Commem. praedictas, pro dignitate illius, et ultimo loco:

DE PACE.

AD VESP. ET LAUDES.

Ańa. Da pácem, Dómine, in diébus nostris, quia non est álius, qui pugnet pro nobis, nisi tu, Deus noster.

℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis.

Orémus. Oratio.

DEUS, a quo sancta desidéria, recta consília et justa sunt ópera : da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem, ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium subláta formídine, témpora sint tua protectióne tranquílla. Per Dóminum.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

℣. Fidélium ánimae per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Deinde dicitur secreto **Pater noster.**

Sic terminatur Officium, ubi alia non sequatur Hora, ut dicitur in Rubrica de Oratione Dominica. Dictae Commemorationes seu Suffragia, dicuntur ab Octava Pentec. usque ad Advent. exceptis Duplicibus, et infra Octavas.

Quando dicitur Officium Beatae Mariae, non fit alia Commemoratio de ea.

In feriali Officio ante Commemorationes de S. Maria, et de Apostolis, primo fit Commem. de Cruce, quae habetur supra.

AD COMPLETORIUM.

Lector incipit:

℣. Jube, domne, benedícere.

Bened. Noctem quiétam, et finem perfectum concédat nobis Dóminus omnípotens. ℟. Amen.

Lectio brevis.

1 *Petr.* v. *c.*

FRATRES, Sóbrii estóte et vigiláte: quia adversárius vester diábolus, tamquam leo rúgiens, círcuit quaerens quem dévoret : cui resístite fortes in fide: Tu autem, Dñe, miserére nobis. ℟. Deo grátias.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit coelum et terram.

Pater noster dicitur totum secreto.

Deinde Hebdomadarius facit Confessionem.

CONFITEOR Deo omnipoténti, beátae Mariae semper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptístae, sanctis Apóstolis Petro et Paulo, ómnibus Sanctis, et vobis, fratres, quia peccávi nimis cogitatióne, verbo et

ópere : mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnẽ Baptístam, sanctos Apóstolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et vos, fratres, oráre pro me ad Dñum Deum nostrum.

Chorus respondet:

MISEREATUR tui omnípotens Deus, et dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam aetérnam. ℟. Amen.

Deinde repetit Confessionem, et ubi dicitur vobis fratres, et vos fratres, dic. tibi Pater, et te Pater.

Facta Confessione a Choro, Hebdomadarius dicit:

MISEREATUR vestri omnípotens Deus, et dimíssis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam aetérnam. ℟. Amen.

INDULGENTIAM, absolutiónem et remissiónem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Et facta Absolut. dic. ℣.

CONVERTE nos Deus, salutáris noster. ℟. Et avérte iram tuam a nobis.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dñe, ad adjuvándum me festína.

Glória Patri. Sicut erat. Antiphona. Miserére.

Psalmus iv.

UM invocáremexaudívit me Deus justítiae meae : * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quaeritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum: * Dóminus exáudiet me cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre : * quae dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiae, et speráte in Dómino. * Multi dicunt : Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dñe : * dedísti laetítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam ;

Quóniam tu, Dómine, singulariter in spe * constituísti me.

Psalmus xxx.

IN te, Dómine, sperávi, non confúndar in aetérnum : * in justítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuam, * accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protectórem : et in domum refúgii, * ut salvum me fácias.

Quóniam fortitúdo mea, et refúgium meum es tu : * et propter nomen tuum dedúces me, et enútries me.

Edúces me de láqueo hoc, quem abscondérunt mihi : * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas comméndo spíritum meum: * redemísti me, Dómine Deus veritátis.

Psalmus xc.

QUI hábitat in adjutório Altíssimi * in protectióne Dei coeli commorábitur.

Dicet Dño : Suscéptor meus es tu, et refúgium meum : * Deus meus sperábo in eum.

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, * et a verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi : * et sub pennis ejus sperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus : * non timébis a timóre nocturno,

A sagítta volánte in die, a negótio perambulánte in ténebris : * ab incúrsu, et daemónio meridiáno.

Cadent a látere tuo mille, et decem míllia a dextris tuis : * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis : * et retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam tu es, Dómine, spes mea: * altíssimum posuísti refúgium tuum.

Non accédet ad te malum : * et flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te: * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te : * ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem, et basilíscum ambulábis : * et conculcábis leónem et draconem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum : * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, et ego exáudiam eum : * cum ipso sum in tribulatióne: erípiam eum et glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum : * et osténdam illi salutáre meum.

Psalmus cxxxiii.

ECCE nunc benedícite Dñum, * omnes servi Dómini :

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domus Dei nostri,

In nóctibus extóllite manus vestras in sancta,* et benedícite Dóminum.

Benedícat te Dóminus ex Sion,* qui fecit coelum et terram.

Ańa. Miserére mihi, Dñe, et exáudi oratiónem meam.

Hymnus.

TE lucis ante términum,
Rerum Creátor póscimus,
Ut pro tua cleméntia
Sis praesul et custódia.

Procul recédant sómnia,
Et nóctium phantásmata;
Hostémque nostrum cómprime,
Ne polluántur córpora.

Praesta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne saeculum. Amen.

Capitulum. *Jerem.* xiv. *b.*

TU autem in nobis es, Dómine, et nomen sanctum tuum invocátum est super nos : ne derelínquas nos, Dñe Deus noster. ℟. Deo grátias.

℟. br. In manus tuas, Dómine, * Comménd spíritum meum. In manus. ℣. Redemísti nos, Dñe Deus veritátis. Comménd. Glória Patri. In manus.

℣. Custódi nos, Dómine, ut pupíllam óculi. ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos.

Antiphona. Salva nos.

Canticum Simeonis.

Luc. ii. *e.*

NUNC dimíttis servum tuum, Dñe, * secúndum verbum tuum in pace :

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,

Quod parásti * ante fáciem ómnium populórum.

Lumen ad revelatiónem géntium, * et glóriam plebis tuae Israël.

Glória Patri, etc.

Ańa. Salva nos, Dómine, vigiléntes, custódi nos dormiéntes : ut vigilémus cum Christo, et requiescámus in pace.

Sequéntes Preces semper dicuntur, praeterquam in Officio Duplici, et infra Octávas : quae in feriali Officio et in Quatuor Temporibus, quando dictae sunt Preces in Vesperis, dicuntur flexis genibus.

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Credo in Deum, secreto.

℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam aetérnam, Amen.

℣. Benedíctus es, Dómine, Deus patrum nostrórum. ℟. Et laudábilis et gloriósus in saecula.

℣. Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu. ℟. Laudémus, et superexaltémus eum in saecula.

℣. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto coeli. ℟. Et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in saecula.

℣. Benedícat et custódiat nos omnípotens et miséricors Dñus. ℟. Amen.

℣. Dignáre, Dómine, nocte ista. ℟. Sine peccáto nos custodíre.

℣. Miserére nostri, Dómine. ℟. Miserére nostri.

℣. Fiat misericórdia tua, Dñe, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

VISITA, quaesumus Dómine, habitatiónem istam, et omnes insídias inimíci ab ea longe repélle: Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant, et benedíctio tua sit super nos semper. Per Dóminum.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dño. ℟. Deo grátias.

Bened. Benedícat et custódiat nos omnípotens et miséricors Dóminus, Pater, et Filius, et Spíritus Sanctus. ℟. Amen.

Et non dicitur Fidélium ánimae, sed immediate dicitur sequens Antiphona.

A primis Vesp. Festi SS. Trinitatis, usque ad Nonam Sabbati ante Advent. Aña.

SALVE Regína, mater misericórdiae, vita, dulcédo, et spes nostra salve. Ad te clamámus éxules, fílii Hevae. Ad te suspirámus geméntes, et flentes in hac lacrymárum valle. Eia ergo advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte. Et Jesum benedíctum fructum ventris tui, nobis post hoc exíliu osténde. O clemens, o pia, o dulcis virgo María.

℣. Ora pro nobis sancta Dei génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui gloriósae vírginis matris Maríae corpus et ánimam, ut dignum Fílii tui habitáculum éffici mererétur, Spíritu sancto cooperánte praeparásti: da, ut cujus commemoratióne laetámur, ejus pia intercessióne ab instántibus malis, et a morte perpétua liberémur. Per eúmdem Christum Dñum nostrum. ℟. Amen.

℣. **Divínum auxílium máneat semper nobíscum.** ℟. **Amen.**

Deinde dicitur secreto **Pater noster, Ave María, Credo.**

Sic dicitur Completorium per annum.

Si post Completorium immediate sequatur Matutinum, tunc bis dicátur **Pater noster, Ave María,** et **Credo:** quia Completorium, quod est finis Officii, sic terminari debet; et ante Matutinum iterum repetitur pro principio Officii sequentis diei.

Antiphona praedicta dicitur etiam in fine Laudum, quando discedendum est a Choro : sed si immediate post Matutinum subsequatur Prima, vel alia Hora, dicitur in fine ultimae Horae, ita ut dicatur semper, quando, terminata aliqua Hora, discedendum est a Choro ; et tunc, post ℣ **Fidélium ánimae,** et **Pater noster** secreto, dicitur :

℣. **Dóminus det nobis suam pacem.** ℟. **Et vitam aetérnam. Amen.**

Deinde praedicta Antiphona, et in fine : **Divínum auxílium máneat semper nobíscum.** ℟. **Amen.**

Extra Chorum autem dicitur in fine Laudum, si tunc terminandum sit Officium; alioquin in fine ultimae Horae. Post alias vero Horas, quando terminatur Officium, dicitur tantum **Pater noster,** secreto.

Proprium de Tempore.

PARS AUTUMNALIS.

SABBATO
PROXIMO KAL. SEPTEMBR.

Ad Magníficat, Aña.

QUM audísset Job nuntiórum verba, sustínuit patiénter, et ait: Si bona suscépimus de manu Dñi, mala autem quare non sustineámus? In ómnibus his non peccávit Job lábiis suis, neque stultum áliquid contra Deum locútus est.

DOMINICA I.
Septembris.

In primo Nocturno.

Incipit liber Job.

Lectio i. *Cap.* i.

VIR erat in terra Hus, nómine Job, et erat vir ille simplex et rectus, ac timens Deum, et recédens a malo. Natíque sunt ei septem fílii, et tres fíliae. Et fuit possédssio ejus septem míllia óvium, et tria míllia camelórum, quingénta quoque juga boum, et quingéntae ásinae, ac família multa nimis: erátque vir ille magnus inter omnes Orientáles.

℟. Si bona suscépimus de manu Dei: mala autem quare non sustineámus? Dóminus dedit, Dóminus ábstulit, sicut Dómino plácuit, ita factum est: sit nomen Dómini benedíctum. ℣. Nudus egréssus sum de útero matris meae, et nudus revértar illuc.—Dóminus.

Lectio ii.

ET ibant fílii ejus, et faciébant convívium per domos, unusquísque in die suo. Et mitténtes vocábant tres soróres suas,

ut coméderent et bíberent cum eis. Cumque in orbem transíssent dies convívii, mittébat ad eos Job, et sanctificábat illos, consurgénsque dilúculo offerébat holocáusta pro síngulis. Dicébat enim : Ne forte peccáverint fílii mei, et benedíxerint Deo in córdibus suis. Sic faciébat Job cunctis diébus.

℟. Antequam cómedam, suspíro, et tamquam inundántes aquae, sic rugítus meus : quia timor quem timébam, evénit mihi : et quod verébar, áccidit : nonne dissimulávi? nonne sílui? nonne quiévi? * Et venit super me indignátio. ℣. Ecce non est auxílium mihi in me, et necessárii quoque mei recessérunt a me. — Et venit.

Lectio iii.

QUADAM autem die cum veníssent fílii Dei ut assísterent coram Dómino, áffuit inter eos étiam Satan. Cui dixit Dóminus : Unde venis? Qui respóndens, ait : Circuívi terram, et perambulávi eam. Dixítque Dóminus ad eum : Numquid considerásti servum meum Job, quod non sit ei símilis in terra, homo simplex, et rectus, ac timens Deum, et recédens a malo? Cui respóndens Satan, ait : Numquid Job frustra timet Deum? nonne tu vallásti eum, ac domum ejus, universámque substántiam per circúitum, opéribus mánuum ejus benedixísti, et possédio ejus crevit in terra? Sed exténde páululum manum tuam, et tange cuncta quae póssidet, nisi in fáciem benedíxerit tibi.

℟. Quare detraxístis sermónibus veritátis : ad increpándum verba compónitis, et subvértere nitímini amícum vestrum? * Verúmtamen quae cogitástis, expléte. ℟. Quod justum est judicáte ; et non inveniétis in lingua mea iniquitátem. — Verúmtamen. Glória Patri. Verúmtamen.

In secundo Nocturno.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papae.

Lib. 2. *cap.* 1.

Lectio iv.

SCRIPTURA sacra mentis óculis quasi quoddam spéculum oppónitur, ut intérna nostra fácies in ipsa videátur. Ibi étenim foeda, ibi pulchra nostra cognóscimus : ibi sentímus quantum proficímus, ibi a profectu quam longe distámus : narrat autem gesta sanctórum, et ad imitatiónem corda próvocat infirmórum : dumque illórum victrícia facta commémorat, contra vitiórum

praelia debília nostra confírmat : fitque verbis illíus, ut eo mens minus inter certámina trépidet, quo ante se pósitos tot virórum fórtium triúmphos videt.

℟. Indúta est caro mea putrédine, et sórdibus púlveris cutis mea áruit, et contrácta est : * Meménto mei, Dñe, quóniam ventus est vita mea. ℣. Dies mei velócius transiérunt, quam a texénte tela succíditur, et consúmpti sunt absque ulla spe.—Meménto.

Lectio v.

NONNUNQUAM vero non solum nobis eórum virtútes ásserit, sed étiam casus innotéscit: ut et in victória fórtium, quod imitándo arripere, et rursum videámus in lápsibus, quid debeámus timére. Ecce enim Job descríbitur tentatióne auctus, sed David tentatióne prostrátus : ut et majórum virtus spem nostram fóveat, et majórum casus ad cautélam nos humilitátis accíngat: quátenus dumílla gaudéntes súblevant, ista metuéntes premant : et audiéntis ánimus illinc spei fidúcia, hinc humilitáte timóris erudítus, nec temeritáte supérbiat, quia formídine prémitur; nec pressus timóre despéret; quia ad spei fidúciam virtútis exémplo roborátur.

℟. Páucitas diérum meórum finiétur brevi : dimítte me, Dómine, ut plangam páululum dolórem meum, * Antequam vadam ad terram tenebrósam, et opértam mortis calígine. ℣. Manus tuae, Dñe, fecérunt me, et plasmavérunt me totum in circúitu, et sic repénte praecípitas me?—Antequam.

Lib. 1. *Moral. Cap.* i.

Lectio vi.

FUIT erat in terra Hus, nómine Job. Idcírco sanctus vir ubi habitáverit, dícitur, ut ejus méritum virtútis exprimátur. Hus namque quis nésciat, quod sit in terra Gentílium? Gentílitas autem eo obligáta vítiis éxtitit, quo cognitiónem sui conditóris ignorávit. Dicátur ítaque ubi habitáverit : ut hoc ejus láudibus proficiat, quod bonus inter malos fuit. Neque enim valde laudábile est, bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim gravióris culpae est, inter bonos bonum non esse ; ita imménsi est praecónii, bonum étiam inter malos extitísse.

℟. Non abscóndas me, Dómine, a fácie tua : manum tuam longe fac a me: * Et formído tua non me térreat. ℣. Córripe me, Dómine, in misericórdia, non in furóre tuo, ne forte ad

níhilum rédigas me. — Et formído. Glória Patri. Et formído.

℟. vii. Quis mihi tríbuat, ut in inférno prótegas me, et abscóndas me, donec pertránseat furor tuus, Dómine, nisi tu qui solus es Deus? Et constítuas mihi tempus, in quo recordéris mei? ℣. Numquid sicut dies hóminis, dies tui, ut quaeras iniquitátem meam, cum sit nemo, qui de manu tua possit erúere? — Et constítuas.

℟. viii. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth; * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spíritus sanctus: et hi tres unum sunt. — Sanctus. Glória Patri. Plena est.

Infra Hebdomadam, Feria quarta post secundam et tertiam Lectionem dicitur secundum et tertium Responsorium Feriae secundae sequentis.

FERIA SECUNDA.
De libro Job.

Lectio i. *Cap.* i. *c.*

UM autem quadam die fílii et fíliae ejus coméderent et bíberent vinum in domo fratris sui primogéniti, núntius venit ad Job, qui díceret: Boves arábant, et ásinae pascebántur juxta eos, et irruérunt Sabaei, tulerúntque ómnia, et púeros percussérunt gládio, et evási ego solus ut nuntiárem tibi. Cumque adhuc ille loquerétur, venit alter, et dixit: Ignis Dei cécidit e coelo, et tactas oves puerósque consúmpsit, et effúgi ego solus ut nuntiárem tibi.

℟. Versa est in luctum cíthara mea, et órganum meum in vocem fléntium: * Parce mihi, Dómine: nihil enim sunt dies mei. ℣. Cutis mea denigráta est super me, et ossa mea aruérunt. — Parce.

Lectio ii.

SED et illo adhuc loquénte, venit álius, et dixit: Chaldaei fecérunt tres turmas, et invasérunt camélos, et tulérunt eos, necnon et púeros percussérunt gládio, et ego fugi solus ut nuntiárem tibi. Adhuc loquebátur ille, et ecce álius intrávit, et dixit: Fíliis tuis et filiábus vescéntibus et bibéntibus vinum in domo fratris sui primogéniti, repénte ventus véhemens írruit a regióne desérti, et concússit quátuor ángulos domus, quae córruens oppréssit líberos tuos, et mórtui sunt, et

effúgi ego solus, ut nuntiárem tibi.

℟. Utinam appenderéntur peccáta mea, quibus iram mérui :* Et calámitas quam pátior, in statéra. ℣. Quasi aréna maris haec grávior apparéret, unde et verba mea dolóre sunt plena.—Et calámitas.

Lectio iii.

TUNC surréxit Job, et scidit vestiménta sua, et tonso cápite córruens in terram, adorávit, et dixit : Nudus egréssus sum de útero matris meae, et nudus revértar illuc. Dóminus dedit, Dóminus ábstulit : sicut Dómino plácuit, ita factum est : sit nomen Dómini benedíctum. In ómnibus his non peccávit Job lábiis suis, neque stultum quid contra Deum locútus est.

℟. Quare detraxístis sermónibus veritátis : ad increpándum verba compónitis, et subvértere nitímini amícum vestrum : * Verúmtamen quae cogitástis, expléte. ℣. Quod justum est, judicáte ; et non inveniétis in lingua mea iniquitátem. — Verúmtamen. Glória. Verúmtamen.

Responsoria hujus secundae Feriae dicuntur etiam in secunda Feria Hebdomadae sequentis.

FERIA TERTIA.
De libro Job.

Lectio i. *Cap.* ii.

FACTUM est autem, cum quadam die veníssent fílii Dei, et starent coram Dómino, venísset quoque Satan inter eos, et staret in conspéctu ejus, ut díceret Dóminus ad Satan: Unde venis ? Qui respóndens, ait : Circuívi terram, et perambulávi eam. Et dixit Dóminus ad Satan : Numquid considerásti servum meum Job, quod non sit ei símilis in terra, vir simplex et rectus ac timens Deum, et recédens a malo, et adhuc rétinens innocéntiam ? Tu autem commovísti me advérsus eum, ut afflígerem eum frustra. Cui respóndens Satan, ait : Pellem pro pelle, et cuncta, quae habet homo, dabit pro ánima sua : alióquin mitte manum tuam, et tange os ejus et carnem, et tunc vidébis quod in fáciem benedícat tibi.

℟. Indúta est. 167.

Lectio ii.

DIXIT ergo Dóminus ad Satan : Ecce in manu tua est, verúmtamen ánimam illíus serva. Egréssus ígitur Satan a fácie Dómini, percússit Job úlcere péssimo, a planta

pedis usque ad vérticem ejus : qui testa sániem radébat, sedens in sterquilínio. Dixit autem illi uxor sua : Adhuc tu pérmanes in simplicitáte tua? Bénedic Deo, et mórere. Qui ait ad illam : Quasi una de stultis muliéribus locúta es. Si bona suscépimus de manu Dei, mala quare non suscipiámus? In ómnibus his non peccávit Job lábiis suis.

℟. Páucitas diérum meórum. 167.

Lectio iii.

IGITUR audiéntes tres amíci Job omne malum, quod accidísset ei, venérunt sínguli de loco suo, Eliphaz Themanítes, et Baldad Suhítes, et Sophar Naamathítes. Condixerant enim, ut páriter veniéntes visitárent eum, et consolaréntur. Cumque elevássent procul óculos suos, non cognovérunt eum : et exclamántes ploravérunt, scissísque véstibus sparsérunt púlverem super caput suum in coelum. Et sedérunt cum eo in terra septem diébus et septem nóctibus : et nemo loquebátur ei verbum : vidébant enim dolórem esse veheméntem.

℟. Non abscóndas me, Dómine. 167.

FERIA QUARTA.

De libro Job.

Lectio i. *Cap.* iii.

POST haec apéruit Job os suum, et maledíxit diéi suo et locútus est : Péreat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est : Concéptus est homo. Dies ille vertátur in ténebras : non requírat eum Deus désuper, et non illustrétur lúmine. Obscúrent eum ténebrae, et umbra mortis : óccupet eum calígo, et involvátur amaritúdine.

℟. Quis mihi tríbuat, ut in inférno prótegas me, et abscóndas me, donec pertránseat furor tuus, Dñe, nisi tu, qui solus es Deus? Et constítuas mihi tempus, in quo recordéris mei? ℣. Numquid sicut dies hóminis, dies tui, ut quaeras iniquitátem meam ; cum sit nemo, qui de manu tua possit erúere.—Et constítuas.

Lectio ii.

NOCTEM illam tenebrósus turbo possídeat : non computétur in diébus anni, nec numerétur in ménsibus. Sit nox illa solitária, nec laude digna. Maledícant ei qui maledícunt diéi, qui paráti sunt suscitáre Levíathan.

Obtenebréntur stellae calígine ejus : expéctet lucem, et non vídeat, nec ortum surgéntis aurórae : quia non conclúsit óstia ventris, qui portávit me, nec ábstulit mala ab óculis meis.

℟. Utinam appenderéntur peccáta mea, quibus iram mérui, * Et calámitas quam pátior, in statéra. ℣. Quasi aréna maris haec grávior apparéret : unde et verba mea dolóre sunt plena.—Et calámitas.

Lectio iii.

QUARE non in vulva mórtuus sum, egréssus ex útero non statim périi ? Quare excéptus génibus ? cur lactátus ubéribus ? Nunc enim dórmiens silérem, et somno meo requiéscerem cum régibus et consúlibus terrae, qui aedíficant sibi solitúdines : aut cum princípibus, qui póssident aurum, et replent domos suas argénto : aut sicut abortívum abscónditum non subsísterem, vel qui concépti non vidérunt lucem.

℟. Quare detraxístis sermónibus veritátis : ad increpándum verba compónitis, et subvértere nitímini amícum vestrum ? * Verúmtamen quae cogitástis, expléte. ℣. Quod justum est, judicáte ; et non inveniétis in lingua mea iniquitátem. — Verúmtamen. Glória Patri. Verúmtamen.

FERIA QUINTA.

De libro Job.

Lectio i. *Cap.* iv.

RESPONDENS autem Eliphaz Themanítes, dixit : Si coepérimus loqui tibi, fórsitan moléste accípies : sed concéptum sermónem tenére quis póterit ? Ecce docuísti multos, et manus lassas roborásti : vacillántes confirmavérunt sermónes tui, et génua treméntia confortásti. Nunc autem venit super te plaga, et defecísti : tétigit te, et conturbátus es. Ubi est timor tuus, fortitúdo tua, patiéntia tua, et perfectio viárum tuárum ?

℟. Si bona. 165.

Lectio ii.

RECORDARE, óbsecro te, quis unquam innocens périit ? aut quando recti deléti sunt ? Quin pótius vidi eos, qui operántur iniquitátem, et séminant dolóres, et metunt eos, flante Deo perísse, et spíritu irae ejus esse consúmptos. Rugítus leónis, et vox leaenae, et dentes catulórum leónum contríti sunt. Tigris périit, eo quod non habéret praedam, et cátuli leónis dissipáti sunt.

℟. Antequam. 166.

Lectio iii.

PORRO ad me dictum est verbum abscónditum, et quasi furtíve suscépit auris mea venas susúrri ejus. In horróre visiónis noctúrnae, quando solet sopor occupáre hómines, pavor ténuit me, et tremor, et ómnia ossa mea pertérrita sunt, et cum spíritus me praesénte transíret, inhorruérunt pili carnis meae. Stetit quidam, cujus non agnoscébam vultum, imágo coram óculis meis, et vocem quasi aurae lenis audívi. Numquid homo Dei comparatióne justificábitur, aut factóre suo púrior erit vir ? Ecce qui sérviunt ei, non sunt stábiles, et in ángelis suis réperit pravitátem.

℟. Quare. 166.

FERIA SEXTA.
De libro Job.

Lectio i. *Cap.* vi.

RESPONDENS autem Job, dixit: Utinam appenderéntur peccáta mea, quibus iram mérui : et calámitas quam pátior, in statéra. Quasi aréna maris haec grávior apparéret : unde et verba mea dolóre sunt plena : quia sagíttae Dómini in me sunt, quarum indignátio ébibit spíritum meum, et terróres Dómini mílitant contra me.

℟. Indúta est caro mea putrédine. 167.

Lectio ii.

QUMQUID rúgiet ónager cum habúerit herbam? aut múgiet bos cum ante praesépe plenum stéterit? Aut póterit cómedi insúlsum, quod non est sale condítum ? aut potest áliquis gustáre, quod gustátũ affert mortem ? Quae prius nolébat tángere ánima mea, nunc prae angústia cibi mei sunt.

℟. Páucitas diérum meórum. 167.

Lectio iii.

QUIS det ut véniat petítio mea : et quod expécto, tríbuat mihi Deus? Et qui coepit, ipse me cónterat : solvat manum suam, et succídat me ? Et haec mihi sit consolátio, ut afflígens me dolóre, non parcat, nec contradícam sermónibus Sancti. Quae est enim fortitúdo mea, ut sustíneam ? aut quis finis meus, ut patiénter agam ? Nec fortitúdo lápidum fortitúdo mea, nec caro mea aenea est. Ecce non est auxílium mihi in me, et necessárii quoque mei recessérunt a me.

℟. Non abscóndas me, Dómine. 167.

SABBATO.
De libro Job.
Lectio i. *Cap.* vii.

ILITIA est vita hóminis super terram : et sicut dies mercenárii dies ejus. Sicut cervus desíderat umbram, et sicut mercenárius praestolátur finem óperis sui : sic et ego hábui menses vácuos, et noctes laboriósas enumerávi mihi. Si dormíero, dicam : Quando consúrgam ? et rursum expectábo vésperam, et replébor dolóribus usque ad ténebras.

Lectio ii.

INDUTA est caro mea putrédine, et sórdibus púlveris cutis mea áruit, et contrácta est. Dies mei velócius transiérunt, quam a texénte tela succíditur, et consúmpti sunt absque ulla spe. Meménto, quia ventus est vita mea : et non revertétur óculus meus, ut vídeat bona. Nec aspíciet me visus hóminis : óculi tui in me, et non subsístam.

Lectio iii.

SICUT consúmitur nubes, et pertránsit : sic qui descénderit ad ínferos, non ascéndet. Nec revertétur ultra in domum suam, neque cognóscet eum ámplius locus ejus. Quaprópter et ego non parcam ori meo, loquar in tribulatióne spíritus mei : confabulábor cum amaritúdine ánimae meae. Numquid mare ego sum, aut cetus, quia circumdedísti me cárcere ?

Ad Magníficat, Antíphona. In ómnibus his * non peccávit Job lábiis suis, neque stultum áliquid contra Deum locútus est.

DOMINICA SECUNDA
Septembris.
In primo Nocturno.
De libro Job.
Lectio i. *Cap.* ix.

T respóndens Job, ait : Vere scio quod ita sit, et quod non justificétur homo compósitus Deo. Si volúerit contendere cum eo, non póterit ei respondére unum pro mille. Sápiens corde est, et fortis róbore : quis réstitit ei, et pacem hábuit ? Qui tránstulit montes, et nesciérunt hi, quos subvértit in furóre suo.

℟. Si bona suscépimus de manu Dei, mala autem quare non sustineámus ? * Dóminus dedit, Dóminus ábstulit : sicut Dómino plácuit, ita factum est : sit nomen Dómini benedíctum. ℣. Nudus egréssus sum de

útero matris meae, et nudus revértar illuc. — Dóminus dedit.

Lectio ii.

QUI cómmovet terram de loco suo, et colúmnae ejus concutiúntur. Qui praecipit Soli, et non óritur : et stellas claudit quasi sub signáculo. Qui exténdit coelos solus, et gráditur super fluctus maris. Qui facit Arctúrum, et Oríona, et Hyadas, et interióra Austri. Qui facit magna, et incomprehensibília, et mirabília, quorum non est número.

℟. Antequam cómedam, suspíro, et tamquam inundántes aquae, sic rugítus meus : quia timor quem timébam, evénit mihi ; et quod verébar, áccidit : nonne dissimulávi? nonne sílui? nonne quiévi ? * Et venit super me indignátio. ℣. Ecce non est auxílium mihi in me, et necessárii quoque mei recessérunt a me.—Et venit.

Lectio iii.

SI vénerit ad me, non vidébo eum : si abíerit, non intélligam. Si repénte intérroget, quis respondébit ei? vel quis dícere potest : Cur ita facis? Deus, cujus irae nemo resístere potest, et sub quo curvántur qui portant orbem. Quantus ergo sum ego, ut respóndeam ei, et loquar verbis meis cum eo? Qui étiam si habúero quídpiam justum, non respondébo, sed meum júdicem deprecábor. Et cum invocántem exaudíerit me, non credo quod audíerit vocem meam. In túrbine enim cónteret me, et multiplicábit vúlnera mea étiam sine causa.

℟. Quare detraxístis sermónibus veritátis : ad increpándum verba compónitis, et subvértere nitímini amícum vestrum ? * Verúmtamen quae cogitástis, expléte. ℣. Quod justum est, judicáte, et non inveniétis in lingua mea iniquitátem. Verúmtamen. Glória Patri. Verúmtamen.

In secundo Nocturno.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papae.
Lib. 9. *Cap.* iv.

Lectio iv.

VERE scio quod ita sit, et quod non justificábitur homo compósitus Deo. Homo quippe Deo non compósitus justítiam pércipit, compósitus amíttit : quia quisquis se auctóri bonórum cómparat, bono se, quod accéperat, privat. Qui enim accépta bona sibi árrogat, suis contra Deum donis pugnat. Unde ergo

despéctus erígitur, dignum est ut eréctus inde destruátur. Sanctus autem vir, quia omne virtútis nostrae méritum, esse vítium cónspicit, si ab intérno árbitro districte judicétur, recte subjúngit : Si volúerit conténdere cum eo, non póterit respondére ei unum pro mille.

℟. Indúta est caro mea putrédine, et sórdibus púlveris cutis mea áruit, et contrácta est. * Meménto mei Dómine, quóniam ventus est vita mea. ℣. Dies mei velócius transiérunt, quam a texénte tela succíditur, et consúmpti sunt absque ulla spe.—Meménto.

Lectio v.

IN Scriptúra sancta millenárius número pro universitáte solet intélligi. Hinc étenim Psalmísta ait : Verbi, quod mandávit in mille generatiónes : cum profécto constet, quod ab ipso mundi exórdio usque ad Redemptóris advéntum, per Evangelístam non ámplius quam septuagínta et septem propágines numeréntur. Quid ergo in millenário número, nisi ad proferéndam novam sóbolem perfécta univérsitas praescítae generatiónis exprímitur ? Hinc et per Joánnem dícitur : Et regnábunt cum eo mille annis : quia vidélicet regnum sanctae Ecclésiae universitátis perfectióne solidátur.

℟. Páucitas diérum meórum finiétur brevi: dimítte me, Dómine, ut plangam páululum dolórem meum, * Antequam vadam ad terram tenebrósam, et opértam mortis calígine. ℣. Manus tuae, Dómine, fecérunt me, et plasmavérunt me totum in circúitu, et sic repénte praecípitas me?—Antequam.

Lectio vi.

QUIA vero monas décies multiplicáta in denárium dúcitur, denárius per semetípsum ductus in centenárium dilatátur ; qui rursus per denárium ductus, in millenárium téndituri: cum ab uno incípimus, ut ad millenárium veniámus, quid hoc loco uníus appellatióne, nisi bene viventi inítium? quid millenárii núméri amplitúdine, nisi ejúsdem bonae vitae perfectio designátur? Cum Deo autem conténdere, est, non ei tribúere, sed sibi glóriam suae virtútis arrogáre. Sed sanctus vir conspíciat, quia et qui summa jam dona percépit, si de accéptis extóllitur, cuncta quae accéperat, amíttit.

℟. Non abscóndas me, Dómine, a fácie tua: manum tuam longe fac a me: *

Et formído tua non me térreat. ℣. Córripe me, Dómine, in misericórdia, non in furóre tuo, ne forte ad nihílum rédigas me.— Et formído. Glória Patri. Et formído.

℟. vii. Quis mihi tríbuat, ut in inférno prótegas me, et abscóndas me, donec pertránseat furor tuus, Dómine, nisi tu, qui solus es Deus? * Et constítuas mihi tempus, in quo recordéris mei. ℣. Numquid sicut dies hóminis, dies tui, ut quaeras iniquitátem meam; cum sit nemo, qui de manu tua possit erúere?—Et constítuas.

℟. viii. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth: * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spíritus sanctus: et hi tres unum sunt.—Sanctus. Glória Patri. Plena est.

FERIA SECUNDA.

De libro Job.

Lectio i. *Cap.* xxvii.

ADDIDIT quoque Job, assúmens parábolam suam, et dixit: Vivit Deus, qui ábstulit judícium meum, et Omnípotens, qui ad amaritúdinem addúxit ánimam meam. Quia donec súperest hálitus in me, et spíritus Dei in náribus meis, non loquéntur lábia mea iniquitátem, nec lingua mea meditábitur mendácium. Absit a me, ut justos vos esse júdicem: donec defíciam, non recédam ab innocéntia mea.

℟. Versa est in luctum cíthara mea, et órganum meum in vocem fléntium: * Parce mihi, Dómine: nihil enim sunt dies mei. ℣. Cutis mea denigráta est super me, et ossa mea aruérunt.— Parce.

Lectio ii.

JUSTIFICATIONEM meam, quam coepi tenére, non déseram: neque enim reprehéndit me cor meum in omni vita mea. Sit ut ímpius, inimícus meus: et adversárius meus quasi iníquus. Quae est enim spes hypócritae, si avare rápiat, et non líberet Deus ánimam ejus? Numquid Deus áudiet clamórem ejus, cum vénerit super eum angústia? Aut póterit in Omnipoténte delectári, et invocáre Deum omni témpore?

℟. Utinam appenderéntur peccáta mea, quibus iram mérui, * Et calámitas quam pátior, in statéra. ℣. Quasi aréna maris haec grávior apparéret, unde et

verba mea dolóre sunt plena.—Et calámitas.

Lectio iii.

DOCEBO vos per manum Dei quae Omnípotens hábeat, nec abscóndam. Ecce, vos omnes nostis, et quid sine causa vana loquímini? Haec est pars hóminis ímpii apud Deum, et haeréditas violentórum, quam ab Omnipoténte suscípient. Si multiplicáti fúerint fílii ejus, in gládio erunt, et nepótes ejus non saturabúntur pane. Qui réliqui fúerint ex eo, sepeliéntur in intéritu, et víduae illíus non plorábunt.

℟. Quare detraxístis sermónibus veritátis: ad increpándum verba compónitis, et subvértere nitímini amícum vestrum? ℣. Verúmtamen quae cogitástis, expléte. ℟. Quod justum est, judicáte, et non inveniétis in lingua mea iniquitátē.—Verúmtamen. Glória Patri. Verúmtamen.

FERIA TERTIA.

De libro Job.

Lectio i. *Cap.* xxviii. *b.*

SAPIENTIA ubi invenítur? et quis est locus intelligéntiae? Nescit homo prétium ejus, nec invenítur in terra suáviter viéntium. Abyssus dicit: Non est in me, et mare lóquitur: Non est mecum. Non dábitur aurum obrízum pro ea, nec appendétur argéntum in commutatióne ejus. Non conferétur tinctis Indiae colóribus, nec lápidi sardónycho pretiosíssimo, vel sapphíro.

℟. Indúta est. 175.

Lectio ii.

NON adaequábitur ei aurum vel vitrum, nec commutabúntur pro ea vasa auri. Excélsa et eminéntia non memorabúntur comparatióne ejus: tráhitur autem sapiéntia de occúltis. Non adaequábitur ei topázius de Æthiópia, nec tinctúrae mundíssimae componétur. Unde ergo sapiéntia venit? et quis est locus intelligéntiae? Abscóndita est ab óculis ómnium vivéntium, vólucres quoque coeli latet. Perdítio, et mors dixérunt: Auribus nostris audívimus famam ejus.

℟. Páucitas diérum. 175.

Lectio iii.

DEUS intélligit viam ejus, et ipse novit locum illíus. Ipse enim fines mundi intuétur, et ómnia, quae sub coelo sunt, réspicit. Qui fecit ventis pondus, et aquas appéndit in mensúra. Quando ponébat plúviis legem, et viam procéllis

sonántibus: tunc vidit illam, et enarrávit, et praeparávit, et investigávit. Et dixit hómini : Ecce timor Dñi, ipsa est sapiéntia : et recédere a malo, intelligéntia.

℟. Non abscóndas. 175.

FERIA QUARTA.

De libro Job.

Lectio i. *Cap.* xxxi.

EPIGI foedus cum óculis meis, ut ne cogitárem quidem de vírgine. Quam enim partem habéret in me Deus désuper et haereditátē Omnípotens de excélsis ? Numquid non perdítio est iníquo, et alienátio operántibus injustítiam ? Nonne ipse considerat vias meas, et cunctos gressus meos dinúmerat ? Si ambulávi in vanitáte, et festinávit in dolo pes meus, appéndat me in statéra justa, et sciat Deus simplicitátem meam.

℟. Quis mihi tríbuat, ut in inférno prótegas me, et abscóndas me, donec pertránseat furor tuus, Dómine, nisi tu, qui solus es Deus? * Et constítuas mihi tempus, in quo recordéris mei. ℣. Numquid sicut dies hóminis, dies tui, ut quaeras iniquitátem meam; cum sit nemo, qui de manu tua possit erúere?—Et constítuas.

Lectio ii.

SI declinávit gressus meus de via, et si secútum est óculos meos cor meum, et si mánibus meis adhaesit mácula : seram, et álius cómedat, et progénies mea eradicétur. Si decéptum est cor meum super mulíere, et si ad óstium amíci mei insidiátus sum : scortum altérius sit uxor mea, et super illam incurvéntur álii. Hoc enim nefas est, et iníquitas máxima. Ignis est usque ad perditiónem dévorans, et ómnia eradícans genímina.

℟. Utinam appenderéntur peccáta mea, quibus iram mérui, * Et calámitas quam pátior, in statéra. ℣. Quasi aréna maris haec grávior apparéret, unde et verba mea dolóre sunt plena.—Et calámitas.

Lectio iii.

SI contémpsi subíre judícium cum servo meo, et ancílla mea, cum disceptárent advérsum me. Quid enim fáciam, cum surréxerit ad judicándum Deus ? et cum quaesíerit, quid respondébo illi ? Numquid non in útero fecit me qui et illum operátus est : et formávit me in vulva unus? Si negávi, quod volébant, paupéribus, et óculos víduae expectáre feci. Si comédi buccéllam meam

solus, et non comédit pupíllus ex ea : quia ab infántia mea crevit mecum miserátio : et de útero matris meae egréssa est mecum.

℟. Quare detraxístis sermónibus veritátis: ad increpándum verba compónitis, et subvértere nitímini amícum vestrum? * Verúmtamen quae cogitástis, expléte. ℣. Quod justum est, judicáte, et non inveniétis in lingua mea iniquitátem.—Verúmtamen. Glória Patri. Verúmtamen.

FERIA QUINTA.

De libro Job.

Lectio i. *Cap.* xxxviii.

RESPONDENS autem Dóminus Job de túrbine, dixit : Quis est iste invólvens sententias sermónibus imperítis? Accínge sicut vir lumbos tuos: interrogábo te, et respónde mihi. Ubi eras quando ponébam fundaménta terrae? índica mihi, si habes intelligéntiam. Quis pósuit mensúras ejus, si nosti? vel quis teténdit super eam líneam? Super quo bases illíus solidátae sunt? aut quis demísit lápidem angulárem ejus, cum me laudárent simul astra matutína, et jubilárent omnes fílii Dei?

℟. Si bona. 173.

Lectio ii.

QUIS conclúsit óstiis mare, quando erumpébat quasi de vulva procédens: cum pónerem nubem vestiméntu ejus, et calígine illud quasi pannis infántiae obvólverem? Circúmdedi illud términis meis, et pósui vectem, et óstia : et dixi : Usque huc vénies, et non procédes ámplius, et hic confrínges tuméntes fluctus tuos. Numquid post ortum tuum praecepísti dilúculo, et ostendísti aurórae locum suum? Et tenuísti concútiens extréma terrae, et excussísti ímpios ex ea?

℟. Antequam. 174.

Lectio iii.

RESTITUETUR ut lutum signáculum, et stabit sicut vestiméntum: Auferétur ab ímpiis lux sua, et bráchium excélsum confringétur. Numquid ingréssus es profúnda maris, et in novíssimis abyssi deambulásti? Numquid apértae sunt tibi portae mortis, et óstia tenebrósa vidísti? Numquid considerásti latitúdinem terrae? índica mihi, si nosti, ómnia, in qua via lux hábitet, et tenebrárum quis locus sit : ut ducas unumquódque ad términos suos, et intélligas sémitas domus ejus.

℟. Quare detraxístis.

FERIA SEXTA.

De libro Job.

Lectio i. *Cap.* xl.

RESPONDENS autem Dóminus Job de túrbine, dixit : Accínge sicut vir lumbos tuos : interrogábo te, et índica mihi. Numquid írritum fácies judícium meum, et condemnábis me, ut tu justificéris? Et si habes bráchium sicut Deus, et si voce símili tonas? Circúmda tibi decórem, et in sublíme erígere, et esto gloriósus, et speciósis indúere véstibus.

℟. Indúta est. 175.

Lectio ii.

DISPERGE supérbos in furóre tuo, et respíciens omnem arrogántem humília. Réspice cunctos supérbos, et confúnde eos, et cóntere ímpios in loco suo. Abscónde eos in púlvere simul, et fácies eórum demérge in fóveam. Et ego confitébor quod salváre te possit déxtera tua. Ecce Béhemoth, quem feci tecum, foenum quasi bos cómedet. Fortitúdo ejus in lumbis ejus et virtus illíus in umbilíco ventris ejus.

℟. Páucitas diérum. 175.

Lectio iii. *Cap.* xlii.

RESPONDENS autem Job Dómino dixit : Scio quia ómnia potes, et nulla te latet cogitátio. Quis est iste, qui celat consílium absque sciéntia? ídeo insipiénter locútus sum, et quae ultra modum excéderent sciéntiã meam. Audi, et ego loquar : interrogábo te, et respónde mihi. Auditu auris audívi te, nunc autem óculus meus videt te. Idcírco ipse me reprehéndo, et ago poeniténtiam in favílla et cínere.

℟. Non abscóndas. 175.

SABBATO.

De libro Job.

Lectio i. *Cap.* xlii. *b.*

POSTQUAM autem locútus est Dñus verba haec ad Job, dixit ad Eliphaz Themanítem : Irátus est furor meus in te, et in duos amícos tuos, quóniam non estis locúti coram me rectum, sicut servus meus Job. Súmite ergo vobis septem tauros, et septem aríetes, et ite ad servum meum Job, et offérte holocáustum pro vobis : Job autem servus meus orábit pro vobis : fáciẽ ejus suscípiam ut non vobis imputétur stultítia : neque enim locúti estis ad me recta, sicut servus meus Job.

Lectio ii.

ABIERUNT ergo Eliphaz Themanítes, et Baldad Suhítes, et Sophar

Naamathítes, et fecérunt sicut locútus fúerat Dñus ad eos, et suscépit Dñus fáciem Job. Dóminus quoque convérsus est ad poeniténtiam Job, cum oráret ille pro amícis suis. Et áddidit Dñus ómnia quaecúmque fúerant Job, duplícia. Venérunt autem ad eum omnes fratres sui, et univérsae soróres suae, et cuncti qui nóverant eum prius, et comedérunt cum eo panem in domo ejus : et movérunt super eum caput, et consoláti sunt eum super omni malo quod intúlerat Dñus super eum : et dedérunt ei unusquísque ovem unam, et ináurem áuream unam.

Lectio iii.

DOMINUS autem benedíxit novíssimis Job magis quam princípio ejus. Et facta sunt ei quatuórdecim míllia óvium, et sex míllia camelórum, et mille juga boum, et mille ásinae. Et fuérunt ei septem fílii, et tres fíliae. Et vocávit nomen unius Diem, et nomen secúndae Cássiam, et nomen tértiae Cornustíbii. Non sunt autem invéntae muliéres speciósae sicut fíliae Job in univérsa terra : dedítque eis pater suus haereditátem inter fratres eárum. Vixit autem Job post haec, centum quadragínta annis, et vidit fílios suos, et fílios filiórum suórum, usque ad quartam generatiónem, et mórtuus est senex, et plenus diérum.

SABBATO.

ante Dominicam tertiam Septembris.

Ad Magníficat, Ańa. Ne reminiscáris, * Dómine, delícta mea, vel paréntum meórum : neque vindíctam sumas de peccátis meis.

DOMINICA III.

Septembris.

In primo Nocturno.

Incipit liber Tobiae.

Lectio i. *Cap.* i.

TOBIAS ex tribu et civitáte Néphthali (quae est in superióribus Galilaeae supra Naásson, post viam quae ducit ad Occidéntem, in sinístro habens civitátem Sephet) cum captus esset in diébus Salmánasar regis Assyriórum, in captivitáte tamen pósitus, viam veritátis non deséruit ; ita ut ómnia, quae habére póterat, quotídie concaptívis frátribus, qui erant ex ejus génere, impertíret. Cumque esset júnior ómnibus in tribu Néphthali, nihil tamen puerile gessit in ópere.

℟. Peto, Dómine, ut de vínculo impropérii hujus

absólvas me, aut certe désuper terram erípias me: * Ne reminiscáris delícta mea, vel paréntum meórum, neque vindíctam sumas de peccátis meis: quia éruis sustinéntes te, Dómine. ℣. Omnia enim judícia tua justa sunt, et omnes viae tuae misericórdia et véritas: et nunc, Dómine, meménto mei.—Ne reminiscáris.

Lectio ii.

DENIQUE cum irent omnes ad vítulos áureos, quos Jeróboam fécerat rex Israël, hic solus fugiébat consórtia ómnium, sed pergébat in Jerúsalem ad templum Dómini, et ibi adorábat Dóminum Deum Israël, ómnia primitíva sua et décimas suas fidéliter ófferens, ita ut in tértio anno prosélytis et ádvenis ministráret omnem decimatiónem. Haec et his simília secúndum legem Dei puérulus observábat. Cum vero factus esset vir, accépit uxórem Annam de tribu sua, genuítque ex ea fílium, nomen suum impónens ei, quem ab infántia timére Deum dócuit, et abstinére ab omni peccáto.

℟. Omni témpore bénedic Deum, et pete ab eo ut vias tuas dírigat: * Et in omni témpore consília tua in ipso permáneant. ℣. Inquíre ut fácias quae plácita sunt illi in veritáte et in tota virtúte tua.—Et in omni.

Lectio iii.

IGITUR cum per captivitátem devenísset cum uxóre sua et filio in civitátem Níniven cum omni tribu sua (cum omnes éderent ex cibis Gentílium) iste custodívit ánimam suam, et nunquam contaminátus est in escis eórum. Et quóniam memor fuit Dómini in toto corde suo, dedit illi Deus grátiam in conspéctu Salmánasar regis, et dedit illi potestátem quocúmque vellet ire, habens libertátem quaecúmque fácere voluísset. Pergébat ergo ad omnes qui erant in captivitáte, et mónita salútis dabat eis.

℟. Memor esto fili, quóniam páuperem vitam gérimus: * Habébis multa bona, si timúeris Deum. ℣. In mente habéto eum, et cave nequándo praetermíttas praecépta ejus.—Habébis. Glória Patri. Habébis.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Leonis Papae. *Serm.* ix. *de jejunio* vii. *mensis.*

Lectio iv.

SCIO quidem, dilectíssimi, plúrimos vestrum ita in iis quae ad observántiam christiánae

fídei pértinent, esse devótos, ut nostris cohortatiónibus non indígeant admonéri. Quod enim dudum et tradítio decrévit, et consuetúdo firmávit ; nec erudítio ignórat, nec píetas praetermíttit. Sed quia sacerdotális officii est, erga omnes Ecclésiae fílios curam habére commúnem, in id quod et rúdibus prosit et doctis, quos simul dilígimus, páriter incitámus : ut jejúnium, quod nobis séptimi mensis recúrsus indícit, fide álacri per castigatiónem ánimi et córporis celebrémus.

℟. Sufficiébat nobis paupértas nostra, ut divítiae computaréntur : nunquam fuísset pecúnia ipsa, pro qua misísti fílium nostrum, * Báculum senectútis nostrae. ℣. Heu me fili mi, ut quid te mísimus peregrinári, lumen oculórum nostrórum ?—Báculum.

Lectio v.

IDEO enim ipsa continéntiae observántia quátuor est assignáta tempóribus, ut in idípsum totíus anni redeúnte decúrsu, cognoscerémus nos indesinénter purificatiónibus indigére : sempérque esse niténdum, dum hujus vitae varietáte jactámur, ut peccátum, quod fragilitáte carnis et cupiditátum pollutióne contráhitur, jejúniis atque eleemósynis deleátur. Esuriámus páulum, dilectíssimi, et aliquántulum, quod juvándis possit prodésse paupéribus, nostrae consuetúdini subtrahámus.

℟. Benedícite Deum coeli, et coram ómnibus viventibus confitémini ei : * Quia fecit vobíscum misericórdiam suam. ℣. Ipsum benedícite, et cantáte illi : et enarráte ómnia mirabília ejus.—Quia fecit.

Lectio vi.

DELECTETUR consciéntia benignórum fructibus largitátis : et gáudia tríbuens, quo es laetificándus, accípies. Diléctio próximi, diléctio Dei est, qui plenitúdinem legis et Prophetárum in hac géminae charitátis unitáte constítuit : ut nemo ambígeret, Deo se offérre, quod hómini contulísset, dicénte Dómino Salvatóre, cum de aléndis juvandísque paupéribus loquerétur : Quod uni eórum fecístis, mihi fecístis. Quarta ígitur et sexta Féria jejunémus; Sábbato vero apud beátum Petrum Apóstolum vigílias celebrémus : cujus nos méritis et oratiónibus crédimus adjuvándos, ut misericórdi Deo jejúnio nostro et devotióne placeámus.

℟. Tempus est ut revértar ad eum, qui misit me : * Vos autem benedícite Deum, et enarráte ómnia mirabília ejus. ℣. Confitémini ei coram ómnibus vivéntibus, quia fecit vobíscum misericórdiam suam.—Vos autem benedícite. Glória Patri. Vos autem benedícite.

℟. vii. Tribulatiónes civitátum audívimus, quas passae sunt, et defécimus : timor et hebetúdo mentis cécidit super nos, et super líberos nostros : ipsi montes nolunt recípere fugam nostram :* Dómine, miserére. ℣. Peccáviinus cum pátribus nostris, injúste égimus, iniquitátem fécimus.—Dómine.

℟. viii. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum : * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth :* Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spíritus sanctus : et hi tres unum sunt.—Sanctus, Sanctus. Glória Patri. Plena est omnis.

Infra Hebdomadam, Feria iv. et Sabbato post secundam et tertiam Lectionem dicitur secundum et tertium Responsorium primi Nocturni Dominicae.

FERIA SECUNDA.

De libro Tobíae.

Lectio i. *Cap.* ii.

POST haec vero, cum esset dies festus Dómini, et factum esset prándium bonum in domo Tobíae, dixit fílio suo : Vade, et adduc áliquos de tribu nostra, timéntes Deum, ut epuléntur nobíscum. Cumque abiísset, revérsus nuntiávit ei, unum ex fíliis Israël jugulátum jacére in platéa. Statímque exíliens de accúbitu suo, relínquens prándium, jejúnus pervénit ad corpus : tollénsque illud, portávit ad domum suam occúlte, ut, dum sol occubuísset, caute sepelíret eum.

℟. Peto, Dómine. 181.

Lectio ii.

ARGUEBANT autem eum omnes próximi ejus, dicéntes : Jam hujus rei causa intérfici jussus es, et vix effugísti mortis impérium, et íterum sépelis mórtuos? Sed Tobías plus timens Deum, quam regem, rapiébat córpora occisórum, et occultábat in domo sua, et médiis nóctibus sepeliébat ea. Cóntigit autem ut quadam die fatigátus a sepultúra, véniens in domum suam, jactásset se juxta paríetem, et obdormísset, et ex nido hirúndinum dormiénti

illi cálida stércora incíderent super óculos ejus, fierétque caecus. Hanc autem tentatiónem ídeo permísit Dñus evenire illi, ut pósteris darétur exémplum patiéntiae ejus, sicut et sancti Job.

℟. Omni témpore. 182.

Lectio iii.

QUAM cum ab infántia sua semper Deum timúerit, et mandáta ejus custodierit, non est contristátus contra Deum quod plaga caecitátis evénerit ei, sed immóbilis in Dei timóre permánsit, agens grátias Deo ómnibus diébus vitae suae. Nam sicut beáto Job insultábant reges, ita isti paréntes et cognáti ejus irridébant vitam ejus, dicéntes: Ubi est spes tua, pro qua eleemósynas, et sepultúras faciébas? Tobías vero increpábat eos, dicens: Nolíte ita loqui: quóniam fílii sanctórum sumus, et vitam illam expectámus, quam Deus datúrus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.

℟. Memor esto fili. 182.

FERIA TERTIA.

De libro Tobíae.

Lectio i. *Cap.* ii. *et* iii.

ANNA vero uxor ejus ibat ad opus textrínum quotídie, et de labóre mánuum suárum victum, quem cónsequi póterat, deferébat. Unde factum est, ut hoedum caprárum accípiens detulísset domi: Cujus cum vocem balántis vir ejus audísset, dixit: Vidéte, ne forte furtívus sit, réddite eum dóminis suis, quia non licet nobis aut édere ex furto áliquid, aut contíngere.

℟. Sufficiébat. 183.

Lectio ii.

AD haec uxor ejus irráta respóndit: Manifésta vana facta est spes tua, et eleemósynae tuae modo apparuérunt. Atque his et áliis hujuscémodi verbis exprobrábat ei. Tunc Tobías ingémuit, et coepit oráre cum lácrymis, dicens: Justus es, Dómine, et ómnia judícia tua justa sunt, et omnes viae tuae, misericórdia, et véritas, et judícium. Et nunc, Dómine, memor esto mei, et ne vindíctam sumas de peccátis meis, neque reminiscáris delícta mea, vel paréntum meórum.

℟. Benedícite Deum. 183.

Lectio iii.

QUONIAM non obedívimus praecéptis tuis, ídeo tráditi sumus in direptiónem, et captivitátem, et mortem, et in fábulam, et in impropérium ómnibus natiónibus, in quibus dispersísti nos. Et nunc, Dómine, magna judícia tua, quia non égimus secúndum

praecépta tua, et non ambulávimus sincériter coram te. Et nunc, Dñe, secúndum voluntátem tuam fac mecum, et praecipe in pace récipi spíritum meum : éxpedit enim mihi mori magis, quam vívere.

℟. Tempus est. 184.

FERIA QUARTA

Quatuor Temp. Septembr.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio i. *Cap.* ix. *c.*

IN illo témpore: Respóndens unus de turba, dixit ad Jesum: Magíster, áttuli fílium meum ad te habéntem spíritum mutum. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri.

Libro 3. *Cap.* xxxviii. *in Marc.* ix.

DAEMONIACUM hunc, quem descéndens de monte Dñus sanávit, Marcus quidem surdum mutúmque, Matthaeus vero lunáticum fuísse commémorat. Signíficat autem eos, de quibus scriptum est : Stultus ut luna mutátur. Qui nunquam in eódem statu permanéntes, nunc ad haec, nunc ad illa vítia mutáti, crescunt atque decréscunt. Qui muti sunt, non confiténdo fidem: surdi, nec ipsum aliquátenus veritátis audiéndo sermónem. Spumant autem, cum stultítia tabéscunt. Stultórum namque, et languéntium, atque hébetum est, spumas salivárum ex ore dimíttere. Strident déntibus, cum iracúndiae furóre flamméscunt : aréscunt, cum ótio torpénte languéscunt, et nulla virtútis indústria confortáti enérviter vivunt.

℟. Tribulatiónes civitátum audívimus, quas passae sunt, et defécimus: timor et hebetúdo mentis cécidit super nos, et super líberos nostros: ipsi montes nolunt recípere fugam nostram : * Dómine, misérere. ℣. Peccávimus cum pátribus nostris, injúste égimus, iníquitátem fécimus.—Dómine.

Lectio ii.

QUOD autem ait : Et dixi discípulis tuis ut ejícerent illum, et non potuérunt: laténter Apóstolos accúsat, cum impossibílitas curándi, intérdum non ad imbecillitátem curántium, sed ad eórum, qui curándi sunt, fidem referátur, dicénte Dño : Fiat tibi secúndum fidem tuam. Qui respóndens eis, dixit : O generátio incrédula, quámdiu apud vos ero? quámdiu vos pátiar? Non quod taedio superátus sit, mansuétus ac mitis, qui non apéruit sicut agnus

coram tondénte os suum, nec in verba furóris erúpit: sed quod in similitúdinem médici, si aegrótum vídeat contra sua praecépta se gérere, dicat: Usquequo accédam ad domum tuam? quoúsque artis meae perdam indústriam, me áliud jubénte, et te áliud perpetránte?

℟. Omni témpore bénedic Deum, et pete ab eo ut vias tuas dírigat: * Et in omni témpore consília tua in ipso permáneant. ℣. Inquíre ut fácias quae plácita sunt illi in veritáte, et in tota virtúte tua.—Et in.

Lectio iii.

ET dixit illis: Hoc genus in nullo potest exíre, nisi in oratióne et jejúnio. Dum docet Apóstolos, quómodo daemon nequíssimus débeat expélli, omnes instítuit ad vitam: ut scílicet novérimus, gravíssima quaeque vel immundórum spirítuum, vel hóminum tentaménta, jejúniis et oratiónibus esse superánda: iram quoque Dómini, cum in ultiónem nostrórum scélerum fúerit accénsa, hoc remédio singulári posse placári. Jejúnium autem generále est, non solum ab escis, sed et a cunctis illécebris abstinére carnálibus, imo ab ómnibus vitiórum continére se passiónibus. Sic et orátio generális non in verbis solum est, quibus divínam cleméntiam invocámus, verum étiam in ómnibus, quae in obséquiu nostri Conditóris fídei devotióne gérimus.

℟. Memor esto fili, quóniam páuperem vitam gérimus: * habébis multa bona, si timúeris Deum. ℣. In mente habéto eum, et cave nequándo praetermíttas praecépta ejus.—Habébis. Glória Patri. Habébis.

Ad Benedictus, Añа. Hoc genus * daemoniórum in nullo potest exíre, nisi in oratióne et jejúnio.

Deinde dicuntur Preces, ut in Psalterio. 63.

Oratio.

QUISERICORDIAE tuae remédiis, quaesumus Dñe, fragílitas nostra subsístat: ut quae sua conditióne attéritur, tua cleméntia reparétur. Per Dñum.

Et dicitur per Horas dici tantum.

Ad Vesperas, si fit de Feria, dicuntur Preces feriales. 140. cum Oratione Dominicae praecedentis.

FERIA QUINTA.

De libro Tobíae.

Lectio i. *Cap.* xii.

VOCAVIT ad se Tobías fílium suum, dixítque ei: Quid póssumus dare viro isti sancto, qui

venit tecum? Respóndens Tobías, dixit patri suo: Pater, quam mercédem dábimus ei: aut quid dignum póterit esse benefíciis ejus? Me duxit et redúxit sanum, pecúniam a Gabélo ipse recépit, uxórem ipse me habére fecit, et daemónium ab ea ipse compéscuit, gáudium paréntibus ejus fecit, meípsum a devoratióne piscis erípuit, te quoque vidére fecit lumen coeli, et bonis ómnibus per eum repléti sumus. Quid illi ad haec potérimus dignum dare? Sed peto te pater mi, ut roges eum, si forte dignábitur medietátem de ómnibus, quae alláta sunt, sibi assúmere.

℟. Peto, Dómine, ut de vínculo. 181.

Lectio ii.

ET vocántes eum, pater scílicet, et fílius, tulérunt eum in partem: et rogáre coepérunt ut dignarétur dimídiam partem ómnium, quae attúlerant, accéptam habére. Tunc dixit eis occúlte: Benedícite Deum coeli, et coram ómnibus vivéntibus confitémini ei, quia fecit vobíscum misericórdiam suam. Etenim sacraméntum regis abscóndere bonum est: ópera autem Dei reveláre et confitéri honorífícum est. Bona est orátio cum jejúnio, et eleemósyna magis quam thesáuros auri recóndere: quóniam eleemósyna a morte líberat, et ipsa est, quae purgat peccáta, et facit invenire misericórdiam et vitam aetérnam. Qui autem fáciunt peccátum, et iniquitátem, hostes sunt ánimae suae.

℟. Omni témpore bénedic. 187.

Lectio iii.

MANIFESTO ergo vobis veritátem, et non abscóndam a vobis occúltum sermónem. Quando orábas cum lácrymis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, et mórtuos abscondébas per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino. Et quia accéptus eras Deo, necésse fuit ut tentátio probáret te. Et nunc misit me Dóminus ut curárem te, et Saram uxórem fílii tui a daemónio liberárem. Ego enim sum Ráphael Angelus, unus ex septem, qui astámus ante Dóminum. Cumque haec audíssent, turbáti sunt, et treméntes cecidérunt super terram in fáciem suam. Dixítque eis Angelus: Pax vobis, nolite timére.

℟. Memor esto fili, quóniam. 187.

FERIA SEXTA
Quatuor Temporum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio i. *Cap.* vii. *f.*

IN illo témpore : Rogábat Jesum quidam de Pharisaeis, ut manducáret cum illo. Et ingréssus domum Pharisaei, discúbuit. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papae.

Homilia xxxiii. *in Evang. post initium.*

QUEM Pharisaeus de falsa justítia praesúmens, nisi Judáicum pópulum ; quem peccátrix múlier ad vestígia Dómini véniens et plorans, nisi convérsam Gentilitátem designat ? Quae cum alabástro venit, unguéntum fudit, retro secus pedes Dómini stetit, lácrymis pedes rigávit, capíllis tersit, eosdémque quos infundébat et tergébat pedes,osculári non désiit. Nos ergo, nos illa múlier expréssit, si toto corde ad Dóminum post peccáta redeámus, si ejus poeniténtiae luctus imitémur. Quid namque unguénto, nisi bonae odor opiniónis exprímitur ? Unde et Paulus dicit : Christi bonus odor sumus Deo in omni loco.

℟. Sufficiébat nobis paupértas nostra, ut divítiae computaréntur : nunquam fuísset pecúnia ipsa, pro qua misísti fílium nostrum, * Báculum senectútis nostrae. ℣. Heu me fili mi, ut quid te mísimus peregrinári, lumen oculórum nostrórum ? —Báculum.

Lectio ii.

SI ergo recta ópera ágimus, quibus opiniónis bonae odóre Ecclésiam respergámus, quid in Dómini córpore, nisi unguéntum fúndimus ? Sed secus pedes Jesu múlier stetit : contra pedes enim Dñi stétimus, cum in peccátis pósiti ejus itinéribus renitebámur. Sed si ad veram poeniténtiam post peccáta convértimur, jam retro secus pedes stamus ; quia ejus vestígia séquimur, quem impugnabámus. Lácrymis múlier pedes ejus rigat : quod nos quoque veráciter ágimus, si quibúslibet últimis membris Dñi per compassiónis affléctum inclinámur, si sanctis ejus in tribulatióne compátimur, si eórum tristítiam, nostram putámus.

℟. Benedícite Deum coeli, et coram ómnibus vivéntibus confitémini ei : * Quia fecit vobíscum misericórdiam suam. ℣. Ipsum benedícite, et cantáte illi :

et enarráte ómnia mirabília ejus.—Quia fecit.

Lectio iii.

CAPILLIS ergo pedes Dómini térgimus, quando sanctis ejus, quibus ex charitáte compátimur, étiam ex his, quae nobis supérfluunt, miserémur: quátenus sic mens per compassiónem dóleat, ut étiam larga manus affféctum dolóris osténdat. Rigat namque lácrymis Redemptóris pedes, sed capíllis suis non tergit, qui utcúmque proximórum dolóri compátitur, sed tamen eis ex his quae sibi supérfluunt, non miserétur. Plorat, et non tergit, qui verba quidem dolóris tríbuit, sed non ministrándo quae desunt, vim dolóris mínime abscíndit. Osculátur múlier pedes, quos tergit : quod nos quoque plene ágimus, si studióse dilígimus, quos ex largitáte continémus : ne gravis nobis sit necéssitas próximi ; ne ipsa nobis ejus indigéntia, quae sustentátur, fiat onerósa : et cum manus necessária tríbuit, ánimus a dilectióne torpéscat.

℟. Tempus est ut revértar ad eum, qui misit me :* Vos autem benedícite Deum, et enarráte ómnia mirabília ejus. ℣. Confitémini ei coram ómnibus vivéntibus, quia fecit vobíscum misericórdiam suam.—Vos autem. Glória Patri. Vos autem.

Ad Bened. Ańa. Múlier * quae erat in civitáte peccátrix, stans retro secus pedes Dómini, lácrymis coepit rigáre pedes ejus, et capíllis cápitis sui tergébat, et deosculabátur pedes ejus et unguénto ungébat.

Deinde dicuntur Preces, ut in Psalterio. 63.

Oratio.

PRAESTA, quaesumus omnípotens Deus : ut observatiónes sacras ánnua devotióne recoléntes, et córpore tibi placeámus, et mente. Per Dóminum nostrum.

Et dicitur per horas diei tantum. In Vesperis, nisi fiat de festo novem Lectionum, dicuntur Preces feriales. 140. et Oratio Dominicae praeteritae.

SABBATO

Quatuor Temporum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio i. *Cap.* xiii.

IN illo témpore : Dicébat Jesus turbis hanc similitúdinem : Arborem fici habébat quidam plantátam in vínea sua, et venit quaerens fructum in illa, et non invénit. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papae.

Homil. xxxi. *in Evangelia.*

DOMINUS ac Redémptor noster per Evangélium suum aliquándo verbis, aliquándo rebus lóquitur : aliquándo áliud verbis, atque áliud rebus : aliquándo autem hoc verbis, quod rebus. Duas étenim res ex Evangélio, fratres, audístis : ficúlneam infructuósam, et mulíerem curvam : et utríque rei est píetas impénsa. Illud autem dixit per similitúdinem : istud egit per exhibitiónem. Sed hoc significat ficúlnea infructuósa, quod múlier inclináta : et hoc ficúlnea reserváta, quod múlier erécta.

℟. Tribulatiónes civitátum audívimus, quas passae sunt, et defécimus : timor et hebetúdo mentis cécidit super nos, et super líberos nostros : ipsi montes nolunt recípere fugam nostram : * Dómine, misérere. ℣. Peccávimus cum pátribus nostris, injúste égimus, iniquitátem fécimus.—Dómine.

Lectio ii.

QUID arbor fici, nisi humánam natúram designat? Quid múlier inclináta, nisi eámdem natúram significándo denúntiat? Quae et bene plantáta est sicut ficus, et bene creáta sicut múlier : sed in culpam própria sponte lapsa, neque fructum servat operatiónis, neque statum rectitúdinis. Ad peccátum quippe ex voluntáte córruens, quia fructum obediéntiae ferre nóluit, statum rectitúdinis amísit. Quae ad Dei similitúdinem cóndita, dum in sua dignitáte non pérstitit, quod plantáta vel creáta fúerat, serváre contémpsit. Tértio dóminus víneae ad ficúlneam venit, quia natúram géneris humáni ante legem, sub lege, sub grátia expectándo, admonéndo, visitándo requisívit.

℟. Omni témpore bénedic Deum, et pete ab eo ut vias tuas dírigat : * Et in omni témpore consília tua in ipso permáneant. ℣. Inquíre ut fácias quae plácita sunt illi in veritáte, et in tota virtúte tua.—Et in omni.

Lectio iii.

VENIT ante legem, quia per naturálem intellectum quid unusquísque exémplo sui, quáliter erga próximum ágere debuísset, innótuit. Venit in lege, quia praecipiéndo dócuit. Venit post legem per grátiam, quia pietátis suae praeséntiam exhibéndo monstrávit. Sed tamen in tribus annis fructum se non

invenísse conquéritur : quia quorúmdam pravórũ mentes nec inspiráta lex naturális córrigit, nec praecépta erúdiunt, nec incarnatiónis ejus mirácula convértunt. Quid vero per cultórem víneae, nisi praepositórum ordo exprímitur ? Qui dum praesunt Ecclésiae, nimírum Domínicae víneae curam gerunt.

℟. Memor esto fili, quóniam páuperem vitam gérimus: * Habébis multa bona, si timúeris Deum. ℣. In mente habéto eum, et cave nequándo praetermíttas praecépta ejus.— Habébis multa. Glória Patri. Habébis multa.

Ad Bened. Aña. Illumináre, Dómine, * iis qui in ténebris sedent, et dírige pedes nostros in viam pacis, Deus Israël.

Deinde dicuntur Preces, ut in Psalterio. 63.

Oratio,

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui per continéntiam salutárem, corpóribus medéris et méntibus : majestátem tuam súpplices exorámus ; ut pia jejunántium deprecatióne placátus, et praeséntia nobis subsídia tríbuas, et futúra. Per Dñum.

Et dicitur per Horas diei tantum.

SABBATO
ante Dominicam quartam Septembris.

Ad Magnif. Aña. Adónai Dñe * Deus magne et mirábilis, qui dedísti salútem in manu foeminae, exáudi preces servórum tuórum.

DOMINICA IV.
Septembris.

In primo Nocturno.

Incipit liber Judith.

Lectio i. *Cap.* i. *et* ii.

ARPHAXAD ítaque rex Medórum, subjugáverat multas gentes império suo, et ipse aedificávit civitátem potentíssimam, quam appellávit Ecbátanis, ex lapídibus quadrátis et sectis : fecit muros ejus in latitúdinem cubitórum septuagínta, et in altitúdinem cubitórum trigínta, turres vero ejus pósuit in altitúdinem cubitórum centum. Per quadrum vero eárum latus utrúmque vicenórũ pedum spátio tendebátur, posuítque portas ejus in altitúdinẽ túrrium : et gloriabátur quasi potens in poténtia exércitus sui, et in glória quadrigárum suárum.

℟. Adónai Dómine Deus magne et mirábilis, qui dedísti salútem in manu foeminae : * Exáudi preces

servórum tuórum. ℣. Benedíctus es, Dómine qui non derelínquis praesuméntes de te, et de sua virtúte gloriántes humílias. — Exáudi preces.

Lectio ii.

ANNO ígitur duodécimo regni sui : Nabuchodónosor rex Assyriórũ, qui regnábat in Nínive civitáte magna, pugnávit contra Arphráxad, et obtínuit eum in campo magno, qui appellátur Rágau, circa Euphráten, et Tigrin, et Jádason in campo Erioch regis Elicórum. Tunc exaltátum est regnum Nabuchodónosor, et cor ejus elevátum est : et misit ad omnes, qui habitábant in Cilícia, et Damásco, et Líbano, et ad gentes quae sunt in Carmélo, et Cedar, et inhabitántes Galilaeam in campo magno Esdrelon, et ad omnes qui erant in Samaría, et trans flumen Jordánem usque ad Jerúsalem, et omnem terram Jesse quoúsque perveniátur ad términos Æthiópiae.

℟. Tribulatiónes civitátum audívimus, quas passae sunt, et defécimus: timor et hebetúdo mentis cécidit super nos, et super líberos nostros : ipsi montes nolunt recípere fugam nostram : * Dñe, miserére. ℣. Peccávimus cum pátribus nostris, injúste égimus, iniquitátem fécimus.—Dómine.

Lectio iii.

AD hos omnes misit núntios Nabuchodónosor rex Assyriórum : qui omnes uno ánimo contradixérunt, et remisérunt eos vácuos, et sine honóre abjecérunt. Tunc indignátus Nabuchodónosor rex advérsus omnem terram illam, jurávit per thronum et regnum suum quod defénderet se de ómnibus regiónibus his. Anno tertiodécimo Nabuchodónosor regis, vigésima et secúnda die mensis primi factum est verbum in domo Nabuchodónosor regis Assyriórum, ut defénderet se. Vocavítque omnes majóres natu, omnésque duces, et bellatóres suos, et hábuit cum eis mystérium consílii sui : dixítque cogitatiónem suam in eo esse, ut omnem terram suo subjugáret império.

℟. Benedícat te Dñus in virtúte sua, qui per te ad níhilum redégit inimícos nostros : * Ut non defíciat laus tua de ore hóminum. ℣. Benedíctus Dñus, qui creávit coelum et terram : quia hódie nomen tuum ita magnificávit. — Ut non. Glória Patri. Ut non.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi, de Elía et jejúnio.

Lectio iv. *Cap.* ix.

OTENTES vinum prohibéntur bíbere, ne, cum bíberint, obliviscántur sapiéntiam. Dénique bibébant vinum in ebrietáte poténtes, qui Holoférni príncipi milítiae regis Assyriórum se trádere gestiébant : sed non bibébat fœmina Judith, jejúnans ómnibus diébus viduitátis suae, praeter festórum diérum solemnitátes. His armis munita procéssit et omnem Assyriórum circumvénit exércitum. Sóbrii vigóre consílii ábstulit Holofémis caput, servávit pudicítiam, victóriam reportávit.

℟. Nos álium Deum nescímus, praeter Dóminum, in quo sperámus : * Qui non déspicit nos, nec ámovet salútem suam a génere nostro. ℣. Indulgéntiam ipsíus fusis lácrymis postulémus, et humiliémus illi ánimas nostras.—Qui non.

Lectio v.

HAEC enim succíncta jejúnio in castris praetendébat aliénis : ille vino sepúltus jacébat, ut ictum vúlneris sentíre non posset. Itaque uníus mulíeris jejúnium innúmeros stravit exércitus Assyriórum. Esther quoque púlchrior facta est jejúnio : Dóminus enim grátiam sóbriae mentis augébat. Omne genus suum, id est, totum pópulum Judaeórum a persecutiónis acerbitáte liberávit, ita ut regem sibi fáceret esse subjéctum.

℟. Dominátor Dómine coelórum et terrae, creátor aquárum, rex univérsae creatúrae : * Exáudi oratiónem servórum tuórum. ℣. Tu Dómine, cui humílium semper et mansuetórum plácuit deprecátio. — Exáudi.

Lectio vi.

ITAQUE illa, quae tríduo jejunávit contínuo, et corpus suum aqua lavit, plus plácuit, et vindíctam rétulit : Aman autem, dum se regáli jactat convívio, inter ipsa vina poenam suae ebrietátis exólvit. Est ergo jejúnium reconciliatiónis sacrifícium, virtútis increméntum, quod fecit étiam fœminas fortióres augménto grátiae. Jejúnium nescit foeneratórem, non sortem foenoris novit : non rédolet usúras mensa jejunántium : étiam ipsis jejúnium convíviis dat grátiam. Dulcióres post famem épulae fiunt, quae assiduitáte fastídio sunt, et diutúrna continuatióne viléscunt. Condiméntum cibi jejúnium est. Quanto avídior appeténtia, tanto esca jucúndior.

℟. Dómine Deus, qui cónteris bella ab inítio, éleva bráchium tuum super gentes, quae cógitant servis tuis mala: * Et déxtera tua glorificétur in nobis. ℣. Allíde virtútem eórum in virtúte tua: cadat robur eórum in iracúndia tua.—Et. Glória Patri. Et.

℟. vii. Confórta me Rex, sanctórum principátum tenens: * Et da sermónem rectum et bene sonántem in os meum. ℣. Dómine Rex univérsae potestátis, convérte consílium eórum super eos.—Et da sermónē.

℟. viii. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth: * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spíritus sanctus: et hi tres unum sunt.—Sanctus. Glória Patri. Plena est.

Feria quarta hujus Hebd. post ii. et iii. Lectionem dicitur ii. et iii. ℟. primi Nocturni Dominicae.

FERIA SECUNDA.

De libro Judith.

Lectio i. *Cap.* 4.

FILII Israël, qui habitábant in terra Juda, timuérunt valde a fácie Holoférnis. Tremor et horror invásit sensus eórum, ne hoc fáceret Jerúsalem et templo Dñi, quod fécerat caeteris civitátibus et templis eárum. Et misérunt in omnem Samaríam per circúitum usque Jéricho, et praeoccupavérunt omnes vértices móntium: et muris circumdedérunt vicos suos, et congregavérunt fruménta in praeparatiónem pugnae.

℟. Adónai. 192.

Lectio ii.

SACERDOS étiam Elíachim scripsit ad univérsos, qui erant contra Esdrelon, quae est contra fáciem campi magni juxta Dóthain, et univérsos, per quos viae tránsitus esse póterat, ut obtinérent ascénsus móntium, per quos via esse póterat ad Jerúsalem, et illic custodírent, ubi angústum iter esse póterat inter montes. Et fecérunt fílii Israël secúndum quod constitúerat eis sacérdos Dómini Elíachim. Et clamávit omnis pópulus ad Dóminum instántia magna, et humiliavérunt ánimas suas in jejúniis et oratiónibus, ipsi et mulíeres eórum.

℟. Tribulatiónes. 193.

Lectio iii.

ET induérunt se sacerdótes cilíciis, et infántes prostravérunt contra

fáciem templi Dómini, et altáre Dómini operuérunt cilício : et clamavérunt ad Dóminum Deum Israël unanímiter, ne daréntur in praedam infántes eórum, et uxóres eórum in divisiónem, et civitátes eórum in extermínium, et sancta eórum in pollutiónem, et fíerent oppróbrium Géntibus. Tunc Eliáchim, sacérdos Dómini magnus, circuívit omnem Israël, allocutúsque est eos, dicens : Scitóte quóniam exáudiet Dóminus preces vestras, si manéntes permansérítis in jejúniis et oratiónibus in conspéctu Dómini.

℟. Benedícat te. 193.

FERIA TERTIA.

De libro Judith.

Lectio i. *Cap.* viii.

ET factum est, cum audísset haec verba Judith vídua, quae erat fília Merári, fílii Idox, fílii Joseph, fílii Ozíae, fílii Elái, fílii Jamnor, fílii Gédeon, fílii Ráphaim, fílii Achitob, fílii Melchíae, fílii Enan, fílii Nathanías, fílii Saláthiel, fílii Símeon, fílii Ruben : et vir ejus fuit Manásses, qui mórtuus est in diébus messis hordeáceae : instábat enim super alligántes manípulos in campo, et venit aestus super caput ejus, et mórtuus est in Bethúlia civitáte sua, et sepúltus est illic cum pátribus suis. Erat autem Judith relícta ejus vídua jam annis tribus, et ménsibus sex.

℟. Nos álium Deum. 194.

Lectio ii.

ET in superióribus domus suae fecit sibi secrétum cubículum, in quo cum puéllis suis clausa morabátur, et habens super lumbos suos cilícium, jejunábat ómnibus diébus vitae suae, praeter sábbata, et neoménias, et festa domus Israël. Erat autem eleganti aspéctu nimis, cui vir suus relíquerat divítias multas, et famíliam copiósam, ac possessiónes arméntis boum et grégibus óvium plenas. Et erat haec in ómnibus famosíssima, quóniam timébat Dóminum valde, nec erat qui loquerétur de illa verbum malum.

℟. Dominátor. 194.

Lectio iii.

HAEC ítaque cum audísset, quóniam Ozías promisísset quod transácto quinto die tráderet civitátem, misit ad presbyteros Chabri et Charmi. Et venérunt ad illam, et dixit illis : Quod est hoc verbum, in quo consénsit Ozías, ut tradat civitátem Assyriis, si intra quinque dies non vénerit vobis adjutórium ?

Et qui estis vos, qui tentátis Dóminum ?

℟. Dómine Deus. 195.

FERIA QUARTA.
De libro Judith.

Lectio i. *Cap.* x.

FACTUM est autem, cum cessásset clamáre ad Dóminum, surréxit de loco, in quo jacúerat prostráta ad Dóminum. Vocavítque abram suam, et descéndens in domum suam, ábstulit a se cilícium, et éxuit se vestiméntis viduitátis suae, et lavit corpus suum, et unxit se myro óptimo, et discriminávit crinem cápitis sui, et impósuit mitram super caput suum, et índuit se vestiméntis jucunditátis suae, induítque sandália pédibus suis, assumpsítque dextralíola, et lília, etináures, et ánnulos, et ómnibus ornaméntis suis ornávit se. Cui étiam Dóminus cóntulit splendórem.

℟. Confórta me Rex, sanctórum principátum tenens : * Et da sermónem rectum et bene sonántem in os meum. ℣. Dómine Rex univérsae potestátis, convérte consílium eórum super eos.—Et da sermónē.

Lectio ii.

FACTUM est autem, cum descénderet montem, circa ortum diéi, occurrérunt ei exploratóres Assyriórum, et tenuérunt eam, dicéntes : Unde venis? aut quo vadis ? Quae respóndit: Fília sum Hebraeórum, ídeo ego fugi a fácie eórum, quóniam futúrum agnóvi, quod dentur vobis in depraedatiónem, pro eo quod contemnéntes vos, noluérunt ultro trádere seípsos, ut invenírent misericórdiam in conspéctu vestro.

℟. Tribulatiónes civitátum audívimus, quas passae sunt, et defécimus : timor et hebetúdo mentis cécidit super nos, et super líberos nostros : ipsi montes nolunt recípere fugam nostram : * Dómine, miserére. ℣. Peccávimus cum pátribus nostris, injúste égimus, iniquitátem fécimus.—Dómine.

Lectio iii.

DUXERUNTQUE illam ad tabernáculum Holoférnis, annuntiántes eam. Cumque intrásset ante fáciem ejus, statim captus est in suis óculis Holoférnes. Dixerúntque ad eum satéllites ejus : Quis contémnat pópulum Hebraeórum, qui tam decóras muliéres habent, ut non pro his mérito pugnáre contra eos debeámus ? Videns ítaque Judith Holoférnem sedéntem in conopéo, quod erat ex púrpura, et auro,

et smarágdo, et lapídibus pretiósis intéxtum : et cum in fáciem ejus intendísset, adorávit eum, prostérnens se super terram.

℟. Benedícat te Dóminus in virtúte sua, qui per te ad níhilum redégit inimícos nostros : * Ut non defíciat laus tua de ore hóminum. ℣. Benedíctus Dóminus, qui creávit coelum et terram : quia hódie nomen tuum ita magnificávit.—Ut non defíciat. Glória Patri. Ut non defíciat

---

FERIA QUINTA.

Si haec fuerit ultima Hebdomada Septembris, hac nocte ponitur liber Esther cum sua historia, ut infra in Dominica quinta hujus mensis 200, et legitur de eo etiam duobus sequentibus diebus. Quod si hoc triduo non occurrat Feria, in qua possint poni Responsoria, eo anno omittuntur.

Si vero non fuerit ultima Hebdomada, leguntur sequentes Lectiones.

De libro Judith.

Lectio i. *Cap.* xii. *c.*

ET factum est, in quarto die Holofférnes fecit coenam servis suis, et dixit ad Vágao eunúchum suum: Vade, et suáde Hebraeam illam ut sponte conséntiat habitáre mecum. Foedum est enim apud Assyrios, si fœmina irrídeat virum, agéndo ut immúnis ab eo tránseat. Tunc introívit Vágao ad Judith, et dixit : Non vereátur bona puélla introíre ad dóminum meum, ut honorificétur ante fáciem ejus, ut manducet cum eo, et bibat vinum in jucunditáte. Cui Judith respóndit : Quae ego sum, ut contradícam dómino meo?

℟. Adónai. 192.

Lectio ii. *Cap.* xiii.

UT autem sero factum est, festinavérunt servi illíus ad hospítia sua, et conclúsit Vágao óstia cubículi, et ábiit. Erant autem omnes fatigáti a vino: erátque Judith sola in cubículo. Porro Holofférnes jacébat in lecto, nímia ebrietáte sopítus. Dixítque Judith puéllae suae ut staret foris ante cubículum, et observáret. Stetítque Judith ante lectum, orans cum lácrymis, et labiórum motu in siléntio, dicens : Confírma me Dómine Deus Israël, et réspice in hac hora ad ópera mánuum meárum, ut, sicut promisísti, Jerúsalem civitátem tuam érigas : et hoc quod credens per te posse fíeri cogitávi, perfíciam.

℟. Tribulatiónes. 193.

Lectio iii.

ET cum haec dixísset, accéssit ad colúmnam, quae erat ad caput léctuli ejus, et pugiónem ejus, qui in ea ligátus pendébat, exsólvit. Cumque evaginásset illum, apprehéndit comam cápitis ejus, et ait: Confírma me Dómine Deus in hac hora. Et percússit bis in cervícem ejus, et abscídit caput ejus, et ábstulit conopéum ejus a colúmnis, et evólvit corpus ejus truncum. Et post pusíllum exívit, et trádidit caput Holoférnis ancíllae suae, et jussit ut mítteret illud in peram suam.

℟. Benedícat te. 193.

FERIA SEXTA.

De libro Judith.

Lectio i. *Cap* xv.

CUMQUE omnis exércitus decollátum Holoférnem audísset, fugit mens et consílium ab eis, et solo tremóre et metu agitáti, fugae praesídium sumunt, ita ut nullus loquerétur cum próximo suo, sed inclináto cápite, relíctis ómnibus, evádere festinábant Hebraeos, quos armátos super se veníre audiébant, fugiéntes per vias campórum et sémitas cóllium. Vidéntes ítaque fílii Israël fugiéntes, secúti sunt illos. Descenderúntque clangéntes tubis, et ululántes post ipsos.

℟. Nos álium. 194.

Lectio ii.

QUISIT ítaque Ozías núntios per omnes civitates et regiónes Israël. Omnis ítaque régio, omnísque urbs eléctam juventútem armátam misit post eos, et persecúti sunt eos in ore gládii, quoúsque pervenírent ad extremitátem fínium suórum. Réliqui autem, qui erant in Bethúlia, ingréssi sunt castra Assyriórum, et praedam, quam fugiéntes Assyrii relíquerant, abstulérunt, et onustáti sunt valde.

℟. Dominátor. 194.

Lectio iii.

JOACHIM autem summus Póntifex de Jerúsalem venit in Bethúliam cum univérsis presbyteris suis, ut vidéret Judith. Quae cum exísset ad illum, benedixérunt eam omnes una voce dicéntes: Tu glória Jerúsalem, tu laetítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri: quia fecísti víriliter, et confortátum est cor tuum, eo quod castitátem amáveris, et post virum tuum, álterum nescíeris: ídeo et manus Dñi confortávit te, et ídeo eris benedícta

in aetérnum. Et dixit omnis pópulus: Fiat, fiat.

℟. Dómine Deus. 195.

SABBATO.

De libro Judith.

Lectio i. *Cap.* xvi. *c.*

ET factum est post haec, omnis pópulus post victóriam venit in Jerúsalem adoráre Dñum: et mox ut purificáti sunt, obtulérunt omnes holocáusta, et vota, et repromissiónes suas. Porro Judith univérsa vasa béllica Holoférnis, quae dedit illi pópulus, et conopéum, quod ipsa sustúlerat de cubíli ipsíus, óbtulit in anathéma oblivióni.

Lectio ii.

ERAT autem pópulus jucúndus secúndum fáciem sanctórum, et per tres menses gáudium hujus victóriae celebrátum est cum Judith. Post dies autem illos, unusquísque rédiit in domum suam: et Judith magna facta est in Bethúlia, et praeclárior erat univérsae terrae Israël. Erat étiam virtúti cástitas adjúncta, ita ut non cognósceret virum ómnibus diébus vitae suae, ex quo defúnctus est Manásses vir ejus. Erat autem diébus festis procédens cum magna glória.

Lectio iii.

QUANSIT autem in domo viri sui annos centum quinque, et dimísit abram suam líberam, et defúncta est ac sepúlta cum viro suo in Bethúlia. Luxítque illam omnis pópulus diébus septem. In omni autem spátio vitae ejus non fuit qui perturbáret Israël, et post mortem ejus annis multis. Dies autem victóriae hujus festivitátis, ab Hebraeis in número sanctórum diérum accípitur, et cólitur a Judaeis ex illo témpore usque in praeséntem diem.

SABBATO

ante Dominicam quintam Septembris.

Ad Magnif. Ant. Dómine Rex omnípotens, * in ditióne tua cuncta sunt pósita, et non est qui possit tuae resístere voluntáti.

DOMINICA V.

Septembris.

In primo Nocturno.

Incipit liber Esther.

Lectio i. *Cap.* i.

IN diébus Assuéri, qui regnávit ab India usque Æthiópiam super centum vigínti septem províncias: quando sedit in

sólio regni sui, Susan cívitas regni ejus exórdium fuit. Tértio ígitur anno impérii sui fecit grande convívium cunctis princípibus, et púeris suis, fortíssimis Persárum, et Medórum ínclytis, et praeféctis provinciárum coram se, ut osténderet divítias glóriae regni sui, ac magnitúdinem, atque jactántiam poténtiae suae, multo témpore, centum vidélicet et octogínta diébus.

℟. Dñe mi Rex omnípotens, in ditióne tua cuncta sunt pósita, et non est qui possit resístere voluntáti tuae: * Líbera nos propter nomen tuum. ℣. Exáudi oratiónem nostram et convérte luctum nostrum in gáudium.—Líbera nos.

Lectio ii.

CUMQUE implerén-tur dies convívii, invitávit omnem pópulum, qui invéntus est in Susan, a máximo usque ad mínimũ: et jussit septem diébus convívium praeparári in vestíbulo horti, et némoris, quod régio cultu et manu cónsitum erat. Et pendébant ex omni parte tentória aérii colóris, et carbásini ac hyacínthini, sustentáta fúnibus byssinis, atque purpúreis, qui ebúrneis círculis insérti erant, et colúmnis marmóreis fulciebántur. Léctuli quoque áurei et argéntei, super paviméntum smarágdino et pário stratum lápide dispósiti erant: quod mira varietáte pictúra decorábat.

℟. Confórta me Rex, sanctórum principátum tenens: * Et da sermónem rectum et bene sonántem in os meum. ℣. Dómine Rex univérsae potestátis, convérte consílium eórum super eos.—Et da.

Lectio iii.

BIBEBANT autem qui invitáti erant, áureis póculis, et áliis atque áliis vasis cibi inferebántur. Vinum quoque, ut magnificéntia régia dignum erat, abúndans et praecípuum ponebátur. Nec erat qui noléntes cógeret ad bibéndum, sed sicut rex statúerat, praepónens mensis síngulos de princípibus suis, ut súmeret unusquísque quod vellet. Vasthi quoque regína fecit convívium fœmináram in palátio, ubi rex Assuérus manére consuéverat.

℟. Spem in álium nunquam hábui, praetérquam in te, Deus Israël: * Qui irásceris, et propítius eris: et ómnia peccáta hóminum in tribulatióne dimíttis. ℣. Dómine Deus, creátor coeli et terrae, réspice ad humilitátem nostram.—Qui. Glória Patri. Qui.

In secundo Nocturno.

Ex libro Officiórum sancti Ambrósii Epíscopi.

Lectio iv. *Lib.* 3. *cap.* xv.

QUID Esther regína, nonne ut pópulum suum perículo erúeret (quod erat decórum atque honéstum),morti se óbtulit, nec immítis regis trepidávit furórem ? Ipse quoque rex Persárum ferox atque túmido corde, tamen decórum judicávit, índici insidiárum quae sibi parátae forent, grátiam repraesentáre, populúmque líberum a servitúte erípere, erúere neci, nec párcere neci ejus qui tam indecóra suasísset. Dénique quem secúndum a se, ac praecípuum inter omnes amícos habéret, cruci trádidit, quod dehonestátum se ejus frauduléntis consíliis animadvertísset.

℟. Meménto mei Dñe Deus in bonum : * Et ne déleas miseratiónes meas, quas feci in domo Dei mei, et in caeremóniis ejus. ℣. Recordáre mei, Dñe Deus meus.—Et ne déleas.

Lectio v. *Cap.* xvi.

NAM enim amicítia probábilis, quae honestátem tuétur, praeferénda sane ópibus, honóribus, potestátibus ; honestáti vero praeférri non solet, sed honestátem sequi. Qualis fuit Jónathae, qui pro pietáte nec offénsam patris, nec salútis perículum refugiébat. Qualis fuit Achímelech, qui pro hospitális grátiae offíciis necem pótius sibi, quam proditiónem fugiéntis amíci, subeúndam arbitrabátur. Nihil ígitur praeferéndum honestáti : quae tamen ne amicítiae stúdio praetereátur, étiam hoc Scriptúra ádmonet.

℟. Tribulatiónes civitátum audívimus, quas passae sunt, et defécimus: timor et hebetúdo mentis cécidit super nos, et super líberos nostros : ipsi montes nolunt recípere fugam nostram : * Dómine, miserére. ℣. Peccávimus cum pátribus nostris, injúste égimus, iniquitátem fécimus.—Dómine.

Lectio vi.

SUNT enim pleraeque philosophórum quaestiónes : Utrum amíci causa quisquam contra pátriam sentíre, necne, débeat, ut amíco obédiat : Utrum opórteat ut fidem déserat, dum indúlget atque inténdit amíci commoditátibus. Et Scriptúra quidem ait : Clava, et gládius, et sagítta ferráta : sic homo est testimónium dans falsum advérsus amícum suum. Sed consídera quid ástruat. Non testimónium

reprehéndit dictum in amícum, sed falsum testimónium. Quid enim si Dei causa, quid si pátriae, cogátur áliquis dícere testimónium? Numquid praeponderáre debet amicítia religióni, praeponderáre charitáti vítium?

℟. Benedícat te Dóminus in virtúte sua, qui per te ad níhilum redégit inimícos nostros: * Ut non defíciat laus tua de ore hóminum. ℣. Benedíctus Dóminus, qui creávit coelum et terram : quia hódie nomen tuum ita magnificávit.—Ut non. Glória Patri. Ut non.

℟. vii. Nos álium Deum nescímus, praeter Dñum, in quo sperámus : * Qui non déspicit nos, nec ámovet salútem suam a génere nostro. ℣. Indulgéntiam ipsíus fusis lácrymis postulémus, et humiliémus illi ánimas nostras.—Qui non.

℟. viii. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum : * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth : * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spíritus sanctus : et hi tres unum sunt.—Sanctus. Glória Patri. Plena est.

Feria quarta hujus Hebdomadae post secundam et tertiam Lectionem dicitur secundum et tertium Responsorium primi Nocturni hujus Dominicae.

FERIA SECUNDA.

De libro Esther.

Lectio i. *Cap.* ii. *b.*

ERAT vir Judaeus in Susan civitáte, vocábulo Mardochaeus, fílius Jair, fílii Sémei, fílii Cis, de stirpe Jémini, qui translátus fúerat de Jerúsalem eo témpore, quo Jechoníam regem Juda Nabuchodónosor rex Babylónis transtúlerat, qui fuit nutrítius fíliae fratris sui Edíssae, quae áltero nómine vocabátur Esther : et utrúmque paréntem amíserat: pulchra nimis, et decóra fácie. Mortuísque patre ejus ac matre, Mardochaeus sibi eam adoptávit in fíliam.

℟. Dómine mi Rex. 201.

Lectio ii.

QUMQUE percrebuísset regis impérium, et juxta mandátum illíus multae pulchrae vírgines adducerentur Susan, et Egéo traderéntur eunúcho ; Esther quoque inter caeteras puéllas ei trádita est, ut servarétur in número fœminárum. Quae plácuit ei, et invénit grátiam in conspéctu illíus. Et praecépit eunúcho, ut acceleráret mundum muliebrem, et tráderet

ei partes suas, et septem puéllas speciosíssimas de domo regis, et tam ipsam, quam pedíssequas ejus ornáret atque excóleret. Quae nóluit indicáre ei pópulum et pátriam suam : Mardochaeus enim praecéperat ei, ut de hac re omníno reticéret : qui deambulábat quotídie ante vestíbulum domus, in qua eléctae vírgines servabántur, curam agens salútis Esther.

℟. Confórta me Rex. 201.

Lectio iii.

EVOLUTO autem témpore per órdinẽ, instábat dies, quo Esther fília Abíhail fratris Mardochaei, quam sibi adoptáverat in fíliam, debéret intráre ad regem. Quae non quaesívit muliébrem cultum, sed quaecúmque vóluit Egéus eunúchus custos vírginum, haec ei ad ornátum dedit. Erat enim formósa valde, et incredíbili pulchritúdine, ómnium óculis gratiósa et amábilis videbátur. Ducta est ítaque ad cubículum regis Assuéri mense décimo, qui vocátur Tebeth, séptimo anno regni ejus. Et adamávit eam rex plus quam omnes muliéres, habuítque grátiam et misericórdiam coram eo super omnes muliéres ; et pósuit diadéma regni in cápite ejus, fecítque eam regnáre in loco Vasthi.

℟. Spem in álium. 201.

FERIA TERTIA.

De libro Esther.

Lectio i. *Cap.* iii.

POST haec rex Assuérus exaltávit Aman fílium Amadáthi, qui erat de stirpe Agag : et pósuit sólium ejus super omnes príncipes, quos habébat. Cunctíque servi regis, qui in fóribus palátii versabántur, flectébant génua, et adorábant Aman : sic enim praecéperat eis imperátor. Solus Mardochaeus non flectébat genu, neque adorábat eum. Cui dixérunt puéri regis, qui ad fores palátii praesidébant : Cur praeter caeteros non obsérvas mandátum regis ?

℟. Meménto. 202.

Lectio ii.

CUMQUE hoc crébrius dícerent, et ille nollet audíre, nuntiavérunt Aman, scire cupiéntes utrum perseveráret in sententia : dixerat enim eis se esse Judaeum. Quod cum audísset Aman, et experiménto probásset quod Mardochaeus non flecteret sibi genu, nec se adoráret, irátus est valde, et pro níhilo

duxit in unum Mardochaeum míttere manus suas.

℟. Tribulatiónes. 202.

Lectio iii.

AUDIERAT enim quod esset gentis Judaeae : magísque vóluit omnem Judaeórum, qui erant in regno Assuéri, pérdere natiónem. Mense primo (cujus vocábulum est Nisan) anno duodécimo regni Assuéri, missa est sors in urnam, quae Hebráice dícitur phur, coram Aman, quo die et quo mense gens Judaeórum debéret intérfici : et exívit mensis duodécimus, qui vocátur Adar.

℟. Benedícat. 203.

FERIA QUARTA.
De libro Esther.

Lectio i. *Cap* iv.

QUAE cum audísset Mardochaeus, scidit vestiménta sua, et indútus est sacco, spargens cínerem cápiti : et in platéa médiae civitátis voce magna clamábat, osténdens amaritúdinem ánimi sui, et hoc ejulátu usque ad fores palátii grádiens. Non enim erat lícitum indútum sacco aulam regis intráre. In ómnibus quoque provínciis, óppidis, ac locis, ad quae crudéle regis dogma pervénerat, planctus ingens erat apud Judaeos, jejúnium, ululátus, et fletus, sacco et cínere multis pro strato uténtibus. Ingréssae autem sunt puéllae Esther et eunúchi, nuntiaverúntque ei. Quod áudiens consternáta est : et vestem misit, ut abláto sacco indúerent eum : quam accípere nóluit. Accitóque Athach eunúcho, quem rex minístrum ei déderat, praecépit ei ut iret ad Mardochaeum, et dísceret ab eo cur hoc fáceret.

℟. Nos álium Deum nescímus, praeter Dóminum, in quo sperámus : ℣. Qui non déspicit nos, nec ámovet salútem suam a génere nostro. ℣. Indulgéntiam ipsíus fusis lácrymis postulémus, et humiliémus illi ánimas nostras.—Qui non déspiciet.

Lectio ii.

EGRESSUSQUE Athach, ivit ad Mardochaeum stantem in platéa civitátis, ante óstium palátii : qui indicávit ei ómnia quae accíderant, quómodo Aman promisísset, ut in thesáuros regis pro Judaeórum nece inférret argéntum. Exémplar quoque edícti, quod pendébat in Susan, dedit ei, ut regínae osténderet, et monéret eam

ut intráret ad regem, et deprecarétur eum pro pópulo suo. Regréssus Athach, nuntiávit Esther ómnia, quae Mardochaeus díxerat. Quae respóndit ei, et jussit ut díceret Mardochaeo : Omnes servi regis, et cunctae, quae sub ditióne ejus sunt, norunt provínciae, quod sive vir, sive múlier, non vocátus, intérius átrium regis intráverit, absque ulla cunctatióne statim interficiátur : nisi forte rex áuream virgam ad eum teténderit pro signo cleméntiae, atque ita possit vívere. Ego ígitur quómodo ad regem intráre pótero, quae trigínta jam diébus non sum vocáta ad eum?

℟. Confórta me Rex, sanctórum principátum tenens : * Et da sermónem rectum et bene sonántem in os meum. ℣. Dómine Rex univérsae potestátis, convérte consílium eórum super eos.—Et da sermónem.

Lectio iii.

QUOD cum audísset Mardochaeus, rursum mandávit Esther, dicens : Ne putes quod ánimam tuam tantum líberes, quia in domo regis es prae cunctis Judaeis : si enim nunc silúeris, per áliam occasiónem liberabúntur Judaei : et tu, et domus patris tui períbitis. Et quis novit utrum ídcírco ad regnum véneris, ut in tali témpore pararéris ? Rursúmque Esther haec Mardochaeo verba mandávit : Vade et cóngrega omnes Judaeos, quos in Susan repéreris, et oráte pro me. Non comedátis, et non bibátis tribus diébus, et tribus nóctibus : et ego cum ancíllis meis símiliter jejunábo, et tunc ingrédiar ad regem, contra legem fáciens, non vocáta, tradénsque me morti et perículo. Ivit ítaque Mardochaeus, et fecit ómnia, quae ei Esther praecéperat.

℟. Spem in álium nunquam hábui, praetérquam in te, Deus Israël : * Qui irásceris, et propítius eris : et ómnia peccáta hóminum in tribulatióne dimíttis. ℣. Dómine Deus creátor coeli et terrae, réspice ad humilitátem nostram.—Qui irásceris. Glória Patri. Qui irásceris.

FERIA QUINTA.

De libro Esther.

Lectio i. *Cap.* v.

IE autem tértio indúta est Esther regálibus vestiméntis, et stetit in átrio domus régiae, quod erat intérius, cóntra basílicam regis : at ille sedébat super sólium suum in

consistório palátii contra óstium domus. Cumque vidísset Esther regínam stantem, plácuit óculis ejus, et exténdit contra eam virgam áuream, quam tenébat manu. Quae accédens osculáta est summitátem virgae ejus. Dixítque ad eam rex: Quid vis Esther regína? quae est petítio tua? étiam si dimídiam partem regni petíeris, dábitur tibi. At illa respóndit: Si regi placet, óbsecro ut vénias ad me hódie, et Aman tecum, ad convívium quod parávi. Statímque rex, Vocáte, inquit, cito Aman ut Esther obédiat voluntáti.

℟. Dómine mi Rex. 201.

Lectio ii.

EGRESSUS est ítaque illo die Aman laetus et álacer. Cumque vidísset Mardochaeum sedéntem ante fores palátii, et non solum non assurrexísse sibi, sed nec motum quidem de loco sessiónis suae, indignátus est valde: et dissimuláta ira, revérsus in domum suam, convocávit ad se amícos suos, et Zares uxórem suam et expósuit illis magnitúdinem divitiárum suárum, filiórumque turbam, et quanta eum glória super omnes príncipes et servos suos rex elevásset. Et post haec ait: Regína quoque Esther nullum álium vocávit ad convívium cum rege, praeter me: apud quam étiam cras cum rege pransúrus sum. Et cum haec ómnia hábeam, nihil me habére puto, quámdiu vídero Mardochaeum Judaeum sedéntem ante fores régias.

℟. Confórta me Rex. 206.

Lectio iii.

RESPONDERUNTQUE ei Zares uxor ejus, et caeteri amíci: Jube parári excélsam trabem, habéntem altitúdinis quinquagínta cúbitos, et dic mane regi ut appendátur super eam Mardochaeus, et sic ibis cum rege laetus ad convívium. Plácuit ei consílium, et jussit excélsam parári crucem.

℟. Spem in álium. 206.

FERIA SEXTA.
De libro Esther.

Lectio i. *Cap.* vi.

NOCTEM illam duxit rex insómnē, jussítque sibi afférri histórias et annáles priórum témporū. Quae cum illo praesénte legeréntur, ventum est ad illum locum ubi scriptum erat quómodo nuntiásset Mardochaeus insídias Bágathan, et Thares eunuchórum, regem Assuérum

juguláre cupiéntium. Quod cum audísset rex, ait: Quid pro hac fide honóris ac praemii Mardochaeus consecútus est? Dixérunt ei servi illíus ac minístri: Nihil omníno mercédis accépit. Statímque rex, Quis est, inquit, in átrio? Aman quippe intérius átrium domus régiae intráverat, ut suggéreret regi, et jubéret Mardochaeum affígi patíbulo, quod ei fúerat praeparátum. Respondérunt púeri: Aman stat in átrio. Dixítque rex: Ingrediátur.

℟. Meménto mei. 202.

Lectio ii.

QUMQUE esset ingréssus, ait illi: Quid debet fíeri viro, quem rex honoráre desíderat? Cógitans autem in corde suo Aman, et réputans quod nullum álium rex, nisi se, vellet honoráre, respóndit: Homo, quem rex honoráre cupit, debet índui véstibus régiis, et impóni super equum, qui de sella regis est, et accípere régium diadéma super caput suum, et primus de régiis princípibus, ac tyránnis téneat equum ejus, et per platéam civitátis incédens clamet, et dicat: Sic honorábitur, quemcúmque volúerit rex honoráre.

℟. Tribulatiónes. 202.

Lectio iii.

DIXITQUE ei rex: Festína, et sumpta stola et equo, fac, ut locútus es, Mardochaeo Judaeo, qui sedet ante fores palátii. Cave ne quidquam de his, quae locútus es, praetermíttas. Tulit ítaque Aman stolam et equum, indutúmque Mardochaeum in platéa civitátis, et impósitum equo praecedébat, atque clamábat: Hoc honóre condígnus est quemcúmque rex volúerit honoráre. Reversúsque est, Mardochaeus ad jánuam palátii: et Aman festinávit ire in domum suam, lugens et opérto cápite: narravítque Zares uxóri suae, et amícis, ómnia quae evenísent sibi.

℟. Benedícat te. 203.

SABBATO.
De libro Esther.

Lectio i. *Cap.* vii.

INTRAVIT ítaque rex et Aman, ut bíberent cum regína. Dixítque ei rex étiam secúnda die, postquam vino incalúerat: Quae est petítio tua Esther ut detur tibi? et quid vis fíeri? étiam si dimídiam partem regni mei petíeris, impetrábis. Ad quem illa respóndit: Si invéni grátiam in óculis tuis, o rex, et

si tibi placet, dona mihi ánimam meam, pro qua rogo, et pópulum meum, pro quo óbsecro. Tráditi enim sumus ego et pópulus meus, ut conterámur, jugulémur, et pereámus. Atque útinam in servos et fámulas venderémur : esset tolerábile malum, et gemens tacérem : nunc autem hostis noster est, cujus crudélitas redúndat in regem.

Lectio ii.

RESPONDENSQUE rex Assuérus, ait : Quis est iste, et cujus poténtiae, ut haec áudeat fácere? Dixítque Esther : Hostis et inimícus noster péssimus iste est Aman. Quod ille áudiens íllico obstúpuit, vultum regis ac regínae ferre non sústinens. Rex autem irátus surréxit, et de loco convívii intrávit in hortum arbóribus cónsitum. Aman quoque surréxit ut rogáret Esther regínam pro ánima sua, intelléxit enim a rege sibi parátum malum.

Lectio iii.

QUI cum revérsus esset de horto nemóribus cónsito, et intrásset convívii locum, réperit Aman super léctulum corruísse, in quo jacébat Esther, et ait ; Etiam regínam vult opprímere, me praesénte, in domo mea. Necdum verbum de ore regis exíerat, et statim operuérunt fáciem ejus. Dixítque Harbóna, unus de eunúchis, qui stabant in ministério regis : En lignum, quod paráverat Mardochaeo, qui locútus est pro rege, stat in domo Aman, habens altitúdinis quinquagínta cúbitos. Cui dixit rex : Appéndite eum in eo. Suspénsus est ítaque Aman in patíbulo quod paráverat Mardochaeo : et regis ira quiévit.

SABBATO

ante Dominicam primam Octobris.

Ad Magnificat, Ánt. Adapériat Dñus cor vestrum in lege sua, et in praecéptis suis, et fáciat pacem Dóminus Deus noster.

DOMINICA I.

Octobris.

In primo Nocturno.

Incipit liber primus Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* i.

FACTUM est, postquam percússit Alexánder Philíppi Mácedo, qui primus regnávit in Graecia, egréssus de terra Cethim, Daríum regem Persárum, et Medórum ;

constítuit praelia multa, et obtínuit ómnium munitiónes, et interfécit reges terrae. Et pertránsiit usque ad fines terrae : et accépit spólia multitúdinis Géntiũ, et síluit terra in conspéctu ejus. Et congregávit virtútem, et exércitum fortem nimis : et exaltátum est, et elevátum cor ejus : et obtínuit regiónes Géntium, et tyránnos : et facti sunt illi in tribútum. Et post haec décidit in lectum, et cognóvit quia morerétur. Et vocávit púeros suos nóbiles, qui secum erant nutríti a juventúte : et divísit illis regnum suum, cum adhuc víveret.

℟. Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua, et in praecéptis suis, et fáciat pacem in diébus vestris : * Concédat vobis salútem, et rédimat vos a malis. ℣. Exáudiat Dñus oratiónes vestras, et reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo.—Concédat.

Lectio ii.

ET regnávit Alexánder annis duódecim, et mórtuus est. Et obtinuérunt púeri ejus regnum, unusquísque in loco suo : et imposuérunt omnes sibi diadémata post mortem ejus, et fílii eórum post eos annis multis, et multiplicáta sunt mala in terra. Et éxiit ex eis radix peccátrix, Antíochus illústris, fílius Antíochi regis, qui fúerat Romae obses : et regnávit in anno centésimo trigésimo séptimo regni Graecórum.

℟. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, et reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo, * Dóminus Deus noster. ℣. Det vobis cor ómnibus ut colátis eum, et faciátis ejus voluntátem.—Dóminus.

Lectio iii.

IN diébus illis exiérunt ex Israël fílii iníqui, et suasérunt multis, dicéntes : Eámus, et disponámus testaméntum cum Géntibus, quae circa nos sunt : quia ex quo recéssimus ab eis, invenérunt nos multa mala. Et bonus visus est sermo in óculis eórum. Et destinavérunt áliqui de pópulo, et abiérunt ad regem : et dedit illis potestátem ut fácerent justítiam Géntium. Et aedificavérunt gymnásium in Jerosólymis secúndum leges natiónum. Et fecérunt sibi praepútia, et recessérunt a testaménto sancto, et juncti sunt natiónibus, et venúmdati sunt ut fácerent malum.

℟. Congregáti sunt inimíci nostri, et gloriántur in

virtúte sua : cóntere fortitúdinem illórum Dómine, et dispérge illos : * Ut cognóscant, quia non est álius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. ℣. Dispérge illos in virtúte tua, et déstrue eos protéctor noster Dómine.—Ut cognóscant. Glória Patri. Ut cognóscant.

In secundo Nocturno.

Ex libro Officiórum sáncti Ambrósii Epíscopi.

Lectio iv. *Lib.* i. *cap.* xl.

FORTASSE álios béllica defíxos glória tenet, ut putent solam esse praeliárem fortitúdinem ; et ídeo me ad ista deflexísse, quia illa nostris déforet. Quam fortis Jesus Nave, ut uno praelio quinque reges captos stérneret cum pópulis suis ? Deínde cum advérsum Gabaonítas urgéret praelium, et vererétur ne nox impedíret victóriam, magnitúdine mentis et fídei clamávit: Stet sol : et stetit, donec victória consummarétur. Gédeon in trecéntis viris de ingénti pópulo et acérbo hoste revéxit triúmphum. Jónathas adoléscens virtútem magnam fecit in praelio.

℟. Impetum inimicórum ne timuéritis : mémores estóte, quómodo salvi facti sunt patres nostri : * Et nunc clamémus in coelum, et miserébitur nostri Deus noster. ℣. Mementóte mirabílium ejus, quae fecit Pharaóni, et exercítui ejus in mari Rubro.—Et nunc.

Lectio v.

QUID de Machabaeis loquar ? Sed prius de pópulo dicam patrum : qui cum essent paráti ad repugnándum pro templo Dei, et pro legítimis suis, dolo hóstium die lacessíti sábbati, maluérunt vulnéribus offérre nuda córpora, quam repugnáre, ne violárent sábbatum. Itaque omnes laeti se obtulérunt morti. Sed Machabaei considerántes quod hoc exémplo gens omnis posset períre, sábbato étiam, cum ipsi in bellum provocarénter, ulti sunt innocéntium necem fratrum suórum. Unde póstea stimulátus rex Antíochus, cum bellum accénderet per duces suos Lysiam, Nicánorem, Górgiam, ita cum Orientálibus suis et Assyriis attrítus est cópiis, ut quadragínta et octo míllia in médio campi a tribus míllibus prosterneréntur.

℟. Congregátae sunt Gentes in multitúdine, ut dímicent contra nos, et ignorámus quid ágere debeámus : * Dómine Deus, ad te sunt óculi nostri, ne

pereámus. ℣. Tu scis quae cógitant in nos : quómodo potérimus subsístere ante fáciem illórum, nisi tu ádjuves nos ? — Dómine Deus.

Lectio vi.

VIRTUTEM ducis Judae Machabaei de uno ejus mílite consideráte. Namque Eleázarus, cum supereminéntem caeteris elephántem lorica vestítum régia advérteret, arbitrátus quod in eo esset rex, cursu cóncito in médium legiónis se prorúpit : et abjécto clypeo, utráque manu interficiébat, donec perveníret ad béstiam, atque intrávit sub eam, et subjécto gládio interémit eam. Itaque cadens béstia oppréssit Eleázarum, atque ita mórtuus est. Quanta ígitur virtus ánimi ! primo, ut mortem non timéret : deínde, ut circumfúsus legiónibus inimicórum, in confértos raperétur hostes, médium penetráret agmen, et contémpta morte ferócior, abjécto clypeo, utráque manu vulnerátae molem béstiae subíret ac sustinéret, post infra ipsam succéderet, quo plenióri feríret ictu : cujus ruína inclúsus, magis quam oppréssus, suo est sepúltus triúmpho.

℟. Tua est poténtia, tuum regnum Dómine : tu es super omnes Gentes : * Da pacem Dómine in diébus nostris. ℣. Creátor ómnium Deus, terríbilis et fortis, justus et misericors.—Da pacem Dómine. Glória Patri. Da pacem Dómine.

℟. vii. Refúlsit sol in clypeos áureos, et resplenduérunt montes ab eis : * Et fortitúdo Géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valde, et fortis : et appropiávit Judas, et exércitus ejus in praelio.—Et fortitúdo Géntium.

℟. viii. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum : * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth : * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spíritus sanctus : et hi tres unum sunt.—Sanctus, Sanctus. Glória Patri. Plena est omnis.

Infra Hebdomadam Feria quarta et Sabbato post secundam et tertiam Lectionem dicitur secundum et tertium Responsorium sequentis Feriae secundae.

Responsoria hujus Dominicae dicuntur in sequentibus Dominicis usque ad Dominicam primam Novembris.

FERIA SECUNDA.
De libro primo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* i. *c.*



T parátum est regnum in conspéctu Antíochi, et coepit regnáre in terra Ægypti, ut regnáret super duo regna. Et intrávit in Ægyptum in multitúdine gravi, in cúrribus, et elephántis, et equítibus, et copiósa návium multitúdine : et constítuit bellum advérsus Ptolemaeum regem Ægypti, et véritus est Ptolemaeus a fácie ejus, et fugit, et cecidérunt vulneráti multi. Et comprehéndit civitátes munítas in terra Ægypti : et accépit spólia terrae Ægypti.

℟. Dixit Judas Simóni fratri suo : Elige tibi viros, et vade, líbera fratres tuos, in Galilaeam : ego autem, et Jónathas frater tuus, íbimus in Galaadítim :* Sicut fúerit volúntas in coelo, sic fiat. ℣. Accingímini fílii poténtes, et estóte paráti : quóniam mélius est nobis mori in bello, quam vidére mala gentis nostrae, et sanctórum.—Sicut fúerit.

Lectio ii.

T convértit Antíochus, postquam percússit Ægyptum in centésimo et quadragésimo tértio anno : et ascéndit ad Israël, et ascéndit Jerosólymam in multitúdine gravi. Et intrávit in sanctificatiónem cum supérbia, et accépit altáre áureum, et candelábrum lúminis, et univérsa vasa ejus, et mensam propositiónis, et libatória, et phíalas, et mortaríola áurea, et velum, et corónas, et ornaméntum áureum quod in fácie templi erat : et commínuit ómnia.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, et dedicavérunt altáre Dómino : * Et facta est laetítia magna in pópulo. ℣. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum.—Et facta est.

Lectio iii.

T accépit argéntum, et aurum, et vasa concupiscibília : et accépit thesáuros occúltos, quos invénit : et sublátis ómnibus ábiit in terram suam. Et fecit caedem hóminum, et locútus est in supérbia magna. Et factus est planctus magnus in Israël, et in omni loco eórum : et ingemuérunt príncipes, et senióres : vírgines, et júvenes infirmáti sunt, et speciósitas mulíerum immutáta est. Omnis marítus sumpsit laméntum : et quae sedébant in thoro maritáli, lugébant : et commóta est terra super

habitántes in ea, et univérsa domus Jacob índuit confusiónem.

℟. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum: * Qui magna fecit in Israël, et victóriam dedit illis Dóminus omnípotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, et dedicavérunt altáre Dómino.— Qui magna. Glória Patri. Qui magna.

Responsoria hujus secundae Feriae repetuntur in aliis secundis Feriis usque ad Dominicam primam Novembris.

FERIA TERTIA.
De libro primo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* ii.

IN diébus illis surréxit Mathathías fílius Joánnis, fílii Simeónis, sacérdos ex fíliis Jóarib ab Jerúsalem, et consédit in monte Modin: et habébat fílios quinque, Joánnem, qui cognominabátur Gaddis: et Simónem, qui cognominabátur Thasi: et Judam, qui vocabátur Machabaeus: et Eleázarum, qui cognominabátur Abaron: et Jónathan, qui cognominabátur Apphus. Hi vidérunt mala, quae fiébant in pópulo Juda, et in Jerúsalem.

℟. Hic est fratrum amátor, et pópuli Israël: * Hic est qui multum orat pro pópulo, et univérsa sancta civitáte Jerúsalem. ℣. Vir iste in pópulo suo mitíssimus appáruit.—Hic est.

Lectio ii.

ET dixit Mathathías: Vae mihi, ut quid natus sum vidére contritiónem pópuli mei, et contritiónem civitátis sanctae, et sedére illic, cum datur in mánibus inimicórum? Sancta in manu extraneórum facta sunt: templum ejus sicut homo ignóbilis. Vasa glóriae ejus captíva abdúcta sunt: trucidáti sunt senes ejus in platéis, et júvenes ejus cecidérunt in gládio inimicórum. Quae gens non haereditávit regnum ejus, et non obtínuit spólia ejus?

℟. Tu Dómine universórum, qui nullam habes indigéntiam, voluísti templum tuum fíeri in nobis: * Consérva domum istam immaculátam in aetérnum Dómine. ℣. Tu elegísti Dómine domum istam ad invocándum nomen tuum in ea, ut esset domus oratiónis et obsecratiónis pópulo tuo.—Consérva.

Lectio iii.

ET scidit vestiménta sua Mathathías, et fílii ejus: et operuérunt se

cilíciis, et planxérunt valde. Et venérunt illuc qui missi erant a rege Antíocho, ut cógerent eos, qui confúgerant in civitátem Modin, immoláre, et accéndere thura, et a lege Dei discédere. Et multi de pópulo Israël consentiéntes accessérunt ad eos : sed Mathathías, et fílii ejus constánter stetérunt.

℟. Aperi óculos tuos Dómine, et vide afflictiónem nostram : circumdedérunt nos Gentes ad puniéndum nos : * Sed tu Dómine exténde bráchium tuum, et líbera ánimas nostras. ℣. Affláge oppriméntes nos, et contuméliam faciéntes in supérbiam ; et custódi partem tuam.—Sed tu. Glória Patri. Sed tu.

Responsoria hujus tertiae Feriae repetuntur in aliis tertiis Feriis usque ad Dominicam primam Novembris.

FERIA QUARTA.

De libro primo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* ii. *b.*

ET respóndit Mathathías, et dixit magna voce : Et si omnes Gentes regi Antíocho obédiunt, ut discédat unusquísque a servitúte legis patrum suórum, et consentiat mandátis ejus : ego et fílii mei, et fratres mei, obediémus legi patrum nostrórum. Propítius sit nobis Deus : non est nobis útile relínquere legem, et justítias Dei : non audiémus verba regis Antíochi, nec sacrificábimus transgrediéntes legis nostrae mandáta, ut eámus áltera via.

℟. Refúlsit sol in clypeos áureos, et resplenduérunt montes ab eis : * Et fortitúdo Géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valde, et fortis : et appropiávit Judas, et exércitus ejus in praelio.—Et fortitúdo.

Lectio ii.

ET ut cessávit loqui verba haec, accéssit quidam Judaeus in ómnium óculis sacrificáre idólis super aram in civitáte Modin, secúndum jussum regis : et vidit Mathathías, et dóluit, et contremuérunt renes ejus, et accénsus est furor ejus secúndum judícium legis, et insíliens trucidávit eum super aram : sed et virum, quem rex Antíochus míserat, qui cogébat immoláre, occídit in ipso témpore, et aram destrúxit, et zelátus est legem, sicut fecit Phínees Zamri fílio Salómi.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, et

dedicavérunt altáre Dño: * Et facta est laetítia magna in pópulo. ℣. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum.—Et facta.

Lectio iii.

ET exclamávit Mathathías voce magna in civitáte, dicens: Omnis, qui zelum habet legis státuens testaméntum, éxeat post me. Et fugit ipse, et fílii ejus in montes, et reliquérunt quaecúmque habébant in civitáte. Tunc descendérunt multi quaeréntes judícium, et justítiam in desértum: et sedérunt ibi ipsi, et fílii eórum, et mulíeres eórum, et pécora eórum: quóniam inundavérunt super eos mala.

℟. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum: * Qui magna fecit in Israël, et victóriam dedit illis Dñus omnípotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, et dedicavérunt altáre Dómino.—Qui. Glória Patri. Qui.

FERIA QUINTA.
De libro primo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* ii. *f.*

APPROPINQUAVÉRUNT dies Mathathíae moriéndi, et dixit fíliis suis: Nunc confortáta est supérbia, et castigátio, et tempus eversiónis, et ira indignatiónis. Nunc ergo, o fílii, aemulatóres estóte legis, et date ánimas vestras pro testaménto patrum vestrórum, et mementóte óperum patrum, quae fecérunt in generatiónibus suis: et accipiétis glóriam magnam, et nomen aetérnum. Abraham nonne in tentatióne invéntus est fidélis, et reputátum est ei ad justítiam? Joseph in témpore angústiae suae custodívit mandátum, et factus est dóminus Ægypti. Phínees pater noster, zelándo zelum Dei, accépit testaméntum sacerdótii aetérni.

℟. Adapériat. 210.

Lectio ii.

JESUS dum implévit verbum, factus est dux in Israël. Caleb, dum testificátur in ecclésia, accépit haereditátem. David in sua misericórdia consecútus est sedem regni in saecula. Elías, dum zelat zelum legis, recéptus est in coelum. Ananías et Azarías, et Mísael credéntes, liberáti sunt de flamma. Dániel in sua simplicitáte liberátus est de ore leónum. Et ita cogitáte per generatiónem, et generatiónem: quia omnes, qui sperant in eum, non infirmántur. Et a verbis viri peccatóris ne

timuéritis : quia glória ejus stercus, et vermis est : hódie extóllitur, et cras non inveniétur : quia convérsus est in terram suam, et cogitátio ejus périit.

℟. Exáudiat Dñus. 210.

Lectio iii.

VOS ergo fílii confortámini, et viríliter ágite in lege, quia in ipsa gloriósi éritis. Et ecce Simon frater vester, scio quod vir consílii est: ipsum audíte semper, et ipse erit vobis pater. Et Judas Machabaeus fortis víribus a juventúte sua, sit vobis princeps milítiae, et ipse aget bellum pópuli. Et adducétis ad vos omnes factóres legis : et vindicáte vindíctam pópuli vestri. Retribúite retributiónem Géntibus, et inténdite in praecéptum legis. Et benedíxit eos, et appósitus est ad patres suos.

℟. Congregáti sunt. 210.

FERIA SEXTA.

De libro primo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* ii. *g. et* iii.

DEFUNCTUS est Mathathías anno centésimo et quadragésimo sexto : et sepúltus est a fíliis suis in sepúlchris patrum suórum in Modin, et planxérunt eum omnis Israël planctu magno. Et surréxit Judas, qui vocabátur Machabaeus fílius ejus pro eo : et adjuvábant eum omnes fratres ejus : et univérsi, qui se conjúnxerant patri ejus, et praeliabántur praelium Israël cum laetítia. Et dilatávit glóriam pópulo suo. Et persecútus est iníquos perscrútans eos : et qui conturbábant pópulum suum, eos succéndit flammis : et repúlsi sunt inimíci ejus prae timóre ejus, et omnes operárii iniquitátis conturbáti sunt : et dirécta est salus in manu ejus.

℟. Impetum. 211.

Lectio ii.

ET exacerbábat reges multos, et laetificábat Jacob in opéribus suis, et in saeculum memória ejus in benedictióne. Et perambulávit civitátes Juda, et pérdidit ímpios ex eis, et avértit iram ab Israël. Et nominátus est usque ad novíssimum terrae, et congregávit pereúntes. Et congregávit Apollónius Gentes, et a Samaría virtútem multam, et magnam ad bellándum contra Israël. Et cognóvit Judas, et éxiit óbviam illi : et percússit, et occídit illum, et cecidérunt vulneráti multi, et réliqui fugérunt. Et accépit

spólia eórum: et gládium Apollónii ábstulit Judas, et erat pugnans in eo ómnibus diébus.

℟. Congregátae. 211.

Lectio iii.

ET cécidit timor Judae ac fratrum ejus, et formído super omnes gentes in circúitu eórum. Et pervénit ad regem nomen ejus, et de praeliis Judae narrábant omnes gentes. Ut audívit autem rex Antíochus sermónes istos, irátus est ánimo: et misit, et congregávit exércitum univérsi regni sui, castra fórtia valde: et apéruit aerárium suum, et dedit stipéndia exercítui in annum: et mandávit illis ut essent paráti ad ómnia.

℟. Tua est poténtia. 212.

SABBATO.

De libro primo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* iii. *f.*

ET vidit Judas, et fratres ejus, quia multiplicáta sunt mala, et exércitus applicábant ad fines eórum: et cognovérunt verba regis, quae mandávit pópulo fácere in intéritum, et consummatiónem: et dixérunt unusquísque ad próximum suum: Erigámus dejectiónem pópuli nostri, et pugnémus pro pópulo nostro, et sanctis nostris. Et congregátus est convéntus ut essent paráti in praelium: et ut orárent, et péterent misericórdiam, et miseratiónes. Et Jerúsalem non habitabátur, sed erat sicut desértum: non erat qui ingrederétur et egrederétur de natis ejus: et sanctum conculcabátur: et fílii alienigenárum erant in arce, ibi erat habitátio Géntium: et abláta est volúptas a Jacob, et defécit ibi tíbia, et cíthara.

Lectio ii.

ET congregáti sunt, et venérunt in Maspha contra Jerúsalem: quia locus oratiónis erat in Maspha ante in Israël. Et jejunavérunt illa die, et induérunt se cilíciis, et cínerem imposuérunt cápiti suo: et discidérunt vestiménta sua: et expandérunt libros legis, de quibus scrutabántur Gentes similitúdinem simulacrórum suórum: et attulérunt ornaménta sacerdotália, et primítias, et décimas: et suscitavérunt Nazaraeos, qui impléverant dies: et clamavérunt voce magna in coelum, dicéntes: Quid faciémus istis, et quo eos ducémus? et sancta tua conculcáta sunt, et contamináta sunt, et sacerdótes tui facti sunt in luctum, et

in humilitátem. Et ecce natiónes convenérunt advérsum nos ut nos dispérdant : tu scis quae cógitant in nos. Quómodo potérimus subsístere ante fáciem eórum, nisi tu Deus ádjuves nos?

Lectio iii.

ET tubis exclamavérunt voce magna. Et post haec constítuit Judas duces pópuli, tribúnos, et centuriónes, et pentacontárchos, et decuriónes. Et dixit his, qui aedificábant domos, et sponsábant uxóres, et plantábant víneas, et formidolósis, ut redírent unusquísque in domum suam secúndum legem. Et movérunt castra, et collocavérunt ad Austrum Emmaum. Et ait Judas : Accingímini, et estóte fílii poténtes, et estóte paráti in mane, ut pugnétis advérsus natiónes has, quae convenérunt advérsus nos dispérdere nos, et sancta nostra : quóniam mélius est nos mori in bello, quam vidére mala gentis nostrae, et sanctórum. Sicut autem fúerit volúntas in coelo, sic fiat.

Ad Magnif. Ańa. Refúlsit sol * in clypeos áureos, et resplenduérunt montes ab eis, et fortitúdo Géntium dissipáta est.

———

DOMINICA II.
Octobris.

In primo Nocturno.

De libro primo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* iv. *e.*

EXIIT autem Judas, et fratres ejus : Ecce contríti sunt inimíci nostri : ascendámus nunc mundáre sancta, et renováre. Et congregátus est omnis exércitus, et ascendérunt in montem Sion. Et vidérunt sanctificatiónem desértam, et altáre profanátum, et portas exústas, et in átriis virgúlta nata, sicut in saltu, vel in móntibus, et pastophória díruta. Et scidérunt vestiménta sua, et planxérunt planctu magno, et imposuérunt cínerem super caput suum. Et cecidérunt in fáciem super terram, et exclamavérunt tubis signórum, et clamavérunt in coelum.

℟. Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua, et in praecéptis suis, et fáciat pacem in diébus vestris : Concédat vobis salútem, et rédimat vos a malis. ℣. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, et reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo.— Concédat vobis.

Lectio ii.

TUNC ordinávit Judas viros ut pugnárent advérsus eos, qui erant in arce, donec emundárent sancta. Et elégit sacerdótes sine mácula, voluntátem habéntes in lege Dei : et mundavérunt sancta, et tulérunt lápides contaminatiónis in locum immúndum. Et cogitávit de altári holocaustórum, quod profanátum erat, quid de eo fáceret. Et íncidit illis consílium bonum ut destrúerent illud : ne forte illis esset in oppróbrium, quia contaminavérunt illud Gentes, et demolíti sunt illud. Et reposuérunt lápides in monte domus in loco apto, quoadúsque veníret prophéta, et respondéret de eis.

℟. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, et reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo, * Dñus Deus noster. ℣. Det vobis cor ómnibus ut colátis eum, et faciátis ejus voluntátem.—Dóminus.

Lectio iii.

ET accepérunt lápides íntegros secúndum legem, et aedificavérunt altáre novum secúndum illud, quod fuit prius : et aedificavérunt sancta, et quae intra domum erant intrínsecus : et aedem et átria sanctificavérunt. Et fecérunt vasa sancta nova, et intulérunt candelábrum, et altáre incensórum, et mensam in templum. Et incénsum posuérunt super altáre, et accendérunt lucérnas, quae super candelábrum erant, et lucébant in templo. Et posuérunt super mensam panes, et appendérunt vela, et consummavérunt ómnia ópera, quae fécerant.

℟. Congregáti sunt inim nostri, et gloriántur in virtúte sua : cóntere fortitúdinem illórum Dómine, et dispérge illos : Ut cognóscant, quia non est álius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. ℣. Dispérge illos in virtúte tua, et déstrue eos protéctor noster Dómine.—Ut. Glória Patri. Ut.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi de Civitáte Dei. *Lib.* 18. *cap.* xlv.

Lectio iv.

COSTEAQUAM gens Judaea coepit non habére prophétas, proculdúbio detérior facta est, eo scílicet témpore, quo se sperábat, instauráto templo, post captivitátem quae fuit in Babylónia, futúram esse meliórem. Sic quippe intelligébat pópulus ille carnális, quod praenuntiátum est per Aggaeum prophétam, dicéntem : Magna

erit glória domus istíus novíssimae plus quam primae. Quod de novo testaménto dictum esse, paulo supérius demonstrávit, ubi ait apérte Christum promíttens : et movébo omnes Gentes, et véniet desideátus cunctis Géntibus.

℟. Impetum inimicórum ne timuéritis: mémores estóte, quómodo salvi facti sunt patres nostri : * Et nunc clamémus in coelum, et miserébitur nostri Deus noster. ℣. Mementóte mirabílium ejus, quae fecit Pharaóni, et exercítui ejus in mari Rubro.—Et nunc.

Lectio v.

TALIBUS enim eléctis Géntium, domus Dei aedificátur per testaméntum novum lapídibus vivis, longe gloriósior, quam templum illud fuit, quod a rege Salomóne constrúctum est, et post captivitátem instauratum. Propter hoc ergo nec prophétas ex illo témpore hábuit illa gens : sed multis cládibus afflícta est ab alienígenis régibus, ipsísque Románis, ne hanc Aggaei prophetíam in illa instauratióne templi opinarétur implétam. Non multo enim post, adveniénte Alexándro, subjugáta est : quando etsi nulla facta est vastátio, quóniam non sunt ausi ei resístere, et ídeo placátum facíllime súbditi recepérunt; non erat tamen glória tanta domus illíus, quanta fuit in suórum regum líbera potestáte.

℟. Congregátae sunt Gentes in multitúdine, ut dímicent contra nos, et ignorámus quid ágere debeámus : * Dómine Deus, ad te sunt óculi nostri, ne pereámus. ℣. Tu scis quae cógitant in nos : quómodo potérimus subsístere ante fáciem illórum, nisi tu ádjuves nos ?—Dómine.

Lectio vi.

DEINDE Ptolemaeus Lagi fílius, post Alexándri mortem captívos inde in Ægyptum tránstulit : quos ejus succéssor Ptolemaeus Philadélphus benevolentíssime inde dimísit : per quem factum est, ut Septuagínta intérpretum Scriptúras haberémus. Deínde contríti sunt bellis, quae in Machabaeórum libris explicántur. Post haec capti a rege Alexandríae Ptolemaeo, qui est appellátus Epíphanes : inde ab Antíocho rege Syriae multis et gravíssimis malis ad idóla colénda compúlsi : templúmque ipsum replétum sacrílegis superstitiónibus Géntium, quod tamen dux eórum strenuíssimus Judas, qui étiam Machabaeus dictus est,

Antíochi dúcibus pulsis, ab omni illa idololatríae contaminatióne mundávit.

℟. Tua est poténtia, tuum regnum Dómine : tu es super omnes Gentes : * Da pacem Dómine in diébus nostris. ℣. Creátor ómnium Deus, terríbilis et fortis, justus et miséricors.—Da pacem. Glória Patri. Da pacem.

℟. vii. Refúlsit sol in clypeos áureos, et resplenduérunt montes ab eis : * Et fortitúdo Géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valde, et fortis : et appropiávit Judas, et exércitus ejus in praelio.—Et fortitúdo.

℟. viii. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum : * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth : * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spíritus sanctus : et hi tres unum sunt.—Sanctus. Glória Patri. Plena est.

FERIA SECUNDA.

De libro primo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* iv. *f.*

ANTE matutínum surrexérunt quinta et vigésima die mensis noni (hic est mensis Casleu) centésimi quadragésimi octávi anni: et obtulérunt sacrifícium secúndum legem super altáre holocaustórum novum, quod fecérunt. Secúndum tempus et secúndum diem, in qua contaminavérunt illud Gentes, in ipsa renovátum est in cánticis, et cítharis, et cínyris, et cymbalis. Et cécidit omnis pópulus in fáciem, et adoravérunt, et benedixérunt in coelum eum, qui prosperávit eis.

℟. Dixit Judas Simóni fratri suo : Elige tibi viros, et vade, líbera fratres tuos, in Galilaeam : ego autem, et Jónathas frater tuus, íbimus in Galaadítim :* Sicut fúerit volúntas in coelo, sic fiat. ℣. Accingímini fílii poténtes, et estóte paráti : quóniam mélius est nobis mori in bello, quam vidére mala gentis nostrae, et sanctórum.—Sicut.

Lectio ii.

ET fecérunt dedicatiónem altáris diébus octo, et obtulérunt holocáusta cum laetítia, et sacrifícium salutáris, et laudis. Et ornavérunt fáciem templi corónis áureis, et scútulis : et dedicavérunt portas et pastophória, et imposuérunt eis jánuas. Et facta est laetítia in pópulo magna valde, et avérsum est oppróbrium Géntium. Et

státuit Judas, et fratres ejus, et univérsa ecclésia Israël ut agátur dies dedicatiónis altáris in tempóribus suis ab anno in annum per dies octo, a quinta et vigésima die mensis Casleu, cum laetítia et gáudio.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, et dedicavérunt altáre Dómino : * Et facta est laetítia magna in pópulo. ℣. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum.—Et facta.

Lectio iii.

ET aedificavérunt in témpore illo montem Sion, et per circúitum muros altos, et turres firmas, nequándo venírent Gentes, et conculcárent eum sicut ántea fecérunt. Et collocávit illic exércitum ut servárent eum, et munívit eum ad custodiéndam Bethsúram, ut habéret pópulus munitiónem contra fáciem Idumaeae.

℟. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum : * Qui magna fecit in Israël, et victóriam dedit illis Dóminus omnípotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, et dedicavérunt altáre Dómino.—Qui magna. Glória Patri. Qui magna.

FERIA TERTIA.

De libro primo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* v.

ET factum est, ut audiérunt Gentes in circúitu, quia aedificátum est altáre, et sanctuárium sicut prius, irátae sunt valde : et cogitábant tóllere genus Jacob, qui erant inter eos, et coepérunt occídere de pópulo, et persequi. Et debellábat Judas fílios Esau in Idumaea, et eos qui erant in Acrabathéne : quia circumsedébant Israëlítas, et percússit eos plaga magna. Et recordátus est malítiam filiórum Bean, qui erant pópulo in láqueum, et in scándalum, insidiántes ei in via. Et conclúsi sunt ab eo in túrribus: et applícuit ad eos, et anathematizávit eos, et incéndit turres eórum igni, cum ómnibus, qui in eis erant.

℟. Hic est fratrum amátor, et pópuli Israël :* Hic est qui multum orat pro pópulo, et univérsa sancta civitáte Jerúsalem. ℣. Vir iste in pópulo suo mitíssimus appáruit.—Hic est.

Lectio ii.

ET transívit ad fílios Ammon, et invénit manum fortem, et pópulum copiósum, et Timótheum

ducem ipsórum : et commísit cum eis praelia multa, et contríti sunt in conspéctu eórum, et percússit eos : et cepit Gazer civitátem, et fílias ejus, et revérsus est in Judaeam. Et congregátae sunt Gentes, quae sunt in Gálaad advérsus Israëlítas, qui erant in fínibus eórum, ut tóllerent eos : et fugérunt in Dátheman munitiónem.

℟. Tu Dómine universórum, qui nullam habes indigéntiam,voluísti templum tuum fíeri in nobis : Consérva domum istam immaculátam in aetérnum Dñe. ℣. Tu elegísti Dómine domum istam ad invocándum nomen tuum in ea, ut esset domus oratiónis et obsecratiónis pópulo tuo. — Consérva.

Lectio iii.

ET misérunt lítteras ad Judam, et fratres ejus, dicéntes : Congregátae sunt advérsum nos Gentes per circúitum, ut nos áuferant : et parant veníre, et occupáre munitiónem, in quam confúgimus : et Timótheus est dux exércitus eórum. Nunc ergo veni, et éripe nos de mánibus eórum, quia cécidit multitúdo de nobis. Et omnes fratres nostri, qui erant in locis Tubin, interfécti sunt : et captívas duxérunt uxóres eórum, et natos, et spólia, et peremérunt illic fere mille viros.

℟. Aperi óculos tuos Dómine, et vide afflictiónem nostram : circumdedérunt nos Gentes ad puniéndum nos : * Sed tu Dómine exténde bráchium tuum, et líbera ánimas nostras. ℣. Affláge oppriméntes nos, et contuméliam faciéntes in supérbiam ; et custódi partem tuam.—Sed tu. Glória Patri. Sed tu.

FERIA QUARTA.
De libro primo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* v. *f.*

IN diébus, quibus erat Judas, et Jónathas in terra Gálaad, et Simon frater ejus in Galilaea contra fáciem Ptolemáidis, audívit Joséphus Zacharíae fílius, et Azarías princeps virtútis, res bene gestas, et praelia quae facta sunt, et dixit : Faciámus et ipsi nobis nomen, et eámus pugnáre advérsus Gentes, quae in circúitu nostro sunt. Et praecépit his qui erant in exércitu suo, et abiérunt Jámniam.

℟. Refúlsit sol in clypeos áureos, et resplenduérunt montes ab eis : * Et fortitúdo Géntium dissipá-

ta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valde, et fortis : et appropiávit Judas, et exércitus ejus in praelio.—Et fortitúdo.

Lectio ii.

ET exívit Górgias de civitáte, et viri ejus óbviam illis in pugnam. Et fugáti sunt Joséphus et Azarías usque in fines Judaeae, et cecidérunt illo die de pópulo Israël ad duo míllia viri, et facta est fuga magna in pópulo : quia non audiérunt Judam, et fratres ejus, existimántes fórtiter se factúros. Ipsi autem non erant de sémine virórum illórum, per quos salus facta est in Israël.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, et dedicavérunt altáre Dómino : * Et facta est laetítia magna in pópulo. ℣. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum.—Et facta.

Lectio iii.

ET viri Juda magnificáti sunt valde in conspéctu omnis Israël, et Géntium ómnium, ubi audiebátur nomen eórum. Et convenérunt ad eos fausta acclamántes. Et exívit Judas, et fratres ejus, et expugnábant fílios Ésau in terra quae ad Austrum est, et percússit Chebron et fílias ejus : et muros ejus, et turres succéndit igni in circúitu. Et movit castra ut iret in terram alienigenárum, et perambulábat Samariam. In die illa cecidérunt sacerdótes in bello, dum volunt fórtiter fácere, dum sine consílio éxeunt in praelium.

℟. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum : * Qui magna fecit in Israël, et victóriam dedit illis Dóminus omnípotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, et dedicavérunt altáre Dómino.—Qui magna fecit. Glória Patri. Qui magna fecit.

FERIA QUINTA.

De libro primo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* vi.

ET rex Antíochus perambulábat superióres regiónes et audívit esse civitátem Elymáidem in Pérside nobilíssimam, et copiósam in argénto, et auro, templúmque in ea lócuples valde, et illic velámina áurea, et lorícae, et scuta, quae relíquit Alexánder Philíppi rex Mácedo, qui regnávit primus in Graecia. Et venit, et quaerébat cápere civitátem, et depraedári eam : et non pótuit, quóniam innótuit

sermo his, qui erant in civitáte: et insurrexérunt in praelium, et fugit inde, et ábiit cum tristítia magna, et revérsus est in Babylóniam. Et venit qui nuntiáret ei in Pérside, quia fugáta sunt castra, quae erant in terra Juda: et quia ábiit Lysias cum virtúte forti in primis, et fugátus est a fácie Judaeórum.

℟. Adapériat. 219.

Lectio ii.

ET invaluérunt armis, et víribus, et spóliis multis, quae cepérunt de castris quae excidérunt: et quia diruérunt abominatiónem, quam aedificáverat super altáre, quod erat in Jerúsalem, et sanctificatiónem, sicut prius, circumdedérunt muris excélsis, sed et Bethsúram civitátem suam. Et factum est ut audívit rex sermónes istos, expávit, et commótus est valde: et décidit in lectum, et íncidit in languórem prae tristítia, quia non factum est ei sicut cogitábat. Et erat illic per dies multos: quia renováta est in eo tristítia magna, et arbitrátus est se mori.

℟. Exáudiat Dñus. 220.

Lectio iii.

ET vocávit omnes amícos suos, et dixit illis: Recéssit somnus ab óculis meis, et cóncidi, et córrui corde prae sollicitúdine: et dixi in corde meo: In quantam tribulatiónem devéni, et in quos fluctus tristítiae, in qua nunc sum: qui jucúndus eram, et diléctus in potestáte mea! Nunc vero reminíscor malórum, quae feci in Jerúsalem, unde et ábstuli ómnia spólia áurea, et argéntea, quae erant in ea, et misi auférre habitántes Judaeam sine causa. Cognóvi ergo quia propterea invenérunt me mala ista: et ecce péreo tristítia magna in terra aliéna.

℟. Congregáti sunt. 220.

FERIA SEXTA.

De libro primo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* vii.

ANNO centésimo quinquagésimo primo éxiit Demétrius Seleuci fílius ab urbe Roma, et ascéndit cum paucis viris in civitátem marítimam, et regnávit illic. Et sedit Demétrius super sedem regni sui: et venérunt ad eum viri iníqui, et ímpii ex Israël: et Alcimus dux eórum, qui volébat fíeri sacérdos. Et accusavérunt pópulum apud regem, dicéntes: Pérdidit Judas, et fratres ejus omnes amícos tuos, et nos dispérsit de terra nostra.

Nunc ergo mitte virum, cui credis, ut eat, et vídeat extermínium omne, quod fecit nobis, et regiónibus regis : et púniat omnes amícos ejus, et adjutóres eórum.

℟. Impetum. 221.

Lectio ii.

ET elégit rex ex amícis suis Bácchidem, qui dominabátur trans flumen magnum in regno, et fidélem regi : et misit eum, ut vidéret extermínium, quod fecit Judas : sed et Alcimum ímpium constítuit in sacerdótium, et mandávit ei fácere ultiónem in fílios Israël. Et surrexérunt, et venérunt cum exército magno in terram Juda: et misérunt núntios, et locúti sunt ad Judam, et ad fratres ejus verbis pacíficis in dolo. Et non intendérunt sermónibus eórum : vidérunt enim quia venérunt cum exército magno.

℟. Congregátae. 221.

Lectio iii.

ET convenérunt ad Alcimum, et Bácchidem congregátio scribárum requírere quae justa sunt : et primi, Assidaei, qui erant in fíliis Israël, et exquirébant ab eis pacem. Dixérunt enim : Homo sacérdos de sémine Aaron venit, non decípiet nos : et locútus est cum eis verba pacífica : et jurávit illis, dicens : Non inferémus vobis malum, neque amícis vestris. Et credidérunt ei : Et comprehéndit ex eis sexagínta viros, et occídit eos in una die, secúndum verbum quod scriptum est : Carnes sanctórum tuórum, et sánguinem ipsórum effudérunt in circúitu Jerúsalem, et non erat qui sepelíret.

℟. Tua est poténtia. 222.

SABBATO.

De libro primo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* viii.

ET audívit Judas nomen Romanórum, quia sunt poténtes víribus, et acquiéscunt ad ómnia, quae postulántur ab eis : et quicúmque accessérunt ad eos, statuérunt cum eis amicítias, et quia sunt poténtes víribus. Et audiérunt praelia eórum, et virtútes bonas, quas fecérunt in Galátia, quia obtinuérunt eos, et duxérunt sub tribútum : et quanta fecérunt in regióne Hispániae, et quod in potestátem redegérunt metálla argénti et auri, quae illic sunt, et possedérunt omnem locum consílio suo, et patiéntia : lócaque quae longe erant valde ab eis, et reges qui supervénerant eis ab extrémis terrae, contrivérunt, et

percussérunt eos plaga magna: caeteri autem dant eis tribútum ómnibus annis.

Lectio ii.

ET elégit Judas Eupólemum, fílium Joánnis, fílii Jacob, et Jásonem, fílium Eleázari, et misit eos Romam constitúere cum illis amicítiam, et societátem : et ut auférrent ab eis jugum Graecórum, quia vidérunt, quod in servitútem prémerent regnum Israël. Et abiérunt Romam viam multam valde, et introiérunt cúriam, et dixérunt : Judas Machabaeus, et fratres ejus, et pópulus Judaeórum misérunt nos ad vos statúere vobíscum societátem, et pacem, et conscríbere nos sócios, et amícos vestros. Et plácuit sermo in conspéctu eórum. Et hoc rescríptum est, quod rescripsérunt in tábulis aereis, et misérunt in Jerúsalem, ut esset apud eos ibi memoriále pacis et societátis.

Lectio iii.

BENE sit Románis, et genti Judaeórum in mari, et in terra in aetérnum : gladiúsque et hostis procul sit ab eis. Quod si instíterit bellum Románis prius, aut ómnibus sóciis eórum in omni dominatióne eórum : auxílium feret gens Judaeórum, prout tempus dictáverit, corde pleno : et praeliántibus non dabunt, neque subministrábunt tríticum, arma, pecúniam, naves, sicut plácuit Románis: et custódient mandáta eórum, nihil ab eis accipiéntes. Simíliter autem et si genti Judaeórum prius accíderit bellum, adjuvábunt Románi ex ánimo, prout eis tempus permíserit.

Ad Magníficat, Antíphona. Lugébat autem Judam* Israël planctu magno, et dicébat : Quómodo cecidísti potens in praelio, qui salvum faciébas pópulum Dómini?

DOMINICA III.
Octobris.

In primo Nocturno.

De libro primo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* ix.

IN TEREA ut audívit Demétrius quia cécidit Nicánor, et exércitus ejus in praelio, appósuit Bácchidem, et Alcimum rursum míttere in Judaeam, et dextrum cornu cum illis. Et abiérunt viam, quae ducit in Gálgala, et castra posuérunt in Másaloth, quae est in Arbéllis : et occupavérunt eam, et peremérunt ánimas hóminum multas. In mense primo

anni centésimi et quinquagésimi secúndi applicuérunt exércitum ad Jerúsalem : et surrexérunt, et abiérunt in Béream vigínti míllia virórum, et duo míllia équitum. Et Judas posúerat castra in Láisa, et tria míllia viri elécti cum eo : et vidérunt multitúdinem exércitus quia multi sunt, et timuérunt valde : et multi subtraxérunt se de castris, et non remansérunt ex eis nisi octingénti viri.

℟. Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua, et in praecéptis suis, et fáciat pacem in diébus vestris : Concédat vobis salútem, et rédimat vos a malis. ℣. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, et reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo.—Concédat.

Lectio ii.

ET vidit Judas quod defluxit exércitus suus, et bellum perurgébat eum, et confráctus est corde, quia non habébat tempus congregándi eos, et dissolútus est. Et dixit his, qui resídui erant : Surgámus, et eámus ad adversários nostros, si potérimus pugnáre advérsus eos. Et avertébant eum, dicéntes : Non potérimus, sed liberémus ánimas nostras modo, et revertámur ad fratres nostros, et tunc pugnábimus advérsus eos : nos autem pauci sumus. Et ait Judas : Absit istam rem fácere ut fugiámus ab eis : et si appropiávit tempus nostrum, moriámur in virtúte propter fratres nostros, et non inferámus crimen glóriae nostrae. Et movit exércitus de castris, et stetérunt illis óbviam : et divísi sunt équites in duas partes, et fundibulárii, et sagittárii praeíbant exércitum, et primi certáminis omnes poténtes.

℟. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, et reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo, Dóminus Deus noster. ℣. Det vobis cor ómnibus ut colátis eum, et faciátis ejus voluntátem.—Dóminus.

Lectio iii.

BACCHIDES autem erat in dextro cornu, et proximávit légio ex duábus pártibus, et clamábant tubis : exclamavérunt autem et hi, qui erant ex parte Judae, étiam ipsi et commóta est terra a voce exercítuum : et commíssum est praelium a mane usque ad vésperam. Et vidit Judas, quod fírmior est pars exércitus Bácchidis in dextris, et convenérunt cum ipso omnes constántes corde : et contríta est déxtera pars ab eis, et persecútus est

eos usque ad montem Azóti. Et qui in sinístro cornu erant, vidérunt quod contrítum est dextrum cornu, et secúti sunt post Judam, et eos, qui cum ipso erant, a tergo : et ingravátum est praelium, et cecidérunt vulneráti multi ex his et ex illis. Et Judas cécidit, et caeteri fugérunt. Et Jónathas, et Simon tulérunt Judam fratrem suum, et sepeliérunt eum in sepúlchro patrum suórum in civitáte Modin. Et flevérunt eum omnis pópulus Israël planctu magno.

℟. Congregáti sunt inimíci nostri, et gloriántur in virtúte sua : cóntere fortitúdinem illórum Dómine, et dispérge illos : * Ut cognóscant, quia non est álius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. ℣. Dispérge illos in virtúte tua, et déstrue eos protéctor noster Dómine.—Ut cognóscant. Glória Patri. Ut cognóscant.

In secundo Nocturno.

Ex libro Officiórum sancti Ambrósii Epíscopi.

Lectio iv. *Lib.* i. *Cap.* xli.

QUIA fortitúdo non solum secúndis rebus, sed étiam advérsis probátur, spectémus Judae Machabaei éxitum. Is enim post victum Nicánorem, regis Demétrii ducem, secúrior advérsus vigínti míllia exércitus regis, cum octingéntis viris bellum adórsus, voléntibus his cédere, ne multitúdine opprimerétur, gloriósam magis mortem, quam turpem fugam suásit. Ne crimen, inquit, nostrae relinquámus glóriae. Ita commísso praelio, cum a primo ortu diéi in vésperam dimicarétur, dextrum cornu, in quo validíssimam manum advértit hóstium, aggréssus, fácile avértit. Sed dum fugiéntes séquitur, a tergo vúlneri locum praebuit : ítaque gloriosiórem triúmphis mortem invénit.

℟. Impetum inimicórum ne timuéritis : mémores estóte, quómodo salvi facti sunt patres nostri : * Et nunc clamémus in coelum, et miserébitur nostri Deus noster. ℣. Mementóte mirabílium ejus, quae fecit Pharaóni, et exercítui ejus in mari Rubro.—Et nunc.

Lectio v.

QUID Jónatham fratrem ejus attéxam, qui cum parva manu advérsus exércitus régios pugnans, desértus a suis, et cum duóbus tantum relíctus, reparávit bellum, avértit hostem, fugitántes suos ad societátem revocávit triúmphi? Habes fortitúdinem

béllicam, in qua non mediocris honésti ac decóri forma est, quod mortem servitúti praeferat, ac turpitúdini. Quid autem de Mártyrum dicam passiónibus ? Et ne lóngius evagémur, non minórem de supérbo rege Antíocho Machabaei púeri revexérunt triúmphum, quam paréntes próprii : síquidem illi armáti, isti sine armis vicérunt.

℟. Congregátae sunt Gentes in multitúdine, ut dímicent contra nos, et ignorámus quid ágere debeámus: * Dñe Deus, ad te sunt óculi nostri, ne pereámus. ℣. Tu scis quae cógitant in nos : quómodo potérimus subsístere ante fáciem illórum, nisi tu ádjuves nos.—Dñe.

Lectio vi.

SETETIT invícta septem puerórum cohors, régiis cincta legiónibus : defecérunt supplícia, cessérunt tortóres, non defecérunt Mártyres. Alius córium cápitis exútus, spéciem mutáverat, virtútem áuxerat. Alius linguam jussus amputándam prómere, respóndit : Non solos Dóminus audit loquéntes, qui audiébat Móysen tacéntem. Plus audit tácitas cogitatiónes suórum, quam voces ómnium. Linguae flagéllum times, flagéllum sánguinis non times? Habet et sanguis vocem suam, qua clamat ad Deum, sicut clamávit in Abel.

℟. Tua est poténtia, tuum regnum Dómine : tu es super omnes Gentes : Da pacem Dómine in diébus nostris. ℣. Creátor ómnium Deus, terríbilis et fortis, justus et miséricors.—Da. Glória Patri. Da.

℟. vii. Refúlsit sol in clypeos áureos, et resplenduérunt montes ab eis : Et fortitúdo Géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valde, et fortis : et appropiávit Judas, et exércitus ejus in praelio.—Et fortitúdo.

℟. viii. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum : * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth : * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spíritus sanctus : et hi tres unum sunt.—Sanctus. Glória Patri. Plena est.

FERIA SECUNDA.

De libro primo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* ix. *c.*

T congregáti sunt omnes amíci Judae, et dixérunt Jónathae : Ex quo frater tuus Judas defúnctus est, vir símilis ei

non est, qui éxeat contra inimícos nostros, Bácchidem, et eos, qui inimíci sunt gentis nostrae. Nunc ítaque te hódie elégimus esse pro eo nobis in príncipem, et ducem ad bellándum bellum nostrum. Et suscépit Jónathas témpore illo principátum, et surréxit loco Judae fratris sui. Et cognóvit Bácchides, et quaerébat eum occídere.

℟. Dixit Judas Simóni fratri suo : Elige tibi viros, et vade, líbera fratres tuos, in Galilaeam : ego autem, et Jónathas frater tuus, íbimus in Galaadítim : * Sicut fúerit volúntas in coelo, sic fiat. ℣. Accingímini fílii poténtes, et estóte paráti : quóniam mélius est nobis mori in bello, quam vidére mala gentis nostrae, et sanctórum.—Sicut.

Lectio ii.

ET cognóvit Jónathas, et Simon frater ejus, et omnes, qui cum eo erant : et fugérunt in desértum Thécuae, et consedérunt ad aquam lacus Asphar. Et cognóvit Bácchides, et die sabbatórum venit ipse, et omnis exércitus ejus trans Jordánem. Et Jónathas misit fratrem suum ducem pópuli, et rogávit Nabuthaeos amícos suos, ut commodárent illis apparátum suum, qui erat copiósus. Et exiérunt fílii Jambri ex Mádaba, et comprehendérunt Joánnem, et ómnia, quae habébat, et abiérunt habéntes ea.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, et dedicavérunt altáre Dómino: * Et facta est laetítia magna in pópulo. ℣. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum.—Et facta.

Lectio iii.

POST haec verba, renuntiátum est Jónathae, et Simóni fratri ejus, quia fílii Jambri fáciunt núptias magnas, et ducunt sponsam ex Mádaba, fíliam unius de magnis princípibus Chánaan cum ambitióne magna. Et recordáti sunt sánguinis Joánnis fratris sui : et ascendérunt, et abscondérunt se sub tegumento montis. Et elevavérunt óculos suos, et vidérunt : et ecce tumúltus, et apparátus multus : et sponsus procéssit, et amíci ejus, et fratres ejus óbviam illis cum tympanis, et músicis, et armis multis. Et surrexérunt ad eos ex insídiis, et occidérunt eos, et cecidérunt vulneráti multi, et resídui fugérunt in montes: et accepérunt ómnia spólia eórum.

℟. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum : * Qui magna fecit

in Israël, et victóriam dedit illis Dóminus omnípotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, et dedicavérunt altáre Dómino.—Qui. Glória Patri. Qui.

FERIA TERTIA.

De libro primo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* xii.

ET vidit Jónathas quia tempus eum juvat, et elégit viros, et misit eos Romam statúere, et renováre cum eis amicítiam : et ad Spartiátas, et adália loca misit epístolas secúndum eámdem formam : et abiérunt Romam, et intravérunt cúriam, et dixérunt : Jónathas summus sacérdos, et gens Judaeórum miserunt nos, ut renovarémus amicítiam, et societátem secúndum prístinũ. Et dedérunt illis epístolas ad ipsos per loca, ut dedúcerent eos in terram Juda cum pace. ℟. Hic est fratrum amátor, et pópuli Israël : * Hic est qui multum orat pro pópulo, et univérsa sancta civitáte Jerúsalem. ℣. Vir iste in pópulo suo mitíssimus appáruit.—Hic est.

Lectio ii.

ET hoc est exémplum epistolárum, quas scripsit Jónathas Spartiátis: Jónathas summus sacérdos, et senióres gentis, et sacerdótes, et réliquus pópulus Judaeórum Spartiátis frátribus salútem. Jam pridem missae erant epístolae ad Oníam summum sacerdótem ab Arío, qui regnábat apud vos, quóniam estis fratres nostri, sicut rescríptum cóntinet, quod subjéctum est. Et suscépit Onías virum, qui missus fúerat, cum honóre : et accépit epístolas, in quibus significabátur de societáte, et amicítia. ℟. Tu Dómine universórum, qui nullam habes indigéntiam, voluísti templum tuum fíeri in nobis : * Consérva domum istam immaculátam in aetérnum Dómine. ℣. Tu elegísti Dómine domum istam ad invocándum nomen tuum in ea, ut esset domus oratiónis et obsecratiónis pópulo tuo.—Consérva.

Lectio iii.

NOS, cum nullo horum indigerémus, habéntes solátio sanctos libros, qui sunt in mánibus nostris, malúimus míttere ad vos renováre fraternitátem, et amicítiam, ne forte aliéni efficiámur a vobis : multa enim témpora transiérunt, ex quo misístis ad nos. Nos ergo in omni témpore sine intermissióne in diébus

solémnibus, et caeteris, quibus opórtet, mémores sumus vestri in sacrifíciis, quae offérimus, et in observatiónibus, sicut fas est, et decet meminísse fratrum.

℟. Aperi óculos tuos Dómine, et vide afflictiónem nostram : circumdedérunt nos Gentes ad puniéndum nos : * Sed tu Dómine exténde bráchium tuum, et líbera ánimas nostras. ℣. Afflíge oppriméntes nos, et contuméliam faciéntes in supérbiam; et custódi partem tuam.—Sed tu Dómine. Glória Patri. Sed tu Dómine.

FERIA QUARTA.

De libro primo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* xii. *f.*

ET cum cogitásset Tryphon regnáre Asiae, et assúmere diadéma, et exténdere manum in Antíochum regem : timens ne forte non permítteret eum Jónathas, sed pugnáret advérsus eum, quaerébat comprehéndere eum, et occídere. Et exúrgens ábiit in Bethsan. Et exívit Jónathas óbviam illi cum quadragínta míllibus virórum electórum in praelium, et venit Bethsan. Et vidit Tryphon quia venit Jónathas cum exércitu multo ut exténderet in eum manus, et tímuit. Et excépit eum cum honóre, et commendávit eum ómnibus amícis suis, et dedit ei múnera : et praecépit exercítibus suis ut obedírent ei, sicut sibi.

℟. Refúlsit sol in clypeos áureos, et resplenduérunt montes ab eis : * Et fortitúdo Géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valde, et fortis : et appropiávit Judas, et éxercitus ejus in praelio.—Et fortitúdo.

Lectio ii.

ET dixit Jónathae : Ut quid vexásti univérsum pópulum, cum bellum nobis non sit ? Et nunc remítte eos in domos suas : élige autem tibi viros paucos, qui tecum sint, et veni mecum Ptolemáidam, et tradam eam tibi, et réliqua praesídia, et exércitum, et univérsos praepósitos negótii, et convérsus abíbo : proptérea enim veni. Et crédidit ei, et fecit sicut dixit : et dimísit exércitum, et abiérunt in terram Juda. Retínuit autem secum tria míllia virórum : ex quibus remísit in Galilaeam duo míllia, mille autem venérunt cum eo.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, et

dedicavérunt altáre Dómino : * Et facta est laetítia magna in pópulo. ℣. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum.— Et facta est.

Lectio iii.

UT autem intrávit Ptolemáidam Jónathas, clausérunt portas civitátis Ptoleménses : et comprehendérunt eum : et omnes, qui cum eo intráverant, gládio interfecérunt. Et misit Tryphon exércitum et équites in Galilaeam, et in campum magnum, ut pérderent omnes sócios Jónathae. At illi cum cognovíssent quia comprehénsus est Jónathas, et périit, et omnes, qui cum eo erant, hortáti sunt semetípsos, et exiérunt paráti in praelium. Et vidéntes hi, qui insecúti fúerant, quia pro ánima res est illis, revérsi sunt : illi autem venérunt omnes cum pace in terram Juda. Et planxérunt Jónathan, et eos, qui cum ipso fúerant, valde. ℣. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum : * Qui magna fecit in Israël, et victóriam dedit illis Dóminus omnípotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, et dedicavérunt altáre Dómino.— Qui magna. Glória Patri. Qui magna.

FERIA QUINTA.

De libro primo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* xiii.

ET audívit Simon quod congregávit Tryphon exércitum copiósum ut veníret in terram Juda, et attéreret eam. Videns quia in tremóre pópulus est, et in timóre, ascéndit Jerúsalem, et congregávit pópulum : et adhórtans dixit : Vos scitis quanta ego, et fratres mei, et domus patris mei fécimus pro légibus, et pro sanctis, praelia, et angústias quales vídimus : horum grátia periérunt fratres mei omnes propter Israël, et relíctus sum ego solus. Et nunc non mihi contíngat párcere ánimae meae in omni témpore tribulatiónis : non enim mélior sum frátribus meis. Vindicábo ítaque gentem meam, et sancta, natos quoque nostros, et uxóres : quia congregátae sunt univérsae Gentes contérere nos inimicítiae grátia. ℣. Adapériat. 229.

Lectio ii.

ET accénsus est spíritus pópuli simul ut audívit sermónes istos : et respondérunt voce magna dicéntes : Tu es dux noster loco Judae, et Jónathae fratris tui : pugna praelium

nostrum: et ómnia, quaecúmque díxeris nobis, faciémus. Et cóngregans omnes viros bellatóres, accelerávit consummáre univérsos muros Jerúsalem, et munívit eam in gyro. Et misit Jónathan fílium Absalómi, et cum eo exércitum novum in Joppen, et ejéctis his, qui erant in ea, remánsit illic ipse. Et movit Tryphon a Ptolemáida cum exércitu multo, ut veníret in terram Juda, et Jónathas cum eo in custódia. Simon autem applícuit in Addus contra fáciem campi.

℟. Exáudiat. 229.

Lectio iii.

ET ut cognóvit Tryphon quia surréxit Simon loco fratris sui Jónathae: et quia commissúrus esset cum eo praelium, misit ad eum legátos, dicens: Pro argénto, quod debébat frater tuus Jónathas in rationé regis, propter negótia, quae hábuit, detinúimus eum. Et nunc mitte argénti talénta centum, et duos fílios ejus óbsides, ut non dimíssus fúgiat a nobis, et remittémus eum. Et cognóvit Simon quia cum dolo loquerétur secum, jussit tamen dari argéntum, et púeros: ne inimicítiam magnam súmeret ad pópulum Israël, dicéntem: Quia non misit ei argéntum, et púeros, proptérea périit. Et misit púeros, et centum talénta: et mentítus est, et non dimísit Jónathan.

℟. Congregáti. 230.

FERIA SEXTA.

De libro primo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* xiv. *b.*

ET audítum est Romae quia defúnctus esset Jónathas, et usque in Spartiátas: et contristáti sunt valde. Ut audiérunt autem quod Simon frater ejus factus esset summus sacérdos loco ejus, et ipse obtinéret omnem regiónem, et civitátes in ea; scripsérunt ad eum in tábulis aereis, ut renovárent amicítias, et societátem quam fécerant cum Juda, et cum Jónatha frátribus ejus. Et lectae sunt in conspéctu ecclésiae in Jerúsalem. Et hoc exémplum epistolárum, quas Spartiátae misérunt.

℟. Impetum. 230.

Lectio ii.

SPARTIANORUM príncipes, et civitátes, Simóni sacerdóti magno, et senióribus, et sacerdótibus, et réliquo pópulo Judaeórum, frátribus, salútem. Legáti, qui missi sunt ad pópulum nostrum,

nuntiavérunt nobis de vestra glória, et honóre, ac laetítia: et gavísi sumus in introítu eórum. Et scrípsimus quae ab eis erant dicta in concíliis pópuli, sic: Numénius Antíochi, et Antípater Iásonis fílius, legáti Judaeórum, venérunt ad nos, renovántes nobíscum amicítiam prístinam. Et plácuit pópulo excípere viros glorióse, et pónere exémplum sermónum eórum in segregátis pópuli libris, ut sit ad memóriam pópulo Spartiatárum. Exémplum autem horum scripsimus Simóni magno sacerdóti.

℣. Congregátae. 231.

Lectio iii.

POST haec autem misit Simon Numénium Romam, habéntem clypeum áureum magnum, pondo mnarum mille, ad statuéndam cum eis societátem. Cum autem audísset pópulus Románus sermónes istos, dixérunt: Quam gratiárum actiónem reddémus Simóni, et fíliis ejus? Restítuit enim ipse fratres suos, et expugnávit inimícos Israël ab eis. Et statuérunt ei libertátem, et descripsérunt in tábulis aereis, et posuérunt in títulis in monte Sion.

℣. Tua est poténtia. 231.

SABBATO.

De libro primo Machabaeorum.

Lectio i. *Cap.* xvi. *c.*

SIMON autem, perámbulans civitátes, quae erant in regióne Judaeae, et sollicitúdinem gerens eárum, descéndit in Jéricho ipse, et Mathathías fílius ejus, et Judas, anno centésimo septuagésimo séptimo, mense undécimo: hic est mensis Sabath. Et suscépit eos fílius Abóbi in munitiúnculam, quae vocátur Doch, cum dolo, quam aedificávit: et fecit eis convívium magnum, et abscóndit illic viros. Et cum inebriátus esset Simon, et fílii ejus, surréxit Ptolemaeus cum suis, et sumpsérunt arma sua, et intravérunt in convívium, et occidérunt eum, et duos fílios ejus, et quosdam púeros ejus. Et fecit deceptiónem magnam in Israël, et réddidit mala pro bonis.

Lectio ii.

ET scripsit haec Ptolemaeus, et misit regi ut mítteret ei exércitum in auxílium, et tráderet ei regiónem, et civitátes eórum, et tribúta. Et mísit álios in Gázaram tóllere Joánnem: et tribúnis misit epístolas, ut venírent ad se, et daret eis argéntum, et aurum, et

dona. Et álios misit occupáre Jerúsalem, et montem templi. Et praecúrrens quidam, nuntiávit Joánni in Gázara, quia périit pater ejus, et fratres ejus, et quia misit te quoque intérfici.

Lectio iii.

UT audívit autem, veheménter expávit : et comprehéndit viros, qui vénerant pérdere eum, et occídit eos : cognóvit enim quia quaerébant eum pérdere. Et caetera sermónum Joánnis, et bellórum ejus, et bonárum virtútum, quibus fórtiter gessit, et aedifícii murórum, quos extrúxit, et rerum gestárũ ejus : ecce haec scripta sunt in libro diérum sacerdótii ejus, ex quo factus est princeps sacerdótũ post patrem suum.

Ad Magnif. Ant. Exáudiat Dñus * oratiónes vestras, et reconciliétur vobis: nec vos déserat in témpore malo Dñus Deus noster.

DOMINICA IV.
Octobris.

In primo Nocturno.

Incipit liber secúndus Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* i.

FRATRIBUS, qui sunt per Ægyptum, Judaeis, salútem dicunt fratres, qui sunt in Jerosólymis, Judaei, et qui in regióne Judaeae, et pacem bonam. Benefáciat vobis Deus, et memínerit testaménti sui, quod locútus est ad Abraham, et Isaac, et Jacob servórum suórum fidélium : et det vobis cor ómnibus ut colátis eum, et faciátis ejus voluntátem corde magno, et ánimo volénti. Adapériat cor vestrum in lege sua, et in praecéptis suis, et fáciat pacem. Exáudiat oratiónes vestras, et reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo. Et nunc hic sumus orántes pro vobis.

℟. Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua, et in praecéptis suis, et fáciat pacem in diébus vestris : * Concédat vobis salútem, et rédimat vos a malis. ℣. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, et reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo.—Concédat.

Lectio ii.

FACTURI ígitur quinta et vigésima die mensis Casleu purificatiónem templi, necessárium dúximus significáre vobis : ut et vos quoque agátis diem scenopégiae, et diem ignis, qui datus est quando Nehemías aedificáto templo et altári óbtulit sacrifícia. Nam cum in Pérsidem duceréntur patres nostri, sacerdótes, qui tunc cultóres

Dei erant, accéptum ignem de altári occúlte abscondérunt in valle, ubi erat púteus altus, et siccus, et in eo contutáti sunt eum, ita ut ómnibus ignótus esset locus.

℟. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, et reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo, Dóminus Deus noster. ℣. Det vobis cor ómnibus ut colátis eum, et faciátis ejus voluntátem.—Dóminus.

Lectio iii.

QUM autem praeterísset anni multi, et plácuit Deo ut mitterétur Nehemías a rege Pérsidis: nepótes sacerdótum illórum, qui abscónderant, misit ad requiréndum ignem: et sicut narravérunt nobis, non invenérunt ignem, sed aquam crassam. Et jussit eos haurire, et afférre sibi: et sacrifícia, quae impósita erant, jussit sacérdos Nehemías aspérgi ipsa aqua, et ligna, et quae erant superpósita. Utque hoc factum est, et tempus áffuit, quo sol refúlsit, qui prius erat in núbilo, accénsus est ignis magnus, ita ut omnes miraréntur.

℟. Congregáti sunt inimíci nostri, et gloriántur in virtúte sua: cóntere fortitúdinem illórum Dómine, et dispérge illos: Ut cognóscant, quia non est álius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. ℣. Dispérge illos in virtúte tua, et déstrue eos protéctor noster Dómine.—Ut cognóscant. Glória Patri. Ut cognóscant.

In secundo Nocturno.

Ex Tractátu sancti Joánnis Chrysóstomi super Psalmum quadragésimum tértium.

Lectio iv.

DEUS, áuribus nostris audívimus, patres nostri annuntiavérunt nobis opus, quod operátus es in diébus eórum. Hunc Psalmum dicit quidem Prophéta, dicit autem non ex persóna própria, sed ex persóna Machabaeórum, narrans et praedícens quae futúra erant illo témpore. Tales enim sunt prophétae: ómnia témpora percúrrunt, praeséntia, praetérita, futúra. Quinam sint autem hi Machabaei, quidque passi sint, et quid fécerint, necessárium est primum dícere, ut sint apertióra quae in arguménto dicúntur. Ii enim, cum invasísset Judaeam Antíochus, qui dictus est Epíphanes, et ómnia devastásset, et multos qui tunc erant, a pátriis institútis resilíre coegísset, permansérunt illaesi ab illis tentatiónibus.

℟. Impetum inimicórum ne timuéritis : mémores estóte, quómodo salvi facti sunt patres nostri : * Et nunc clamémus in coelum, et miserébitur nostri Deus noster. ℣. Mementóte mirabílium ejus, quae fecit Pharaóni, et exercítui ejus in mari Rubro.—Et nunc.

Lectio v.

ET quando quidem bellum ingruébat, nec quidquam possent fácere quod prodésset, se abscondébant : nam hoc quoque fecérunt Apóstoli. Non enim semper apparéntes in média irruébant perícula, sed nonnúnquam et fugiéntes, et laténtes secedébant. Postquam autem parum respirárunt, tamquam generósi quidam cátuli ex antris exiliéntes, et e látebris emergéntes, statuérunt non se ámplius solos serváre, sed étiam álios quoscúmque possent : et civitátem et omnem regiónem obeúntes, collegérunt quotquot invenérunt adhuc sanos et íntegros : et multos étiam qui laborábant et corrúpti erant, in statum prístinum redegérunt, eis persuadéntes redíre ad legem pátriam.

℟. Congregátae sunt Gentes in multitúdine, ut dímicent contra nos, et ignorámus quid ágere debeámus : * Dñe Deus, ad te sunt óculi nostri, ne pereámus. ℣. Tu scis quae cógitant in nos : quómodo potérimus subsístere ante fáciem illórum, nisi tu ádjuves nos ?—Dómine.

Lectio vi.

DEUM enim dicébant esse benígnum et cleméntem, nec unquam adímere salútem, quae proficíscitur ex poeniténtia. Haec autem dicéntes, habuérunt deléctum fortissimórum virórum. Non enim pro uxóribus, líberis, et ancíllis, patriaeque eversióne et captivitáte, sed pro lege et pátria república pugnábant. Eórum autem dux erat Deus. Cum ergo áciem dirígerent, et suas ánimas prodígerent, fundébant adversários, non armis fidéntes, sed loco omnis armatúrae, pugnae causam suffícere ducéntes. Ad bellum autem eúntes non tragoedias excitábant, non paeána canébant, sicut nonnúlli fáciunt : non adscivérunt tibícines, ut fit in áliis castris : sed Dei supérne auxílium invocábant, ut adésset, opem ferret, et manum praebéret, propter quem bellum gerébant, pro cujus glória decertábant.

℟. Tua est poténtia, tuum regnum Dómine : tu es super omnes Gentes : * Da

pacem Dómine in diébus nostris. ℣. Creátor ómnium Deus, terríbilis et fortis, justus et miséricors.—Da pacem. Glória Patri. Da pacem.

℟. vii. Refúlsit sol in clypeos áureos, et resplenduérunt montes ab eis : * Et fortitúdo Géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valde, et fortis : et appropiávit Judas, et exércitus ejus in praelio.—Et fortitúdo.

℟. viii. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum : * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth : * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spíritus sanctus : et hi tres unum sunt.—Sanctus. Glória Patri. Plena est.

FERIA SECUNDA.

De libro secúndo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* ii.

INVENITUR autem in descriptiónibus Jeremíae prophétae, quod jussit eos ignem accípere qui transmigrábant : ut significátum est, et ut mandávit transmigrátis. Et dedit illis legem ne oblivisceréntur praecépta Dñi, et ut non exerrárent méntibus vidéntes simulácra áurea, et argéntea, et ornaménta eórum. Etália hujúsmodi dicens, hortabátur ne legem amovérent a corde suo.

℟. Dixit Judas Simóni fratri suo : Elige tibi viros, et vade, líbera fratres tuos, in Galilaeam : ego autem, et Jónathas frater tuus, íbimus in Galaadítim : * Sicut fúerit volúntas in coelo, sic fiat. ℣. Accingímini fílii poténtes, et estóte paráti : quóniam mélius est nobis mori in bello, quam vidére mala gentis nostrae, et sanctórum.—Sicut.

Lectio ii.

ERAT autem in ipsa scriptúra, quómodo tabernáculum,et arcam jussit prophéta divíno respónso ad se facto comitári secum, úsquequo éxiit in montem, in quo Móyses ascéndit, et vidit Dei haereditátem. Et véniens ibi Jeremías invénit locum spelúncae: et tabernáculum, et arcam, et altáre incénsi íntulit illuc, et óstium obstrúxit. Et accessérunt quidam simul,qui sequebántur, ut notárent sibi locum : et non potuérunt invenire.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, et dedicavérunt altáre Dño : * Et facta est laetítia magna in pópulo. ℣. In hymnis et

confessiónibus benedicébant Dóminum.—Et facta.

Lectio iii.

UT autem cognóvit Jeremías, culpans illos, dixit: Quod ignótus erit locus, donec congreget Deus congregatiónem pópuli, et propítius fiat: et tunc Dóminus osténdet haec, et apparébit majéstas Dómini, et nubes erit, sicut et Móysi manifestabátur, et sicut cum Sálomon pétiit ut locus sanctificarétur magno Deo, manifestábat haec. Magnífice étenim sapiéntiam tractábat: et ut sapiéntiam habens, óbtulit sacrifícium dedicatiónis et consummatiónis templi.

℟. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum: * Qui magna fecit in Israël, et victóriam dedit illis Dóminus omnípotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, et dedicavérunt altáre Dómino.—Qui. Glória Patri. Qui.

FERIA TERTIA.

De libro secúndo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* iii.

IGITUR cum sancta cívitas habitarétur in omni pace, leges étiam adhuc óptime custodiréntur, propter Oníae pontíficis pietátem, et ánimos ódio habéntes mala, fiébat ut et ipsi reges, et príncipes locum summo honóre dignum dúcerent, et templum máximis munéribus illustrárent: ita ut Seleucus Asiae rex de reddítibus suis praestáret omnes sumptus ad ministérium sacrificiórum pertinéntes. Simon autem de tribu Bénjamin praepósitus templi constitútus, contendébat, obsisténte sibi príncipe sacerdótum, iníquum áliquid in civitáte moliri.

℟. Hic est fratrum amátor, et pópuli Israël: * Hic est qui multum orat pro pópulo, et univérsa sancta civitáte Jerúsalem. ℣. Vir iste in pópulo suo mitíssimus appáruit.—Hic est.

Lectio ii.

SED cum víncere Oníam non posset, venit ad Apollónium Tharsaeae fílium, qui eo témpore erat dux Coelesyriae, et Phoenícis: et nuntiávit ei, pecúniis innumerabílibus plenum esse aerárium Jerosólymis, et commúnes cópias imménsas esse, quae non pértinent ad ratiónem sacrificiórum: esse autem possíbile sub potestáte regis cádere univérsa. Cumque retulísset ad regem Apollónius de pecúniis, quae delátae erant, ille accítum Heliodórū, qui erat super negótia

ejus, misit cum mandátis, ut praedíctam pecúniam transportáret. Statímque Heliodórus iter est agréssus, spécie quidem quasi per Coelesyriam, et Phoenícen civitátes esset peragratúrus, revéra autem regis propósitum perfectúrus.

℟. Tu Dómine universórum, qui nullam habes indigéntiam, voluísti templum tuum fíeri in nobis: * Consérva domum istam immaculátam in aetérnum Dómine. ℣. Tu elegísti Dómine domum istam ad invocándum nomen tuum in ea, ut esset domus oratiónis et obsecratiónis pópulo tuo. — Consérva domum.

Lectio iii.

SED, cum venísset Jerosólymam, et benígne a summo sacerdóte in civitáte esset excéptus, narrávit de dato indício pecuniárum : et, cujus rei grátia adésset, apéruit : interrogábat autem, si vere haec ita essent. Tunc summus sacérdos osténdit depósita esse haec, et victuália viduárum, et pupillórum : quaedam vero esse Hircáni Tobíae viri valde eminéntis, in his, quae detúlerat ímpius Simon : univérsa autem argénti talénta esse quadringénta, et auri ducénta. Décipi vero eos, qui credidíssent loco, et templo, quod per univérsum mundum honorátur, pro sui veneratióne, et sanctitáte omníno impossíbile esse.

℟. Aperi óculos tuos Dómine, et vide afflictiónem nostram : circumdedérunt nos Gentes ad puniéndum nos : * Sed tu Dómine exténde bráchium tuum, et líbera ánimas nostras. ℣. Affláge oppriméntes nos, et contuméliam faciéntes in supérbiam, et custódi partem tuam.—Sed tu Dómine. Glória Patri. Sed tu Dómine.

FERIA QUARTA.

De libro secúndo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* iii. *d.*

HELIODORUS autem, quod decréverat, perficiébat eódem loco ipse cum satellítibus circa aerárium praesens. Sed spíritus omnipoténtis Dei magnam fecit suae ostensiónis evidéntiam, ita ut omnes, qui ausi fúerant parére ei, ruéntes Dei virtúte, in dissolutiónem, et formídinem converteréntur. Appáruit enim illis quidam equus terríbilem habens sessórē, óptimis operiméntis adornátus : isque cum ímpetu Heliodóro prióres calces elísit. Qui autem

ei sedébat, videbátur arma habére áurea.

℟. Refúlsit sol in clypeos áureos, et resplenduérunt montes ab eis : * Et fortitúdo Géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valde, et fortis : et appropiávit Judas, et exércitus ejus in praelio.—Et fortitúdo Géntium.

Lectio ii.

ALII étiam apparuérunt duo júvenes virtúte decóri, óptimi glória, speciosíque amíctu : qui circumstetérunt eum, et ex utráque parte flagellábant, sine intermissióne multis plagis verberántes. Súbito autem Heliodórus cóncidit in terram, eúmque multa calígine circumfúsum rapuérunt, atque in sella gestatória pósitum ejecérunt. Et is, qui cum multis cursóribus, et satellítibus praedíctum ingréssus est aerárium, portabátur nullo sibi auxílium feránte, manifésta Dei cógnita virtúte. Et ille quidem per divínam virtútem jacébat mutus, atque omni spe et salúte privátus.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, et dedicavérunt altáre Dño : * Et facta est laetítia magna in pópulo. ℣. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum.—Et facta est laetítia.

Lectio iii.

CONSIDERANS autem summus sacérdos ne forte rex suspicarétur malítiam áliquam ex Judaeis circa Heliodórum consummátam, óbtulit pro salúte viri hóstiam salutárem. Cumque summus sacérdos exoráret, iídem júvenes eísdem véstibus amícti, astántes Heliodóro, dixérunt : Oníae sacerdóti grátias age, nam propter eum Dóminus tibi vitam donávit. Tu autem a Deo flagellátus, núntia ómnibus magnália Dei, et testátem. Et his dictis, non comparuérunt.

℟. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum : * Qui magna fecit in Israël, et victóriam dedit illis Dóminus omnípotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, et dedicavérunt altáre Dómino.—Qui magna. Glória Patri. Qui magna.

FERIA QUINTA.

Si haec Hebdomada ruerit ultima Octobris, in tribus sequentibus diebus leguntur Lectiones Dominicae v., et Feriae ii. et iii. ejusdem Hebdomadae, qui si fuerint impediti, eo anno

omittantur illae Lectiones, quae his diebus legi non possunt. Si vero in sequenti Hebdomada hae Lectiones in suis Feriis legi non possint, ponantur in sequentibus Feriis ejusdem Hebdomadae juxta ordinem historiae et martyrii Machabaeorum.

De libro secúndo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* iv.

SIMON autem praedíctus pecuniárum,et pátriae delátor, male loquebátur de Onía, tamquam ipse Heliodórum instigásset ad haec, et ipse fuísset incéntor malórum : provisorémque civitátis, ac defensórem gentis suae, et aemulatórem legis Dei audébat insidiatórem regni dícere. Sed, cum inimicítiae in tantum procéderent, ut étiam per quosdam Simónis necessários homicídia fíerent : consíderans Onías perículum contentiónis, et Apollónium insaníre, útpote ducem Coelesyriae, et Phoenícis, ad augéndam malítiam Simónis, ad regem se cóntulit, non ut cívium accusátor, sed commúnem utilitátem apud semetípsum univérsae multitúdinis consíderans.

℟. Adapériat Dóminus cor. 238.

Lectio ii.

VIDEBAT enim sine regáli providéntia impossíbile esse pacem rebus dari, nec Simónem posse cessáre a stultítia sua. Sed post Seleuci vitae excéssum, cum suscepísset regnum Antíochus, qui Nóbilis appellabátur, ambiébat Iáson frater Oníae summum sacerdótium : ádito rege, promíttens ei argénti talénta trecénta sexagínta, et ex reddítibus áliis talénta octogínta, super haec promittébat et ália centum quinquagínta, si potestáti ejus concederétur gymnásium, et ephébiam sibi constitúere, et eos, qui in Jerosólymis erant, Antiochénos scríbere.

℟. Exáudiat Dóminus oratiónes. 239.

Lectio iii.

QUOD cum rex annuísset, et obtinuísset principátum, statim ad gentílem ritum contribúles suos transférre coepit. Et amótis his, quae humanitátis causa Judaeis a régibus fúerant constitúta, per Joánnem patrem Eupólemi, qui apud Romános de amicítia, et societáte functus est legatióne legítima, cívium jura destítuens, prava institúta sanciébat.

℟. Congregáti sunt inimíci. 239.

FERIA SEXTA.

De libro secúndo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* v.

ODEM témpore Antíochus secúndam profectiónem parávit in Ægyptum. Cóntigit autem per univérsam Jerosolymórum civitátem vidéri diébus quadragínta per áera équites discurréntes, aurátas stolas habéntes, et hastis, quasi cohórtes, armátos, et cursus equórum per órdines digéstos, et congressiónes fíeri cóminus, et scutórum motus, et galeatórum multitúdinem gládiis districtis, et telórum jactus, et aureórum armórum splendórem, omnísque géneris loricárum. Quapropter omnes rogábant in bonum monstra convérti.

℟. Impetum. 240.

Lectio ii.

SED cum falsus rumor exísset, tamquam vita excessísset Antíochus, assúmptis Iáson non minus mille viris, repénte aggréssus est civitátem: et cívibus ad murum convolántibus, ad últimum apprehénsa civitáte, Meneláus fugit in arcem : Iáson vero non parcébat in caede cívibus suis, nec cogitábat prosperitátem advérsum cognátos malum esse máximum, árbitrans hóstium et non cívium se trophaea captúrũ. Et principátum quidem non obtínuit, finem vero insidiárum suárum confusiónem accépit, et prófugus íterum ábiit in Ammaníten.

℟. Congregátae. 240.

Lectio iii.

AD últimum in exítium sui conclúsus ab Areta Arabum tyránno, fúgiens de civitáte in civitátem, ómnibus odiósus, ut réfuga legum, et execrábilis, ut pátriae, et cívium hostis, in Ægyptum extrúsus est : et qui multos de pátria sua expúlerat, péregre périit, Lacedaemonas profléctus, quasi pro cognatióne ibi refúgium habitúrus : et qui insepúltos multos abjécerat, ipse et illamentátus et insepúltus abjícitur, sepultúra neque peregrína usus, neque pátrio sepúlchro partícipans.

℟. Tua est poténtia. 240.

SABBATO.

De libro secúndo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* vi.

ED non post multum témporis misit rex Antíochus senem quemdam Antiochénum, qui compélleret Judaeos ut se trans-

férrent a pátriis et Dei légibus : contamináre étiam quod in Jerosólymis erat templum, et cognomináre Jovis Olympii : et in Garízim, prout erant hi, qui locum inhabitábant, Jovis hospitális. Péssima autem et univérsis gravis erat malórum incúrsio : nam templum luxúria, et comessatiónibus Géntium erat plenum, et scortántium cum meretrícibus : sacratísque aedibus mulíeres se ultro ingerébant, intro feréntes ea, quae non licébat.

Lectio ii.

ALTARE étiam plenum erat illícitis, quae légibus prohibebántur. Neque autem sábbata custodiebántur, neque dies solémnes pátrii servabántur, nec simplíciter Judaeum se esse quisquam confitebátur. Ducebántur autem cum amára necessitáte in die natális regis ad sacrifícia : et, cum Líberi sacra celebraréntur, cogebántur hédera coronáti Líbero circuíre. Decrétum autem éxiit in próximas Gentílium civitátes, suggeréntibus Ptolemaeis, ut pari modo et ipsi advérsus Judaeos ágerent, ut sacrificárent : eos autem, qui nollent transíre ad institúta Géntium, interfícerent : erat ergo vidére misériam.

Lectio iii.

QUAE enim mulíeres delátae sunt natos suos circumcidísse : quas, infántibus ad úbera suspénsis, cum públice per civitátem circumduxíssent, per muros praecipitavérunt. Alii vero, ad próximas coeúntes spelúncas, et laténter sábbati diem celebrántes, cum indicáti essent Philíppo, flammis succénsi sunt, eo quod verebántur propter religiónem et observántiam, manu síbimet auxílium ferre. Obsecro autem eos, qui hunc librum lectúri sunt, ne abhorréscant propter advérsos casus, sed réputent, ea, quae accidérunt, non ad intéritum, sed ad correptiónem esse géneris nostri.

SABBATO

ante Dominicam v. Octobris nisi sit dimittenda, quia haec proximior sit Kalendis Novembris.

Ad Magnif., Aña. Tua est poténtia, tuum regnum Dómine, tu es super omnes gentes : da pacem Dómine in diébus nostris.

DOMINICA V.

Octobris.

In primo Nocturno.

De libro secúndo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* vi. *d.*

IGITUR Eleázarus unus de primóribus Scribárum, vir aetáte provéctus, et vultu decórus, apérto ore hians compellebátur carnem porcínam manducáre. At ille glorioſíſſimã mortem magis quam odíbilem vitam compléctens, voluntárie praeíbat ad supplícium. Intuens autem, quemádmodum oportéret accédere, patiénter sústinens, destinávit non admíttere illícita propter vitae amórem. Hi autem, qui astábant, iníqua miseratióne commóti, propter antíquam viri amicítiam, tolléntes eum secréto rogábant afférri carnes, quibus vesci ei licébat, ut simularétur manducásse, sicut rex imperáverat de sacrifícii cárnibus: ut, hoc facto, a morte liberarétur: et propter véterem viri amicítiam, hanc in eo faciébant humanitátem.

℟. Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua, et in praecéptis suis, et fáciat pacem in diébus vestris: ℣. Concédat vobis salútem, et rédimat vos a malis. ℟. Exáudiat Dóminus oratiónes vestras, et reconciliétur vobis, nec vos déserat in témpore malo.—Concédat vobis.

Lectio ii.

AT ille cogitáre coepit aetátis ac senectútis suae eminéntiam dignam, et ingénitae nobilitátis canítiem, atque a púero óptimae conversatiónis actus: et secúndum sanctae, et a Deo cónditae legis constitúta, respóndit cito, dicens, praemítti se velle in infernum. Non enim aetáti nostrae dignum est, inquit, fíngere: ut multi adolescéntium, arbitrántes Eleázarum nonagínta annórum transísse ad vitam alienigenárum: et ipsi propter meam simulatiónem, et propter módicum corruptíbilis vitae tempus decipiántur, et per hoc máculam, atque execratiónem meae senectúti conquíram. Nam etsi in praesénti témpore supplíciis hóminum erípiar, sed manum Omnipoténtis nec vivus, nec defúnctus effúgiam. Quamóbrem fórtiter vita excedéndo, senectúte quidem dignus apparébo: adolescéntibus autem exémplum forte relínquam, si prompto ánimo, ac fórtiter pro gravíssimis ac sanctíssimis légibus honésta morte perfúngar. His dictis, conféstim ad supplícium trahebátur.

℟. Exáudiat Dñus oratiónes vestras, et reconciliétur vobis, nec vos déserat in

témpore malo, * Dóminus Deus noster. ℣. Det vobis cor ómnibus ut colátis eum, et faciátis ejus voluntátē.— Dóminus.

Lectio iii. *Cap.* vii.

CONTIGIT autem et septem fratres una cum matre sua apprehénsos, compélli a rege édere contra fas carnes porcínas, flagris et táureis cruciátos. Unus autem ex illis, qui erat primus, sic ait : Quid quaeris, et quid vis díscere a nobis? paráti sumus mori, magis, quam pátrias Dei leges praevaricári. Irátus ítaque rex jussit sartágines, et ollas aeneas succéndi : quibus statim succénsis, jussit ei, qui prior fúerat locútus, amputári linguam: et, cute cápitis abstráeta, summas quoque manus et pedes ei praescíndi, caeteris ejus frátribus, et matre inspiciéntibus. Et cum jam per ómnia inútilis factus esset, jussit ignem admovéri, et adhuc spirántem torréri in sartágine : in qua cum diu cruciarétur, caeteri una cum matre ínvicem se hortabántur mori fórtiter.

℟. Congregáti sunt inimíci nostri, et gloriántur in virtúte sua : cóntere fortitúdinem illórum Dómine, et dispérge illos : * Ut cognóscant, quia non est álius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. ℣. Dispérge illos in virtúte tua, et déstrue eos protéctor noster Dómine.—Ut cognóscant. Glória Patri. Ut cognóscant.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Gregórii Nazianzéni.

Oratione xx. *de Machabaeis.*

Lectio iv.

ELEAZARUS primítiae eórum qui hic ante Christum sunt passi, quemádmodum post Christum Stéphanus. Is vir et sacérdos, et senex, canus capíllis, canus et prudéntia, prius quidem pro pópulo sacrificábat et orábat : nunc autem semetípsum hóstiam óbtulit Deo perfectíssimam ad totíus pópuli expiatiónem, faustum certáminis inítium, ad quod loquens páriter ac tacens cohortabátur. Obtulit autem et fílios septem, suae fructus disciplínae, hóstiam vivéntem, sanctam, beneplácitam Deo, omni legáli sacrifício splendidiórem et puriórem : quae sunt enim filiórum, ad patrem referri, aequíssimum ac justíssimum est.

℟. Impetum inimicórum ne timuéritis : mémores estóte, quómodo salvi facti sunt patres nostri : *

Et nunc clamémus in coelum, et miserébitur nostri Deus noster. ℣. Mementóte mirabílium ejus, quae fecit Pharaóni, et exercítui ejus in mari Rubro.—Et nunc.

Lectio v.

IBI tum generósi et magnánimi púeri, generósae matris nóbilis proles, gloriósi veritátis propugnatóres, Antíochi tempóribus excelsióres, veri Mosáicae legis discípuli, paternórum rítuum observantíssimi, númerus apud Hebraeos laudábilis, et propter septenáriae quiétis mystérium venerábilis, unum spirántes, unum spectántes, unum illud ad vitam iter agnoscéntes, ut mortem Dei causa suscíperent: non minus ánimis fratres quam corpóribus, inter se mútuae mortis aemuli: o rem admirándam! torménta quasi thesáuros praeripiéntes, pro magístra lege perícula subeúntes, quae non magis illáta formidábant, quam relícta requirébant, unum illud vériti, ne tyránnus a poenis desísteret, ne quis ipsórum sine corónae praemio discéderet, ne invíti fratres álii ab álio sejungeréntur, et ne, in eo discrímine cruciátibus erépti, mala victória superárent.

℟. Congregátae sunt Gentes in multitúdine, ut dímicent contra nos, et ignorámus quid ágere debeámus: * Dómine Deus, ad te sunt óculi nostri, ne pereámus. ℣. Tu scis quae cógitant in nos: quómodo potérimus subsístere ante fáciem illórum, nisi tu ádjuves nos?—Dómine.

Lectio vi.

ERAT ibi fortis et generósa mater, puerórum simul ac Dei amans, cujus matérna víscera supra natúrae consuetúdinem dilaniabántur. Non enim filiórum qui in torméntis erant, miserebátur, sed timóre angebátur, ne non ea suscíperent: neque magis eos, qui e vita migráverant, desiderábat, quam precabátur, ut réliqui cum illis conjungeréntur: de quibus fíliis magis quam de mórtuis erat sollícita. Horum enim dúbium erat certámen: at illórum secúrus vitae éxitus: atque illos quidem jam Deo adjúnxerat, de his vero, quómodo eos Deus suscíperet, laborábat. O virílem ánimum in córpore mulíebri! o admirábile magni ánimi incrementum!

℟. Tua est poténtia, tuum regnum Dómine: tu es super omnes Gentes: * Da pacem Dómine in diébus nostris. ℣. Creátor ómnium

Deus, terríbilis et fortis, justus et miséricors.—Da pacem. Glória Patri. Da pacem.

℟. vii. Refúlsit sol in clypeos áureos, et resplendúerunt montes ab eis : * Et fortitúdo Géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valde, et fortis : et appropiávit Judas, et exércitus ejus in praelio.—Et fortitúdo.

℟. viii. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum : * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth : * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spíritus sanctus : et hi tres unum sunt.—Sanctus. Glória Patri. Plena est.

FERIA SECUNDA.

De libro secúndo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* vii. *b.*

ORTUO ítaque illo primo, hoc modo, sequéntem deducébant ad illudéndum : et, cute cápitis ejus cum capíllis abstráeta, interrogábant, si manducáret prius, quam toto córpore per membra síngula punirétur. At ille, respóndens pátria voce, dixit : Non fáciam. Propter quod et iste sequénti loco primi torménta suscépit : et in último spíritu constitútus, sic ait : Tu quidem scelestíssime in praesénti vita nos perdis : sed Rex mundi defúnctos nos pro suis légibus in aetérnae vitae resurrectióne suscitábit. Post hunc tértius illúditur, et linguam postulátus cito prótulit, et manus constánter exténdit : et cum fidúcia ait : E coelo ista possídeo, sed propter Dei leges nunc haec ipsa despício, quóniam ab ipso me ea receptúrum spero : ita ut rex, et qui cum ipso erant, miraréntur adolescéntis ánimum, quod tamquam níhilum dúceret cruciátus.

℟. Dixit Judas Simóni fratri suo : Elige tibi viros, et vade, líbera fratres tuos, in Galilaeam : ego autem, et Jónathas frater tuus, íbimus in Galaadítim : * Sicut fúerit volúntas in coelo, sic fiat. ℣. Accingímini fílii poténtes, et estóte paráti : quóniam mélius est nobis mori in bello, quam vidére mala gentis nostrae, et sanctórum.—Sicut.

Lectio ii.

ET hoc ita defúncto, quartum vexábant simíliter torquéntes. Et, cum jam esset ad mortem, sic ait : Pótius est ab homínibus morti datos spem expectáre a Deo, íterum ab

ipso resuscitándos : tibi enim resurréctio ad vitam non erit. Et cum admovíssent quintum, vexábant eum. At ille, respíciens in eum, dixit : Potestátem inter hómines habens, cum sis corruptíbilis, facis quod vis : noli autem putáre genus nostrum a Deo esse derelíctum. Tu autem patiénter sústine, et vidébis magnam potestátem ipsíus, quáliter te, et semen tuum torquébit. Post hunc ducébant sextum, et is, mori incípiens, sic ait : Noli frustra erráre : nos enim propter nosmetípsos haec pátimur peccántes in Deum nostrum, et digna admiratióne facta sunt in nobis : tu autem ne exístimes tibi impúne futúrum, quod contra Deum pugnáre tentáveris.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, et dedicavérunt altáre Dómino : * Et facta est laetítia magna in pópulo. ℣. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum.— Et facta.

Lectio iii.

SUPRA modum autem mater mirábilis, et bonórum memória digna, quae pereúntes septem fílios sub uníus diéi témpore conspíciens, bono ánimo ferébat propter spem, quam in Deum habébat : síngulos illórum hortabátur voce pátria fórtiter, repléta sapiéntia: et, fœminae cogitatióni masculínum ánimum ínserens, dixit ad eos : Néscio quáliter in útero meo apparuístis : neque enim ego spíritum et ánimam donávi vobis et vitam, et singulórum membra non ego ipsa compégi : sed enim mundi Creátor, qui formávit hóminis nativitátem, quique ómnium invénit orígenem, et spíritum vobis íterum cum misericórdia reddet et vitam, sicut nunc vosmetípsos despícitis propter leges ejus.

℟. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum :* Qui magna fecit in Israël, et victóriam dedit illis Dóminus omnípotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, et dedicavérunt altáre Dómino.— Qui magna. Glória Patri. Qui magna.

FERIA TERTIA.

De libro secúndo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* vii. *e.*

ANTIOCHUS autem, conténmi se arbitrátus, simul et exprobrántis voce despécta, cum adhuc adolescéntior superésset,

non solum verbis hortabátur, sed et cum juraménto affirmábat se dívitem et beátum factúrum, et translátum a pátriis légibus amícum habitúrum, et res necessárias ei praebitúrum. Sed ad haec cum adoléscens nequáquam inclinarétur, vocávit rex matrem, et suadébat ei ut adolescénti fíeret in salútem. Cum autem multis eam verbis esset hortátus, promísit suasúrã se fílio suo. Itaque inclináta ad illum, irrídens crudélem tyránnum, ait pátria voce: Fíli mi, miserére mei, quae te in útero novem ménsibus portávi, et lac triénnio dedi et álui, et in aetátem istam perdúxi.

℟. Hic est fratrum amátor, et pópuli Israël: * Hic est qui multum orat pro pópulo, et univérsa sancta civitáte Jerúsalem. ℣. Vir iste in pópulo suo mitíssimus appáruit.—Hic est.

Lectio ii.

PETO, nate, ut aspícias ad coelum et terram, et ad ómnia quae in eis sunt: et intélligas, quia ex níhilo fecit illa Deus, et hóminum genus: ita fiet, ut non tímeas carnífícem istum, sed dignus frátribus tuis effféctus párticeps, súscipe mortem, ut in illa miseratióne cum frátribus tuis te recípiam. Cum haec illa adhuc díceret, ait adoléscens: Quem sustinétis? non obédio praecépto regis, sed praecépto legis, quae data est nobis per Móysen. Tu vero, qui invéntor omnis malítiae factus es in Hebraeos, non effúgies manum Dei. Nos enim pro peccátis nostris haec pátimur. Et si nobis propter increpatiónem, et correptiónem Dóminus Deus noster módicum irátus est: sed íterum reconciliábitur servis suis.

℟. Tu Dómine universórum, qui nullam habes indigéntiam, voluísti templum tuum fíeri in nobis: * Consérva domum istam immaculátam in aetérnum Dómine. ℣. Tu elegísti Dñe domum istam ad invocándum nomen tuum in ea, ut esset domus oratiónis et obsecratiónis pópulo tuo.—Consérva.

Lectio iii.

TU autem, o sceléste, et ómnium hóminum flagitiosíssime, noli frustra extólli vanis spebus in servos ejus inflammátus. Nondum enim omnipoténtis Dei, et ómnia inspiciéntis, judícium effugísti. Nam fratres mei, módico nunc dolóre sustentáto, sub testaménto aetérnae vitae effécti sunt: tu vero judício Dei justas supérbiae tuae

poenas exólves. Ego autem, sicut et fratres mei, ánimam, et corpus meum trado pro pátriis légibus: ínvocans Deum matúrius genti nostrae propítium fíeri, teque cum torméntis et verbéribus confitéri quod ipse est Deus solus. In me vero et in frátribus meis désinet Omnipoténtis ira, quae super omne genus nostrum juste superdúcta est. Tunc rex accénsus ira in hunc super omnes crudélius desaevit, indígne ferens se derísum. Et hic ítaque mundus óbiit, per ómnia in Dño confídens. Novíssime autem post fílios et mater consúmpta est.

℟. Aperi óculos tuos Dñe, et vide afflictiónem nostram : circumdedérunt nos Gentes ad puniéndum nos : * Sed tu Dñe exténde bráchium tuum, et líbera ánimas nostras. ℣. Afflíge oppriméntes nos, et contuméliam faciéntes in supérbiam, et custódi partem tuam.—Sed. Glória. Sed.

FERIA QUARTA.

De libro secúndo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* viii. *c*

CONSTITUIT autem Nicánor, ut regi tribútum, quod Románis erat dandum, duo míllia talentórum, de captivitáte Judaeórum suppléret : statímque ad marítimas civitátes misit, cónvocans ad coemptiónem Judaicórum mancipiórum, promíttens se nonagínta mancípia talénto distractúrum, non respíciens ad vindíctam, quae eum ab Omnipoténte esset consecutúra. Judas autem ubi cómperit, indicávit his, qui secum erant Judaeis Nicánoris advéntum. Ex quibus quidam formidántes, et non credéntes Dei justítiae, in fugam vertebántur : álii vero si quid eis supérerat vendébant, simúlque Dóminum deprecabántur, ut eríperet eos ab ímpio Nicánore.

℟. Refúlsit sol in clypeos áureos, et resplenduérunt montes ab eis : * Et fortitúdo Géntium dissipáta est. ℣. Erat enim exércitus magnus valde, et fortis : et appropiávit Judas, et exércitus ejus in praelio.—Et fortitúdo.

Lectio ii.

CONVOCATIS autem Machabaeus septem míllibus, qui cum ipso erant, rogábat ne hóstibus reconciliaréntur, neque metúerent iníque veniéntium advérsum se hóstium multitúdinem, sed fórtiter contenderent, ante óculos habéntes contuméliam, quae

loco sancto ab his injúste esset illáta, itémque et ludíbrio hábitae civitátis injúriam, adhuc étiam véterum institúta convúlsa. Nam illi quidem armis confídunt, ait, simul et audácia : nos autem in omnipoténte Dómino, qui potest et veniéntes advérsum nos, et univérsum mundum uno nutu delére, confídimus. Admónuit autem eos et de auxíliis Dei, quae facta sunt erga paréntes : et quod sub Sennácherib, centum octogínta quinque míllia periérunt.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, et dedicavérunt altáre Dómino : * Et facta est laetítia magna in pópulo. ℣. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum.— Et facta.

Lectio iii.

HIS verbis constántes effécti sunt, et pro légibus, et pátria mori paráti. Constítuit ítaque fratres suos duces utríque órdini, Simónem, et Joséphum, et Jónathan, subjéctis unicuíque millénis et quingenténis. Ad hoc étiam ab Esdra lecto illis sancto libro, et dato signo adjutórii Dei, in prima ácie ipse dux commísit cum Nicánore. Et facto sibi adjutóre Omnipoténte, interfecérunt super novem míllia hóminum : majórem autem partem exércitus Nicánoris vulnéribus débilem factam fúgere compulérunt. Pecúniis vero eórum, qui ad emptiónem ipsórum vénerant, sublátis, ipsos usquequáque persecúti sunt, sed revérsi sunt hora conclúsi : nam erat ante sábbatum : quam ob causam non perseveravérunt insequéntes. Arma autem ipsórum, et spólia congregántes, sábbatum agébant : benedicéntes Dóminum, qui liberávit eos in isto die, misericórdiae inítium stillans in eos. Post sábbatum vero debílibus, et órphanis, et víduis divisérunt spólia : et resídua ipsi cum suis habuére.

℟. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum : * Qui magna fecit in Israël, et victóriam dedit illis Dóminus omnípotens. ℣. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, et dedicavérunt altáre Dómino.— Qui. Glória Patri. Qui.

FERIA QUINTA.

De libro secúndo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* ix.

IN ipsum témpore Antíochus inhonéste revertebátur de Pérside. Intráverat enim in eam,

quae dícitur Persépolis, et tentávit expoliáre templum, et civitátem opprímere : sed multitúdine ad arma concurrénte, in fugam versi sunt : et ita cóntigit ut Antíochus post fugam túrpiter redíret. Et cum venísset circa Ecbátanam, recognóvit quae erga Nicánorem, et Timótheum gesta sunt. Elátus autem in ira, arbitrabátur se injúriam illórum, qui se fugáverant, posse in Judaeos retorquére : ideóque jussit agitári currum suum, sine intermissióne agens iter, coelésti eum judício perurgénte, eo quod ita supérbe locútus est se ventúrum Jerosólymam, et congériem sepúlchri Judaeórum eam factúrum.

℟. Adapériat. 248.

Lectio ii.

SED qui univérsa cónspicit Dóminus Deus Israël, percússit eum insanábili et invisíbili plaga. Ut enim finívit hunc ipsum sermónem, apprehéndit eum dolor dirus víscerum, et amára internórum torménta : et quidem satis juste, quippe qui multis, et novis cruciátibus aliórum tórserat viscera, licet ille nullo modo a sua malítia cessáret. Super hoc autem supérbia replétus, ignem spirans ánimo in Judaeos, et praecípiens accelerári negótium, cóntigit illum ímpetu eúntem de curru cádere, et gravi córporis collisióne membra vexári.

℟. Exáudiat Dñus. 248.

Lectio iii.

ISQUE qui sibi videbátur étiam flúctibus maris imperáre, supra humánum modum supérbia replétus, et móntium altitúdines in statéra appéndere, nunc humiliátus ad terram in gestatório portabátur, maniféstam Dei virtútem in semetípso contéstans : ita ut de córpore ímpii vermes scaturírent, ac vivéntis in dolóribus carnes ejus efflúerent, odóre étiam illíus et foetóre exércitus gravarétur. Et qui paulo ante sídera coeli contíngere se arbitrabátur, eum nemo póterat propter intoleréntiam foetóris portáre.

℟. Congregáti sunt. 249.

FERIA SEXTA.

De libro secúndo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* x.

MACHABAEUS autem, et qui cum eo erant, Dómino se protegénte, templum quidem, et civitátem recépit : aras autem, quas alienígenae per platéas extrúxerant, itémque delúbra demolítus est.

Et purgáto templo, áliud altáre fecérunt : et de ignítis lapídibus igne concépto, sacrifícia obtulérunt post biénnium, et incénsum, et lucérnas, et panes propositiónis posuérunt. Quibus gestis, rogábant Dóminum prostráti in terram, ne ámplius tálibus malis incíderent : sed et, si quando peccássent, ut ab ipso mítius corriperéntur, et non bárbaris, ac blasphémis homínibus traderéntur. Qua die autem templum ab alienígenis pollútum fúerat, cóntigit eádem die purificatiónem fieri, vigésima quinta mensis, qui fuit Casleu.

℟. Impetum. 249.

Lectio ii.

AT Timótheus, qui prius a Judaeis fúerat superátus, convocáto exércitu peregrínae multitúdinis, et congregáto equitátu Asiáno, advénit quasi armis Judaeam captúrus. Machabaeus autem, et qui cum ipso erant, appropinquánte illo deprecabántur Dñum, caput terra aspergéntes, lumbósque cilíciis praecíncti, ad altáris crepídinem provolúti, ut sibi propítius, inimícis autem eórum esset inimícus, et adversáriis adversarétur, sicut lex dicit. Et ita post oratiónem, sumptis armis, lóngius de civitáte procedéntes, et próximi hóstibus effécti resedérunt.

℟. Congregátae. 250.

Lectio iii.

PRIMO autem solis ortu utríque commisérunt : isti quidem victóriae,et prosperitátis sponsórem cum virtúte Dóminum habéntes : illi autem ducem belli ánimum habébant. Sed, cum véhemens pugna esset, apparuérunt adversáriis de coelo viri quinque in equis, fraenis áureis decóri, ducátum Judaeis praestántes : ex quibus duo Machabaeum médium habéntes, armis suis circumséptum incólumem conservábant : in adversários autem tela et fúlmina jaciébant, ex quo et caecitáte confúsi, et repléti perturbatióne cadébant. Interfécti sunt autem vigínti míllia quingénti, et équites sexcénti. Timótheus vero confúgit in Gázaram praesídium munítum, cui praeerat Chaeréas.

℟. Tua est poténtia. 250.

SABBATO.

De libro secúndo Machabaeórum.

Lectio i. *Cap.* xv. *b.*

MACHABAEUS autem semper confidébat cum omni spe auxíliu sibi a Deo affutúrum. Et

hortabátur suos ne formidárent ad advéntum natiónum, sed in mente habérent adjutória sibi facta de coelo, et nunc sperárent ab Omnipoténte sibi affutúram victóriam. Et allocútus eos de lege,et Prophétis, ádmonens étiam certámina, quae fécerant prius, promptióres constítuit eos : et ita ánimis eórum eréctis, simul ostendébat Géntium fallácíam, et juramentórum praevaricatiónem. Síngulos autem illórum armávit, non clypei, et hastae munitióne, sed sermónibus óptimis, et exhortatiónibus, expósito digno fide sómnio, per quod univérsos laetificávit.

Lectio ii.

ERAT autem hujuscémodi visus : Oníam, qui fúerat summus sacérdos, virum bonum et benígnum, verecúndum visu, modéstum móribus, et elóquio decórum, et qui a púero in virtútibus exercitátus sit, manus protendéntem, oráre pro omni pópulo Judaeórum. Post hoc apparuísse et álium virum aetáte, et glória mirábilem, et magni decóris habitúdine circa illum. Respondéntem vero Oníam dixísse : Hic est fratrum amátor, et pópuli Israël : hic est, qui multum orat pro pópulo, et univérsa sancta civitáte, Jeremías Prophéta Dei. Extendísse autem Jeremíam dextram, et dedísse Judae gládium áureum, dicéntem : Accipe sanctum gládium munus a Deo, in quo dejícies adversários pópuli mei Israël.

Lectio iii.

EXHORTATI ítaque Judae sermónibus bonis valde, de quibus extólli posset ímpetus, et ánimi júvenum confortári, statuérunt dimicáre et conflígere fórtiter: ut virtus de negótiis judicáret, eo quod cívitas sancta, et templum periclitaréntur. Erat enim pro uxóribus, et fíliis, itémque pro frátribus, et cognátis minor sollicitúdo : máximus vero et primus pro sanctitáte timor erat templi. Sed et eos, qui in civitáte erant, non mínima sollicitúdo habébat pro his, qui congressúri erant.

SABBATO

ante Dominicam primam Novembris.

Ad Magnificat, Antiph.

Vidi Dóminum * sedéntem super sólium excélsum, et plena erat omnis terra majestáte ejus : et ea quae sub ipso erant, replébant templum.

DOMINICA I.
Novembris.

In primo Nocturno.

Incipit liber Ezechiélis Prophétae.

Léctio i. *Cap.* i.

ET factum est in trigésimo anno, in quarto, in quinta mensis, cum essem in médio captivórum juxta flúvium Chobar, apérti sunt coeli, et vidi visiónes Dei. In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigratiónis regis Jóachin, factum est verbum Dómini ad Ezechiélem fílium Buzi sacerdótem in terra Chaldaeórum, secus flumen Chobar: et facta est super eum ibi manus Dñi. Et vidi, et ecce ventus túrbinis veniébat ab Aquilóne: et nubes magna, et ignis involvens, et splendor in circúitu ejus: et de médio ejus quasi spécies eléctri, id est de médio ignis.

℟. Vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum et elevátum: et plena erat omnis terra majestáte ejus: * Et ea quae sub ipso erant, replébant templum. ℣. Séraphim stabant super illud: sex alae uni, et sex alae álteri.—Et ea.

Léctio ii.

ET in médio ejus similitúdo quátuor animálium: et hic aspéctus eórum, similitúdo hóminis in eis. Quátuor fácies uni, et quátuor pennae uni. Pedes eórum pedes recti, et planta pedis eórum quasi planta pedis vítuli, et scintíllae quasi aspéctus aeris candéntis. Et manus hóminis sub pennis eórum in quátuor pártibus: et fácies, et pennas per quátuor partes habébant. Junctaeque erant pennae eórum altérius ad álterum. Non revertebántur cum incéderent: sed unumquódque ante fáciem suam gradiebátur.

℟. Aspice Dómine de sede sancta tua, et cógita de nobis: inclína Deus meus aurem tuam, et audi: * Aperi óculos tuos, et vide tribulatiónem nostram. ℣. Qui regis Israël, inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph.—Aperi.

Léctio iii.

SIMILITUDO autem vultus eórum: fácies hóminis, et fácies leónis a dextris ipsórum quátuor: fácies autem bovis, a sinístris ipsórum quátuor, et fácies áquilae désuper ipsórum quátuor. Fácies eórum, et pennae eórum exténtae désuper: duae pennae singulórum jungebántur, et duae tegébant córpora eórum: et unumquódque eórum coram fácie sua ambulábat: ubi erat ímpetus

spíritus, illuc gradiebántur, nec revertebántur cum ambulárent.

℟. Aspice Dñe, quia facta est desoláta cívitas plena divítiis, sedet in tristítia dómina Géntium : * Non est qui consolétur eam, nisi tu Deus noster. ℣. Plorans plorávit in nocte, et lácrymae ejus in maxíllis ejus.—Non est. Glória Patri. Non est.

In secundo Nocturno.

De Expositióne sancti Gregórii Papae in Ezechiélem Prophétam.

Lib. I. *Homil.* ii.

Lectio iv.

IESUS prophéticae locutiónis est, ut prius persónam, tempus, locúmque descríbat, et póstmodum dícere mystéria prophetíae incípiat : quátenus ad veritátem solídius ostendéndam, ante históriae radícem figat, et post, fructus spíritus per signa et allegorías próferat. Ezéchiel ítaque aetátis suae tempus índicat, dicens : Et factum est in trigésimo anno, in quarto mense, in quinta mensis. Locum quoque denúntians, adjúngit : Cum essem in médio captivórum juxta flumen Chobar, apérti sunt coeli, et vidi visiónes Dei. Tempus étiam insínuat, subdens : In quinta mensis : ipse est annus quintus transmigratiónis regis Jóachin. Qui ut bene persónam índicet, étiam genus narrat, cum súbditur : Et factum est verbum Dómini ad Ezechiélem, fílium Buzi, sacerdótem.

℟. Super muros tuos Jerúsalem constítui custódes : * Tota die et nocte non tacébunt laudáre nomen Dñi. ℣. Praedicábunt pópulis fortitúdinē meam, et annuntiábunt Géntibus glóriam meam.—Tota die.

Lectio v.

SED prima quaestio nobis óritur, cur is qui nihil adhuc díxerat, ita exórsus est, dicens : Et factum est in trigésimo anno. Et, namque sermo conjunctiónis est : et scimus, quia non conjúngitur sermo súbsequens, nisi sermóni praecedénti. Qui ígitur nihil díxerat, cur dicit : Et factum est : cum non sit sermo, cui hoc quod íncipit, subjúngat ? Qua in re intuéndum est, quia sicut nos corporália, sic Prophétae sensu spiritália aspíciunt : eísque et illa sunt praeséntia, quae nostrae ignorántiae abséntia vidéntur. Unde fit, ut in mente Prophetárum ita conjúncta sint exterióribus interióra, quátenus simul

útraque vídeant : simúlque in eis fiat et intus verbum quod áudiunt, et foris quod dicunt.

℟. Muro tuo inexpugnábili circumcínge nos Dómine, et armis tuae poténtiae prótege nos semper : * Líbera Dómine Deus Israël clamántes ad te. ℣. Erue nos in mirabílibus tuis, et da glóriam nómini tuo.—Líbera.

Lectio vi.

PATET ígitur causa, cur qui nihil díxerat, inchoávit, dicens : Et factum est in trigésimo anno : quia hoc verbum quod foris prótulit, illi verbo quod intus audíerat, conjúnxit. Continuávit ergo verba quae prótulit visióni íntimae, et idcírco íncipit, dicens : Et factum est. Subjúnxit enim hoc quod extérius loqui ínchoat : ac si et illud foris sit, quod intus vidit. Hoc autem quod dícitur, quia in trigésimo anno spíritum prophetíae accéperit, índicat áliquid nobis considerándum : vidélicet quia juxta ratiónis usum, doctrínae sermo non súppetit, nisi in aetáte perfécta. Unde et ipse Dóminus anno duodécimo aetátis suae in médio doctórum in templo sedens, non docens, sed intérrogans vóluit inveníri.

℟. Sustinúimus pacem, et non venit : quaesívimus bona, et ecce turbátio : cognóvimus Dómine peccáta nostra : * Non in perpétuum obliviscáris nos. ℣. Peccávimus, ímpie géssimus, iniquitátem fécimus Dómine in omnem justítiam tuam.—Non. Glória Patri. Non.

℟. vii. Laudábilis pópulus, * Quem Dóminus exercítuum benedíxit, dicens : Opus mánuum meárum tu es, haeréditas mea Israël. ℣. Beáta gens, cujus est Dóminus Deus, pópulus eléctus in haereditátem.—Quem Dóminus.

℟. viii. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum : * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth : * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spíritus sanctus: et hi tres unum sunt.—Sanctus. Glória Patri. Plena.

Infra Hebdomadam, Feria iv. dicuntur Responsoria ibi assignata : in Sabbato autem dicitur primum ℟. Laudábilis, secundum et tertium Feriae secundae sequentis.

Responsoria hujus Dominicae dicuntur in aliis Dominicis usque ad Adventum.

FERIA SECUNDA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio i. *Cap.* ii.

T audívi loquéntem ad me, et dicéntem : Fili hóminis, mitto ego te ad fílios Israël, ad Gentes apostatríces, quae recessérunt a me : ipsi et patres eórum praevaricáti sunt pactum meum usque ad diem hanc. Et fílii dura fácie, et indomábili corde sunt, ad quos ego mitto te : et dices ad eos : Haec dicit Dóminus Deus : Si forte vel ipsi áudiant, et si forte quiéscant, quóniam domus exásperans est : et scient quia Prophéta fúerit in médio eórum.

℟. Redémit pópulum suum, et liberávit eum : et vénient, et exultábunt in monte Sion : et gaudébunt de bonis Dómini super fruménto, vino, et óleo : * Et ultra non esúrient. ℣. Erítque ánima eórum quasi hortus irríguus.—Et ultra.

Lectio ii.

TU ergo fili hóminis ne tímeas eos, neque sermónes eórum métuas : quóniam incréduli, et subversóres sunt tecum, et cum scorpiónibus hábitas. Verba eórum ne tímeas, et vultus eórum ne formídes, quia domus exásperans est. Loquéris ergo verba mea ad eos, si forte áudiant, et quiéscant : quóniam irritatóres sunt.

℟. Angústiae mihi sunt úndique, et quid éligam ignóro : * Mélius est mihi incídere in manus hóminum, quam derelínquere legem Dei mei. ℣. Si enim hoc égero, mors mihi est : si autem non égero, non effúgiam manus vestras.—Mélius est.

Lectio iii.

TU autem fili hóminis audi quaecúmque loquor ad te : et noli esse exásperans sicut domus exasperátrix est : áperi os tuum et cómede quaecúmque ego do tibi. Et vidi, et ecce manus missa ad me, in qua erat involútus liber : et expándit illum coram me, qui erat scriptus intus, et foris : et scriptae erant in eo lamentatiónes, et carmen, et vae.

℟. Misit Dóminus Angelum suum, et conclúsit ora leónum : * Et non contaminavérunt : quia coram eo injustítia invénta non est in me. ℣. Misit Deus misericórdiam suam, et veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum.—Et non. Glória Patri. Et non.

Responsoria hujus secundae Feriae repetuntur in

aliis secundis Feriis usque ad Adventum.

FERIA TERTIA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio i. *Cap.* iii.

ET dixit ad me: Fili hóminis quodcúmque invéneris cómede: cómede volúmen istud, et vadens lóquere ad fílios Israël. Et apérui os meum, et cibávit me volúmine illo: et dixit ad me: Fili hóminis venter tuus cómedet, et víscera tua complebúntur volúmine isto, quod ego do tibi. Et comédi illud: et factum est in ore meo sicut mel dulce. Et dixit ad me: Fili hóminis vade ad domum Israël, et loquéris verba mea ad eos.

℟. A fácie furóris tui, Deus, conturbáta est omnis terra: * Sed miserére Dñe, et ne fácias consummatiónem. ℣. Dómine Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum! — Sed miserére.

Lectio ii.

NON enim ad pópulum profúndi sermónis, et ignótae linguae tu mítteris ad domum Israël: neque ad pópulos multos profúndi sermónis, et ignótae linguae, quorum non possis audíre sermónes: et si ad illos mitteréris, ipsi audírent te. Domus autem Israël nolunt audíre te: quia nolunt audíre me. Omnis quippe domus Israël attrita fronte est, et duro corde. Ecce dedi fáciem tuam valentiórem faciébus eórum, et frontem tuam duriórem fróntibus eórum. Ut adamántem, et ut sílicem dedi fáciem tuam: ne tímeas eos, neque métuas a fácie eórum: quia domus exásperans est.

℟. Civitátem istam tu circúmda Dómine: et Angeli tui custódiant muros ejus: * Exáudi Dómine pópulum tuum cum misericórdia. ℣. Avertátur furor tuus, Dómine, a pópulo tuo, et a civitáte sancta tua.— Exáudi.

Lectio iii.

ET dixit ad me: Fili hóminis, omnes sermónes meos, quos ego loquor ad te, assúme in corde tuo, et áuribus tuis audi: Et vade ingrédere ad transmigratiónem, ad fílios pópuli tui, et loquéris ad eos, et dices eis: Haec dicit Dóminus Deus: si forte áudiant, et quiéscant. Et assúmpsit me spíritus et audívi post me vocem commotiónis magnae: Benedícta glória Dómini de loco suo, et vocem alárum animálium percutiéntium

álteram ad álteram, et vocem rotárum sequéntium animália, et vocem commotiónis magnae.

℟. Genti peccatríci, pópulo pleno peccáto miserére, * Dómine Deus. ℣. Esto placábilis super nequítiam pópuli tui.—Dómine. Glória Patri. Dómine.

Responsoria hujus tertiae Feriae repetuntur in aliis tertiis Feriis usque ad Adventum.

FERIA QUARTA

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio i. *Cap.* vii.

ET factus est sermo Dómini ad me, dicens : Et tu fili hóminis, haec dicit Dóminus Deus terrae Israël : Finis venit, venit finis super quátuor plagas terrae. Nunc finis super te, et immíttam furórem meum in te, et judicábo te juxta vias tuas : et ponam contra te omnes abominatiónes tuas. Et non parcet óculus meus super te, et non miserébor : sed vias tuas ponam super te, et abominatiónes tuae in médio tui erunt : et sciétis quia ego Dóminus.

℟. Indicábo tibi homo, quid sit bonum : aut quid Dóminus requírat a te : * Fácere judícium et justítiam, et sollícitum ambuláre cum Deo tuo. ℣. Spera in Dómino, et fac bonitátem, et inhábita terram. — Fácere.

Lectio ii.

HÆC dicit Dóminus Deus : Afflíctio una, afflíctio ecce venit. Finis venit, venit finis, evigilávit advérsum te : ecce venit. Venit contrítio super te, qui hábitas in terra : venit tempus, prope est dies occisiónis, et non glóriae móntium. Nunc de propínquo effúndam iram meam super te, et complébo furórem meum in te : et judicábo te juxta vias tuas, et mpónam tibi ómnia scélera tua: Et non parcet óculus meus, nec miserébor, sed vias tuas impónam tibi, et abominatiónes tuae in médio tui erunt : et sciétis quia ego sum Dóminus percútiens.

℟. Angústiae mihi sunt úndique, et quid éligam ignóro : * Mélius est mihi incídere in manus hóminum, quam derelínquere legem Dei mei. ℣. Si enim hoc égero, mors mihi est : si autem non égero, non effúgiam manus vestras.— Mélius.

Lectio iii.

ECCE dies, ecce venit : egréssa est contrítio, flóruit virga, germinávit supérbia : Iníquitas surréxit in virga impietátis : non

ex eis, et non ex pópulo, neque ex sónitu eórum : et non erit réquies in eis. Venit tempus, appropinquávit dies: qui emit, non laetétur: et qui vendit, non lúgeat : quia ira super omnem pópulum ejus. Quia qui vendit, ad id, quod véndidit, non revertétur, et adhuc in vivéntibus vita eórum.

℟. Misit Dóminus Angelum suum, et conclúsit ora leónum : * Et non contaminavérunt : quia coram eo injustítia invénta non est in me. ℣. Misit Deus misericórdiam suam, et veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum.—Et non. Glória Patri. Et non.

Responsoria hujus quarvtae Feriae repetuntur in aliis quartis Feriis usque ad Adventum.

FERIA QUINTA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio i. *Cap.* xiii.

FACTUS est sermo Dómini ad me, dicens : Fili hóminis, vaticináre ad prophétas Israël, qui prophétant: et dices prophetántibus de corde suo : Audíte verbum Dñi. Haec dicit Dóminus Deus : Vae prophétis insipiéntibus, qui sequúntur spíritum suum, et nihil vident. Quasi vulpes in desértis, prophétae tui Israël erant. Non ascendístis ex advérso, neque opposuístis murum pro domo Israël, ut starétis in praelio in die Dómini. Vident vana, et divínant mendácium, dicéntes : Ait Dóminus : cum Dóminus non míserit eos : et perseveravérunt confirmáre sermónem.

℟. Vidi Dóminum. 259.

Lectio ii.

NUMQUID non visiónem cassam vidístis, et divinatiónem mendácem locúti estis? et dícitis, ait Dóminus : cum ego non sim locútus. Proptérea haec dicit Dóminus Deus : Quia locúti estis vana, et vidístis mendácium : ídeo ecce ego ad vos, dicit Dóminus Deus : Et erit manus mea super prophétas, qui vident vana, et divínant mendácium : in consílio pópuli mei non erunt, et in scriptúra domus Israël non scribéntur, nec in terram Israël ingrediéntur : et sciétis quia ego Dóminus Deus: Eo quod decéperint pópulum meum, dicéntes : Pax, et non est pax : et ipse aedificábat paríetem, illi autem liniébant eum luto absque páleis.

℟. Aspice Dómine de sede. 259.

Lectio iii.

DIC ad eos, qui líniunt absque temperatúra, quod casúrus sit: erit enim imber inúndans, et dabo lápides praegrándes désuper irruéntes, et ventum procéllae dissipántem. Síquidem ecce cécidit páries: numquid non dicétur vobis: Ubi est litúra, quam linístis? Proptérea haec dicit Dóminus Deus: Et erúmpere fáciam spíritum tempestátum in indignatióne mea, et imber inúndans in furóre meo erit: et lápides grandes in ira in consumptiónem. Et déstruam paríetem, quem linístis absque temperaménto.

℟. Aspice Dómine, quia facta est. 260.

FERIA SEXTA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio i. *Cap.* xv.

ET factus est sermo Dómini ad me, dicens: Fili hóminis, quid fiet de ligno vitis ex ómnibus lignis némorum, quae sunt inter ligna silvárum? Numquid tollétur de ea lignum, ut fiat opus, aut fabricábitur de ea paxíllus, ut dependeat in eo quodcúmque vas? Ecce igni datum est in escam: utrámque partem ejus consúmpsit ignis, et medíetas ejus redácta est in favíllam: numquid útile erit ad opus? Etiam cum esset íntegrum, non erat aptum ad opus: quanto magis cum illud ignis devoráverit et combússerit, nihil ex eo fiet óperis?

℟. Super muros. 260.

Lectio ii.

PROPTEREA haec dicit Dóminus Deus: Quómodo lignum vitis inter ligna silvárum, quod dedi igni ad devorándum, sic tradam habitatóres Jerúsalem. Et ponam fáciem meam in eos: de igne egrediéntur, et ignis consúmet eos: et sciétis quia ego Dóminus, cum posúero fáciem meam in eos, et dédero terram ínviam et desolátam: eo quod praevaricatóres extíterint, dicit Dóminus Deus.

℟. Muro tuo. 261.

Lectio iii. *Cap.* xvi.

ET factus est sermo Dómini ad me, dicens: Fili hóminis, notas fac Jerúsalem abominatiónes suas: et dices: Haec dicit Dóminus Deus Jerúsalem: Radix tua, et generátio tua de terra Chánaan: pater tuus Amorrhaeus, et mater tua Cethaea. Et quando nata es, in die ortus tui non est praecísus umbilícus tuus. et aqua non

es lota in salútem, nec sale salíta, nec involúta pannis. Non pepércit super te óculus ut fáceret tibi unum de his, misértus tui : sed projécta es super fáciem terrae in abjectióne ánimae tuae, in die qua nata es.

℟. Sustinúimus. 261.

SABBATO.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio i. *Cap.* xix.

TU tu assúme planctum super príncipes Israël, et dices : Quare mater tua leaena inter leónes cubávit, in médio leunculórum enutrívit cátulos suos? Et edúxit unum de leúnculis suis, et leo factus est ; et dídicit cápere praedam, hominémque comédere. Et audiérunt de eo Gentes, et non absque vulnéribus suis cepérunt eum : et adduxérunt eum in caténis in terram Ægypti. Quae cum vidísset quóniam infirmáta est, et périit expectátio ejus : tulit unum de leúnculis suis, leónem constítuit eum. Qui incedébat inter leónes, et factus est leo : et dídicit praedam cápere, et hómines devoráre : dídicit víduas fácere, et civitátes eórum in desértum addúcere : et desoláta est terra, et plenitúdo ejus a voce rugítus illíus.

Lectio ii.

ET convenérunt advérsus eum Gentes úndique de provínciis, et expandérunt super eum rete suum, in vulnéribus eárum captus est. Et misérunt eum in cáveam, in caténis adduxérunt eum ad regem Babylónis : miserúntque eum in cárcerem, ne audirétur vox ejus ultra super montes Israël. Mater tua quasi vínea in sánguine tuo super aquam plantáta est : fructus ejus, et frondes ejus crevérunt ex aquis multis. Et factae sunt ei virgae sólidae in sceptra dominántium, et exaltáta est statúra ejus inter frondes : et vidit altitúdinem suam in multitúdine pálmitum suórum.

Lectio iii.

ET evúlsa est in ira, in terrámque projécta, et ventus urens siccávit fructum ejus : marcuérunt, et arefactae sunt virgae róboris ejus : ignis comédit eam. Et nunc transplantáta est in desértum, in terra ínvia, et sitiénti. Et egréssus est ignis de virga ramórum ejus, qui fructum ejus comédit : et non fuit in ea virga fortis, sceptrum dominántium. Planctus est, et erit in planctum.

SABBATO
ante Dominicam secundam Novembris.

Ad Magnif. Aña. Aspice Dómine, * quia facta est desoláta cívitas plena divítiis: sedet in tristítia dómina Géntium : non est qui consolétur eam, nisi tu Deus noster.

Si November habeat quinque Dominicas, tunc secunda Dominica leguntur sequentes Lectiones de Ezechiele : si vero habuerit tantum quatuor, Dominica secunda legetur liber Danielis positus in tertia Dominica; et Sabbato ad Magnificat dicetur Antiphona Muro tuo. 277. et duabus sequentibus Dominicis legentur Prophetae minores.

DOMINICA II.
Novembris.

In primo Nocturno.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio i. *Cap.* xxi.

FACTus est sermo Dómini ad me, dicens : Fili hóminis pone fáciem tuam ad Jerúsalem, et stilla ad sanctuária, et prophéta contra humum Israël : Et dices terrae Israël: Haec dicit Dóminus Deus : Ecce ego ad te, et ejíciam gládium meum de vagína sua, et occídam in te justum et ímpium. Pro eo autem quod occídi in te justum et ímpium, idcírco egrediétur gládius meus de vagína sua ad omnem carnem ab Austro usque ad Aquilónem : ut sciat omnis caro quia ego Dóminus edúxi gládium meum de vagína sua irrevocábilem.

℟. Vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum et elevátum : et plena erat omnis terra majestáte ejus : * Et ea quae sub ipso erant, replébant templum. ℣. Séraphim stabant super illud : sex alae uni, et sex alae álteri.—Et ea.

Lectio ii.

ET tu fili hóminis ingemísce in contritióne lumbórum, et in amaritudínibus ingemísce coram eis. Cumque díxerint ad te : Quare tu gemis? dices : Pro audítu : quia venit, et tabéscet omne cor, et dissolvéntur univérsae manus, et infirmábitur omnis spíritus, et per cuncta génua fluent aquae : ecce venit, et fiet, ait Dóminus Deus. Et factus est sermo Dómini ad me, dicens : Fili hóminis prophéta, et dices : Haec dicit Dóminus Deus : Lóquere : Gládius, gládius exacútus est, et limátus. Ut caedat víctimas, exacútus est : ut splendeat, limátus est: qui moves sceptrum

fílii mei, succidísti omne lignum. Et dedi eum ad laevigándum, ut teneátur manu : iste exacútus est gládius, et iste limátus est ut sit in manu interficiéntis.

℟. Aspice * Dómine de sede sancta tua, et cógita de nobis : inclína Deus meus aurem tuam, et audi : * Aperi óculos tuos, et vide tribulatiónem nostram. ℣. Qui regis Israël, inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph.—Aperi.

Lectio iii.

CLAMA, et úlula fili hóminis, quia hic factus est in pópulo meo, hic in cunctis dúcibus Israël, qui fúgerant : gládio tráditi sunt cum pópulo meo, idcírco plaude super femur, quia probátus est : et hoc, cum sceptrum subvérterit, et non erit, dicit Dóminus Deus. Tu ergo fili hóminis prophéta, et pércute manu ad manum, et duplicétur gládius, ac triplicétur gládius interfectórum : hic est gládius occisiónis magnae, qui obstupéscere eos facit, et corde tabéscere, et multíplicat ruínas.

℟. Aspice Dómine, quia facta est desoláta cívitas plena divítiis, sedet in tristítia dómina Géntium: * Non est qui consolétur eam, nisi tu Deus noster. ℣. Plorans plorávit in nocte, et lácrymae ejus in maxíllis ejus. — Non est qui. Glória Patri. Non est qui.

In secundo Nocturno.

De Expositióne sancti Hierónymi Presbyteri in Ezechiélem Prophétam.

Lib. 7. in Ezech. cap. xxi.

Lectio iv.

QUIA supra díxerat : Ipsi dicunt ad me, Numquid non per parábolas lóquitur iste? et apértam pópulus flagitábat sententiam : idcírco id quod Dóminus per metáphoram, sive parábolam, et, ut álii vertére, provérbium, est locútus, nunc maniféstius lóquitur : saltus Nageb, et Darom, et Theman esse Jerúsalem, et templum illíus, Sancta sanctórum, et omnem terram Judaeae : flammámque quae combustúra sit saltum, intélligi gládium devorántem, qui edúctus sit de vagína sua, ut interfíciat justum et ímpium. Hoc est enim lignum víride, et lignum áridum. Unde et Dóminus : Si in ligno, ait, víridi tanta fáciunt, in sicco quid fácient?

℟. Super muros tuos Jerúsalem constitui custódes : * Tota die et nocte non tacébunt laudáre nomen Dñi. ℣. Praedicábunt pópulis fortitúdinem meam,

et annuntiábunt Géntibus glóriam meam.—Tota die.

Lectio v.

PRIMUM díxerat: Vaticináre, vel stilla ad Austrum, Africum, et Merídiem, et ad saltum Meridiánum. Quod quia videbátur obscúrum, et dicta Prophétae pópulus nesciébat, secúndo pónitur maniféstius, saltum Meridiánum esse Jerúsalem; et omnes infructuósas árbores, ad quarum radíces secúris pósita sit, intélligi habitatóres ejus, gladiúmque interpretári pro incéndio. Tértio jubétur Prophétae, ut taceántibus illis, nec interrogántibus cur ista vaticinátus sit, fáciat per quae interrogétur, et respóndeat quae Dóminus locútus est.

℟. Muro tuo inexpugnábili circumcínge nos Dómine, et armis tuae poténtiae prótege nos semper: * Líbera Dómine Deus Israël clamántes ad te. ℣. Erue nos in mirabílibus tuis, et da glóriam nómini tuo.—Líbera.

Lectio vi.

INGEMISCE, inquit, ejuláre non levi voce, nec dolóre moderáto, sed in contritióne lumbórum: ut gémitus tuus ex imis viscéribus et amaritúdine ánimi proferátur. Et hoc fácies coram eis, ut cum te interrogáverint, cur tanto gémitu conteráris, et quid tibi mali accíderit, ut sic ingemíscas, tu eis meo sermóne respóndeas: Idcírco plango, et dolórem cordis mei dissimuláre non váleo, quia audítus, qui semper meis áuribus insonúerat, ópere complétur, et venit, ímminens vidélicet Babylónii furéntis exércitus: qui cum vénerit, et valláverit Jerúsalem, tunc tabéscet omne cor, et dissolvéntur univérsae manus: ut occupánte pavóre mentes hóminum, nullus áudeat repugnáre.

℟. Sustinúimus pacem, et non venit: quaesívimus bona, et ecce turbátio: cognóvimus Dómine peccáta nostra: * Non in perpétuum obliviscáris nos. ℣. Peccávimus, ímpie géssimus, iniquitátem fécimus Dómine in omnem justítiam tuam.—Non. Glória Patri. Non.

℟. vii. Laudábilis pópulus, * Quem Dóminus exercítuum benedíxit, dicens: Opus mánuum meárum tu es, haeréditas mea Israël. ℣. Beáta gens, cujus est Dóminus Deus, pópulus eléctus in haereditátem.—Quem Dóminus.

℟. viii. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, Sanctus,

Sanctus Dóminus Deus Sábaoth: * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spíritus sanctus: et hi tres unum sunt.—Sanctus. Glória Patri. Plena est.

FERIA SECUNDA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio i. *Cap.* xxxiii.

FACTUM est verbum Dómini ad me, dicens: Fili hóminis lóquere ad fílios pópuli tui et dices ad eos: Terra cum indúxero super eam gládium, et túlerit pópulus terrae virum unum de novíssimis suis, et constitúerit eum super se speculatórem: et ille víderit gládium veniéntem super terram, et cecínerit búccina, et annuntiáverit pópulo: áudiens autem, quisquis ille est, sónitum búccinae, et non se observáverit, venerítque gládius, et túlerit eum: sanguis ipsíus super caput ejus erit. Sonum búccinae audívit, et non se observávit, sanguis ejus in ipso erit: si autem se custodíerit, ánimam suam salvábit.

℟. Redémit pópulum suum, et liberávit eum: et vénient, et exultábunt in monte Sion: et gaudébunt de bonis Dómini super frumento, vino, et óleo: * Et ultra non esúrient. ℣. Eritque ánima eórum quasi hortus irríguus.—Et ultra.

Lectio ii.

QUOD si speculátor víderit gládium veniéntem, et non insonúerit búccina, et pópulus se non custodíerit, venerítque gládius, et túlerit de eis ánimam: ille quidem in iniquitáte sua captus est, sánguinem autem ejus de manu speculatóris requíram. Et tu fili hóminis, speculatórem dedi te dómui Israël: áudiens ergo ex ore meo sermónem, annuntiábis eis ex me. Si me dicénte ad ímpium: Impie morte moriéris: non fúeris locútus ut se custódiat ímpius a via sua: ipse ímpius in iniquitáte sua moriétur, sánguinem autem ejus de manu tua requíram.

℟. Angústiae mihi sunt úndique, et quid éligam ignóro: * Mélius est mihi incídere in manus hóminum, quam derelínquere legem Dei mei. ℣. Si enim hoc égero, mors mihi est: si autem non égero, non effúgiam manus vestras.—Mélius est.

Lectio iii.

SI autem annuntiánte te ad ímpium ut a viis suis convertátur, non fúerit conversus a via sua:

ipse in iniquitáte sua moriétur : porro tu ánimam tuam liberásti. Tu ergo fili hóminis dic ad domum Israël : Sic locúti estis, dicéntes: Iniquitátes nostrae et peccáta nostra super nos sunt, et in ipsis nos tabéscimus : quómodo ergo vívere potérimus? Dic ad eos : Vivo ego, dicit Dóminus Deus : nolo mortem ímpii, sed ut convertátur ímpius a via sua, et vivat. Convertímini, convertímini a viis vestris péssimis : et quare moriémini domus Israël?

℟. Misit Dóminus Angelum suum, et conclúsit ora leónum :* Et non contaminavérunt : quia coram eo injustítia invénta non est in me. ℣. Misit Deus misericórdiam suam, et veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum.—Et non contaminavérunt. Glória Patri. Et non contaminavérunt.

FERIA TERTIA

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio i. *Cap.* xxxiv.

FACTUM est verbum Dómini ad me, dicens : Fili hóminis prophéta de pastóribus Israël : prophéta, et dices pastóribus : Haec dicit Dóminus Deus : Vae pastóribus Israël, qui pascébant semetípsos: nonne greges a pastóribus pascúntur? Lac comedebátis, et lanis operiebámini, et quod crassum erat occidebátis : gregem autem meum non pascebátis. Quod infírmum fuit non consolidástis, et quod aegrótum non sanástis, quod confráctum est non alligástis, et quod abjéctum est non reduxístis, et quod períerat non quaesístis : sed cum austeritáte imperabátis eis, et cum poténtia.

℟. A fácie furóris tui Deus, conturbáta est omnis terra :* Sed miserére Dómine, et ne fácias consummatiónem. ℣. Dómine Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum ! — Sed miserére.

Lectio ii.

ET dispérsae sunt oves meae, eo quod non esset pastor : et factae sunt in devoratiónem ómnium bestiárum agri, et dispérsae sunt. Erravérunt greges mei in cunctis móntibus, et in univérso colle excélso : et super omnem fáciem terrae dispérsi sunt greges mei, et non erat qui requíreret, non erat, inquam, qui requíreret. Proptérea pastóres audíte verbum Dómini : Vivo ego, dicit Dóminus Deus : quia pro eo quod facti sunt greges mei in

rapínam, et oves meae in devoratiónem ómnium bestiárum agri, eo quod non esset pastor (neque enim quaesiérunt pastóres mei gregem meum :) sed pascébant pastóres semetípsos, et greges meos non pascébant : proptérea pastóres audíte verbum Dómini.

℟. Civitátem istam tu circúmda Dómine : et Angeli tui custódiant muros ejus : * Exáudi Dómine pópulum tuum cum misericórdia. ℣. Avertátur furor tuus, Dómine, a pópulo tuo, et a civitáte sancta tua.—Exáudi.

Lectio iii.

HAEC dicit Dóminus Deus : Ecce ego ipse super pastóres requíram gregem meum de manu eórum, et cessáre fáciam eos ut ultra non pascant gregem, nec pascant ámplius pastóres semetípsos : et liberábo gregem meum de ore eórum : et non erit ultra eis in escam. Quia haec dicit Dñus Deus : Ecce ego ipse requíram oves meas, et visitábo eas. Sicut vísitat pastor gregem suum in die, quando fúerit in médio óvium suárum dissipatárum : sic visitábo oves meas, et liberábo eas de ómnibus locis, in quibus dispérsae fúerant in die nubis, et calíginis.

℟. Genti peccatríci, pópulo pleno peccáto miserére, * Dómine Deus. ℣. Esto placábilis super nequítiam pópuli tui. Dómine Deus. Glória Patri. Dómine Deus.

FERIA QUARTA

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio i. *Cap.* xl.

IN vigésimo quinto anno transmigratiónis nostrae, in exórdio anni, décima mensis, quartodécimo anno postquam percússa est cívitas : in ipsa hac die facta est super me manus Dómini, et addúxit me illuc. In visiónibus Dei addúxit me in terram Israël, et dimísit me super montem excélsum nimis : super quem erat quasi aedifícium civitátis vergéntis ad Austrum. Et introdúxit me illuc.

℟. Indicábo tibi homo, quid sit bonum : aut quid Dóminus requírat a te : * Fácere judícium et justítiam, et sollícitum ambuláre cum Deo tuo. ℣. Spera in Dño, et fac bonitátem, et inhábita terram. —Fácere.

Lectio ii.

ET ecce vir, cujus erat spécies quasi spécies aeris, et funículus líneus in manu ejus, et cálamus mensúrae in manu ejus : stabat autem in porta. Et locútus

est ad me idem vir : Fili hóminis vide óculis tuis, et áuribus tuis audi, et pone cor tuum in ómnia, quae ego osténdam tibi : quia ut ostendántur tibi addúctus es huc : annúntia ómnia, quae tu vides, dómui Israël.

℟. Angústiae mihi sunt úndique, et quid éligam ignóro: * Mélius est mihi incídere in manus hóminum, quam derelínquere legem Dei mei. ℣. Si enim hoc égero, mors mihi est : si autem non égero, non effúgiam manus vestras.—Mélius est.

Lectio iii.

ET ecce murus forínsecus in circúitu domus úndique, et in manu viri cálamus mensúrae sex cubitórũ, et palmo : et mensus est latitúdinem aedifícii cálamo uno, altitúdinem quoque cálamo uno. Et venit ad portam, quae respiciébat viam Orientálem, et ascéndit per gradus ejus : et mensus est limen portae cálamo uno latitúdinem, id est, limen unum cálamo uno in latitúdine.

℟. Misit Dóminus Angelum suum, et conclúsit ora leónum : * Et non contaminavérunt : quia coram eo injustítia invénta non est in me. ℣. Misit Deus misericórdiam suam, et veritátem suam : ánimam meam éripuit de médio catulórum leónum. — Et non. Glória Patri. Et non.

FERIA QUINTA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio i. *Cap.* xli.

ET introdúxit me in templum et mensus est frontes, sex cúbitos latitúdinis hinc et sex cúbitos latitúdinis inde, latitúdinem tabernáculi. Et latitúdo portae, decem cubitórum erat : et látera portae, quinque cúbitis hinc, et quinque cúbitis inde : et mensus est longitúdinem ejus quadragínta cubitórum, et latitúdinem vigínti cubitórum. Et introgréssus intrínsecus mensus est in fronte portae duos cúbitos : et portam, sex cubitórum : et latitúdinem portae, septem cubitórum.

℟. Vidi Dóminum. 268.

Lectio ii.

ET mensus est longitúdinem ejus vigínti cubitórum, et latitúdinem ejus vigínti cubitórum, ante fáciem templi : et dixit ad me : Hoc est sanctum sanctórum. Et mensus est paríetem domus sex cubitórum : et latitúdinem láteris quátuor cubitórum úndique per circúitum domus. Látera autem, latus ad latus,

bis trigínta tria : et erant eminéntia,quae ingrederéntur per paríetem domus, in latéribus per circúitum, ut continérent, et non attíngerent paríetem templi.

℟. Aspice Dómine de sede. 269.

Lectio iii.

ET platéa erat in rotúndum, ascéndens sursum per cóchleam, et in coenáculum templi deferébat per gyrum : idcírco látius erat templum in superióribus : et sic de inferióribus ascendebátur ad superióra in médium. Et vidi in domo altitúdinem per circúitum, fundáta látera ad mensúram cálami sex cubitórum spátio : et latitúdinem per paríetem láteris forínsecus quinque cubitórum : et erat intérior domus in latéribus domus.

℟. Aspice Dómine, quia facta est. 269.

FERIA SEXTA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio i. *Cap.* xliii.

ET duxit me ad portam, quae respiciébat ad viam Orientálem. Et ecce glória Dei Israël ingrediebátur per viam Orientálem : et vox erat ei quasi vox aquárum multárum, et terra splendébat a majestáte ejus. Et vidi visiónem, secúndum spéciem, quam víderam, quando venit ut dispérderet civitátem : et spécies secúndum aspéctum, quem víderam juxta flúvium Chobar : et cécidi super fáciem meam. Et majéstas Dómini ingréssa est templum per viam portae, quae respiciébat ad Oriéntem. Et elevávit me spíritus, et introdúxit me in átrium intérius : et ecce repléta erat glória Dómini domus.

℟. Super muros. 269.

Lectio ii.

ET audívi loquéntem ad me de domo, et vir qui stabat juxta me, dixit ad me : Fili hóminis, locus sólii mei, et locus vestigiórum pedum meórum, ubi hábito in médio filiórum Israël in aetérnum, et non pólluent ultra domus Israël nomen sanctum meum, ipsi, et reges eórum in fornicatiónibus suis, et in ruínis regum suórum, et in excélsis. Qui fabricáti sunt limen suum juxta limen meum, et postes suos juxta postes meos: et murus erat inter me et eos : et polluérunt nomen sanctum meum in abominatiónibus, quas fecérunt, propter quod consúmpsi eos in ira mea.

℟. Muro tuo. 270.

Lectio iii.

DUNC ergo repéllant procul fornicatiónem suam, et ruínas regum suórum a me : et habitábo in médio eórum semper. Tu autem fili hóminis osténde dómui Israël templum, et confundántur ab iniquitátibus suis, et metiántur fábricam : et erubéscant ex ómnibus, quae fecérunt : Figúram domus, et fábricae ejus éxitus, et intróitus, et omnem descriptiónem ejus, et univérsa praecépta ejus, cunctúmque órdinem ejus, et omnes leges ejus osténde eis, et scribes in óculis eórum : ut custódiant omnes descriptiónes ejus, et praecépta illíus, et fáciant ea.

℟. Sustinúimus. 270.

SABBATO.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio i. *Cap.* xlvii.

ET convértit me ad portam domus, et ecce aquae egrediebántur subter limen domus ad Oriéntem : fácies enim domus respiciébat ad Oriéntem : aquae autem descendébant in latus templi dextrum ad Merídiem altáris. Et edúxit me per viam portae Aquilónis, et convértit me ad viam foras portam exteriórẽ, viam quae respiciébat ad Orientem : et ecce aquae redundántes a látere dextro.

Lectio ii.

CUM egrederétur vir ad Oriéntem, qui habébat funículũ in manu sua, et mensus est mille cúbitos : et tradúxit me per aquam usque ad talos. Rursúmque mensus est mille, et tradúxit me per aquam usque ad génua : et mensus est mille, et tradúxit me per aquam usque ad renes. Et mensus est mille, torréntem, quem non pótui pertransíre : quóniam intumúerant aquae profúndi torréntis, qui non potest transvadári.

Lectio iii.

ET dixit ad me : Certe vidisti fili hóminis. Et edúxit me, et convértit ad ripam torréntis. Cumque me convertíssem, ecce in ripa torréntis ligna multa nimis ex utráque parte. Et ait ad me : Aquae istae, quae egrediúntur ad túmulos sábuli Orientális, et descéndunt ad plana desérti, intrábunt mare, et exíbunt, et sanabúntur aquae. Et omnis ánima vivens, quae serpit, quocúmque vénerit torrens, vivet : et erunt pisces multi satis postquam vénerint illuc aquae istae, et sanabúntur : et vivent ómnia ad quae vénerit torrens.

SABBATO
ante Dominicam tertiam Novembris.

Ad Magnif. Aña. Muro tuo *inexpugnábili circumcínge nos Dómine, et armis tuae poténtiae prótege nos semper.

DOMINICA II
Novembris.

In primo Nocturno.

Incipit liber Daniélis Prophétae.

Lectio i. *Cap.* i.

ANNO tértio regni Jóakim regis Juda, venit Nabuchodónosor rex Babylónis in Jerúsalem, et obsédit eam ; et trádidit Dóminus in manu ejus Jóakim regem Juda, et partem vasórum domus Dei : et asportávit ea in terram Sénnaar in domum dei sui, et vasa íntulit in domum thesáuri dei sui. Et ait rex Asphenez praepósito eunuchórum ut introdúceret de fíliis Israël, et de sémine régio et tyrannórum, púeros, in quibus nulla esset mácula, decóros forma, et erudítos omni sapiéntia, cautos sciéntia, et doctos disciplína, et qui possent stare in palátio regis, ut docéret eos lítteras, et linguam Chaldaeórum.

℟. Vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum et elevátum : et plena erat omnis terra majestáte ejus : *Et ea quae sub ipso erant, replébant templum. ℣. Séraphim stabant super illud : sex alae uni, et sex alae álteri. — Et ea quae

Lectio ii.

ET constítuit eis rex annónam per síngulos dies de cibis suis, et de vino unde bibébat ipse, ut enutríti tribus annis, póstea starent in conspéctu regis. Fuérunt ergo inter eos de fíliis Juda, Dániel, Ananías, Mísael, et Azarías. Et impósuit eis praepósitus eunuchórum, nómina: Daniéli, Baltássar : Ananíae, Sidrach : Misaéli, Misach : et Azaríae, Abdénago. Propósuit autem Dániel in corde suo ne polluerétur de mensa regis, neque de vino potus ejus : et rogávit eunuchórum praepósitum ne contaminarétur. Dedit autem Deus Daniéli grátiam et misericórdiam in conspéctu príncipis eunuchórum.

℟. Aspice Dómine de sede sancta tua, et cógita de nobis : inclína Deus meus aurem tuam, et audi : * Aperi óculos tuos, et vide tribulatiónem nostram. ℣. Qui regis Israël, inténde,

qui dedúcis velut ovem Joseph.—Aperi.

Lectio iii.

ET ait princeps eunuchórum ad Daniélem : Tímeo ego dóminum meum regem, qui constítuit vobis cibum et potum : qui si víderit vultus vestros macilentióres prae caeteris adolescéntibus coaevis vestris, condemnábitis caput meum regi. Et dixit Dániel ad Málasar, quem constitúerat princeps eunuchórum super Daniélem, Ananíam, Misaélem, et Azaríam : Tenta nos óbsecro servos tuos diébus decem, et dentur nobis legúmina ad vescéndum, et aqua ad bibéndum : et contempláre vultus nostros, et vultus puerórum, qui vescúntur cibo régio : et sicut víderis, fácies cum servis tuis. Qui, audíto sermóne hujuscémodi, tentávit eos diébus decem. Post dies autem decem apparuérunt vultus eórum melióres, et corpulentióres prae ómnibus púeris, qui vescebántur cibo régio.

℟. Aspice Dñe, quia facta est desoláta cívitas plena divítiis, sedet in tristítia dómina Géntium : * Non est qui consolétur eam, nisi tu Deus noster. ℣. Plorans plorávit in nocte, et lácrymae ejus in maxíllis ejus.—Non est qui. Glória Patri. Non est qui.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Athanásii Epíscopi ad Vírgines.
Lib. de Virginit. post init.

Lectio iv.

SI accédant áliqui, et dicant tibi, ne frequénter jejúnes, ne imbecíllior fias ; ne credas illis, neque auscúltes : per istos enim inimícus haec súggerit. Reminíscere ejus quod scriptum est, quod cum tres púeri, et Dániel, et álii adolescéntuli, captívi ducti essent a Nabuchodónosor rege Babylónis, jussúmque esset ut de ipsíus mensa régia coméderent, et de vino bíberent, Dániel et tres púeri illi noluérunt póllui ex mensa regis, sed dixérunt eunúcho, qui eos curándos suscéperat : Da nobis de semínibus terrae, et vescémur. Quibus ait eunúchus : Tímeo ego regem, qui constítuit vobis cibum et potum, ne forte fácies vestrae appáreant regi squalidióres prae caeteris púeris qui régia mensa alúntur, et púniat me.

℟. Super muros tuos Jerúsalem constítui custódes : * Tota die et nocte non tacébunt laudáre nomen Dñi. ℣. Praedicábunt pópulis fortitúdinem meam,

et annuntiábunt Géntibus glóriam meam.—Tota die.

Lectio v.

QUI dixérunt illi : Tenta servos tuos dies decem, et da nobis de semínibus. Et dedit eis legúmina ad vescéndum, et aquam ad bibéndum : et introdúxit eos in conspéctu regis, et visae sunt fácies ipsórum speciosióres praeter caeteros púeros, qui régiae mensae cibis nutriebántur. Vidésne quid fáciat jejúnium? Morbos sanat, distillatiónes córporis exsíccat, daemones fugat, pravas cogitatiónes expéllit, mentem clariórem reddit, cor mundum éfficit, corpus sanctíficat, dénique ad thronum Dei hóminem sistit. Et ne putes haec témere dici, habes hujus rei testimónium in Evangéliis a Salvatóre prolátum. Cum enim quaesivíssent discípuli, quonam modo immúndi spíritus ejiceréntur, respóndit Dñus : Hoc genus non ejícitur, nisi in oratióne et jejúnio.

℟. Muro tuo inexpugnábili circumcínge nos Dómine, et armis tuae poténtiae prótege nos semper : * Líbera Dómine Deus Israël clamántes ad te. ℣. Erue nos in mirabílibus tuis, et dá glóriam nómini tuo.—Líbera.

Lectio vi.

QUISQUIS ígitur ab immúndo spíritu vexátur, si hoc animadvértat, et hoc phármaco utátur, jejúnio inquam, statim spíritus malus oppréssus abscédet, vim jejúnii métuens. Valde enim daemones oblectántur crápula et ebrietáte et córporis cómmodis. Magna vis in jejúnio, et magna ac praeclára fiunt per illud : alióquin unde hómines tam mirífica praestárent, et signa per eos fíerent, et sanitátem infírmis per ipsos largirétur Deus, nisi plane ob exercitatiónes spirituáles, et humilitátem ánimi, et conversatiónem bonam? Jejúnium enim Angelórum cibus est : et qui eo útitur, órdinis angélici censéndus est.

℟. Sustinúimus pacem, et non venit : quaesívimus bona, et ecce turbátio : cognóvimus Dómine peccáta nostra : * Non in perpétuum oblivíscáris nos. ℣. Peccávimus, ímpie géssimus, iniquitátem fécimus Dómine in omnem justítiam tuam.—Non. Glória Patri. Non.

℟. vii. Laudábilis pópulus, * Quem Dóminus exercítuum benedíxit, dicens : Opus mánuum meárum tu es haeréditas mea Israël. ℣. Beáta gens, cujus est

Dóminus Deus, pópulus eléctus in haereditátem.—Quem.

℟. viii. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum : * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth : * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spíritus sanctus : et hi tres unum sunt.—Sanctus, Sanctus. Glória Patri. Plena est omnis terra.

FERIA SECUNDA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio i. *Cap.* ii. *e.*

U rex vidébas, et ecce quasi státua una grandis : státua illa magna, et statúra sublímis stabat contra te, et intúitus ejus erat terríbilis. Hujus státuae caput ex auro óptimo erat, pectus autem et bráchia de argénto, porro venter, et fémora ex aere. Tíbiae autem férreae, pedum quaedam pars erat férrea, quaedam autem fíctilis. Vidébas ita, donec abscíssus est lapis de monte sine mánibus : et percússit státuam in pédibus ejus férreis et fictílibus, et commínuit eos. Tunc contríta sunt páriter ferrum, testa, aes, argéntum, et aurum, et redácta quasi in favíllam aestívae áreae, quae rapta sunt vento : nullúsque locus invéntus est eis : lapis autem, qui percússerat státuam, factus est mons magnus, et implévit univérsam terram.

℟. Redémit pópulum suum, et liberávit eum : et vénient, et exultábunt in monte Sion : et gaudébunt de bonis Dómini super fruménto, vino, et óleo : * Et ultra non esúrient. ℣. Erítque ánima eórum quasi hortus irríguus.—Et ultra.

Lectio ii.

HOC est sómnium : interpretatiónem quoque ejus dicémus coram te, rex. Tu rex regum es : et Deus coeli regnum, et fortitúdinem, et impérium, et glóriam dedit tibi : et ómnia, in quibus hábitant fílii hóminum, et béstiae agri : vólucres quoque coeli dedit in manu tua, et sub ditióne tua univérsa constítuit : tu es ergo caput áureum. Et post te consúrget regnum áliud minus te argénteum : et regnum tértium áliud aereum, quod imperábit univérsae terrae. Et regnum quartum erit velut ferrum. Quómodo ferrum commínuit, et domat ómnia, sic commínuet et cónteret ómnia haec.

℟. Angústiae mihi sunt úndique, et quid éligam ignóro : * Mélius est mihi incídere in manus hómi-

num, quam derelínquere legem Dei mei. ℣. Si enim hoc égero, mors mihi est : si autem non égero, non effúgiam manus vestras.— Mélius est.

Lectio iii.

PORRO quia vidísti pedum, et digitórum partem testae fíguli, et partem férream : regnum divísum erit, quod tamen de plantário ferri oriétur, secúndum quod vidísti ferrum mistum testae ex luto. Et dígitos pedum ex parte férreos, et ex parte fíctiles : ex parte regnum erit sólidum, et ex parte contrítum. Quod autem vidísti ferrum mistum testae ex luto, commiscebúntur quidem humáno sémine, sed non adhaerébunt sibi, sícuti ferrum miscéri non potest testae. In diébus autem regnórum illórum suscitábit Deus coeli regnum, quod in aetérnum non dissipábitur, et regnum ejus álteri pópulo non tradétur : commínuet autem, et consúmet univérsa regna haec : et ipsum stabit in aetérnum.

℟. Misit Dóminus Angelum suum, et conclúsit ora leónum : * Et non contaminavérunt : quia coram eo injustítia invénta non est in me. ℣. Misit Deus misericórdiam suam, et veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum.—Et non. Glória Patri. Et non.

FERIA TERTIA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio i. *Cap.* iii. *b.*

ERONUNTIANSQUE Nabuchodónosor rex, ait eis : Vere ne Sidrach, Misach, et Abdénago deos meos non cólitis, et státuam áuream, quam constítui non adorátis ? Nunc ergo si estis paráti, quacúmque hora audiéritis sónitum tubae, fístulae, cítharae, sambúcae, et psaltérii, et symphóniae, omnísque géneris musicórum, prostérnite vos, et adoráte státuam, quam feci : quod si non adoravéritis, eádem hora mittémini in fornácem ignis ardéntis : et quis est Deus, qui erípiet vos de manu mea ?

℟. A fácie furóris tui Deus, conturbáta est omnis terra : * Sed miserére Dómine, et ne fácias consummatiónem. ℣. Dñe Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum ! — Sed miserére.

Lectio ii.

RESPONDENTES Sidrach, Misach, et Abdénago, dixérunt regi Nabuchodónosor : Non

opórtet nos de hac re respondére tibi. Ecce enim Deus noster, quem cólimus, potest erípere nos de camíno ignis ardéntis, et de mánibus tuis, o rex, liberáre. Quod si nolúerit, notum sit tibi, rex, quia deos tuos non cólimus, et státuam áuream, quam erexísti, non adorámus. Tunc Nabuchodónosor replétus est furóre : et aspéctus faciéi illíus immutátus est super Sidrach, Misach, et Abdénago, et praecépit ut succenderétur fornax séptuplum quam succéndi consuéverat.

℟. Civitátem istam tu circúmda Dómine : et Angeli tui custódiant muros ejus : * Exáudi Dómine pópulum tuum cum misericórdia. ℣. Avertátur furor tuus, Dómine, a pópulo tuo, et a civitáte sancta tua. — Exáudi.

Lectio iii.

ET conféstim viri illi vincti cum braccis suis, et tiáris, et calceaméntis, et véstibus missi sunt in médium fornácis ignis ardéntis ; nam jússio regis urgébat : fornax autem succénsa erat nimis. Porro viros illos, qui míserant Sidrach, Misach, et Abdénago, interfécit flamma ignis. Viri autem hi tres, id est, Sidrach, Misach, et Abdénago, cecidérunt in médio camino ignis ardéntis, colligáti. Et ambulábant in médio flammae laudántes Deum, et benedicéntes Dómino.

℟. Genti peccatríci, pópulo pleno peccáto miserére, * Dómine Deus. ℣. Esto placábilis super nequítiam pópuli tui. — Dómine Deus. Glória Patri. Dómine Deus.

FERIA QUARTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio i. *Cap.* iv. *c.*

RESPONDIT Baltássar, et dixit : Dómine mi, sómnium his, qui te odérunt, et interpretátio ejus hóstibus tuis sit. Arborem, quam vidísti sublímem, atque robústam, cujus altitúdo pertíngit ad coelum, et aspéctus illíus in omnem terram : et rami ejus pulchérrimi, et fructus ejus nímius, et esca ómniu in ea, subter eam habitántes béstiae agri, et in ramis ejus commorántes aves coeli : Tu es rex, qui magnificátus es, et invaluísti : et magnitúdo tua crevit, et pervénit usque ad coelum, et potéstas tua in términos univérsae terrae.

℟. Indicábo tibi homo, quid sit bonum : aut quid Dóminus requírat a te : * Fácere judícium et

justítiam, et sollícitum ambuláre cum Deo tuo. ℣. Spera in Dómino, et fac bonitátem, et inhábita terram.—Fácere.

Lectio ii.

QUOD autem vidit rex vígilem, et sanctum descéndere de coelo, et dícere : Succídite árborem, et dissipáte illam, áttamen germen radícum ejus in terra dimíttite, et vinciátur ferro et aere in herbis foris, et rore coeli conspergátur, et cum feris sit pábulum ejus, donec septem témpora muténtur super eum : Haec est interpretátio senténtiae Altíssimi, quae pervénit super dóminum meum regem : Ejícient te ab homínibus, et cum béstiis ferísque erit habitátio tua, et foenum ut bos cómedes, et rore coeli infundéris.

℟. Angústiae mihi sunt úndique, et quid éligam ignóro : * Mélius est mihi incídere in manus hóminum, quam derelínquere legem Dei mei. ℣. Si enim hoc égero, mors mihi est : si autem non égero, mors mihi effúgiam manus vestras.—Mélius est.

Lectio iii.

SEPTEM quoque témpora mutabúntur super te, donec scias quod domínetur Excélsus super regnum hóminum, et cuicúmque volúerit, det illud. Quod autem praecépit ut relinquerétur germen radícum ejus, id est árboris : regnum tuum tibi manébit postquam cognóveris potestátem esse coeléstem. Quam ob rem rex consílium meum pláceat tibi, et peccáta tua eleemósynis rédime, et iniquitátes tuas misericórdiis páuperum : fórsitan ignóscet delíctis tuis. Omnia haec venérunt super Nabuchodónosor regem.

℟. Misit Dóminus Angelum suum, et conclúsit ora leónum :* Et non contaminavérunt : quia coram eo injustítia invénta non est in me. ℣. Misit Deus misericórdiam suam, et veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum.—Et non. Glória Patri. Et non.

FERIA QUINTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio i. *Cap.* v.

BALTASSAR rex fecit grande convívium optimátibus suis mille : et unusquísque secúndum suam bibébat aetátem. Praecépit ergo jam temuléntus ut afferréntur vasa áurea et argéntea, quae asportáverat Nabuchodónosor pater ejus de templo,

quod fuit in Jerúsalem, ut bíberent in eis rex, et optimátes ejus, uxorésque ejus, et concubínae. Tunc allâta sunt vasa áurea, et argéntea, quae asportáverat de templo, quod fúerat in Jerúsalem: et bibérunt in eis rex, et optimátes ejus, uxóres et concubínae illíus. Bibébant vinum, et laudábant deos suos áureos, et argénteos, aereos, férreos, ligneósque et lapídeos. In eádem hora apparuérunt dígiti, quasi manus hóminis scribéntis contra candelábrum in superfície paríetis aulae régiae : et rex aspiciébat artículos manus scribéntis. Tunc fácies regis commutáta est, et cogitatiónes ejus conturbábant eum.

℟. Vidi Dóminum. 277.

Lectio ii.

IGITUR introdúctus est Dániel coram rege. Ad quem praefátus rex ait : Tu es Dániel de fíliis captivitátis Judae, quem addúxit pater meus rex de Judaea? Audívi de te quóniam spíritum deórum hábeas : et scíentia, intelligéntiaque ac sapiéntia amplióres invéntae sunt in te. Et nunc introgréssi sunt in conspéctu meo sapiéntes magi, ut scrípturam hanc légerent, et interpretatiónem ejus indicárent mihi : et nequivérunt sensum hujus sermónis edícere. Porro ego audívi de te, quod possis obscúra interpretári, et ligáta dissólvere : si ergo vales scriptúram légere, et interpretatiónem ejus indicáre mihi, púrpura vestiéris, et torquem áuream circa collum tuum habébis, et tértius in regno meo princeps eris. Ad quae respóndens Dániel, ait coram rege : Múnera tua sint tibi, et dona domus tuae álteri da : scriptúram autem legam tibi, rex, et interpretatiónem ejus osténdam tibi.

℟. Aspice Dómine de sede. 277.

Lectio iii.

HAEC est autem scriptúra, quae digésta est : Mane, Thecel, Phares. Et haec est interpretátio sermónis. Mane : numerávit Deus regnum tuum, et complévit illud. Thecel : appénsus es in statéra, et invéntus est minus habens. Phares : divísum est regnum tuum, et datum est Medis, et Persis. Tunc jubénte rege indútus est Dániel púrpura, et circúmdata est torques áurea collo ejus : et praedicátum est de eo quod habéret potestátem tértius in regno suo. Eádem nócte interféctus est Baltássar rex Chaldaeus. Et Daríus

Medus succéssit in regnum annos natus sexagínta duos.
℟. Aspice Dñe, quia. 278.

FERIA SEXTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio i. *Cap.* vi. *c.*

QUIRI ergo illi curiósius inquiréntes invenérunt Daniélem oránte, et obsecrántem Deum suum. Et accedéntes locúti sunt regi super edícto: Rex numquid non constituísti, ut omnis homo, qui rogáret quemquam de diis, et homínibus usque ad dies trigínta, nisi te, rex, mitterétur in lacum leónum? Ad quos respóndens rex, ait: Verus est sermo juxta decrétum Medórum, atque Persárum, quod praevaricári non licet. Tunc respondéntes dixérunt coram rege: Dániel de fíliis captivitátis Juda, non curávit de lege tua, et de edícto, quod constituísti: sed tribus tempóribus per diem orat obsecratióne sua. Quod verbum cum audísset rex, satis contristátus est: et pro Daniéle pósuit cor ut liberáret eum, et usque ad occásum solis laborábat ut erúeret illum. Viri autem illi intelligéntes regem dixérunt ei: Scito rex, quia lex Medórum, atque Persárum est ut omne decrétum, quod constitúerit rex, non líceat immutári.
℟. Super muros tuos. 278.

Lectio ii.

TUNC rex praecépit: et adduxérunt Daniélem, et misérunt eum in lacum leónum. Dixítque rex Daniéli: Deus tuus, quem colis semper, ipse liberábit te. Allatúsque est lapis unus, et pósitus est super os laci: quem obsignávit rex ánnulo suo, et ánnulo optimátum suórum, ne quid fieret contra Daniélem. Et ábiit rex in domum suam, et dormívit incoenátus, cibíque non sunt alláti coram eo, insuper et somnus recéssit ab eo. Tunc rex primo dilúculo consúrgens, festínus ad lacum leónum perréxit: appropinquánsque lácui, Daniélem voce lacrymábili inclamávit, et affátus est eum: Dániel serve Dei viéntis, Deus tuus, cui tu servis semper, putásne váluit te liberáre a leónibus?
℟. Muro tuo. 279.

Lectio iii.

ET Dániel regi respóndens ait: Rex in aetérnum vive: Deus meus misit Angelum suum, et conclúsit ora leónum, et non nocuérunt mihi: quia coram eo justítia invénta est in me: sed et coram te, rex, delíctum non feci.

Tunc veheménter rex gavísus est super eo, et Daniélem praecépit edúci de lacu: eductúsque est Dániel de lacu, et nulla laesio invénta est in eo, quia crédidit Deo suo. Jubénte autem rege, addúcti sunt viri illi, qui accusáverant Daniélem : et in lacum leónum missi sunt, ipsi, et fílii, et uxóres eórum: et non pervenérunt usque ad paviméntum laci, donec arríperent eos leónes, et ómnia ossa eórum comminuérunt.

℟. Sustinúimus. 279.

SABBATO.

De Daniéle Prophéta.

Lectio i. *Cap.* ix.

IN anno primo Darii fílii Assuéri de sémine Medórum, qui imperávit super regnum Chaldaeórum : anno uno regni ejus, ego Dániel intelléxi in libris númerum annórum, de quo factus est sermo Dómini ad Jeremíam Prophétam, ut compleréntur desolatiónis Jerúsalem septuagínta anni. Et pósui fáciem meam ad Dóminum Deum meum rogáre et deprecári in jejúniis, sacco, et cínere. Et orávi Dñum Deum meum, et conféssus sum, et dixi : Obsecro Dómine Deus magne et terríbilis, custódiens pactum, et misericórdiam diligéntibus te, et custodiéntibus mandáta tua. Peccávimus, iniquitátem fécimus, ímpie égimus, et recéssimus : et declinávimus a mandátis tuis, ac judíciis.

Lectio ii.

ADHUC me loquénte in oratióne, ecce vir Gábriel, quem víderam in visióne a princípio, cito volans tétigit me in témpore sacrifícii vespertíni. Et dócuit me, et locútus est mihi, dixítque : Dániel nunc egréssus sum ut docérem te, et intellígeres. Ab exórdio precum tuárum egréssus est sermo : ego autem veni ut indicárem tibi, quia vir desideriórum es : tu ergo animadvérte sermónem, et intéllige visiónem. Septuagínta hebdómades abbreviátae sunt super pópulum tuum, et super urbem sanctam tuam ut consummétur praevaricátio, et finem accípiat peccátum, et deleátur iníquitas, et adducátur justítia sempitérna, et impleátur vísio, et prophetía, et ungátur Sanctus sanctórum.

Lectio iii.

SCITO ergo, et animadvérte : Ab éxitu sermónis, ut íterum aedificétur Jerúsalem, usque ad Christum ducem, hebdómades septem, et hebdómades sexagínta duae

erunt : et rursum aedificábitur platéa, et muri in angústia témporum. Et post hebdómades sexagínta duas occidétur Christus : et non erit ejus pópulus, qui eum negatúrus est. Et civitátem, et sanctuárium dissipábit pópulus cum duce ventúro : et finis ejus vástitas, et post finem belli statúta desolátio. Confirmábit autem pactum multis hebdómada una : et in dimídio hebdómadis defíciet hóstia et sacrifícium : et erit in templo abominátio desolatiónis : et usque ad consummatiónem et finem perseverábit desolátio.

Ad Magnificat, Ant. Qui coelórum cóntines thronum, * et abyssos intuéris, Dómine rex regum, montes pónderas, terram palmo conclúdis : exáudi nos Dómine in gemítibus nostris.

DOMINICA IV. Novembris.

In primo Nocturno.

Incipit liber Osée Prophétae.

Lectio i. *Cap.* i.

VERBUM Dñi, quod factum est ad Osée fílium Béeri, in diébus Ozíae, Jóathan, Achaz, Ezechíae, regum Juda, et in diébus Jeróboam fílii Joas regis Israël. Princípium loquéndi Dómino in Osée: et dixit Dóminus ad Osée : Vade, sume tibi uxórem fornicatiónum, et fac tibi fílios fornicatiónum: quia fórnicans fornicábitur terra a Dómino. Et ábiit, et accépit Gomer fíliam Debélaim : et concépit, et péperit ei fílium.

℟. Vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum et elevátum : et plena erat omnis terra majestáte ejus : * Et ea quae sub ipso erant, replébant templum. ℣. Séraphim stabant super illud : sex alae uni, et sex alae álteri.—Et ea.

Lectio ii.

ET dixit Dóminus ad eum : Voca nomen ejus Jézrahel, quóniam adhuc módicum, et visitábo sánguinem Jézrahel super domum Jehu, et quiéscere fáciam regnum domus Israël. Et in illa die cónteram arcum Israël in valle Jézrahel. Et concépit adhuc, et péperit fíliam. Et dixit ei : Voca nomen ejus Absque misericórdia : quia non addam ultra miseréri dómui Israël, sed oblivióne oblivíscar eórum. Et dómui Juda miserébor, et salvábo eos in Dómino Deo suo : et non salvábo eos in arcu, et gládio, et

in bello, et in equis, et in equítibus.

℟. Aspice Dómine de sede sancta tua, et cógita de nobis : inclína Deus meus aurem tuam, et audi * Aperi óculos tuos, et vide tribulatiónem nostram. ℣. Qui regis Israël, inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph.—Aperi.

Lectio iii.

ET ablactávit eam, quae erat Absque misericórdia. Et concépit, et péperit fílium. Et dixit: Voca nomen ejus : Non pópulus meus : quia vos non pópulus meus, et ego non ero vester. Et erit número filiórum Israël quasi aréna maris, quae sine mensúra est, et non numerábitur. Et erit in loco ubi dicétur eis : Non pópulus meus vos : dicétur eis : Fílii Dei vivéntis. Et congregabúntur fílii Juda, et fílii Israël páriter: et ponent sibimet caput unum, et ascéndent de terra : quia magnus dies Jézrahel.

℟. Aspice Dómine, quia facta est desoláta cívitas plena divítiis, sedet in tristítia dómina Géntium:* Non est qui consolétur eam, nisi tu Deus noster. ℣. Plorans plorávit in nocte, et lácrymae ejus in maxíllis ejus.—Non est. Glória Patri. Non est.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi de Civitáte Dei. *Lib.* 18. *Cap.* xxviii.

Lectio iv.

SEE Prophéta, quanto profúndius quidem lóquitur, tanto operósius penetrátur. Sed áliquid inde suméndum est, et hic ex nostra promissióne ponéndum. Et erit, inquit, in loco quo dictum est eis, Non pópulus meus vos : vocabúntur et ipsi fílii Dei vivi. Hoc testimónium prophéticum de vocatióne pópuli Géntium, qui prius non pertinébat ad Deum, étiam Apóstoli intellexérunt.

℟. Super muros tuos Jerúsalem constítui custódes : * Tota die et nocte non tacébunt laudáre nomen Dómini. ℣. Praedicábunt pópulis fortitúdinem meam, et annuntiábunt Géntibus glóriam meam.—Tota die.

Lectio v.

ET quia ipse quoque pópulus Géntium spiritáliter est in fíliis Abrahae, ac per hoc recte dícitur Israël : proptérea séquitur, et dicit: Et congregabúntur fílii Juda, et fílii Israël in idípsum : et ponent sibimet principátum unum, et

ascéndent a terra. Hoc si adhuc velímus expónere, elóquii prophétici obtundétur sapor. Recolátur tamen lapis ille anguláris, et duo illi paríetes, unus ex Judaeis, alter ex Géntibus : ille nómine filiórum Juda, iste nómine filiórum Israël : eídem uni principátui suo in idípsum inniténtes, et ascendéntes agnoscántur in terra.

℟. Muro tuo inexpugnábili circumcínge nos Dómine, et armis tuae poténtiae prótege nos semper : * Líbera Dómine Deus Israël clamántes ad te. ℣. Erue nos in mirabílibus tuis, et da glóriam nómini tuo.—Líbera.

Lectio vi.

ISTOS autem carnáles Israelítas, qui nunc nolunt crédere in Christum, póstea creditúros, id est, fílios eórum, (nam útique isti in suum locum moriéndo transíbunt) idem Prophéta testátur, dicens : Quóniam diébus multis sedébunt fílii Israël sine rege, sine príncipe, sine sacrifício, sine altári, sine sacerdótio, sine manifestatiónibus. Quis non vídeat, nunc sic esse Judaeos?

℟. Sustinúimus pacem, et non venit : quaesívimus bona, et ecce turbátio : cognóvimus Dómine peccáta nostra : * Non in perpétuum obliviscáris nos. ℣. Peccávimus, ímpie géssimus, iniquitátem fécimus Dñe in omnem justítiam tuam.—Non. Glória Patri. Non.

℟. vii. Laudábilis pópulus, * Quem Dóminus exercítuum benedíxit, dicens : Opus mánuum meárum tu es, haeréditas mea Israël. ℣. Beáta gens, cujus est Dóminus Deus, pópulus eléctus in haereditátem.—Quem Dóminus.

℟. viii. Duo Séraphim clamábant alter ad álterũ : * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth : * Plena est omnis terra glória ejus. ℣ Tres sunt qui testimónium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spíritus sanctus: et hi tres unum sunt.—Sanctus. Glória Patri. Plena.

FERIA SECUNDA.

De Osée Prophéta.

Lectio i. *Cap.* iv.

AUDITE verbum Dñi, fílii Israël, quia judícium Dño cum habitatóribus terrae: non est enim véritas, et non est misericórdia, et non est sciéntia Dei in terra. Maledíctum, et mendácium, et homicídium, et furtum, et adultérium inundavérunt, et

sanguis sánguinem tétigit. Propter hoc lugébit terra, et infirmábitur omnis, qui hábitat in ea, in béstia agri, et in vólucre coeli : sed et pisces maris congregabúntur.

℟. Redémit pópulum suum, et liberávit eum : et vénient, et exultábunt in monte Sion : et gaudébunt de bonis Dómini super fruménto, vino, et óleo : * Et ultra non esúrient. ℣. Erítque ánima eórum quasi hortus irríguus.—Et ultra.

Lectio ii.

VERUMTAMEN unusquísque non júdicet : et non arguátur vir : pópulus enim tuus sicut hi, qui contradícunt sacerdóti. Et córrues hódie, et córruet étiam Prophéta tecum : nocte tacére feci matrem tuam. Contícuit pópulus meus, eo quod non habúerit sciéntiam : quia tu sciéntiam repulísti, repéllam te, ne sacerdótio fungáris mihi : et oblíta es legis Dei tui, oblivíscar filiórum tuórum et ego.

℟. Angústiae mihi sunt úndique, et quid éligam ignóro: * Mélius est mihi incídere in manus hóminum, quam derelínquere legem Dei mei. ℣. Si enim hoc égero, mors mihi est : si autem non égero, non effúgiam manus vestras.—Mélius est.

Lectio iii.

SECUNDUM multitúdinem eórum sic peccavérunt mihi : glóriam eórum in ignomíniam commutábo. Peccáta pópuli mei cómedent, et ad iniquitátem eórum sublevábunt ánimas eórum. Et erit sicut pópulus, sic sacérdos : et visitábo super eum vias ejus, et cogitatiónes ejus reddam ei. Et cómedent, et non saturabúntur : fornicáti sunt, et non cessavérunt : quóniam Dóminum dereliquérunt in non custodiéndo.

℟. Misit Dóminus Angelum suum, et conclúsit ora leónum : * Et non contaminavérunt : quia coram eo injustítia invénta non est in me. ℣. Misit Deus misericórdiam suam, et veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. — Et non. Glória Patri. Et non.

FERIA TERTIA.

Incipit Joel Prophéta.

Lectio i. *Cap.* i.

VERBUM Dómini, quod factum est ad Joel fílium Phátuel. Audíte hoc senes, et áuribus percípite omnes habitatóres terrae : si factum est istud in diébus vestris, aut in

diébus patrum vestrórum? Super hoc fíliis vestris narráte, et fílii vestri fíliis suis, et fílii eórum generatióni álterae. Resíduum erúcae comédit locústa, et resíduum locústae comédit bruchus, et resíduum bruchi comédit rubígo.

℟. A fácie furóris tui Deus, conturbáta est omnis terra : * Sed miserére Dñe, et ne fácias consummatiónem. ℣. Dómine Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum!—Sed miserére.

Lectio ii.

EXPERGISCIMINI ébrii, et flete, et ululáte omnes, qui bíbitis vinum in dulcédine : quóniam périit ab ore vestro. Gens enim ascéndit super terram meam, fortis et innumerábilis : dentes ejus ut dentes leónis : et moláres ejus ut cátuli leónis. Pósuit víneam meam in desértum, et ficum meam decorticávit : nudans spoliávit eam, et projécit : albi facti sunt rami ejus.

℟. Civitátem istam tu circúmda Dómine : et Angeli tui custódiant muros ejus : * Exáudi Dómine pópulum tuum cum misericórdia. ℣. Avertátur furor tuus, Dómine, a pópulo tuo, et a civitáte sancta tua.—Exáudi.

Lectio iii.

PLANGE quasi virgo accíncta sacco super virum pubertátis suae. Périit sacrifícium, et libátio de domo Dómini : luxérunt sacerdótes ministri Dómini. Depopuláta est régio, luxit humus : quóniam devastátum est tríticum, confúsum est vinum, elánguit óleum. Confúsi sunt agrícolae, ululavérunt vinitóres super fruménto, et hórdeo, quia périit messis agri.

℟. Genti peccatríci, pópulo pleno peccáto miserére, * Dómine Deus. ℣. Esto placábilis super nequítiam pópuli tui.—Dómine Deus. Glória Patri. Dómine Deus.

FERIA QUARTA.

De Joéle Prophéta.

Lectio i. *Cap.* iii.

IN diébus illis, et in témpore illo, cum convértero captivitátẽ Juda et Jerúsalem: Congregábo omnes Gentes, et dedúcam eas in vallem Jósaphat : et disceptábo cum eis ibi super pópulo meo, et haereditáte mea Israël, quos dispersérunt in natiónibus, et terram meam divisérunt. Et super pópulum meum misérunt sortem et posuérunt púerum in prostíbulo,

et puéllam vendidérunt pro vino ut bíberent.

℟. Indicábo tibi homo, quid sit bonum: aut quid Dóminus requírat a te: * Fácere judícium et justítiam, et sollícitum ambuláre cum Deo tuo. ℣. Spera in Dño, et fac bonitátem, et inhábita terram.—Fácere.

Lectio ii.

QUERUM quid mihi et vobis Tyrus, et Sidon, et omnis términus Palaestinórum? numquid ultiónem vos reddétis mihi? et si ulciscímini vos contra me, cito velóciter reddam vicissitúdinem vobis super caput vestrum. Argéntum enim meum, et aurum tulístis: et desiderabília mea, et pulchérrima intulístis in delúbra vestra. Et fílios Juda, et fílios Jerúsalem vendidístis fíliis Graecórum, ut longe facerétis eos de fínibus suis. Ecce ego suscitábo eos de loco, in quo vendidístis eos: et convértam retributiónem vestram in caput vestrum.

℟. Angústiae mihi sunt úndique, et quid éligam ignóro: * Mélius est mihi incídere in manus hóminum, quam derelínquere legem Dei mei. ℣. Si enim hoc égero, mors mihi est: si autem non égero, non effúgiam manus vestras.—Mélius est.

Lectio iii.

ET vendam fílios vestros et fílias vestras in mánibus filiórum Juda, et venúmdabunt eos Sábaeis genti longínquae, quia Dóminus locutus est. Clamáte hoc in Géntibus, sanctificáte bellum, suscitáte robústos: accédant, ascéndant omnes viri bellatóres. Concídite arátra vestra in gládios, et ligónes vestros in lánceas. Infírmus dicat: Quia fortis ego sum. Erúmpite et veníte omnes Gentes de circúitu, et congregámini: ibi occúmbere fáciet Dóminus robústos tuos. Consúrgant, et ascéndant Gentes in vallem Jósaphat: quia ibi sedébo ut júdicem omnes Gentes in circúitu.

℟. Misit Dñus Angelum suum, et conclúsit ora leónum: * Et non contaminavérunt: quia coram eo injustítia invénta non est in me. ℣. Misit Deus misericórdiã suam, et veritátem suam: ánimam meam erípuit de médio catulórũ leónum.—Et. Glória Patri. Et.

FERIA QUINTA.

Incipit Amos Prophéta.

Lectio i. *Cap.* i.

VERBA Amos, qui fuit in pastóribus de Thécue: quae vidit super Israël in diébus Oziae regis Juda,

et in diébus Jeróboam fílii Joas regis Israël, ante duos annos terraemótus. Et dixit: Dóminus de Sion rúgiet, et de Jerúsalem dabit vocem suam: et luxérunt speciósa pastórum, et exsiccátus est vertex Carméli.

℟. Vidi Dóminum. 287.

Lectio ii.

HAEC dicit Dóminus: Super tribus sceléribus Damásci, et super quátuor non convértam eum: eo quod trituráverint in plaustris férreis Gálaad. Et mittam ignem in domum Házael, et devorábit domos Bénadad. Et cónteram vectem Damásci: et dispérdam habitatórem de campo idóli, et tenéntem sceptrum de domo voluptátis: et transferétur pópulus Syriae Cyrénen, dicit Dóminus.

℟. Aspice Dómine. 288.

Lectio iii.

HAEC dicit Dóminus: Super tribus scelériibus Gazae, et super quátuor non convértam eum: eo quod transtúlerint captivitátem perfectam, ut conclúderent eam in Idumaea. Et mittam ignem in murum Gazae, et devorábit aedes ejus. Et dispérdam habitatórem de Azóto, et tenéntem sceptrum de Ascalóne: et convértam manum meam super Accaron, et períbunt réliqui Philisthinórum, dicit Dóminus Deus.

℟. Aspice Dñe, quia. 288.

FERIA SEXTA.

Incipit Abdías Prophéta.

Lectio i. *Cap.* i.

VISIO Abdíae. Haec dicit Dñus Deus ad Edom: Audítum audívimus a Dómino, et legátum ad Gentes misit: Súrgite, et consurgámus advérsus eum in praelium. Ecce párvulum dedi te in Géntibus: contemptíbilis tu es valde. Supérbia cordis tui éxtulit te, habitántem in scissúris petrárum, exaltántem sólium tuum: qui dicis in corde tuo: Quis détrahet me in terram? Si exaltátus fúeris ut áquila, et si inter sídera posúeris nidum tuum: inde détraham te, dicit Dóminus.

℟. Super muros. 288.

Lectio ii.

SI fures introíssent ad te, si latrónes per noctem, quómodo conticuísses? nonne furáti essent sufficiéntia sibi? si vindemiatóres introíssent ad te, numquid saltem racémum reliquíssent tibi? Quómodo scrutáti sunt Esau, investigavérunt abscóndita ejus? Usque ad términum emiséerunt te: omnes viri foederis

tui illusérunt tibi : invaluérunt advérsum te viri pacis tuae : qui cómedunt tecum, ponent insídias subter te : non est prudéntia in eo.

℟. Muro tuo. 289.

Lectio iii.

NUMQUID non in die illa, dicit Dóminus, perdam sapiéntes de Idumaea, et prudéntiam de monte Esau? Et timébunt fortes tui a Merídie, ut intéreat vir de monte Esau. Propter interfectiónem, et propter iniquitátem in fratrem tuum Jacob, opériet te confúsio, et períbis in aetérnum. In die cum stares advérsus eum, quando capiébant aliéni exércitum ejus, et extránei ingrediebántur portas ejus, et super Jerúsalem mittébant sortem : tu quoque eras quasi unus ex eis.

℟. Sustinúimus. 289.

SABBATO.

Incipit Jonas Prophéta.

Lectio i. *Cap.* i.

ET factum est verbum Dómini ad Jonam fílium Amáthi, dicens : Surge, et vade in Níniven civitátem grandem, et praedica in ea : quia ascéndit malítia ejus coram me. Et surréxit Jonas, ut fúgeret in Tharsis a fácie Dómini, et descéndit in Joppen, et invénit navem eúntem in Tharsis : et dedit naulum ejus, et descéndit in eam ut iret cum eis in Tharsis a fácie Dómini. Dóminus autem misit ventum magnum in mare : et facta est tempéstas magna in mari, et navis periclitabátur cónteri.

Lectio ii.

ET timuérunt nautae, et clamavérunt viri ad deum suum : et misérunt vasa, quae erant in navi, in mare, ut alleviarétur ab eis : et Jonas descéndit ad interióra navis, et dormiébat sopóre gravi. Et accéssit ad eum gubernátor, et dixit ei : Quid tu sopóre deprímeris? surge, ínvoca Deum tuum, si forte recógitet Deus de nobis, et non pereámus. Et dixit vir ad collégam suum : Veníte, et mittámus sortes, et sciámus quare hoc malum sit nobis. Et misérunt sortes : et cécidit sors super Jonam.

Lectio iii.

ET dixérunt ad eum : Indica nobis cujus causa malum istud sit nobis: quod est opus tuum? quae terra tua? et quo vadis? vel ex quo pópulo es tu? Et dixit ad eos : Hebraeus ego sum, et Dóminum Deum coeli ego tímeo, qui fecit mare et áridam. Et timuérunt viri timóre magno, et

dixérunt ad eum: Quid hoc fecísti? (cognovérunt enim viri quod a fácie Dñi fúgeret, quia indicáverat eis.) Et dixérunt ad eum: Quid faciémus tibi, et cessábit mare a nobis? quia mare ibat, et intumescébat. Et dixit ad eos: Tóllite me, et míttite in mare, et cessábit mare a vobis: scio enim ego quóniam propter me tempéstas haec grandis venit super vos.

SABBATO

ante Dominicam quintam Novembris.

Ad Magnificat, Antiphona. Super muros tuos * Jerúsalem constítui custódes: tota die et nocte non tacébunt laudáre nomen Dómini.

DOMINICA V.

Novembris.

In primo Nocturno.

Incipit Michaeas Prophéta.

Lectio i. *Cap.* 1.

VERBUM Dómini, quod factum est ad Michaeã Morasthíten, in diébus Jóathan, Achaz, et Ezechíae, regum Juda: quod vidit super Samaríam, et Jerúsalem. Audíte pópuli omnes, et atténdat terra, et plenitúdo ejus: et sit Dñus Deus vobis in testem, Dóminus de templo sancto suo. Quia ecce Dóminus egrediétur de loco suo: et descéndet, et calcábit super excélsa terrae.

℟. Vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum et elevátum: et plena erat omnis terra majestáte ejus: * Et ea quae sub ipso erant, replébant templum. ℣. Séraphim stabant super illud: sex alae uni, et sex alae álteri.—Et ea.

Lectio ii.

ET consuméntur montes subtus eum: et valles scindéntur sicut cera a fácie ignis, et sicut aquae, quae decúrrunt in praeceps. In scélere Jacob omne istud, et in peccátis domus Israël. Quod scelus Jacob? nonne Samaría? et quae excélsa Judae? nonne Jerúsalem? et ponam Samaríam quasi acérvum lápidum in agro cum plantátur vínea: et détraham in vallem lápides ejus, et fundaménta ejus revelábo.

℟. Aspice Dómine de sede sancta tua, et cógita de nobis: inclína Deus meus aurem tuam, et audi: * Aperi óculos tuos, et vide tribulatiónem nostram. ℣. Qui regis Israël, inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph.—Aperi óculos tuos, et vide.

Lectio iii.

ET ómnia sculptília ejus concidéntur, et omnes mercédes ejus comburéntur igne, et ómnia idóla ejus ponam in perditiónem : quia de mercédibus meretrícis congregáta sunt, et usque ad mercédem meretrícis reverténtur. Super hoc plangam, et ululábo : vadam spoliátus, et nudus : fáciam planctum velut dracónum, et luctum quasi struthiónum. Quia desperáta est plaga ejus, quia venit usque ad Judam, tétigit portam pópuli mei usque ad Jerúsalem.

℟. Aspice Dómine, quia facta est desoláta cívitas plena divítiis, sedet in tristítia dómina Géntium: * Non est qui consolétur eam, nisi tu Deus noster. ℣. Plorans plorávit in nocte, et lácrymae ejus in maxíllis ejus.—Non est. Glória Patri. Non est.

In secundo Nocturno.

De Sermóne sancti Basilii Magni in Psalmum trigésimum tértium.

Lectio iv.

QUM te appetítus inváserit peccándi, velim cógites horríbile illud et intolerábile Christi tribúnal, in quo praesidébit judex in alto et excélso throno : astábit autem omnis creatúra, ad gloriósum illíus conspéctum contremíscens. Adducéndi étiam nos sumus sínguli, eórum quae in vita gessérimus, ratiónem redditúri. Mox illis qui multa mala in vita perpetrárint, terríbiles quidam et defórmes assístent ángeli, ígneos vultus prae se ferántes, atque ignem spirántes, ea re propósiti et voluntátis acerbitátem ostendéntes, nocti vultu símiles, propter moerórem et ódium in humánum genus.

℟. Super muros tuos Jerúsalem constítui custódes : * Tota die et nocte non tacébunt laudáre nomen Dómini. ℣. Praedicábunt pópulis fortitúdinem meam, et annuntiábunt Géntibus glóriam meam.—Tota die.

Lectio v.

AD haec cógites profúndum bárathrum, inextricábiles ténebras, ignem caréntem splendóre, uréndi quidem vim habéntem, sed privátum lúmine: deínde vérmium genus venénum immíttens, et carnem vorans, inexplebíliter edens, neque unquam saturitátem séntiens, intolerábiles dolóres corrosióne ipsa infígens. Postrémo, quod suppliciórũ ómnium gravíssimum est, oppró-

brium illud et confusiónem sempitérnam. Haec time, et hoc timóre corréptus, ánimam a peccatórum concupiscéntia tamquam fraeno quodam réprime.

℟. Muro tuo inexpugnábili circumcínge nos Dómine, et armis tuae poténtiae prótege nos semper: * Líbera Dómine Deus Israël clamántes ad te. ℣. Erue nos in mirabílibus tuis, et da glóriam nómini tuo.—Líbera.

Lectio vi.

HUNC timórem Dómini se doctúrum Prophéta promísit : docére autem non simplíciter promísit, sed eos qui eum audíre volúerint : non eos qui lóngius prolápsi sunt, sed qui salútem appeténtes accúrrunt : non aliénos a promissiónibus, sed ex baptísmate filiórum adoptiónis, verbo ipsi conciliátos atque conjúnctos. Proptérea, Veníte, inquit, hoc est, per bona ópera accédite ad me fílii, quippe qui per regeneratiónem fílii lucis éffici digni facti estis : audíte, qui aures cordis habétis apértas ; timórem Dómini docébo vos : illum scílicet, quem paulo ante oratióne nostra descrípsimus.

℟. Sustinúimus pacem, et non venit : quaesívimus bona, et ecce turbátio : cognóvimus Dómine peccáta nostra : * Non in perpétuum obliviscáris nos. ℣. Peccávimus, ímpie géssimus, iniquitátem fécimus Dñe in omnem justítiam tuam.—Non. Glória Patri. Non.

℟. vii. Laudábilis pópulus, * Quem Dóminus exercítuum benedíxit, dicens : Opus mánuum meárum tu es, haeréditas mea Israël. ℣. Beáta gens, cujus est Dóminus Deus, pópulus eléctus in haereditátem.—Quem Dóminus.

℟. viii. Duo Séraphim clamábant alter ad álterũ: * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth : * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spíritus sanctus : et hi tres unum sunt.—Sanctus. Glória Patri. Plena.

FERIA SECUNDA.

Incipit Nahum Prophéta.

Lectio i. *Cap.* i.

NUS Nínive : Liber visiónis Nahum Elcesaei. Deus aemulátor, et ulcíscens Dóminus : ulcíscens Dóminus, et habens furórem : ulcíscens Dóminus in hostes suos, et irascens ipse inimícis suis.

Dóminus pátiens, et magnus fortitúdine, et mundans non fáciet innocéntem. Dóminus in tempestáte et túrbine viae ejus, et nébulae pulvis pedum ejus. Increpans mare, et exsíccans illud: et ómnia flúmina ad desértum dedúcens.

℟. Redémit pópulum suum. 290.

Lectio ii.

INFIRMATUS est Basan, et Carmélus: et flos Líbani elánguit. Montes commóti sunt ab eo, et colles desoláti sunt: et contrémuit terra a fácie ejus, et orbis, et omnes habitántes in eo. Ante fáciem indignatiónis ejus quis stabit? et quis resístet in ira furóris ejus? indignátio ejus effúsa est ut ignis: et petrae dissolútae sunt ab eo.

℟. Angústiae mihi sunt úndique. 290.

Lectio iii.

BONUS Dóminus, et confórtans in die tribulatiónis: et sciens sperántes in se. Et in dilúvio praetereúnte, consummatiónem fáciet loci ejus: et inimícos ejus persequéntur ténebrae. Quid cogitátis contra Dóminum? consummatiónem ipse fáciet: non consúrget duplex tribulátio. Quia sicut spinae se ínvicem complectúntur, sic convívium eórum páriter potántium: consuméntur quasi stípula ariditáte plena.

℟. Misit Dóminus Angelum. 290.

FERIA TERTIA.

Incipit Hábacuc Prophéta.

Lectio i. *Cap.* 1.

ONUS, quod vidit Hábacuc Prophéta. Usquequo Dómine clamábo, et non exáudies? vociferábor ad te vim pátiens, et non salvábis? Quare ostendísti mihi iniquitátem, et labórem, vidére praedam, et injustítiam contra me? et factum est judícium, et contradíctio poténtior. Propter hoc laceráta est lex, et non pervénit usque ad finem judícium: quia ímpius praevalet advérsus justum, proptérea egréditur judícium pervérsum.

℟. A fácie furóris tui Deus. 291.

Lectio ii.

ASPICITE in Géntibus, et vidéte: admirámini, et obstupéscite: quia opus factum est in diébus vestris, quod nemo credet cum narrábitur. Quia ecce ego suscitábo Chaldaeos, gentem amáram,

et velócem, ambulántem super latitúdinem terræ, ut possídeat tabernácula non sua. Horríbilis, et terríbilis est : ex semetípsa judícium, et onus ejus egrediétur.

℟. Civitátem istam tu circúmda. 291.

Lectio iii.

LEVIORES pardis equi ejus, et velocióres lupis vespertínis, et diffundéntur équites ejus : équites namque ejus de longe vénient, volábunt quasi áquila festínans ad comedéndum. Omnes ad praedam vénient, fácies eórum ventus urens : et congregábit quasi arénam, captivitátem. Et ipse de régibus triumphábit, et tyránni ridículi ejus erunt : ipse super omnem munitiónem ridébit, et comportábit ággerem, et cápiet eam.

℟. Genti peccatrici pópulo. 291.

FERIA QUARTA.

Incipit Sophonías Prophéta

Lectio i. *Cap.* 1.

VERBUM Dómini, quod factum est ad Sophoníam fílium Chusi, fílii Godolíae, fílii Amaríae, fílii Ezecíae, in diébus Josíae fílii Amon regis Judae. Congregans congregábo ómnia a fácie terræ, dicit Dóminus : cóngregans hóminem, et pecus, cóngregans volatília coeli, et pisces maris : et ruínae impiórum erunt : et dispérdam hómines a fácie terræ, dicit Dóminus.

℟. Indicábo tibi. 292.

Lectio ii.

ET exténdam manum meam super Judam, et super omnes habitántes Jerúsalem : et dispérdam de loco hoc relíquias Baal, et nómina aedituórum cum sacerdótibus : et eos, qui adórant super tecta milítiam coeli, et adórant, et jurant in Dómino, et jurant in Melchom. Et qui avertúntur de post tergum Dómini, et qui non quaesiérunt Dñum, nec investigavérunt eum.

℟. Angústiae mihi. 292.

Lectio iii.

SILETE a fácie Dómini Dei : quia juxta est dies Dómini, quia praeparávit Dóminus hóstiam, sanctificávit vocátos suos. Et erit : in die hóstiae Dómini visitábo super príncipes, et super fílios regis, et super omnes, qui indúti sunt veste peregrína : et visitábo super omnem, qui arrogánter ingréditur super limen in die illa : qui complent domum Dómini Dei sui iniquitáte, et dolo.

℟. Misit Dóminus. 292.

FERIA QUINTA.

Incipit Aggaeus Prophéta.

Lectio i. *Cap.* i.

IN anno secúndo Darii regis, in mense sexto, in die una mensis, factum est verbum Dómini in manu Aggaei Prophétae ad Zoróbabel fílium Saláthiel, ducem Juda, et ad Jesum, fílium Jósedech, sacerdótem magnum, dicens: Haec ait Dñus exercítuum, dicens: Pópulus iste dicit: Nondum venit tempus domus Dómini aedificándae.

℟. Vidi Dóminum. 287.

Lectio ii.

ET factum est verbum Dómini in manu Aggaei Prophétae, dicens: Numquid tempus vobis est ut habitétis in dómibus laqueátis, et domus ista desérta? Et nunc haec dicit Dóminus exercítuum: Pónite corda vestra super vias vestras. Seminástis multum et intulístis parum: comedístis, et non estis satiáti: bibístis, et non estis inebriáti: operuístis vos, et non estis calefácti: et qui mercédes congregávit, misit eas in sácculum pertúsum.

℟. Aspice Dómine. 288.

Lectio iii.

HAEC dicit Dóminus exercítuum: Pónite corda vestra super vias vestras: ascéndite in montem, portáte ligna, et aedificáte domum: et acceptábilis mihi erit, et glorificábor, dicit Dñus. Respexístis ad ámplius, et ecce factum est minus: et intulístis in domum, et exsufflávi illud: quam ob causam, dicit Dñus exercítuum? quia domus mea desérta est, et vos festinátis unusquísque in domum suam. Propter hoc super vos prohíbiti sunt coeli ne darent rorem, et terra prohíbita est ne daret germen suum.

℟. Aspice Dñe, quia. 288.

FERIA SEXTA.

Incipit Zacharías Prophéta.

Lectio i. *Cap.* i.

IN mense octávo in anno secúndo Darii regis, factum est verbum Dómini ad Zachariam, fílium Barachíae fílii Addo, Prophétam, dicens: Irátus est Dóminus super patres vestros iracúndia. Et dices ad eos: Haec dicit Dóminus exercítuum: Convertímini ad me, ait Dóminus exercítuum: et convértar ad vos, dicit Dñus exercítuum.

℟. Super muros. 288.

Lectio ii.

NE sitis sicut patres vestri, ad quos clamábant Prophétae prióres, dicéntes: Haec dicit Dñus

exercítuum : Convertímini de viis vestris malis, et de cogitatiónibus vestris pésimis: et non audiérunt, neque attendérunt ad me, dicit Dñus. Patres vestri ubi sunt? et Prophétae numquid in sempitérnũ vivent?

℟. Muro tuo. 289.

Lectio iii.

VERUMTAMEN verba mea, et legítima mea, quae mandávi servis meis Prophétis, numquid non comprehendérunt patres vestros, et convérsi sunt, et dixérunt : Sicut cogitávit Dñus exercítuum fácere nobis secúndum vias nostras, et secúndum adinventiónes nostras fecit nobis.

℟. Sustinúimus. 289.

SABBATO.

Incipit Malachías Prophéta.

Lectio i. *Cap.* i.

ONUS verbi Dñi ad Israël in manu Malachíae. Diléxi vos, dicit Dóminus, et dixístis : In quo dilexísti nos? Nonne frater erat Esau Jacob, dicit Dñus, et diléxi Jacob, Esau autem ódio hábui? et pósui montes ejus in solitúdinem, et haereditátem ejus in dracónes desérti. Quod si dixerit Idumaea : Destrúcti sumus, sed reverténtes aedificábimus quae destrúcta sunt : Haec dicit Dóminus exercítuum : Isti aedificábunt, et ego déstruam : et vocabúntur término impietátis, et pópulus, cui irátus est Dóminus usque in aetérnum.

Lectio ii.

ET óculi vestri vidébunt: et vos dicétis: Magnificétur Dóminus super términum Israël. Fílius honórat patrem, et servus dóminum suum : si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dñus ego sum, ubi est timor meus, dicit Dñus exercítuum? ad vos, o sacerdótes, qui despícitis nomen meum, et dixístis: In quo despéximus nomen tuum? Offértis super altáre meum panem pollútum, et dícitis : In quo polluímus te? In eo quod dícitis: Mensa Dñi despécta est.

Lectio iii.

SI offerátis caecum ad immolándum, nonne malum est? et si offerátis claudum, et lánguidum, nonne malum est? offer illud duci tuo, si placúerit ei, aut si suscéperit fáciem tuam, dicit Dóminus exercítuum. Et nunc deprecámini vultum Dei ut misereátur vestri (de manu enim vestra factum est hoc) si quómodo suscípiat fácies

vestras, dicit Dóminus exercítuum. Quis est in vobis, qui claudat óstia, et incéndat altáre meum gratúito? non est mihi volúntas in vobis, dicit Dóminus exercítuum: et munus non suscípiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occásum, magnum est nomen meum in Géntibus, et in omni loco sacrificátur, et offértur nómini meo oblátio munda: quia magnum est nomen meum in Géntibus, dicit Dñus exercítuum.

SABBATO
ante Dominicam primam Adventus.

AD VESPERAS.

Antiphonae cum Psalmis de Psalterio.

Capitulum. *Rom.* xiii. *d.*

FRATRES, Hora est jam nos de somno súrgere. Nunc enim própior est nostra salus, quam cum credídimus.

Hymnus.

CREATOR alme síderum,
Ætérna lux credéntium,
Jesu Redémptor ómnium,
Inténde votis súpplicum.

Qui daemonis ne fráudibus
Períret orbis, ímpetu
Amóris actus, lánguidi
Mundi medéla factus es.

Commúne qui mundi nefas
Ut expiáres, ad crucem
E Vírginis sacrário
Intácta prodis víctima.

Cujus potéstas glóriae,
Noménque cum primum sonat;
Et Coelites, et ínferi
Treménte curvántur genu.

Te deprecámur últimae
Magnum diéi Júdicem,
Armis supérnae grátiae
Defénde nos ab hóstibus.

Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In saeculórum saecula.
Amen.

℣. Roráte, coeli, désuper, et nubes pluant justum.
℟. Aperiátur terra, et gérminet Salvatórem.

Ad Magnif. Ańa. Ecce nomen Dómini* venit de longínquo, et cláritas ejus replet orbem terrárum.

Oratio.

EXCITA, quaesumus Dómine, poténtiam tuam, et veni: ut ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis, te mereámur protegénte éripi, te liberánte salvári: Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Commemorationes seu Suffragia Sanctorum non fiunt per totum Adventum etiam in Officio de Sanctis, nec de Cruce in fer. Officio.

Homíliae et Oratiónes
IN DOMINICIS

Per ordinem dispositae, ab undecima post Pentecosten usque ad Adventum.

DOMINICA XI.
post Pentecosten.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui abundántia pietátis tuae, et mérita súpplicum excédis et vota : effúnde super nos misericórdiam tuam ; ut dimíttas quae consciéntia métuit, et adjícias quod orátio non praesúmit. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vii. *Cap.* vii. *d.*

IN illo témpore : Exiens Jesus de fínibus Tyri, venit per Sidónem ad mare Galilaeae, inter médios fines Decapóleos. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papae.

Homil. x. *lib.* i. *in Ezech. ante medium.*

QUID est, quod creátor ómnium Deus, cum surdum et mutum sanáre voluísset, in aures illíus suos dígitos misit, et éxpuens linguam ejus tétigit? Quid per dígitos Redemptóris, nisi dona sancti Spíritus designántur? Unde cum in álio loco ejecísset daemónium, dixit : Si in dígito Dei ejício daemónia, profécto pervénit in vos regnum Dei. Qua de re per Evangelístam álium dixísse descríbitur : Si ego in Spíritu Dei ejício daemones, ígitur pervénit in vos regnum Dei. Ex quo utróque loco collígitur, quia dígitus Spíritus vocátur. Dígitos ergo in aurículas míttere, est per dona Spíritus sancti mentem surdi ad obediéndum aperíre.

Lectio viii.

QUID est vero, quod éxpuens linguam ejus tétigit? Salíva nobis est ex ore Redemptóris, accépta sapiéntia in elóquio divino. Salíva quippe ex cápite défluit in ore. Ea ergo sapiéntia, quae ipse est, dum lingua nostra tángitur, mox ad praedicatiónis verba formátur. Qui suspíciens in coelum, ingémuit : non

quod ipse necessárium gémitum habéret, qui dabat quod postulábat : sed nos ad eum gémere, qui coelo praesidet, dócuit : ut et aures nostrae per donum Spíritus sancti aperíri, et lingua per salívam oris, id est per sciéntiam divínae locutiónis, solvi débeat ad verba praedicatiónis.

Lectio ix.

QUI mox, Ephphetha, id est, Adaperíre, dícitur : et statim apértae sunt aures ejus, et solútum est vínculum linguae ejus. Qua in re notándum est, quia propter clausas aures dictum est, adaperíre. Sed cui aures cordis ad obediéndum apértae fúerint, ex subsequénti proculdúbio étiam linguae ejus vínculũ sólvitur : ut bona quae ipse fécerit, étiam faciénda áliis loquátur. Ubi bene áddit ur : Et loquebátur recte. Ille enim recte lóquitur, qui prius obediéndo fécerit, quae loquéndo ádmonet esse faciénda.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedictus, Aña. Cum transísset Dóminus * fines Tyri, surdos fecit audíre, et mutos loqui.

Ad Magnificat, Aña. Bene ómnia fecit, * et surdos fecit audíre, et mutos loqui.

DOMINICA XII.
post Pentecosten.

Oratio.

OMNIPOTENS et miséricors Deus, de cujus múnere venit, ut tibi a fidélibus tuis digne et laudabíliter serviátur : tríbue quaesumus nobis ; ut ad promissiónes tuas sine offensióne currámus. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* x. *d.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Beáti óculi, qui vident quae vos vidétis. Dico enim vobis, quod multi Prophétae et reges voluérunt vidére quae vos vidétis, et non vidérunt. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedae Presbyteri.

Lib. 3. *cap.* xliii. *in Lucae* x.

ON óculi Scribárum et Pharisaeórum, qui corpus tantum Dómini vidére; sed illi beáti óculi, qui ejus possunt cognóscere sacraménta, de quibus dícitur : Et revelásti ea párvulis. Beáti óculi parvulórum, quibus et se et Patrem Filius revelare dignátur. Abraham exultávit ut vidéret diem Christi : et vidit, et gavísus est. Isaías quoque, et Michaeas, et

multi álii Prophétae vidérunt glóriam Dómini : qui et proptérea Vidéntes sunt appellâti : sed hi omnes a longe aspiciéntes et salutántes, per spéculum et in aenígmate vidérunt.

Lectio viii.

APOSTOLI autem in praesentiárum habéntes Dóminum, convescentésque ei, et quaecúmque voluíssent interrogándo discéntes, nequáquam per Angelos, aut várias visiónum spécies opus habébant docéri. Quos vero Lucas multos Prophétas et reges dicit, Matthaeus apértius Prophétas et justos appéllat. Ipsi sunt enim reges magni : quia tentatiónum suárum mótibus non consentiéndo succúmbere, sed regéndo praeésse novérunt.

Lectio ix.

ET ecce quidam legisperítus surréxit, tentans eum, et dicens : Magíster, quid faciéndo vitam aetérnam possidébo? Legisperítus, qui de vita aetérna Dóminum tentans intérrogat, occasiónem, ut reor, tentándi de ipsis Dómini sermónibus sumpsit, ubi ait : Gaudéte autem quod nómina vestra scripta sunt in coelis. Sed ipsa sua tentatióne declárat, quam vera sit illa Dñi conféssio, qua Patri lóquitur : Quod abscondísti haec a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedictus, Añia. Magíster, * quid faciéndo vitam aetérnam possidébo ? At ille dixit ad eum : In lege quid scriptum est ? quómodo legis ? Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, allelúia.

Ad Magnif. Añia. Homo quidam * descendébat ab Jerúsalem in Jéricho, et incidit in latrónes ; qui étiam despoliavérunt eum, et plagis impósitis abiérunt, semivívo relícto.

DOMINICA XIII.
post Pentecosten.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, da nobis fídei, spei, et charitátis augméntum : et ut mereámur ássequi quod promíttis, fac nos amáre quod praecipis. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xvii. *c.*

IN illo témpore : Dum iret Jesus in Jerúsalem, transíbat per médiam Samaríam, et Galilaeam. Et cum ingrederétur quoddam castéllum, occurrérunt ei decem viri leprósi. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.
Lib. 2. *quaest. Evang. cap.* xl.

DE decem leprósis, quos Dóminus ita mundávit, cum ait: Ite, osténdite vos sacerdótibus; quaeri potest, cur eos ad sacerdótes míserit, ut cum irent, mundaréntur. Nullum enim eórum, quibus haec corporália benefícia praestitit, invenítur misísse ad sacerdótes, nisi leprósos. Nam et illum a lepra mundáverat, cui dixit: Vade, osténde te sacerdótibus, et offer pro te sacrifícium, quod praecépit Móyses, in testimónium illis. Quaeréndum ígitur est, quid ipsa lepra significet: non enim sanáti, sed mundáti dicúntur, qui ea caruérunt. Colóris quippe vítium est, non valetúdinis, aut integritátis sénsuum atque membrórum.

Lectio viii.

LEPROSI ergo non absúrde intélligi possunt, qui sciéntiam verae fídei non habéntes, várias doctrínas profiténtur erróris. Non enim abscóndunt imperítiam suam, sed pro summa perítia próferunt in lucem, et jactántia sermónis osténtant. Nulla porro falsa doctrína est, quae non áliqua vera intermísceat. Vera ergo falsis inordináte permíxta, in una disputatióne vel narratióne hóminis, tamquam in uníus córporis colóre apparéntia, significant lepram, tamquam veris falsísque colórum fucis humána córpora variántem atque maculántem.

Lectio ix.

ET autem tam vitándi sunt Ecclésiae, ut si fieri potest, lóngius remóti, magno clamóre Christum interpéllent: sicut isti decem stetérunt a longe, et levavérunt vocem, dicéntes: Jesu praecéptor, miserére nostri. Nam et quod praeceptórem vocant, quo nómine néscio utrum quisquam Dñum interpelláverit pro medicína corporáli; satis puto significáre, lepram falsam esse doctrínã, quam bonus praecéptor abstérgit.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Bened. Ańa. Cum transíret Jesus * quoddam castéllum, occurrérunt ei decem viri leprósi: qui stetérunt a longe, et levavérunt vocem dicéntes: Jesu praecéptor, miserére nostri.

Ad Magnif. Ańa. Unus autem * ex illis, ut vidit quod mundátus est, regréssus est cum magna voce magnificans Deum, allelúia.

DOMINICA XIV.
post Pentecosten.

Oratio.

CUSTODI Dómine, quaesumus, Ecclésiam tuam propitiatióne perpétua : et quia sine te lábitur humána mortálitas; tuis semper auxíliis et abstrahátur a nóxiis, et ad salutária dirigátur. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* vi. *c.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis : Nemo potest duóbus dóminis servíre. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. 2. *de Sermone Domini in monte, cap.* xiv.

NEMO potest duóbus dóminis servíre. Ad hanc ipsam intentiónem referéndum est quod consequénter expónit, dicens : Aut enim unum ódio habébit, et álterum díliget : aut álterum patiétur, et álterum contémnet. Quae verba diligénter consideránda sunt : nam, qui sint duo dómini, deínceps osténdit, cum dicit : Non potéstis Deo servíre et mammónae. Mammóna apud Hebraeos divítiae appellári dicúntur. Cóngruit et Púnicum nomen : nam lucrum Púnice mammon dícitur.

Lectio viii.

SED qui servit mammónae, illi útique servit, qui rebus istis terrénis mérito suae perversitátis praepósitus, magistrátus hujus saeculi a Dómino dícitur. Aut enim unum ódio habébit homo, et álterum díliget, id est, Deum : aut álterum patiétur, et álterum contémnet. Patiétur enim durum et perniciósum dóminum, quisquis servit mammónae : sua enim cupiditáte implicátus, súbditur diábolo, et non eum díligit. Quis enim est qui díligat diábolum ? sed tamen pátitur.

Lectio ix.

IDEO, inquit, dico vobis, non habére sollicitúdinem ánimae vestrae quid edátis, neque córpori vestro quid induátis : ne forte, quamvis jam supérflua non quaeránt, propter ipsa necessária cor duplicétur, et ad ipsa conquirénda, nostra detorqueátur intentio, cum áliquid quasi misericórditer operámur : id est, ut cum consúlere alícui vidéri vólumus, nostrum emoluméntum ibi pótius, quam illíus utilitátem attendámus; et ídeo nobis non videámur peccáre, quia non supérflua, sed

necessária sunt, quae cónsequi vólumus.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedíctus, Aña. Nolíte sollíciti esse,* dicéntes: Quid manducábimus, aut quid bibémus? scit enim Pater vester, quid vobis necésse sit, allelúia.

Ad Magnif. Aña. Quaerite primum * regnum Dei, et justítiam ejus, et haec ómnia adjiciéntur vobis, allelúia.

DOMINICA XV.
post Pentecosten.

Oratio.

ECCLESIAM tuam, Dñe, miserátio continuáta mundet et múniat: et quia sine te non potest salva consístere, tuo semper múnere gubernétur. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* vii. *b.*

IN illo témpore: Ibat Jesus in civitátem, quae vocátur Naim: et ibant cum eo discípuli ejus, et turba copiósa. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. xliv. *de Verbis Dñi circa initium.*

EJúvene illo resuscitáto gavísa est mater vídua: de homínibus in spíritu quotídie suscitátis gaudet mater Ecclésia. Ille quidem mórtuus erat córpore: illi autem mente. Illíus mors visíbilis visibíliter plangebátur: illórum mors invisíbilis nec quaerebátur, nec videbátur. Quaesívit ille, qui nóverat mórtuos. Ille solus nóverat mórtuos, qui póterat fácere vivos. Nisi enim ad mórtuos suscitándos venísset, Apóstolus non díceret: Surge qui dormis, et exúrge a mórtuis, et illuminábit te Christus.

Lectio viii.

TRES autem mórtuos invenímus a Dómino resuscitátos visibíliter, míllia invisibíliter. Quot autem mórtuos visibíliter suscitáverit, quis novit? Non enim ómnia, quae fecit, scripta sunt. Joánnes hoc dixit: Multa ália fecit Jesus: quae si scripta essent, árbitror totum mundum non posse libros cápere. Multi ergo sunt álii sine dúbio suscitáti, sed non tres frustra commemoráti. Dóminus enim noster Jesus Christus, ea quae faciébat corporáliter, étiam spiritáliter volébat intélligi. Neque enim tantum mirácula propter mirácula faciébat: sed ut illa quae faciébat, mira essent vidéntibus, vera essent intelligéntibus.

Léctio ix.

QUEMADMODUM qui videt lítteras in códice óptime scripto, et non, novit légere, laudat quidem antiquárii manum, admírans ápicum pulchritúdinem : sed quid sibi velint, quid índicent illi ápices, nescit, et est óculis laudátor, mente non cógnitor. Alius autem et laudat artifícium, et capit intelléctum : ille útique, qui non solum vidére, quod commúne est ómnibus, potest, sed étiam légere; quod qui non dídicit, non potest. Ita qui vidérunt Christi mirácula, et non intellexérunt quid sibi vellent, et quid intelligéntibus quodámmodo innúerent, miráti sunt tantum quia facta sunt : álii vero et facta miráti, et intellécta assecúti. Tales nos in schola Christi esse debémus.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedictus, Antiphona. Ibat Jesus * in civitátem, quae vocátur Naim : et ecce defúnctus efferebátur fílius únicus matris suae.

Ad Magnificat, Antiphona. Prophéta magnus * surréxit in nobis, et quia Deus visitávit plebem suam.

DOMINICA XVI.
post Pentecosten.

Oratio.

TUA nos, quaesumus Dñe, grátia semper et praevéniat et sequátur : ac bonis opéribus jugíter praestet esse inténtos. Per Dóminum nostrum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xiv.

IN illo témpore: Cum intráret Jesus in domum cujúsdam príncipis Pharisaeórum sábbato manducáre panem, et ipsi observábant eum. Et ecce homo quidam hydrópicus erat ante illum. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 7. *in Lucae cap.* xiv.

CURATUR hydrópicus, in quo fluxus carnis exúberans ánimae gravábat offícia, spíritus extinguébat ardórem. Deínde docétur humílitas, dum in illo convívio nuptiáli, appeténtia loci superióris arcétur : cleménter tamen, ut persuásio humanitátis asperitátem coercitiónis excluderet, rátio proficeret ad persuasiónis efféctum, et corréctio emendáret afféctum. Huic quasi próximo límine humánitas copulátur : quae ita Domínicae

senténtiae definitióne distínguitur, si in páuperes et débiles conferátur : nam hospitálem esse remuneratúris, afféctus avarítiae est.

Lectio viii.

POSTREMO jam quasi eméritae milítiae viro contemnendárum stipéndium praescríbitur facultátum : quod neque ille, qui stúdiis inténtus inferióribus possessiónes sibi terrénas coémit, regnum coeli possit adipísci, cum Dóminus dicat : Vende ómnia tua, et séquere me : nec ille, qui emit boves : cum Eliséus occíderit, et pópulo divíserit quos habébat : et ille qui duxit uxórem, cógitet quae mundi sunt, non quae Dei. Non quo conjúgium reprehendátur, sed quia ad majórem honórem vocétur intégritas : quóniam múlier innúpta et vídua cógitat quae sunt Dómini, ut sit sancta córpore et spíritu.

Lectio ix.

SED ut in grátiam, ut supra cum víduis, ita nunc étiam cum conjúgibus revertámur : non refúgimus opiniónem, quam sequúntur pleríque, ut tria génera hóminum a consórtio magnae illíus coenae aestimémus exclúdi : Gentílium, Judaeórum, Haereticórum. Et ídeo Apóstolus avarítiam dicit esse fugiéndam : ne impediti more Gentíli, iniquitáte, malítia, impudicítia, avarítia, ad regnum Christi pervenire nequeámus. Omnis enim immúndus, aut ávarus, quod est idolórum sérvitus, non habet haereditátem in regno Christi et Dei.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedictus, Aña. Cum intráret * Jesus in domum cujúsdam príncipis Pharisaeórum sábbato manducáre panem : ecce homo quidam hydrópicus erat ante illum : ipse vero apprehénsum sanávit eum, ac dimísit.

Ad Magnificat, Aña. Cum vocátus fúeris ad núptias, * recúmbe in novíssimo loco; ut dicat tibi qui te invitávit : Amíce, ascénde supérius : et erit tibi glória coram simul discumbéntibus, allelúia.

DOMINICA XVII.
post Pentecosten.

Oratio.

DA, quaesumus Dómine, pópulo tuo diabólica vitáre contágia ; et te solum Deum pura mente sectári. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xxii. *d.*

IN illo témpore: Accessérunt ad Jesum Pharisaei : et interrogávit eum

unus ex eis legis doctor, tentans eum : Magíster, quod est mandátum magnum in lege? Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia lxxii. *in Matth.*

SADDUCAEIS confúsis, Pharisaei rursus aggrediúntur : cumque quiéscere oportéret, decertáre voluérunt ; et legis perítiam profiténtem praemíttunt, non díscere, sed tentáre cupiéntes : ac ita intérrogant, Quodnam primum mandátum in lege sit. Nam cum primum illud sit : Díliges Dóminum Deum tuum : putántes causas sibi allatúrum ad mandátum hoc corrigéndum, áliquid addéndo, quóniam Deum se faciébat, hoc modo intérrogant : Quid ígitur Christus? Ut osténdat idcírco ad haec eos devenísse, quia nulla in eis esset cháritas, sed invídiae livóre tabéscerent : Díliges, inquit, Dóminum Deum tuum : hoc primum et magnum mandátum est. Secúndum autem símile huic : Díliges próximum tuum sicut teípsum.

Lectio viii.

QUAMOBREM símile est huic? quóniam hoc illud indúcit, et ab illo rursus munítur. Quicúmque enim male agit, ódio habet lucem, et non venit ad lucem. Et rursus : Dixit insípiens in corde suo ; Non est Deus. Deínde séquitur : Corrúpti sunt, et abominábiles facti sunt in stúdiis suis. Et íterum : Radix ómnium malórum avarítia est : quam quidam appeténtes, erravérunt a fide. Et, Qui díligit me, mandáta mea servábit : quorum caput et radix est, Díliges Dóminum Deum tuum, et próximum tuum sicut teípsum.

Lectio ix.

SI ergo dilígere Deum, dilígere próximum est : (nam si díligis me, o Petre, inquit, pasce oves meas :) si étiam diléctio próximi facit ut mandáta custódias : mérito ait in his totam legem et Prophétas pendére. Et quemádmodum in superióribus, cum de resurrectióne interrogarétur, plus dócuit quam tentántes petébant : sic in hoc loco de primo interrogátus mandáto, secúndum étiam non valde quam primum inférius, sponte áttulit : secúndum enim est primo símile. Ita occúlte insinuávit, ódio illos ad quaeréndum incitári. Cháritas enim, inquit, non aemulátur.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Bened. Ańa. Magíster, * quod est mandátum magnum in lege? Ait illi Jesus : Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, allelúia.

Ad Magníf. Ańa Quid vobis vidétur de Christo? * cujus fílius est? Dicunt ei omnes : David. Dicit eis Jesus : Quómodo David in spíritu vocat eum Dñum, dicens : Dixit Dóminus Dño meo : Sede a dextris meis?

DOMINICA XVIII.
post Pentecosten.

Oratio.

DIRIGAT corda nostra, quaesumus Dómine, tuae miseratiónis operátio : quia tibi sine te placére non póssumus. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* ix.

IN illo témpore : Ascéndens Jesus in navículam, transfretávit, et venit in civitátem suam. Et réliqua.

Homília sancti Petri Chrysólogi.

Sermone l.

CHRISTUM in humánis áctibus divína gessísse mystéria, et in rebus visibílibus invisibília exercuísse negótia, léctio hodiérna monstrávit. Ascéndit, inquit, in navículam, et transfretávit, et venit in civitátem suam. Nonne ipse est, qui fugátis flúctibus, maris profúnda nudávit, ut Israëlíticus pópulus inter stupéntes undas sicco vestígio velut móntium cóncava pertransíret? Nonne hic est, qui Petri pédibus marínos vórtices inclinávit, ut iter líquidum humánis gréssibus sólidum praebéret obséquium?

Lectio viii.

ET quid est, quod ipse sibi sic maris dénegat servitútem, ut brevíssimi lacus tránsitum sub mercéde náutica transfretáret? Ascéndit, inquit, in navículam, et transfretávit. Et quid mirum, fratres? Christus venit suscípere infirmitátes nostras, et suas nobis conférre virtútes : humána quaerere, praestáre divína : accípere injúrias, réddere dignitátes : ferre taedia, referre sanitátes : quia médicus, qui non fert infirmitátes, curáre nescit; et qui non fúerit cum infírmo infirmátus, infírmo non potest conférre sanitátem.

Lectio ix.

CHRISTUS ergo, si in suis mansísset virtútibus, commúne cum homínibus nil habéret : et nisi

implésset carnis órdinem, carnis in illo esset otiósa susceptio. Ascéndit, inquit, in navículam, et transfretávit, et venit in civitátem suam. Creátor rerum, orbis Dñus, posteáquam se propter nos nostra angustávit in carne, coepit habére humánam pátriam, coepit civitátis Judáicae esse civis, paréntes habére coepit, paréntum ómnium ipse parens : ut invitáret amor, attráheret cháritas, vincíret affféctio, suadéret humánitas, quos fugárat dominátio, metus dispérserat, fécerat vis potestátis extórres.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedictus, Aña. Dixit Dóminus *paralytico: Confíde fili, remittúntur tibi peccáta tua.

Ad Magnif. Aña. Tulit ergo *paralyticus lectum suum, in quo jacébat, magníficans Deum : et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.

DOMINICA XIX.
post Pentecosten.

Oratio.

OMNIPOTENS et miséricors Deus, univérsa nobis adversántia propitiátus exclúde : ut mente et córpore páriter expedíti, quae tua sunt, líberis méntibus exequámur. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xxii.

IN illo témpore : Loquebátur Jesus princípibus sacerdótum et Pharisaeis in parábolis, dicens : Símile fáctum est regnum coelórum hómini regi, qui fecit núptias fílio suo. Et réliqua. Homília S. Gregórii Papae. *Homília* xxxviii. *in Evang. post initium.*

SAEPE jam me dixísse mémini, quod plerúmque in sancto Evangélio regnum coelórum praesens Ecclésia nominátur : congregátio quippe justórum, regnum coelórum dícitur. Quia enim per Prophétam Dóminus dicit : Coelum mihi sedes est : et Sálomon ait : Anima justi sedes sapiéntiae : Paulus étiam dicit Christum Dei virtútem, et Dei sapiéntiam : líquido collígere debémus, quia si Deus sapiéntia, ánima autem justi, sedes sapiéntiae ; dum coelum dícitur sedes Dei, coelum ergo est ánima justi. Hinc per Psalmístam de sanctis praedicatóribus dícitur : Coeli enárrant glóriam Dei.

Lectio viii.

REGNUM ergo coelórum est Ecclésia justórum : quia dum eórum corda in terra nil ámbiunt,

per hoc quod ad supérna suspírant, jam in eis Dñus quasi in coeléstibus regnat. Dicátur ergo : Símile est regnum coelórum hómini regi, qui fecit núptias fílio suo. Jam intélligit cháritas vestra, quis est iste Rex Regis fílii Pater ; ille nimírum, cui Psalmísta ait : Deus judícium tuum Regi da, et justítiam tuam fílio Regis. Qui fecit núptias fílio suo. Tunc enim Deus Pater Deo Fílio suo núptias fecit, quando hunc in útero Vírginis humánae natúrae conjúnxit, quando Deum ante saecula fíeri vóluit hóminem in fine saeculórum.

Léctio ix.

SED quia ex duábus persónis fíeri solet ista nuptiális conjúnctio : absit hoc ab intelléctibus nostris, ut persónam Dei et hóminis Redemptóris nostri Jesu Christi, ex duábus persónis credámus unítam. Ex duábus quippe, atque in duábus hunc natúris exístere dícimus : sed ex duábus persónis compósitum credi, ut nefas, vitámus. Apértius ergo atque secúrius dici potest, quia in hoc Pater Regi Fílio núptias fecit, quo ei per incarnatiónis mystériu sanctam Ecclésiam sociávit. Uterus autem genitrícis Vírginis, hujus sponsi thálamus fuit. Unde et Psalmísta dicit : In sole pósuit tabernáculum suum, et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Bened. Añ. Dícite invitátis :* Ecce prándium meum parávi, veníte ad núptias, allelúia.

Ad Magnif. Añ. Intrávit autem Rex,* ut vidéret discumbéntes : et vidit ibi hóminĕ non vestítum veste nuptiáli, et ait illi : Amíce, quómodo huc intrásti, non habens vestem nuptiálem?

DOMINICA XX.
post Pentecosten.

Oratio.

LARGIRE, quaesumus Dómine, fidélibus tuis indulgéntiam placátus, et pacem: ut páriter ab ómnibus mundéntur offénsis, et secúra tibi mente desérviant. Per Dñum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* iv. *f.*

IN illo témpore : Erat quidam régulus, cujus fílius infirmabátur Caphárnaum. Et réliqua.

Homília S. Gregórii Papae. *Homilia* xxviii. *in Evang.*

LECTIO sancti Evangélii, quam modo, fratres, audístis, expositióne non índiget : sed ne

hanc táciti praeteriísse videámur, exhortándo pótius, quam exponéndo in ea áliquid loquámur. Hoc autem nobis solúmmodo de expositióne vídeo esse requiréndum, cur is, qui ad salútem fílio peténdam vénerat, audívit: Nisi signa et prodígia vidéritis, non créditis. Qui enim salútem fílio quaerébat, proculdúbio credébat: neque enim ab eo quaereret salútem, quem non créderet Salvatórem. Quare ergo dícitur: Nisi signa et prodígia vidéritis, non créditis: qui ante crédidit, quam signa vidéret?

Lectio viii.

SED mentóte quid pétiit: et apérte cognoscétis, quia in fide dubitávit. Popóscit namque, ut descénderet et sanáret fílium ejus. Corporálem ergo praeséntiam Dómini quaerébat, qui per spíritum nusquam déerat. Minus ítaque in illum crédidit, quem non putávit posse salútem dare, nisi praesens esset et córpore. Si enim perfécte credidísset, proculdúbio sciret, quia non esset locus ubi non esset Deus.

Lectio ix.

EX magna ergo parte diffísus est, qui virtútem non dedit majestáti, sed praeséntiae corporáli. Salútem ítaque fílio pétiit, et tamen in fide dubitávit: quia eum ad quem vénerat, et poténtem ad curándum crédidit, et tamen moriénti fílio esse abséntem putávit. Sed Dóminus, qui rogátur ut vadat; quia non desit ubi invitátur, índicat: solo jussu salútem réddidit, qui voluntáte ómnia creávit.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedictus, Añia. Erat quidam régulus,* cujus fílius infirmabátur Caphárnaum: hic cum audísset quod Jesus veníret in Galilaeam, rogábat eum, ut sanáret fílium ejus.

Ad Magnif. Añia. Cognóvit autem pater,* quia illa hora erat, in qua dixit Jesus: Fílius tuus vivit: et crédidit ipse, et domus ejus tota.

DOMINICA XXI.

post Pentecosten.

Oratio.

FAMILIAM tuam, quaesumus Dómine, contínua pietáte custódi: ut a cunctis adversitátibus te protegénte sit líbera; et in bonis áctibus tuo nómini sit devóta. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xviii. *c.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Assimi-

látum est regnum cœlórum hómini regi, qui vóluit ratiónem pónere cum servis suis. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 3. *Comment. in cap.* xviii. *Matth.*

AMILIARE est Syris, et máxime Palaestínis, ad omnem sermónẽ suum parábolas júngere : ut quod per simplex praecéptum tenéri ab auditóribus non potest, per similitúdinem exémplaque teneátur. Praecépit ítaque Dñus Petro sub comparatióne regis et dómini, et servi, qui débitor decem míllium talentórum a dómino rogans véniam impetráverat, ut ipse quoque dimíttat consérvis suis minóra peccántibus. Si enim ille rex et dóminus servo debitóri decem míllia talentórum tam fácile dimísit : quanto magis servi consérvis suis debent minóra dimíttere ?

Lectio viii.

QUOD ut maniféstius fiat, dicámus sub exémplo. Si quis nostrum commíserit adultérium, homicídium, sacrilégium ; majóra crímina decem míllium talentórum rogántibus dimittúntur, si et ipsi dimíttant minóra peccántibus. Sin autem ob factam contuméliam simus implacábiles, et propter amárum verbum pérpetes habeámus discórdias ; nonne nobis vidémur recte redigéndi in cárcerem, et sub exémplo óperis nostri hoc ágere, ut majórum nobis delictórum vénia non relaxétur ?

Lectio ix.

SIC et Pater meus coeléstis fáciet vobis, si non remiséritis unusquísque fratri suo de córdibus vestris. Formidolósa sententia, si juxta nostram mentem sententia Dei flectitur, atque mutátur : si parva frátribus non dimíttimus, magna nobis a Deo non dimitténtur. Et quia potest unusquísque dícere : Nihil hábeo contra eum, ipse novit, habet Deum júdicem ; non mihi curae est quid velit ágere, ego ignóvi ei : confírmat sententiam suam, et omnem simulatiónem fictae pacis evértit, dicens : Si non remiséritis unusquísque fratri suo de córdibus vestris.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Bened. Ánt. Dixit autem * Dóminus servo : Redde quod debes. Prócidens autem servus ille rogábat eum, dicens : Patiéntiam habe in me, et ómnia reddam tibi.

Ad Magnificat, Ánt. Serve nequam, * omne débitum

dimísi tibi, quóniam rogásti me : nonne ergo opórtuit et te miseréri consérvi tui, sicut et ego tui misértus sum? allelúia.

DOMINICA XXII.
post Pentecosten.

Oratio.

DEUS refúgium nostrum, et virtus : adésto piis Ecclésiae tuae précibus, auctor ipse pietátis, et praesta; ut quod fidéliter pétimus, efficáciter consequámur. Per Dñum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xxii. *b.*

IN illo témpore : Abeúntes Pharisaei, consílium iniérunt ut cáperent Jesum in sermóne. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi.
In Comment. in Matth. cap. xxiii.

FREQUENTER Pharisaei commoventur, et occasiónem insimulándi eum habére ex praetéritis non possunt. Cádere enim vítium in gesta ejus et dicta non póterat : sed de malítiae affectu, in omnem se inquisitiónem reperiúndae accusatiónis exténdunt. Namque a saeculi vítiis, atque a superstitiónibus humanárum religiónum, univérsos ad spem regni coeléstis vocábat. Igitur an violáret saeculi potestátem, de propósitae interrogatiónis conditióne perténtant : an vidélicet reddi tribútum Caesari oportéret.

Lectio viii.

QUI intérna cognitiónum secréta cognóscens (Deus enim nihil eórum quae intra hóminem sunt abscónsa, non speculátur) afférri sibi denárium jussit, et quaesívit cujus et inscríptio esset et forma. Pharisaei respondérunt : Caesaris eam esse. Quibus ait : Caesari redhibénda esse, quae Caesaris sunt : Deo autem reddénda esse, quae Dei sunt. O plenam miráculi responsiónem, et perféctam dicti coeléstis absolutiónem! Ita ómnia inter contémptum saeculi, et contuméliam laedéndi Caesaris temperávit, ut curis ómnibus et offíciis humánis devótas Deo mentes absólveret, cum Caesari quae ejus essent, reddénda decérnit.

Lectio ix.

SI enim nihil ejus penes nos reséderit, conditióne redddéndi ei quae sua sunt, non tenébimur. Porro autem si rebus illíus incubámus, si jure potestátis ejus tímur, et nos

tamquam mercenários aliéni patrimónii procuratióni subjícimus: extra querélam injúriae est, Caesari redhibéri quod Caesaris est; Deo autem quae ejus sunt própria, réddere nos oportére, corpus, ánimam, voluntátem. Ab eo enim haec profécta atque aucta retinémus: proínde condígnum est, ut ei se totum reddant, cui debére se récolunt et oríginem et profectum.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Benedictus, Ańa. Magíster, * scimus, quia verax es, et viam Dei in veritáte doces, allelúia.

Ad Magníficat, Antipho-na. Réddite ergo * quae sunt Caesaris, Caesari: et quae sunt Dei, Deo, allelúia.

Si séquens Dominica fuerit ultima post Pentecosten, ejus loco ponitur xxiv. ut infra, et Officium hujus Dominicae ponitur in Sabbato praecedenti, non impedito festo novem Lectionum, alioquin Feria sexta, vel alia similiter non impedita.

DOMINICA XXIII.
post Pentecosten.

Oratio.

ABSOLVE, quaesumus Dñe, tuórum delícta populórum: ut a peccatórum nostrórum néxibus, quae pro nostra fragilitáte contráximus, tua benignitáte liberémur. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* ix. *c.*

IN illo témpore: Loquénte Jesu ad turbas, ecce princeps unus accéssit, et adorábat eum, dicens: Dómine, fília mea modo defúncta est. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. i. *Comment. in cap.* ix. *Matthaei.*

OCTAVUM signum est, in quo princeps suscitári póstulat fíliam suam, nolens de mystério verae circumcisiónis exclúdi: sed subíntrat múlier sánguine fluens, et octávo sanátur loco: ut príncipis fília de hoc exclúsa número, véniat ad nonum, juxta illud quod in Psalmis dícitur: Æthiópia praevéniet manus ejus Deo: et, Cum intráverit plenitúdo Géntium, tunc omnis Israël salvus fiet.

Lectio viii.

ET ecce múlier, quae sánguinis fluxum patiebátur duódecim annis, accéssit retro, et tétigit fímbriam vestiménti ejus. In Evangélio secúndum Lucam scríbitur, quod príncipis fília duódecim annos

habéret aetátis. Nota ergo, quod eo témpore haec múlier, id est, Géntium pópulus coeperit aegrotáre, quo genus Judaeórum credíderat. Nisi enim ex comparatióne virtútum, vítium non osténditur.

Lectio ix.

HAEC autem múlier sánguine fluens, non in domo, non in urbe accédit ad Dóminum, quia juxta legem úrbibus excludebátur : sed in itínere ambulánte Dño ; ut, dum pergit ad áliam, ália curarétur. Unde dicunt et Apóstoli : Vobis quidem oportébat praedicári verbum Dei : sed quóniam vos judicástis indígnos salúte, transgrédimur ad Gentes.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Bened. Aña. Dicébat enim * intra se : Si tetígero fimbriam vestiménti ejus tantum, salva ero.

Ad Magnificat, Aña. At Jesus convérsus, * et videns eam, dixit : Confíde fília, fídes tua te salvam fecit, allelúia.

Dominicae post Pentecosten non possunt esse pauciores viginti tribus, neque plures viginti octo. Cum autem fuerint plures viginti quatuor, tunc post xxiii. Dominicam resumuntur, quae eo anno superfuerunt post Epiphaniam, quoad Orationem, Homiliam, et Antiphonas ad Benedictus, et Magnificat, hoc ordine.

Si Dominicae post Pentecosten fuerint xxv. Dominica xxiv. post Pentecosten erit quae est vi. post Epiph.

Si fuerint xxvi. Dominica xxiv. erit quae est v. post Epiphaniam, et xxv. quae est vi.

Si fuerint xxvii. Dominica xxiv. erit quae est iv. post Epiphaniam, xxv. erit v. et xxvi. erit vi.

Si fuerint xxviii. Dominica xxiv. erit quae est iii. post Epiphaniam, xxv. erit iv. et xxvi. erit v. et xxvii. erit vi. et ultimo loco semper ponitur, quae sequitur hic in ordine xxiv.

DOMINICA III.

quae superfuit post Epiphaniam.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, infirmitátem nostram propítius réspice : atque ad protegéndum nos déxteram tuae majestátis exténde. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* viii.

IN illo témpore : Cum descendísset Jesus de monte, secútae sunt eum

turbae multae : et ecce leprósus véniens, adorábat eum. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 1. *Comm. in cap.* viii. *Matthaei.*

E monte Dómino descendénte, occúrrunt turbae, quia ad altióra ascéndere non valuérunt. Et primus ei occúrrit leprósus : necdum enim póterat cum lepra tam multíplicem in monte Salvatóris audíre sermónem. Et notándum, quod hic primus speciáliter curátus sit : secúndo, puer centuriónis : tértio, socrus Petri fébriens in Caphárnaum : quarto loco, qui obláti sunt ei a daemónio vexáti : quorum spíritus verbo ejiciébat, quando et omnes male habéntes curávit.

Lectio viii.

ET ecce leprósus véniens adorábat eum, dicens. Recte post praedicatiónem atque doctrínam, signi offértur occásio, ut per virtútem miráculi, praetéritus apud audiéntes sermo firmétur. Dómine, si vis, potes me mundáre. Qui voluntátem rogat, de virtúte non dúbitat. Et exténdens Jesus manum tétigit eum, dicens : Volo, mundáre. Extendénte manum Dómino, statim lepra fugit. Simúlque considéra, quam húmilis, et sine jactántia respónsio. Ille díxerat, si vis : Dñus respóndit, Volo. Ille praemíserat, potes me mundáre : Dñus jungit, et dicit, Mundáre. Non ergo, ut pleríque Latinórum putant, jungéndum est, et legéndum, Volo mundáre : sed separátim, ut primum dicat, Volo ; deínde ímperet, mundáre.

Lectio ix.

ET ait illi Jesus : Vide, némini díxeris. Et revéra quid erat necésse ut sermóne jactáret, quod córpore praeferébat? Sed vade, osténde te sacerdóti. Várias ob causas mittit eum ad sacerdótem : primum propter humilitátem, ut sacerdótibus deférre honórem videátur. Erat enim lege praecéptum, ut qui mundáti fúerant a lepra, offérrent múnera sacerdótibus. Deínde, ut mundátum vidéntes leprósum, aut créderent Salvatóri, aut non créderent : si créderent, salvaréntur : si non créderent, inexcusábiles forent. Et simul, ne, quod in eo saepíssime criminabántur, legem viderétur infríngere.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Bened. Aña. Cum descendísset * Jesus de monte, ecce leprósus véniens adorábat eum, dicens : Dñe, si

vis, potes me mundáre : et exténdens manum, tétigit eum, dicens: Volo, mundáre. Ad Magnif. Aña. Dómine, si vis, potes me mundáre : et ait Jesus : Volo, mundáre.

DOMINICA IV.
quae superfuit post Epiphaniam.

Oratio.

DEUS, qui nos in tantis perículis constitútos, pro humána scis fragilitáte non posse subsístere : da nobis salútem mentis et córporis : ut ea, quae pro peccátis nostris pátimur, te adjuvánte vincámus. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* viii. *c.*

IN illo témpore : Ascendénte Jesu in navículam, secúti sunt eum discípuli ejus : et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navícula operirétur flúctibus, ipse vero dormiébat. Et réliqua.

Homilia sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. i. *Comm. in cap.* viii. *Matthaei.*

QUINTUM signum fecit, quando ascéndens navem de Caphárnaum, ventis imperávit et mari. Sextum, quando in regióne Gerasenórum dedit potestátem daemónibus in porcos. Séptimum, quando ingrédiens civitátem suam, paralyticum secúndum curávit in léctulo. Primus enim paralyticus, est puer centuriónis.

Lectio viii.

IPSE vero dormiébat : et accessérunt ad eum, et suscitavérunt eum, dicéntes : Dómine, salva nos. Hujus signi typum in Jona légimus, quando caeteris periclitántibus, ipse secúrus est, et dormit, et suscitátur ; et império ac sacraménto passiónis suae líberat suscitántes. Tunc surgens imperávit ventis et mari. Ex hoc loco intellígimus, quod omnes creatúrae séntiant Creatórem. Quas enim increpávit, et quibus imperávit, séntiunt imperántem : non erróre haereticórum, qui ómnia putant animántia, sed majestáte conditóris, quae apud nos insensibília, illi sensibília sunt.

Lectio ix.

TIMORRO hómines miráti sunt, dicéntes : Qualis est hic, quia venti et mare obédiunt ei ? Non discípuli, sed nautae, et caeteri qui in navi erant, mirabántur. Sin autem quis contentióse volúerit, eos qui mirabántur, fuísse

discípulos : respondébimus, recte hómines appellátos, qui necdum nóverant poténtiam Salvatóris.

Te Deum laudámus. 17. Ad Bened. Ańa. Ascendénte Jesu * in navículam, ecce motus magnus factus est in mari : et suscitavérunt eum discípuli ejus, dicéntes : Dómine salva nos, perímus.

Ad Magnificat, Ańa. Dómine, salva nos * perímus : ímpera, et fac, Deus tranquillitátem.

DOMINICA V.
quae superfuit post Epiphaniam.

Oratio.

FAMILIAM tuam, quaesumus Dómine, contínua pietáte custódi : ut quae in sola spe grátiae coeléstis innítitur, tua semper protectióne muniátur. Per Dóminum nostrum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xiii. *c.*

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis parábolam hanc : Símile factum est regnum coelórum hómini, qui seminávit bonum semen in agro suo. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. quaest. Evang. in Matth. cap. xi. *tom.* 4.

QUUM negligéntius ágerent praepósiti Ecclésiae, aut cum dormitiónem mortis accíperent Apóstoli, venit diábolus, et superseminávit eos, quos malos fílios Dóminus interpretátur. Sed quaeritur, utrum haerétici sint, an male vivéntes Cathólici. Possunt enim dici fílii mali étiam haerétici, quia ex eódem Evangélii sémine, et Christi nómine procreáti, pravis opiniónibus ad falsa dógmata convertúntur.

Lectio viii.

SED quod dicit eos in médio trítici seminátos, quasi vidéntur illi significári, qui uníus communiónis sunt. Verúmtamen quóniam Dóminus agrum ipsum, non Ecclésiam, sed hunc mundum interpretátus est : bene intelligúntur haerétici, quia non societáte uníus Ecclésiae, vel uníus fídei, sed societáte solíus nóminis christiáni in hoc mundo permiscéntur bonis. At illi qui in eádem fide mali sunt, pálea pótius quam zizánia reputántur : quia pálea étiam fundaméntum ipsum habet cum fruménto, radicémque commúnem.

Lectio ix.

IN illa plane sagéna, qua concludúntur et mali et boni pisces, non absúrde mali Cathólici intelligúntur. Aliud est enim mare, quod magis mundum istum significat: áliud sagéna, quae uníus fídei, vel uníus Ecclésiae communiónem vidétur osténdere. Inter haeréticos et malos Cathólicos hoc ínterest, quod haerétici falsa credunt: illi autem vera credéntes, non vivunt ita ut credunt.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Bened. Aña. Dñe, * nonne bonum semen seminásti in agro tuo? unde ergo habet zizánia? et ait illis: Hoc fecit inimícus homo.

Ad Magníficat, Aña. Collígite * primum zizánia, et alligáte ea in fascículos ad comburéndum: tríticum autem congregáte in hórreum meum, dicit Dñus.

DOMINICA VI.
quae superfuit post Epiphaniam.

Oratio.

PRAESTA quaesumus omnípotens Deus: ut semper rationabília meditántes, quae tibi sunt plácita, et dictis exequámur, et factis. Per Dóminum. Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xiii. *d.*

IN illo témpore: Dixit Jesus turbis parábolam hanc: Símile est regnum coelórum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 2. *Comm. in cap.* xiii. *Matthaei.*

REGNUM coelórũ, praedicátio Evangélii est, et notítia Scripturárum, quae ducit ad vitam, et de qua dícitur ad Judaeos: Auferétur a vobis regnum Dei, et dábitur genti faciénti fructus ejus. Símile est ergo hujuscémodi regnum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Homo qui séminat in agro suo, a plerísque Salvátor intellígitur, quod in ánimis credéntium séminet: ab áliis ipse homo séminans in agro suo, hoc est in semetípso, et in corde suo.

Lectio viii.

QUIS est iste, qui séminat, nisi sensus noster et ánimus, qui suscípiens granum praedicatiónis, et fovens seméntem, humóre fídei facit in agro sui péctoris pullulare? Praedicátio Evangélii mínima est ómnibus disciplínis. Ad primam quippe doctrínam,

fidem non habet veritátis, hóminem Deum, Christum mórtuum, et scándalum crucis praedicans. Confer hujuscémodi doctrínam dogmátibus philosophórum, et libris eórum, et splendóri eloquéntiae, et compositióni sermónum: et vidébis quanto minor sit caeteris semínibus seméntis Evangélii.

Lectio ix.

SED illa cum créverint, nihil mordax, nihil vívidum, nihil vitále demónstrant, sed totum fláccidum marcidúmque et mollítum ebúllit in ólera et in herbas, quae cito aréscunt et córruunt. Haec autem praedicátio, quae parva videbátur in princípio, cum vel in ánima credéntis, vel in toto mundo sata fúerit, non exúrgit in ólera, sed crescit in árborem: ita ut vólucres coeli (quas vel ánimas credéntium, vel fortitúdines, Dei servítio mancipátas, sentíre debémus) véniant et hábitent in ramis ejus. Ramos puto evangélicae árboris, quae de grano sinápis créverit, dógmatum esse diversitátes, in quibus supradictárum vólucrum unaquaeque requiéscit.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Bened. Añ. Símile est * regnum coelórum grano sinápis, quod mínimum est ómnibus semínibus: cum autem créverit, majus est ómnibus oléribus.

Ad Magníf. Añ. Símile est * regnum coelórum fermento, quod accéptum múlier abscóndit in farínae satis tribus, donec fermentátum est totum.

DOMINICA XXIV.
ultima post Pentecosten.

Oratio.

EXCITA, quaesumus Dómine, tuórum fidélium voluntátes: ut divíni óperis fructum propénsius exequéntes, pietátis tuae remédia majóra percípiant. Per Dóminum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xxiv. *b.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum vidéritis abominatiónem desolatiónis, quae dicta est a Daniéle Prophéta, stantem in loco sancto, qui legit, intélligat. Et réliqua. Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 4. *Comm. in cap.* xxiv. *Matthaei.*

QUANDO ad intelligéntiam provocámur, mysticum monstrátur esse quod dictum est. Légimus autem in Daniéle hoc modo: Et in dimídio hebdómadis auferétur sacrifícium et libámina: et in templo

Pro Confessore non Pont.

℟. *j.* Euge serve bone. *ut supra pro Conf. Pont.*

℟. *ij.* Justus germinábit. *ut pro uno Martyre.*

℟. *iij.* Iste cognóvit. *ut ibidem.*

Pro Sancta.

℟. *j. Si fuerit Martyr.* Veni, sponsa Christi, áccipe corónam quam tibi Dóminus praeparávit in aetérnum : pro cujus amóre sánguinem tuum fudísti : * Et cum Angelis in paradísum introísti. ℣. Veni, eléćta mea, et ponam in te thronum meum, quia concupívit Rex spéciem tuam. —Et.

℟. *j. Si non fuerit Mart.* Veni, eléćta mea, et ponam in te thronum meum : * Quia concupívit Rex spéciem tuam. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Quia.

℟. *ij.* Diffúsa est grátia in lábiis tuis : * Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Proptérea.

℟. *iij.* Spécie tua et pulchritúdine tua * Inténde, próspere procéde, et regna. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.—Inténde. Glória Patri. Inténde.

PRO COMM. DOM. ET FER.

In Dominicis per annum.

In j. Vesp. ℣. Vespertína orátio ascéndat ad te Dómine. ℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

In Laud. ℣. Dóminus regnávit, decórem índuit. ℟. Induit Dóminus fortitúdinem, et praecínxit se virtúte.

In ij. Vesp. ℣. Dirigátur Dómine orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

In feriali Officio.

Ad Laudes.

Feria ij. Aña. Benedíctus Dóminus Deus Israel. ℣. Repléti sumus mane misericórdia tua. ℟. Exultávimus et delectáti sumus.

Hic ℣. *dicitur etiam in aliis Feriis.*

Feria iij. Aña. Eréxit nobis Dóminus cornu salútis in domo David púeri sui.

Feria iv. Aña. De manu ómnium qui odérunt nos, líbera nos, Dómine.

Feria v. Aña. In sanctitáte serviámus Dómino et liberábit nos ab inimícis nostris.

Feria vj. Aña. Per víscera misericórdiae Dei nostri visitávit nos óriens ex alto.

Sabbato, Aña. Illumináre, Dómine, his qui in ténebris sedent, et dírige pedes nostros in viam pacis, Deus Israel.

Responsoria primi Nocturni,

in Proprio de Tempore ponenda ad diem de qua dicitur Officium.

Pro uno Martyre.

℟. *j.* Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : * Fundátus enim erat supra firmam petram. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Fundátus.

℟. *ij.* Justus germinábit sicut lílium : * Et florébit in aetérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri.—Et florébit.

℟. *iij.* Iste cognóvit justítiam, et vidit mirabília magna, et exorávit Altíssimum : * Et invéntus est in número Sanctórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Et invéntus est. Glória Patri. Et.

Pro pluribus Martyribus.

℟. *j.* Abstérget Deus omnem lácrymam ab óculis Sanctórum : et jam non erit ámplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor:* Quóniam prióra transiérunt. ℣. Non esúrient, neque sítient ámplius, neque cadet super illos sol, neque ullus aestus.—Quóniam.

℟. *ij.* Viri sancti gloriósum sánguinem fudérunt pro Dómino, amavérunt Christum in vita sua, imitáti sunt eum in morte sua : * Et ídeo corónas triumpháles meruérunt. ℣. Unus spíritus et una fides erat in eis.—Et ídeo.

℟. *iij.* Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia, * Et meruérunt habére corónas perpétuas. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.—Et. Glória Patri. Et.

Pro Confessore Pontifice.

℟. *j.* Euge serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam : * Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum.—Intra.

℟. *ij.* Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo : * Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. ℣. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi et testaméntum suum confirmávit super caput ejus.—Ideo.

℟. *iij.* Jurávit Dóminus et non poenitébit eum : * Tu es sacérdos in aetérnum secúndum órdinem Melchísedech. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo : Sede a dextris meis.—Tu es. Glória Patri. Tu es.

abominátio desolatiónum erit, usque ad consummatiónem témporis, et consummátio dábitur super solitúdinem. De hoc et Apóstolus lóquitur, quod homo iniquitátis, et adversárius elevándus sit contra omne quod dícitur Deus et cólitur : ita ut áudeat stare in templo Dei, et osténdere quod ipse sit Deus : cujus advéntus, secúndum operatiónem sátanae, déstruat eos, et ad Dei solitúdinem rédigat, qui se suscéperint.

Lectio viii.

POTEST autem simplíciter aut de Antichrísto áccipi, aut de imágine Caesaris, quam Pilátus pósuit in templo, aut de Hadriáni equéstri státua, quae in ipso sancto sanctórum loco usque in praeséntem diem stetit. Abominátio quoque secúndum véterem scriptúram idólum nuncupátur : et idcírco ádditur, desolatiónis, quod in desoláto templo atque destrúcto idólum pósitum sit.

Lectio ix.

ABOMINATIO desolatiónis intélligi potest et omne dogma pervérsum; quod cum vidérimus stare in loco sancto, hoc est in Ecclésia, et se osténdere Deum; debémus fúgere de Judaea ad montes, hoc est, dimissa occidénte líttera, et Judáica pravitáte, appropinquáre móntibus aetérnis, de quibus illúminat mirabíliter Deus ; et esse in tecto, et in dómate, quo non possint igníta diáboli jácula pervenire, nec descéndere et tóllere áliquid de domo conversatiónis prístinae, nec quaerere quae retrórsum sunt : sed magis sérere in agro spirituálium scripturárum, ut fructus capiámus ex eo : nec tóllere álteram túnicam, quam Apóstoli habére prohibéntur.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Bened. Aña. Cum vidéritis * abominatiónem desolatiónis, quae dicta est a Daniéle Prophéta, stantem in loco sancto : qui legit, intélligat.

Ad Magnif. Aña. Amen dico vobis, * quia non praeteríbit generátio haec, donec ómnia fiant : coelum et terra transíbunt, verba autem mea non transíbunt, dicit Dóminus.



Cujus animam gementem,
Contristatam et dolentem,
Pertransivit gladius.

Proprium Sanctorum.

PARS AUTUMNALIS.

DIE XXIX. AUGUSTI.

In Decollatione S. Joannis Baptistae. Duplex.

AD VESPERAS.

Añae de Laudibus. 332. Psalmi ut in Communi Apostolorum. ii.

Capitulum. *Jacobi* i. *b.*

BEATUS vir, qui suffert tentatiónem: quóniã cum probátus fúerit, accípiet corónam vitae, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus.

DEUS, tuórum mílitum
Sors, et coróna, praemium,
Laudes canéntes Mártyris
Absólve nexu críminis.

Hic nempe mundi gáudia,
Et blanda fraudum pábula
Imbúta felle députans,
Pervénit ad coeléstia.

Poenas cucúrrit fórtiter,
Et sústulit viríliter,
Fundénsque pro te sánguinem,
Ætérna dona póssidet.

Ob hoc precátu súpplici
Te póscimus piíssime;
In hoc triúmpho Mártyris
Dimítte noxam sérvulis.

Laus et perénnis glória
Patri sit atque Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna saecula.
Amen.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. Añ. Misso Heródes spiculatóre, praecépit amputári caput Joánnis in cárcere: quo audíto, discípuli ejus venérunt, et tulérunt corpus ejus, et posuérunt illud in monuménto.

Oratio.

SANCTI Joánnis Baptístae, Praecursóris et Mártyris tui, quaesumus Dómine, veneránda festívitas salutáris auxílii nobis praestet effectum: Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Deinde fit Commemor. S. Augustini, Aña. O Doctor óptime, Ecclésiae sanctae lumen, beáte Augustíne, divínae legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

ADESTO supplicatiónibus nostris omnípotens Deus: et quibus fidúciam sperándae pietátis indúlges: intercedénte beáto Augustíno Confessóre tuo atque Pontífice consuétae misericórdiae tríbue benígnus effectum.

Postea S. Sabinae, Martyris, Aña. Símile est regnum coelórum hómini negotiatóri quaeránti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio.

DEUS, qui inter caetera poténtiae tuae mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti: concéde propítius; ut qui beátae Sabínae Mártyris tuae natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium, Hymnus, Antiphonae, Psalmi, et ℣℣. Nocturnorum dicuntur de Communi unius Martyris. xxviii.

In primo Nocturno.

Incipit Jeremías Prophéta.

Lectio i. *Cap.* i.

VERBA Jeremíae fílii Helcíae, de sacerdótibus, qui fuérunt in Anathoth, in terra Bénjamin. Quod factum est verbum Dómini ad eum in diébus Josíae fílii Amon regis Juda, in tertiodécimo anno regni ejus. Et factum est in diébus Jóakim fílii Josíae regis Juda, usque ad consummatiónem undécimi anni Sedecíae fílii Josíae regis Juda, usque ad transmigratiónem Jerúsalem, in mense quinto. Et factum est verbum Dómini ad me, dicens: Priúsquam te formárem in útero, novi te: et ántequam exíres de vulva, sanctificávi te, et Prophétam in Géntibus dedi te.

℟. Misit Heródes rex manus, ac ténuit Joánnem,

et vinxit eum in cárcere, quia metuébat eum, propter Herodíadem, * Quam túlerat fratri suo Philíppo uxórem. ℣. Arguébat Heródem Joánnes propter Herodíadem. –Quam túlerat fratri suo.

Lectio ii.

ET dixi, A, a, a, Dñe Deus : ecce néscio loqui, quia puer ego sum. Et dixit Dóminus ad me : Noli dícere : Puer sum : quóniam ad ómnia, quae mittam te, ibis : et univérsa, quaecúmque mandávero tibi, loquéris. Ne tímeas a fácie eórum : quia tecum ego sum, ut éruam te, dicit Dóminus. Et misit Dñus manum suam, et tétigit os meum : et dixit Dóminus ad me : Ecce dedi verba mea in ore tuo : ecce constítui te hódie super Gentes, et super regna, ut evéllas, et déstruas, et dispérdas, et díssipes, et aedífices, et plantes.

℟. Joánnes Baptísta arguébat Heródem, * Propter Herodíadem, quam túlerat fratri suo vivénti uxórem. ℣. Misso Heródes spiculatóre, praecépit amputári caput Joánnis in cárcere.— Propter Herodíadem.

Lectio iii.

TU ergo accínge lumbos tuos, et surge, et lóquere ad eos ómnia quae ego praecípio tibi. Ne formídes a fácie eórum : nec enim timére te fáciam vultum eórum. Ego quippe dedi te hódie in civitátem munítam, et in colúmnam férream, et in murum aereum super omnem terram, régibus Juda, princípibus ejus, et sacerdótibus, et pópulo terrae. Et bellábunt advérsum te, et non praevalébunt : quia ego tecum sum, ait Dóminus, ut líberem te.

℟. Puéllae saltánti imperávit mater : * Nihil áliud petas, nisi caput Joánnis. * Et contristátus est rex propter jusjurándum, et propter simul discumbéntes. ℣. Ait puélla matri suae : Quid petam? at illa ait.—Nihil. Glória Patri. Et contristátus.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi de Virgínibus. *Lib.* 3. *post initium.*

Lectio iv.

QUONIAM beáti Joánnis Baptístae non stricti praetereúnda est recordátio, ínterest, ut quis, et a quibus, et quam ob causam, quómodo, et quo témpore sit occísus, advértere debeámus. Ab adúlteris justus occíditur, et a reis in júdicem capitális scéleris poena convértitur.

Deínde praemium saltatrícis, mors est Prophétae. Postrémo (quod étiam omnes bárbari horrére consuevérunt) inter épulas atque convívia consummándae crudelitátis profértur edíctum : et a convívio ad cárcerem, de cárcere ad convívium ferális flagítii circumfértur obséquium. Quanta in uno facínore sunt crímina !

℟. Justus germinábit sicut lílium : * Et florébit in aetérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri.—Et florébit.

Lectio v.

QUIS non, cum e convívio ad cárcerem cursári vidéret, putáret Prophétam jussum esse dimítti ? Quis, inquam, cum audísset natálem esse Heródis, solémne convívium, puéllae optiónem eligéndi quod vellet datam, missum ad Joánnem ob solutiónem non arbitrarétur ? Quid crudelitáti cum delíciis ? quid cum funéribus voluptáti ? Rápitur ad poenam Prophéta conviváli témpore, conviváli praecépto, quo non cúperet vel absólvi ; perímitur gládio, caput ejus affértur in disco. Hoc crudelitáti férculum debebátur, quo insatiáta épulis féritas vescerétur.

℟. Iste cognóvit justítiam, et vidit mirabília magna, et exorávit Altíssimum : * Et inventus est in número sanctórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Et inventus.

Lectio vi.

INTUERE, rex acerbíssime, tuo spectácula digna convívio. Pórrige déxteram, ne quid saevítiae tuae desit, ut inter dígitos tuos rivi défluant sacri cruóris. Et quóniam non exsaturári épulis fames, non restíngui póculis pótuit inaudítae saevítiae sitis : bibe sánguinem scaturiéntibus adhuc venis exsécti cápitis profluéntem. Cerne óculos in ipsa morte scéleris tui testes, aversántes conspéctum deliciárum. Claudúntur lúmina non tam mortis necessitáte, quam horróre luxúriae. Os áureum illud exsángue, cujus senténtiam ferre non póteras, conticéscit, et adhuc timétur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum.—Et dedit illi. Glória Patri. Et dedit illi.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vii. *Cap.* vi. *c.*

IN illo témpore: Misit Heródes, ac ténuit Joánnem, et vinxit eum in cárcere, propter Herodíadem uxórem Philíppi fratris sui, quia dúxerat eam. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Sermone x. *in novis Sermonibus.*

QUUM sanctum Evangélium legerétur, crudéle spectáculum ante óculos nostros constitútum est: caput sancti Joánnis in disco, ferális missus crudelitátis propter ódium veritátis. Puélla saltat, et saevit mater: et inter lascívias et delícias convivántium témere jurátur, et ímpie quod jurátur, implétur. Factum est Joánni, quod ipse praedíxerat. De Dómino enim Jesu Christo díxerat: Illum opórtet créscere, me autem mínui. Iste minútus est in cápite, ille crevit in cruce. Odium péperit véritas. Non pótuit aequo ánimo tolerári, quod homo Dei sanctus monébat: qui útique salútem eórum quaerébat, quos sic monébat. Respondérunt illi mala pro bonis.

℟. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretiósc.—Et voluntáte.

Lectio viii.

QUID enim ille díceret, nisi quo plenus erat? Et quid illi respondérent, nisi quo pleni erant? Ille tríticum seminávit, sed spinas invénit. Dicébat regi: Non licet tibi habére uxórem fratris tui. Vincébat enim regem libído: tenébat apud se prohíbitam uxórem fratris sui. Sed eum tamen sic libébat, ut non saevíret. Honorábat eum, a quo verum audiébat: sed múlier detestábilis ódium concipiébat, quod aliquándo dato témpore páreret. Quando autem parturiébat, péperit fíliam, fíliam saltántem.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitae et intelléctus: et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum. — Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

Pro S. Sabina Martyre.

Lectio ix.

SABINA múlier Romána, Valentíni viri claríssimi uxor, a Seráphia Vírgine christiánae fídei praecéptis institúta, post sanctae Vírginis martyrium colléctas ejus relíquias piis exéquiis sepelívit. Quae propter eam causam paulo post Hadriáno imperatóre comprehénsa, Elpídio júdici sístitur. Cui is : Tu ne illa Sabína, et génere et matrimónio nobilíssima? At illa : Sum, inquit : sed Dómino meo Jesu Christo grátias ago, qui me, intercessióne Seráphiae fámulae suae, e daemonum potestáte liberávit. Quam várie tentátam, ut propósitum mutáret, cum a fídei constántia movére non posset, praeféctus, pronuntiáta sententia quod deos contémneret, cápitis damnávit. Ejus corpus a Christiánis in eódem sepúlchro cónditum est, in quo ipsa magístram fídei suae Seráphiam posúerat.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Heródes enim * ténuit et ligávit Joánnem, et pósuit in cárcerem propter Herodíadem. Psalm. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18

2. Dómine mi rex, * da mihi in disco caput Joánnis Baptístae.

3. Puéllae saltánti * imperávit mater : nihil áliud petas, nisi caput Joánnis.

4. Arguébat Heródem Joánnes propter Herodíadem, quam túlerat fratri suo Philíppo uxórem.

5. Da mihi in disco * caput Joánnis Baptístae : et contristátus est rex propter jusjurándum.

Capitulum. *Jacobi* i. *b.*

BEATUS vir, qui suffert tentatiónem : quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitae, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus.

INVICTE Martyr, únicum
Patris secútus Fílium,
Victis triúmphas hóstibus,
Victor fruens coeléstibus.

Tui precátus múnere
Nostrum reátum dílue,
Arcens mali contágium,
Vitae repéllens taedium.

Solúta sunt jam víncula
Tui sacráti córporis :
Nos solve vinclis saeculi
Dono supérni Núminis.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, et per omne saeculum. Amen.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. Ant. Misso Heródes spiculatóre praecépit amputári caput Joánnis in cárcere: quo audíto, discípuli ejus venérunt, et tulérunt corpus ejus, et posuérunt illud in monuménto.

Oratio.

SANCTI Joánnis Baptístae, Praecursóris et Mártyris tui, quaesumus Dómine, veneránda festívitas, salutáris auxílii nobis praestet efféctum: Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Pro Commem. S. Sabinae, Ant. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Oratio.

DEUS, qui inter caetera poténtiae tuae mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti: concéde propítius; ut qui beátae Sabínae Mártyris tuae natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Ant. Dómine mi rex.

Capitulum. Beátus vir, ut supra, 332.

℟. br. Glória et honóre, * Coronásti eum, Dñe. Glória et honóre. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória et honóre.

℣. Posuísti, Dñe, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

AD SEXTAM.

Ant. Puéllae saltánti.

Capitulum. *Eccli.* xv.

CIBAVIT illum pane vitae et intelléctus, et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum Dóminus Deus noster.

℟. br. Posuísti, Dómine, * Super caput ejus. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Super. Glória Patri. Posuísti.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

AD NONAM.

Ant. Da mihi in disco.

Capitulum. *Eccli.* xxxix.

JUSTUS cor suum trádidit ad vigilándum dilúculo ad Dñum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur.

℟. br. Magna est glória ejus, * In salutári tuo. Magna. ℣. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. In salutári. Glória Patri. Magna.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

In secundis Vesp. omnia ut in primis. 327. et loco ultimi Psalm. Crédidi. 138.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Magnif. Ant. Misit rex incrédulus minístros detestábiles, et amputári jussit caput Joánnis Baptístae.

Oratio. Sancti Joánnis, ut supra. 333.

Deinde fit Commemoratio sequentis, et sanctorum Martyrum ut infra.

DIE XXX. AUGUSTI.

In festo S. Rosae a sancta Maria, Virginis Limanae. Duplex.

Omnia de Communi Virginum. cxiii. praeter ea quae sequuntur.

Ant. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus praeparávit in aetérnum.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio.

BONORUM ómnium largítor omnípotens Deus, qui beátam Rosam, coeléstis grátiae rore praeventam, virginitátis, et patiéntiae decóre Indis floréscere voluísti : da nobis fámulis tuis ; ut in odórem suavitátis ejus curréntes, Christi bonus odor éffici mereámur : Qui tecum vivit.

Postea sanctorum Felicis, et Adaucti, Martyrum, Ant. Istórum est enim regnum coelórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad praemia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Laetámini in Dómino, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

MAJESTATEM tuam, Dómine, súpplices exorámus : ut sicut nos júgiter Sanctórum tuórum commemoratióne laetíficas, ita semper supplicatióne defendas. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

CRIMUS Américae Meridionális flos sanctitátis virgo Rosa, christiánis paréntibus Limae progénita, mox ab incunábulis cláruit futúrae sanctimóniae indíciis : nam vultus infántis mirabíliter in rosae effígiem transfigurátus, huic nómini occasiónem dedit : cui póstea Vir-

go Deípara cognómen adjécit, jubens vocári deínceps Rosam a sancta María. Quinquénnis votum perpétuae virginitátis emísit. Adúltior, ne a paréntibus ad núptias cogerétur, clam sibimet venustíssimam cápitis caesáriem praecídit. Jejúniis supra humánum modum addícta, íntegras Quadragésimas transégit pane ábstinens, ac diétim solis quinque gránulis mali cítrini víctitans.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et dedúcet.

Lectio v.

HABITU tértii Ordinis sancti Domínici assúmpto, prístinas vitae austeritátes duplicávit : oblóngo asperrimóque cilício sparsim minúsculas acus innéxuit : sub velo corónam densis acúleis intrórsus obarmátam intérdiu noctúque gestávit. Sanctae Catharínae Senénsis árdua premens vestígia, caténa férrea, tríplici nexu circumdúcta, lumbos cinxit. Léctulum sibi e truncis nodósis compósuit, horúmque vácuas commissúras fragmínibus testárum implévit. Céllulam sibi angustíssimam struxit in extrémo horti ángulo, ubi coeléstium contemplatióni dédita, crebris disciplínis, inédia, vigíliis corpúsculum exténuans, at spíritu vegetáta, larvas daemonum, frequénti certámine victrix, impávide protrívit, ac superávit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi.

AEGRITUDINUM torméntis, domesticórum insúltibus, linguárum mórsibus dire agitáta, nondum satis pro mérito se afflígi querebátur. Per quíndecim annos ad plúsculas horas desolatióne spíritus, et ariditáte misérrime contabéscens, forti ánimo tulit agónes omni morte amarióres. Exínde coepit supérnis abundáre delíciis, illustrári visiónibus, colliquéscere Seráphicis ardóribus. Angelo tutelári, sanctae Catharínae Senénsi, Vírgini Deíparae inter assíduas apparitiónes mire familiáris, a Christo has voces audíre méruit : Rosa cordis mei, tu mihi sponsa esto. Dénique Sponsi hujus paradíso felíciter invéctam,

plurimísque ante et post óbitum miráculis corúscam, Clemens décimus Póntifex máximus sanctárum Vírginum catálogo ritu solémni adscrípsit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximae ejus, * Afferéntur tibi in laetítia et exultatióne. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tertio Nocturno, Homilia in Evangeliũ : Símile erit regnum coelórum, de Communi Virginum. cxv.

Pro SS. Felice, et Adaucto, Martyribus.

Lectio ix.

FELIX, Diocletiáno et Maximiáno imperatóribus, propter susceptam Christi religiónem comprehénsus, in Serápidis templum addúctus est. Cui sacrificáre cum juberétur, os simulácri cónspuit. Quo facto, statim aerea státua córruit. Quod cum íterum ac tértio in aede Mercúrii, Dianaeque factum esset; impietátis et mágicae artis accusátus, equúleo torquétur. Mox ad secúndum ab Urbe lápidem via Ostiénsi dúcitur, ut secúri ferirétur. Cui inter viam oblátus quidam Christiánus, cum Felícem agnóscens ad martyrium duci vidéret, Ego quoque, clara voce inquit, eádem, qua iste, lege vivo; ego eúmdem Jesum Christum colo. Itaque Felícem osculátus, cum eo secúri percútitur, tértio Kaléndas Septembris : cujus nomen cum ignótum esset Christiánis, is Adáucti nómine nobilitátus est, quod sancto Mártyri Felíci adáuctus sit ad corónam.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus fit Commem. SS. Martyrum, Aña. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Oratio ut supra. 334.

Vesperae a Capítulo de sequenti, Commem. praecedentis.

DIE XXXI. AUGUSTI.

In festo S. Raymundi Nonnati, Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter ea quae sequuntur.

In Hymno, Iste Confessor, mutatur tertius Versus.

Oratio.

DEUS, qui in liberándis fidélibus tuis ab impiórum captivitáte,

beátum Raymúndum Confessórem tuum mirábilem effecísti : ejus nobis intercessióne concéde, ut a peccatórum vínculis absolúti, quae tibi sunt plácita, líberis méntibus exequámur. Per Dóminum.

Deinde fit Commemoratio S. Rosae, Añia. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus praeparávit in aetérnum.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Oratio. Bonórum, ut supra. 334.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

RAYMUNDUS, Nonnátus cognoménto dictus, quia praeter commúnem natúrae legem e mórtuae matris dissécto látere in lucem edúctus fuit, Portélli in Catalaunia piis et nobílibus paréntibus ortus, ab ipsa infántia futúrae sanctitátis indícia dedit. Nam puerília oblectaménta, mundíque illécebras réspuens ; ita pietáti óperam dabat, ut omnes in púero adúltam virtútem admiraréntur. Crescénte vero aetáte, litterárum stúdiis incúbuit : sed mox jubénte patre vitam ruri agens, sacéllum sancti Nicolái in Portélli fínibus situm crebro adíbat, ut sacram Deíparae imáginem, quae in eo summa fidélium veneratióne étiam nunc cólitur, visitáret. Ibi effúsus in preces, ipsam Dei paréntē, ut se in fílium adoptáre, viámque salútis, ac sciéntiā Sanctórum edocére dignarétur, enixe deprecabátur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.— Et dedit.

Lectio v.

DEC défuit votis ejus benignissima Virgo: ab ipsa enim intelléxit, gratíssimum sibi fore, si religiónem, sub título de Mercéde, seu de Misericórdia Redemptiónis Captivórum, ea suggerénte nuper fundátam, ingrederétur. Qua monitióne percépta, Barcinónam statim profécto, illud tam praecellentis erga próximum charitátis institútum ampléxus est. Regulári ígitur milítiae adscríptus, virginitátem quam prídem beátae Vírgini consecráverat, perpétuo cóluit, caeterísque

virtútibus enítuit, charitáte praesértim erga Christiános, qui sub potestáte Paganórum míseram in captivitáte vitam degébant. Hos ut redímeret, in Africam missus, cum jam multos a servitúte líberásset, ne, consúmpta pecúnia, áliis item in próximo abnegándae fídei discrímine constitútis deésset, se ipsum pignori dedit; sed cum ardentíssimo salútis animárum desidério succénsus, plures Mahometános suis conciónibus ad Christum convérteret, in arctam custódiam a bárbaris conjéctus, variísque supplíciis cruciátus, mox lábiis perforátis, et sera férrea clausis, crudéle martyrium diu sustínuit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriae índuit eum, Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

OB haec et ália fórtiter gesta, sanctitátis ejus fama longe latéque diffúsa est: qua permótus Gregórius nonus, in amplíssimum sanctae Románae Ecclésiae Cardinálium collégium Raymúndum adscrípsit: sed vir Dei in ea dignitáte ab omni pompa abhórrens, religiósae humilitátis tenacíssimus semper fuit. Romam vero pergens, statim ac Cardónam pervénit, extrémo morbo confléctus, ecclesiásticis sacraméntis muníri summis précibus postulávit. Cumque morbus ingravésceret, et sacérdos diútius tardáret, Angelórum ministério, sub spécie religiosórum sui órdinis appaeréntium, salutári viático refléctus fuit. Quo sumpto, et grátiis Deo peráctis, migrávit ad Dñum Domínica última Augústi, anno millésimo ducentésimo quadragésimo. Mórtui corpus, cum circa locum sepultúrae conténtio orta esset, arcae inclúsum, et nulae caecae impósitum, ad sacéllum sancti Nicolái Dei nutu delátum fuit, ut ibi tumularétur, ubi prima jécerat sanctióris vitae fundaménta. Illic constructo sui órdinis coenóbio, a confluéntibus voti causa ex univérsa Catalaunia fidélibus pópulis honorátur, váriis miráculis et signis gloriósus.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit

ad coeléstia regna.—Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evang. Sint lumbi vestri praecíncti, ut in Communi Confess. non Pontificis xcii.

In secundis Vesperis fit Commem. sancti Ægidii et SS. duodecim Fratrum Martyrum.

FESTA SEPTEMBRIS.

Prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum.

DIE I. SEPTEMBR.

S. Ægidii, Abbatis.

Añ. Similábo eum viro sapiénti, qui aedificávit domum suam supra petram. ℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriae índuit eum.

Oratio.

INTERCESSIO nos, quaesumus Dómine, beáti Ægídii Abbátis comméndet : ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Deinde fit Commemoratio SS. duodecim Fratrum Mart. Añ. Istórum est enim regnum coelórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad praemia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. ℣. Laetámini in Dómino, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

FRATERNA nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna laetíficet : quae et fídei nostrae praebeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

Lectio iii.

AEGIDIUS Atheniénsis, régiae stirpis, a prima aetáte divínis lítteris, et charitátis offíciis ita déditus fuit, ut nihil praetérea curáre viderétur. Itaque paréntibus mórtuis, totum patrimónium in páuperes erogávit : quin étiam túnicam éxuit, ut aegrótum egéntem tégeret ; qua ille indútus statim conváluit. Sed multis deínceps clárior miráculis, timens sui nóminis celebritátem, Arelátem ad beátum Caesárium conténdit : a quo post biénnium discédens, secéssit in erémum : ubi diútius herbárum radícibus, et cervae lacte, quae statis ad eum horis veniébat, admirábili sanctitáte vixit. Quae cerva, insequéntibus quodam die cánibus régiis, cum in antrum Ægídii refugísset, Gálliae regem ímpulit, ut ab eo summis précibus

péteret, ut in loco spelúncae monastérium éxtrui paterétur. Cujus administratiónem, flagitánte rege, invítus suscépit : eóque múnere áliquot annis prudénter piéque gesto, migrávit in coelum.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus pro Commemoratione sanctorum duodecim Fratrum Martyrum, Aña. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte tímere: multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Oratio. Fratérna nos, Dómine, ut supra. 339.

DIE II. SEPTEMBRIS.

In festo S. Stephani Hungariae Regis, Confess. Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter ea quae hic ponuntur.

In Hymno Iste Conféssor, dicatur :

Hac die laetus méruit supremos
Laudis honóres.

Oratio.

CONCEDE, quaesumus, Ecclésiae tuae omnípotens Deus : ut beátum Stéphanum Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in coelis. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

STEPHANUS in Hungáriam Christi fidem et régium nomen invéxit, Régia coróna a Románo Pontífice impetráta, ejúsque jussu in regem inúnctus, regnum sedi apostólicae óbtulit. Vária pietátis domicília Romae, Jerosólymis, Constantinópoli; in Hungária archiepiscopátum Strigoniénsem, episcopátus decem, admirábili religióne, et munificéntia fundávit. Par in páuperes amor et liberálitas, quos véluti Christum ipsum compléctens, néminem a se moeréntem, ac vácuum unquam dimísit, quin ad eórum inópiam sublevándam amplíssimis facultátibus erogátis, domésticam quoque supelléctilem exímia benignitáte frequénter distríbuit : suis ínsuper mánibus laváre páuperum pedes, noctu solus et ignótus nosocomía frequentáre, decumbéntibus inservíre, ac caetera charitátis offícia exhibére consuévit : quarum virtútum mérito illíus

déxtera, resolúto caetero córpore, incorrúpta permánsit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Et dedit.

Lectio v.

ORANDI stúdio noctes pene totas ducébat insómnes, atque in coeléstium rerum contemplatióne defíxus, intérdum extra sensus raptus, sublímis in áera ferri visus fuit. Perduélliũ conspiratiónes, ac validórum hóstium ímpetus, miro prorsus modo, non semel oratiónis praesídio evitávit. Suscéptum ex Ghisélla Bavárica sancti Henríci imperatóris soróre, quam sibi matrimónio júnxerat, Emerícum fílium tanta morum disciplína, talíque pietáte enutrívit, quantum ejus póstea sánctitas declarávit. Regni vero negótia ita dispósuit, ut accítis úndique prudentíssimis ac sanctíssimis viris, nihil unquam sine illórum consílio molirétur. Humíllimis ínterim précibus in cínere et cilício Deum déprecans, ut univérsum Hungáriae regnum, ántequam e vita migráret, cathólicum vidére mererétur. Vere propter ingens dilatándae fídei stúdium, illíus gentis apóstolus nuncupátus, facta a Románo Pontífice ipsi, posterísque régibus praeferéndae crucis potestáte.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dñus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

DEI Genitrícem, quam ardentíssime venerabátur, amplíssimo in ejus honórem constrúcto templo, Hungáriae Patrónam instítuit : ab eádem vicíssim Vírgine recéptus in coelum ipso suae Assumptiónis die, quem Húngari e sancti regis institúto Magnae Dóminae diem appéllant. Sacrum ejus corpus suavíssimo fragrans odóre, liquóre coelésti scatens, inter multa et vária mirácula, Románi Pontíficis jussu, nobiliórem in locum translátum est, atque honorificéntius cónditum. Ejus autem festum Innocéntius undécimus Póntifex máximus quarto Nonas Septémbris, ob insígnem victóriam ab exército Leopóldi primi Romanórum elécti imperatóris, et Hungáriae regis

eádem die in Budae expugnatióne, ope divína, e Turcis reportátam, celebrándum instítuit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam:* Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xix. *b.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 8. *in Lucae* xii.

SONUS ordo, ut vocatúrus Gentes, et Judaeos jussúrus intérfici, qui noluérunt regnáre supra se Christum, hanc praemítteret comparatiónem, ne dicerétur : Nihil déderat pópulo Judaeórum, unde póterat mélior fíeri : ut quid ab eo, qui nihil recépit, exígitur? Non medíocris ista est mna, quam supra múlier evangélica quia non invénit, lucérnam accéndit, lúmine quaerit admóto, gratulátur invéntam.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum :* Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua.—Ipse intercédat.

Lectio viii.

DENIQUE ex una decem mnas álius fecit, álius quinque. Fortásse iste morália habet, quia quinque sunt córporis sensus : ille duplícia, id est, mystica legis, et morália probitátis. Unde et Matthaeus quinque talénta, et duo talénta pósuit : in quinque talántis, ut sint morália ; in duóbus utrúmque, mysticum atque morále. Ita quod número inférius, re ubérius.

℟. Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris :* Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit.—Et vos símiles. Glória Patri. Et vos símiles.

Lectio ix.

ET hic póssumus decem mnas, decem verba intellígere, id est, legis doctrínam ; quinque autem mnàs, magistéria disciplínae. Sed legisperítum in ómnibus volo esse perféctum : non enim in sermóne, sed in virtúte est regnum Dei. Bene autem quia de Judaeis dicit, duo soli multiplicátam pecúniã déferunt; non útique aeris, sed dispensatiónis usúris. Alia est enim pecúniae foenebris, ália doctrínae coeléstis usúra.

Te Deum laudámus. 17.

DIE V. SEPTEMBR.

In festo S. Laurentii Justiniani, Episc. et Confess. Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, Ixi. praeter ea quae hic assignantur.

In Hymno, Iste Confés-sor, mutatur tertius versus.

Oratio.

DA quaesumus omnípotens Deus : ut beáti Laurentii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.



AURENTIUS ex illústri Justinianórum família Venétiis natus, exímiam vel puer morum gravitátem prae se tulit. Exácta inter pietátis offícia adolescéntia, ad castum verbi et ánimae connúbium a divína Sapiéntia invitátus, de religiósae vitae institúto capesséndo deliberáre coepit. Novae ítaque milítiae clam prolúdens, praeter álias córporis afflictatiónes, super nudos cubábat ásseres, sedénsque velut árbiter hinc inter saeculi blandiménta, paratásque a matre núptias, illinc claustráles inter austeritátes, óculis in Christi patiéntis crucem convérsis, Tu (inquit) es Dómine spes mea, ibi posuísti certíssimum refúgium tuum ; ad Canonicórum sancti Geórgii in Alga congregatiónem convolávit, ubi novis excogitátis cruciátibus ácrius in seípsum, véluti in hostem infensíssimum, instáurans bellum, nullam ádeo sibi oblectatiónem indulgébat, ut ne in domésticum unquam hortum, nec in patérnam quidem domum, nisi cum moriénti matri extréma pietátis offícia siccis óculis persólvit, exínde intráverit. Par erat

obediéntiae, mansuetúdinis ac praecípue humilitátis stúdium ; cum abjectíssima quaeque coenóbii múnia sibi ultro desúmeret, celebérrima per urbis loca, non tam victum, quam ludíbria emendicáret, illatásque contumélias, ac calúmnias immótus ac silens perférret, assíduae praesértim oratiónis subsídio, qua saepe per mentis excéssum rapiebátur in Deum, tantóque cor ejus aestuábat ardóre, ut nutántes étiam sodáles ad perseverántiã, ac Jesu Christi amórem inflammáret.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus enim.

Lectio v.

AB Eugénio quarto pátriae Epíscopus designátus, quem magna contentióne honórem detrectáverat, majóri gessit cum laude : nam consuéta vivéndi ratióne nihil ádmodum immutáta, paupertátem, quam semper colúerat, in mensa, supelléctili, ac lecto perpétuo retínuit ; módicam domi alébat famíliam, quod grandem álteram sibi esse díceret, páuperes Christi significans. Quacúmque adirétur hora, praesto ómnibus erat, patérna omnes charitáte allevábat, non rénuens, vel aere se alièno graváre, illórum ne inópiae deésset. Rogátus qua spe id fáceret? Dñi mei, qui pro me dissólvere fácile póterit, respondébat. Spem autem non confúndere divína providéntia submíssis inopináto subsídiis júgiter declarábat. Plura vírginum monastéria construxit, quas étiam ad perfectióris vitae ratiónem sua vigilántia compósuit ; matrónis a saeculi pompis, et ornátus vanitáte revocándis, ecclesiásticae disciplínae, ac móribus reformándis maxímopere stúduit ; dignus sane qui ab eódem Eugénio glória, et decus Praesulum coram Cardinálibus vocarétur, et qui a Nicoláo quinto ejus successóre, transláto e Gradénsi civitáte título, primus Venetiárum Patriárcha renuntiarétur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus.

Lectio vi.

LACRYMARUM dono insignítus, omnipoténti Deo placatiónis hóstiam quotídie offerébat, quod cum aliquándo nocte

Domínicae Natividátis perágeret, Christum Jesum sub pulchérrimi infántis spécie vidére proméruit: tantúmque in eo erat commíssi gregis praesídium, ut coelitus aliquándo accéptum fúerit, Pontíficis sui intercessióne, ac méritis stetísse rempúblicam. Prophetíae spíritu afflátus, plura humánae cognitióni prorsus impérvia praedíxit; morbos ac daemones suis précibus saepe fugávit; libros étiam coeléstem doctrínam, ac pietátem spirántes, grammáticae pene rudis, conscrípsit. Dénique cum lethálem incidísset in morbum, et commodiórem doméstici lectum seni atque aegro parárent, aversátus ejúsmodi delícias, tamquam a duríssima moriéntis Dómini sui cruce plus nímio abhorréntes, consuéto in strámine se jussit depóni, et finem vitae suae adventáre praenóscens, sublátis in coelum óculis: Vénio (inquit) ad te, o bone Jesu; ac die octáva Januárii obdormívit in Dómino. Pretiósam ejus mortem testáti sunt angélici concéntus, a Carthusiánis quibúsdam mónachis auditi, et sacrum cadáver per duos ultra menses inhumátum, suávi fragrans odóre, et rubescénte fácie, íntegrum atque incorrúptum, aç nova post mortem patráta mirácula: quibus permótus Alexánder octávus Póntifex máximus eum Sanctórum número adscrípsit; Innocéntius vero duodécimus quintam Septémbris diem, qua vir sanctus ad pontifíciam primo cáthedram fúerat evéctus, celebrándo illíus festo assignávit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evang. Homo péregre proficíscens, ut in Communi Confessoris Pontificis. lxx.

DIE VIII. SEPTEMBR.

In Nativitate B. Mariae Virginis. Duplex.

AD VESPERAS.

Ańa. Natívitas gloriósae, cum reliquis Añis de Laudibus. 350. Psalmi, Capitulum et Hymnus ut in festis B. M. V. clviii.

℣. Natívitas est hódie sanctae Maríae Vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ad Magnif. Ańa. Gloriósae Vírginis Maríae ortum

dignissimũ recolámus, quae et Genitrícis dignitátem obtínuit, et virginálem pudicítiam non amísit.

Oratio.

FAMULIS tuis, quaesumus Dómine, coeléstis grátiae munus impertíre : ut quibus beátae Vírginis partus éxtitit salútis exórdium, Nativitátis ejus votíva solémnitas, pacis tríbuat increméntum. Per Dóminum.

Ad Completorium, et Horas diei, ac per totam Octavam in fine Hymnorum ejusdem metri dicitur :

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Nativitátẽ Vírginis Maríae celebrémus: * Christum ejus Fílium adorémus Dóminum.

Psalmus. Veníte, exultémus. 2

Hymn. Quem terra. clxi.

Antiphonae et Psalmi Nocturnorum, ut in festis B. M. V. clxi.

In primo Nocturno.

Incípiunt Cántica canticórum.

Lectio i. *Cap.* i.

OSCULETUR me ósculo oris sui : quia melióra sunt úbera tua vino, fragrántia unguéntis óptimis. Oleum effúsum nomen tuum : ídeo adolescéntulae dilexérunt te. Trahe me : post te currémus in odórem unguentórum tuórum. Introdúxit me rex in cellária sua : exultábimus, et laetábimur in te, mémores úberum tuórum super vinum : recti díligunt te. Nigra sum, sed formósa, fíliae Jerúsalem, sicut tabernácula Cedar, sicut pelles Salomónis.

℟. Hódie nata est beáta Virgo María ex progénie David :* Per quam salus mundi credéntibus appáruit, cujus vita gloriósa lucem dedit saeculo. ℣. Nativitátem beátae Maríae Vírginis cum gáudio celebrémus.—Per quam.

Lectio ii.

NOLITE me considerare quod fusca sim, quia decolorávit me sol : fílii matris meae pugnavérunt contra me, posuérunt me custódem in víneis : víneam meam non custodívi : índica mihi, quem díligit ánima mea, ubi pascas, ubi cubes in merídie : ne vagári incípiam post greges sodálium tuórum : Si ignóras te, o pulchérrima inter muliéres, egrédere, et abi post vestígia gregum, et pasce hoedos tuos juxta tabernácula pastórum. Equitátui meo in cúrribus Pharaónis assimilávi te, amíca mea.

Pulchrae sunt genae tuae sicut túrturis, collum tuum sicut monília.

℟. Beatíssimae Vírginis Maríae Nativitátem devotíssime celebrémus : * Ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum. ℣. Cum jucunditáte Nativitátem beátae Maríae Vírginis devotíssime celebrémus.—Ut ipsa.

Lectio iii.

QURENULASáureas faciémus tibi, vermiculátas argénto. Dum esset rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suum. Fascículus myrrhae diléctus meus mihi, inter úbera mea commorábitur. Botrus Cypri diléctus meus mihi, in víneis Engáddi. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, óculi tui columbárum. Ecce tu pulcher es dilécte mi, et decórus. Léctulus noster flóridus : tigna domórum nostrárum cédrina, laqueária nostra cypréssina.

℟. Glorióse Vírginis Maríae ortum digníssimum recolámus, * Cujus Dóminus humilitátem respéxit, quae Angelo nuntiánte concépit Salvatórem mundi. ℣. Beatíssimae Vírginis Maríae Nativitátem devotíssime celebrémus.—Cujus Dóminus. Glória Patri. Cujus Dóminus.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Sermone xviii. *de Sanctis, qui est* ii. *de Annuntiatione Dominica.*

Lectio iv.

ADEST nobis, dilectíssimi, optátus dies beátae ac venerábilis semper Vírginis Maríae : ídeo cum summa exultatióne gáudeat terra nostra, tantae Vírginis illustráta natáli. Haec est enim flos campi, de qua ortum est pretiósum lílium convállium, per cujus partum mutátur natúra protoplastórum, delétur et culpa. Praecísum est in ea illud Hevae infelicitátis elógium, quo dícitur: In dolóre páries fílios tuos : quia ista in laetítia Dñum péperit.

℟. Natívitas gloriósae Vírginis Maríae ex sémine Abrahae, ortae de tribu Juda, clara ex stirpe David : * Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias. ℣. Hódie nata est beáta Virgo María ex progénie David.—Cujus vita.

Lectio v.

HEVA enim luxit, ista exultávit : Heva lácrymas, María gáudium in ventre portávit : quia illa peccatórem, ista édidit innocéntem. Mater géneris

nostri poenam íntulit mundo, Génitrix Dómini nostri salútem íntulit mundo : Auctrix peccáti Heva : auctrix mériti María. Heva occidéndo óbfuit, María vivificándo prófuit. Illa percússit, ista sanávit. Pro inobediéntia enim obediéntia commutátur, fides pro perfídia compensátur.

℟. Cum jucunditáte Nativitátem beátae Maríae celebrémus : * Ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum. ℣. Corde, et ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte praecélsae Genitrícis Dei Maríae. — Ut ipsa.

Lectio vi.

PLAUDAT nunc órganis María, et inter velóces artículos tympana puérperae cóncrepent. Cóncinant laetántes chori, et alternántibus módulis dulcísona cármina misceántur. Audíte igítur quemádmodum tympanístria nostra cantáverit. Ait enim : Magníficat ánima mea Dóminum : et exultávit spíritus meus in Deo salutári meo. Quia respéxit humilitátem ancíllae suae, ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Quia fecit mihi magna qui potens est. Causam igitur invalescéntis erráti miráculum novi partus evícit, et Hevae planctum Maríae cantus exclúsit.

℟. Natívitas tua, Dei Génitrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo : * Ex te enim ortus est sol justítiae, Christus Deus noster : * Qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem : et confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. — Ex te enim. Glória Patri. Qui solvens maledictiónem.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* i.

LIBER generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. i. *Comment. in Matth. in initio.*

IN Isaía légimus: Generatiónē ejus quis enarrábit ? Non ergo putémus Evangelístam Prophétae esse contrárium, ut quod ille impossíbile dixit effátu, hic narráre incípiat : quia ibi de generatióne divinitátis, hic de incarnatióne

est dictum. A carnálibus autem coepit, ut per hóminem Deum díscere incipiámus. Fílii David, fílii Abraham. Ordo praepósterus, sed necessário commutátus. Si enim primum posuísset Abraham, et póstea David, rursus ei repeténdus fúerat Abraham, ut generatiónis séries texerétur.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes : * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. — Quia fecit. Bened. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo vírginum.

Lectio viii.

IDEO autem caeteris praetermíssis, horum fílium nuncupávit, quia ad hos tantum est facta de Christo repromíssio. Ad Abraham : In sémine, inquit, tuo benedicéntur omnes gentes, quod est Christus : Ad David : de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Judas autem génuit Phares, et Zaram de Thamar. Notándum, in genealógia Salvatóris nullam sanctárum assúmi mulíerum, sed eas, quas Scriptúra reprehéndit : ut qui propter peccatóres vénerat, de peccatóribus nascens, ómnium peccáta deléret. Unde et in consequéntibus Ruth Moabítis pónitur, et Bethsabée uxor Uriae.

℟. Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima : * Quia ex te ortus est sol justítiae: * Christus Deus noster. ℣ Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto foemíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Nativitátem. — Quia ex te. Glória Patri. Christus.

Pro S. Hadriano Martyre.

Lectio ix.

HADRIANUS jussu Maximiáni imperatóris apud Nicomedíam pérsequens Christiános, cum saepius eórum in fídei confessióne et tormentórum perpessióne constántiam demirátus esset, veheménter ea re commótus, ad Christum sese convértit. Quamóbrem cum áliis vigínti tribus Christiánis conjéctus est in cárcerem : ubi eum vísitans Natália uxor, quae et ipsa ántea in Christum credíderat, ad martyrium incéndit. Itaque e custódia edúctus, támdiu flagéllis caesus est, donec intestína diffiúerent. Postrémo fractis crúribus, mánibus pedibúsque praecísis,

una cum multis áliis martyrii certámen felíciter absólvit.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Natívitas gloriósae Vírginis *Maríae ex sémine Abrahae, ortae de tribu Juda, clara ex stirpe David. Psalm. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Natívitas est hódie * sanctae Maríae Vírginis, cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

3. Regáli ex progénie * María exórta refúlget : cujus précibus nos adjuvári mente et spíritu devotíssime póscimus.

4. Corde et ánimo *Christo canámus glóriam, in hac sacra solemnitáte praecélsae Genitrícis Dei Maríae.

5. Cum jucunditáte * Nativitátem beátae Maríae celebrémus, ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

Capit. Ab initio. Hymn. O gloriósa. clxxi.

℣. Natívitas est hódie sanctae Maríae Vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ad Bened. Aña. Nativitátem hodiérnam perpétuae Vírginis Genitrícis Dei Maríae solémniter celebrémus, qua celsitúdo throni processit, allelúia.

Oratio.

FAMULIS tuis, quaesumus Dñe, coeléstis grátiae munus impertíre : ut quibus beátae Vírginis partus éxtitit salútis exórdium, Nativitátis ejus votíva solémnitas, pacis tríbuat increméntum. Per Dñum.

Deinde fit Commemoratio S. Hadriani, Martyris hoc loco tantum, Aña. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam aetérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio.

PRAESTA quaesumus omnípotens Deus : ut qui beáti Hadriáni Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Ad Primam. In ℟. brevi dicitur ℣. Qui natus es de María Vírgine. Et sic dicitur per totam Octávam, etiam in festis.

AD TERTIAM.

Aña. Natívitas est hódie.

Capitulum. Ab initio, ut supra.

℟. br. Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie tua. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et pulchritúdine. Glória Patri. Spécie tua.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

AD SEXTAM.

Ańa. Regáli ex progénie. Capitulum. *Eccli.* xxiv. *b.*

ET sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei haeréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. br. Adjuvábit eam, * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus vultu suo. Glória Patri. Adjuvábit.

℣. Elégit eam Deus, et praeelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

AD NONAM.

Ańa. Cum jucunditáte. Capitulum. *Eccli.* xxiv. *b.*

IN platéis sicut cinnámomum, et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. br. Elégit eam Deus, * Et praeelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et praeelégit. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

In secundis Vesp. omnia ut in primis Vesperis. 345.

℣. Natívitas est hódie sanctae Maríae Vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ad Magnif. Ańa. Natívitas tua, Dei Génitrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo: ex te enim ortus est sol justítiae, Christus Deus noster: qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem: et confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam.

Oratio. Fámulis tuis, ut supra. 350.

Et fit Commem. S. Gorgonii, Martyris, Ańa. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

SANCTUS tuus, Dómine, Gorgónius sua nos intercessióne laetíficet: et pia fáciat solemnitáte gaudére. Per Dóminum.

DOMINICA

infra Octávam Nativitatis beatae Mariae Virginis.

Officium de sanctíssimo Nomine ejusdem beatae Mariae Virginis. Duplex.

Si haec Dominica immediate sequatur festum Nativitatis, Vesperae dicuntur integrae de Nativitate, sine Commem. SS. Nominis. Si autem festum SS. Nominis incidat in diem Oct. Nativitatis officium fit de eo absque Commem. diei Octavae.

AD VESPERAS.

Aña. Dum esset Rex, cum reliquis ut in festis beatae Mariae Virginis. clviii.

Ad Magnif. Aña. Sancta María, succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto foemíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tui sancti Nóminis commemoratiónem.

Oratio.

CONCEDE, quaesumus, omnípotens Deus, ut fidéles tui, qui sub sanctíssimae Vírginis Maríae Nómine et protectióne laetántur : ejus pia intercessióne, a cunctis malis liberéntur in terris, et ad gáudia aetérna pervenire mereántur in coelis. Per Dñum.

Deinde fit Commem. Dominicae occurrentis in utrisque Vesperis et Laudibus.

AD MATUTINUM.

Omnia ut in festis beatae Mariae Virg. clxi. praeter sequentia;

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Ex Homilia ii. *super Missus est, circa finem.*

Lectio iv.

EST nomen, inquit, Vírginis María. Loquámur pauca, et super hoc nómine, quod interpretátum maris stella dícitur, et matri vírgini valde convenién ter aptátur. Ipsa namque aptíssime síderi comparátur. Quia sicut sine sui corruptióne sidus suum emíttit rádium, sic absque sui laesióne Virgo parturívit fílium. Nec síderi rádius suam mínuit claritátem, nec Vírgini fílius suam integritátem. Ipsa est ígitur nóbilis illa stella ex Jacob orta, cujus rádius univérsum orbem illúminat; cujus splendor et praefúlget in supérnis, et ínferos pénetrat, terras étiam perlústrans, et calefáciens magis mentes, quam córpora : fovet virtútes, éxcoquit vítia. Ipsa, inquam, est praeclára, et exímia stella super hoc mare magnum, et spatiósum necessário subleváta, micans méritis, illústrans exémplis.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta, * Dedi

suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. — Dedi suavitátem odóris.

Lectio v.

QUISQUIS te intélligis in hujus saeculi profluvio magis inter procéllas et tempestátes fluctuáre, quam per terram ambuláre: ne avértas óculos a fulgóre hujus síderis, si non vis óbrui procéllis. Si insúrgant venti tentatiónum, si incúrras scópulos tribulatiónum, réspice stellam, voca Maríam. Si jactáris supérbiae undis, si ambitiónis, si detractiónis, si aemulatiónis, réspice stellam, voca Maríam. Si iracúndia, aut avarítia, aut carnis illécebra navículam concússerit mentis, réspice ad Maríam. Si críminum immanitáte turbátus, conscientiae foeditáte confúsus, judícii horróre pertérritus, bárathro incípias absorbéri trístitiae, desperatiónis abysso, cógita Maríam.

℟. Quae est ista, quae procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliae Sion, et beátam dixérunt, et regínae laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. — Vidérunt.

Lectio vi.

IN períc̃ulis, in angústiis, in rebus dúbiis Maríam cógita, Maríam ínvoca. Non recédat ab ore, non recédat a corde, et ut ímpetres ejus oratiónis suffrágium, non déseras conversatiónis exémplum. Ipsam sequens non dévias; ipsam rogans non despéras; ipsam cógitans non erras; ipsa tenénte non córruis; ipsa protegénte non métuis; ipsa duce non fatigáris; ipsa propítia pérvenis, et sic in temetípso experíris, quam mérito dictum sit: Et nomen Vírginis María. Quod quidem venerábile nomen, jamprídem in quibúsdam christiáni orbis pártibus speciáli ritu cultum, Innocéntius undécimus Románus Póntifex, ob insígnem victóriam sub ejúsdem Vírginis Maríae praesídio de immanissimo Turcárum tyránno, cervícibus pópuli christiáni insultánte Viénnae in Austria partam, et in perénne tanti benefícii monuméntum, in Ecclésia universáli síngulis annis Dominica infra Octávam Nativitátis beátae Vírginis Maríae celebrári praecépit.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam fíliae Sion, beatíssimam praedicavérunt, dicén-

tes: Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte.—Et vidéntes. Glória Patri. Unguéntum.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* i. *c.*

IN illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilaeae, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homília sancti Petri Chrysólogi.

Serm. cxlii. *de Annuntiat.*

AUDISTIS hódie, fratres caríssimi, Angelum cum mulíere de hóminis reparatióne tractántem. Audístis agi, ut homo cúrsibus eísdem, quibus dilápsus fúerat ad mortem, redíret ad vitam. Agit, agit cum María Angelus de salúte, quia cum Heva ángelus égerat de ruína. Audístis Angelum de carnis nostrae limo templum divínae majestátis arte ineffábili construéntem. Audístis in terris Deum, in coelis hóminem sacraménto incomprehensíbili collocári. Audístis inaudíta ratióne in uno córpore Deum, hominémque miscéri. Audístis frágilem nostrae carnis natúram ad portándam totam Deitátis glóriam angélica exhortatióne roborári.

℟. Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiae, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto foemíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tui sancti Nóminis commemoratiónem.—Quia ex te. Benedictio. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo vírginum.

Lectio viii.

DENIQUE, ne tanto pónderi coeléstis fábricae in María subtílis nostri córporis aréna succúmberet, et in Vírgine totíus géneris humáni portatúra fructum, virga ténuis frangerétur, fugatúra metum vox Angeli mox praecéssit, dicens: Ne tímeas, María. Ante causam dígnitas Vírginis annuntiátur ex nómine; nam María Hebraeo sermóne, Latíne Dómina nuncupátur. Vocat ergo Angelus Dóminam, ut Dominatóris Genitrícem trepidátio déserat servitútis, quam nasci, et vocári Dóminam ipsa sui gérminis

fecit, et impetrávit auctóritas. Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam. Verum est, quia qui invénit grátiam, nescit timére : Invenísti grátiam.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dñus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. — Quia fecit. Glória Patri. Quia fecit.

Lectio nona de Homilia Dominicae occurrentis.

Si autem idem Officium, juxta Rubricas Breviarii Romani transferendum sit, nona Lectio sumatur eo anno ex Officio B. Mariae in Sabbato de mense ad quem transfertur. clxxv.

DIE IX. SEPTEMBRIS.

Secunda die infra Octavam Nativitatis B. Mariae.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermóne S. Augustíni Epíscopi.

Sermone xviii. *de Sanctis, in medio.*

Lectio iv.

EXULTAT María, et matrem se laeta mirátur, et de Spíritu sancto se peperísse gaudet : nec quia péperit innúpta, terrétur : sed quia genúerit, cum exultatióne mirátur. O foemina super foeminas benedícta, quae virum omníno non novit, et virum suo útero circúmdedit ! Circúmdat virum María Angelo fidem dando, quia Heva pérdidit virum serpénti consentiéndo. O felix obediéntia, o insígnis grátia ! quae dum fidem humíliter dedit, coeli in se opíficem corporávit. Hinc proméruit glóriam, quam ipsa póstmodum hausit. Ecce, ait, ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

℟. Natívitas. 347.

Lectio v.

O BEATA María, quis tibi digne váleat jura gratiárum, ac laudum praecónia repéndere, quae singulári tuo assénsu mundo succurrísti pérdito ? Quas tibi laudes fragílitas humáni géneris persólvat, quae solo tuo commércio recuperándi áditum invénit ? Accipe ítaque quascúmque éxiles, quascúmque méritis tuis ímpares gratiárum actiónes : et cum suscéperis vota, culpas nostras orándo excúsa. Admítte nostras preces intra sacrárium exauditiónis, et repórta nobis antídotum reconciliatiónis.

℟. Cum jucunditáte. 348.

DOMINICA INFRA OCT. NATIV. B. M. V.

in Festo **Ss. Nominis Mariae.**

Si hoc festum extra Dominicam recolatur, deficiente alia lectione IX, Officii utcumque simplicis, erit sequens.

Lectione IX.

Beata, quae inter homines audire sola meruit prae omnibus: Invenisti gratiam. Quantam? Quantam superius dixerat: plenam. Et vere plenam, quae largo imbre totam funderet et infunderet creaturam: Invenisti enim gratiam apud Deum. Haec cum dicit, et ipse angelus miratur, aut feminam tantum, aut omnes homines vitam meruisse per feminam: stupet angelus totum Deum venire intra virginalis uteri angustias, cui tota simul angusta est creatura. Hinc est quod remoratur angelus, hinc est quod virginem vocat de merito, de gratia compellat, vix causam prodit audienti, sane ut sensum promoveat, vix longa trepidatione componit.

Lectio vi.

SIT per te excusábile, quod per te ingérimus: fiat impetrábile, quod fida mente póscimus. Accipe quod offérimus, redóna quod rogámus, excúsa quod timémus: quia tu es spes única peccatórum. Per te sperámus véniam delictórum, et in te beatíssima nostrórum est expectátio praemiórum. Sancta María, succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto foemíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Nativitátem.

℟. Natívitas tua. 348.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* i.

LIBER generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

De Homília S. Hierónymi Presbyteri.

Lib. 1. *Comment. in Matth.*

JACOB autem génuit Joseph. Hunc locum objécit nobis Juliánus Augústus de dissonántia Evangelistárum, cur Evangelísta Matthaeus Joseph díxerit fílium Jacob, et Lucas eum fílium appellárit Heli: non intélligens consuetúdinem Scripturárum, quod alter secúndum natúram, alter secúndum legem ei pater sit. Scimus enim hoc per Móysen, Deo jubénte, praecéptum, ut si frater aut propínquus absque líberis mórtuus fúerit, álius accípiat uxórem ad suscitándum semen fratris vel propínqui sui. Joseph virum Maríae; Cum virum audíeris, suspício tibi non súbeat nuptiárum: sed recordáre consuetúdinis Scripturárum, quod sponsi viri, et sponsae vocéntur uxóres.

℟. Beátam me. 349.

Lectio viii.

ET a transmigratióne Babylónis usque ad Christum generatiónes quatuórdecim. Númera a Jechonía usque ad Joseph, et invénies generatiónes trédecim. Quartadécima ergo generátio in ipsum Christum reputábitur. Christi autem generátio sic erat. Quaerat díligens lector, et dicat: Cum Joseph non sit pater Dómini Salvatóris, quid pértinet ad Dñum generatiónis ordo dedúctus usque ad Joseph? Cui respondébimus primum, non esse consuetúdinis Scripturárum, ut mulíerum in

generatiónibus ordo texátur. Deínde, ex una tribu fuísse Joseph et Maríam, unde ex lege eam accípere cogebátur ut propínquam : et quod simul censéntur in Béthlehem, út de una vidélicet stirpe generáti.

℟. Felix namque es. 349.

Pro S. Gorgonio Martyre.

Lectio ix.

GORGONIUS, Nicomedíae natus, Diocletiáni imperatóris cubiculárius, Dorótheo colléga suo adjutóre, réliquos omnes cubículi minístros ad Christi fidem perdúxit. Utérque autem cum vidísset quodam die Mártyrem coram Diocletiáno acerbíssime cruciári, ejus exémplo martyrii amóre incénsus est. Itaque ambórum haec vox erúpit : Quid est, imperátor, quod hujus condemnáta senténtia, quae nobis cum eo commúnis est, unum illum punis? Istíus nostra étiam est fides, idem propósitum. Eos ígitur vinctos imperátor flagéllis concídi jubet, ita ut toto córpore cutis dirumperétur, et in plagas acétum infúndi sale permíxtum : mox revínctis in cratícula súbjici ímperat vim candéntium carbónum. Dénique várie torti, suspéndio necáti sunt. Ac sancti Gorgónii corpus aliquándo Romam portátu, inter duas lauros via Latína sepúltum, póstea a Gregório quarto summo Pontífice in basílicam príncipis Apostólorum translátum est.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus fit Commem. S. Gorgonii, Martyris, Añia. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam aetérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio.

SANCTUS tuus, Dñe, Gorgónius sua nos intercessióne laetíficet : et pia fáciat solemnitáte gaudére. Per Dóminum.

Vesperae de S. Nicolao, cum Commem. Octavae.

DIE X. SEPTEMBRIS.

In festo S. Nicolai de Tolentino, Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter sequentia.

Oratio.

ADESTO, Dñe, supplicatiónibus nostris, quas in beáti Nicolái Confessóris tui solemnitáte deférimus ; ut, qui nostrae justítiae fidúciam non habémus, ejus, qui tibi plácuit, précibus adjuvémur. Per Dóminum nostrum.

Deinde fit Commemor. Octavae Nativitatis B. Mariae, Añ. Natívitas tua, Dei Génitrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo: ex te enim ortus est sol justítiae, Christus Deus noster: qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem: et confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam.

℣. Natívitas est hódie sanctae Maríae Vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Oratio.

FAMULIS tuis, quaesumus Dñe, coeléstis grátiae munus impertíre, ut quibus beátae Vírginis partus éxtitit salútis exórdium, Nativitátis ejus votíva solémnitas, pacis tríbuat increméntum. Per Dñum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

NICOLAUS, Tolentínas a diutúrno illíus civitátis domicílio appellátus, in óppido sancti Angeli in Picéno est natus piis paréntibus: qui liberórum desidério Bárium voti causa profécti, ibíque a sancto Nicoláo de futúra prole confirmáti, quem suscepérunt fílium de illíus nómine appellárunt. Is ab infántia multárum virtútum, sed abstinéntiae in primis spécimen dedit. Nam anno vix séptimo, beátum ipsum Nicoláum imitátus, complúres hebdómadae dies jejunáre coepit, eámque póstea consuetúdinem retínuit, solo pane et aqua conténtus.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: † Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Et dedit.

Lectio v.

ADULTA aetáte jam clericáli milítiae adscríptus, et canónicus fáctus: cum quodam die concionatórem órdinis Eremitárum sancti Augustíni, de mundi contémptu dicéntem, audísset, eo sermóne inflammátus, statim eúmdem órdinem est ingréssus: in quo tam exáctam religiósae vitae rationem cóluit, ut áspero vestítu, verbéribus, et férrea caténa corpus domans, atque a carne, et omni fere obsónio ábstinens, charitáte, humilitáte, pátientia, caeterísque virtútibus, áliis praelucéret.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriae índuit eum, *

Et ad portas paradísi corónávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

ORANDI assíduum stúdium, quamvis sátanae insídiis várie vexátus, et flagéllis intérdum caesus, non intermittébat. Demum sex ante óbitum ménsibus, síngulis nóctibus Angélicum concéntum audívit : cujus suavitáte, cum jam paradísi gáudia praegustáret, crebro illud Apóstoli repetébat : Cúpio dissólvi, et esse cum Christo. Dénique óbitus sui diem frátribus praedíxit, qui fuit quarto Idus Septémbris. Miráculis multis étiam post mortem cláruit, quibus rite et órdine cógnitis, ab Eugénio Papa quarto in Sanctórum númerum est relátus.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium : **Nolíte timére,** de Communi Conf. non Pontificis. xcvii.

In Laudibus fit Commem. Octavae Nativ. B. Mariae, Antiphona. **Nativitátem** hodiérnam perpétuae Vírginis Genitrícis Dei Maríae solémniter celebrémus, qua celsitúdo throni processit, allelúia.

℣. Natívitas est hódie sanctae Maríae Vírginis. ℟. Cujus vita inclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Oratio. **Fámulis tuis,** ut supra. 358.

In secundis Vesperis fit Commemoratio Octavae et SS. Proti et Hyacinthi, Martyrum, Antiph. **Istórum est enim regnum** coelórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad praemia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Laetámini in Dómino, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

BEATORUM Mártyrum Proti et Hyacínthi nos, Dómine, fóveat pretiósa conféssio, et pia júgiter intercéssio tueátur. Per Dóminum.

DIE XI. SEPTEMBR.

Quarta die infra Octavam Nativitatis B. Mariae.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Bernárdi Abbátis. *Serm. in cap.* xii. *Apoc., ante medium.*

Lectio iv.

NOVUM fecit Dóminus super terram, ut múlier circúmdaret virum, nec álium, quam Christum, de quo dícitur: Ecce vir, Oriens nomen ejus. Novum quoque fecit in coelo, ut múlier sole apparéret amícta. Dénique et coronávit eum, et vicíssim ab eo méruit coronári. Egredímini fíliae Sion, et vidéte regem Salomónem in diadémate, quo coronávit eum mater sua. Verum hoc álias. Interim sane ingredímini magis, et vidéte Regínam in diadémate, quo coronávit eam Fílius suus. In cápite, inquit, ejus coróna stellárum duódecim.

℟. Natívitas. 347.

Lectio v.

SIGNUM plane stellis coronári caput, quod et ípsis longe clárius micans, ornet eas pótius, quam ornátur ab eis. Quidni corónent sídera, quam sol vestit? Sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. Nimírum laeva sponsi sub cápite ejus, et jam déxtera illíus amplexátur eam. Quis illas aestimet gemmas? quis stellas nóminet, quibus Maríae régium diadéma compáctum est?

℟. Cum jucunditáte. 348.

Lectio vi.

QUID ergo sidéreum micat in generatióne Maríae? Plane quod ex régibus orta, quod ex sémine Abrahae, quod generósa ex stirpe David. Si id parum vidétur, adde quod generatióni illi ob singuláre privilégium sanctitátis divínitus nóscitur esse concéssa: quod longe ante eísdem pátribus coelitus repromíssa, quod mysticis praefiguráta miráculis, quod oráculis praenuntiáta prophéticis. Hanc enim sacerdotális virga, dum sine radíce flóruit: hanc Gedeónis vellus, dum in médio siccae áreae máduit: hanc in Ezechiélis visióne Orientális porta, quae nulli unquam pátuit, praesignábat.

℟. Natívitas tua. 348.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* i.

LIBER generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi.

Comment. in Matth. cap. i.



RESSUS quem Matthaeus in órdine régiae succéssiónis edíderat, et quem Lucas per sacerdotálem órdinem dinúmerat, utérque agnatiónem in Dómino utriúsque tribus significat, et rectae generatiónis gradum ponit: quia sacerdotális et régiae tribus societas, per David ex conjúgio ínita, jam a Saláthiel in Zoróbabel confirmátur ex génere. Atque ita, dum Matthaeus patérnam oríginem, quae ex Juda proficiscebátur, recénset, Lucas vero accéptum per Nathan ex tribu Levi genus édocet; suis utérque pártibus Dómino nostro Jesu Christo, qui est aetérnus Rex et Sacérdos, étiam in carnáli ortu utriúsque géneris glóriam probavérunt.

℟. Beátam me. 349.

Lectio viii.

QUOD vero Joseph pótius, quam Maríae natívitas recensétur, nihil refert: éadem enim est totíus tribus atque una cognátio. Exémplum autem étiam Matthaeus et Lucas dedérunt, patres ínvicem appellántes, non tam génere, quam gente: quia ab una tribu coepta, sub uníus succéssiónis et oríginis família continétur. Cum enim fílius David atque Abrahae sit ostendéndus, ita Matthaeus coepit: Liber generatiónis Jesu Christi, fílii David, fílii Abraham.

℟. Felix namque es. 349.

Pro SS. Martyribus Proto et Hyacintho.

Lectio ix.

ROTUS et Hyacínthus fratres, beátae Eugéniae vírginis eunúchi, una cum illa ab Héleno Epíscopo baptizáti, ac stúdiis dédíti divinárum litterárum, aliquándiu in Ægypto inter asrétas mira humilitáte et vitae sanctitáte vixérunt. Sed póstea sanctam vírginẽ Eugéniam Romam prosecúti, Galliéno imperatóre in Urbe propter christiánae fídei professiónem comprehénsi sunt. A quibus cum nullo modo impetrári posset, ut christiánam religiónem deseréntes, deos cólerent, acérbis verbéribus caesi, secúri feriúntur tértio Idus Septémbris.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus fit Comm. SS. Proti et Hyacinthi. Ańa. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Oratio. Beatórum Mártyrum. 359.

DIE XII. SEPTEMBR.

Quinta die infra Octavam Nativitatis B. Mariae.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Apud Metaphrasten.

Lectio iv.

EI Fílius non dívitem, aut locuplétem áliquam foeminam sibi matrem elégit, sed beátam Vírginem illam, cujus ánima virtútibus ornáta erat. Cum enim beáta María supra omnem humánam natúram castitátem serváret, proptérea Christum Dóminum in ventre concépit. Ad hanc ígitur sanctíssimam Vírginem et Dei Matrem accurréntes, ejus patrocínii utilitátem assequámur. Itaque quaecúmque estis vírgines, ad Matrem Dómini confúgite. Illa enim pulchérrimam, pretiosíssimam, et incorruptíbilem possessiónem patrocínio suo vobis conservábit.

℟. Nativitas. 347.

Lectio v.

MAGNUM revéra miráculum, fratres dilectíssimi, fuit beáta semper Virgo María. Quid namque illa majus aut illústrius ullo unquam témpore invéntum est, seu aliquándo inveníri póterit? Haec sola coelum ac terram amplitúdine superávit. Quidnam illa sánctius? Non Prophétae, non Apóstoli, non Mártyres, non Patriárchae, non Ángeli, non Throni, non Dominatiónes, non Séraphim, non Chérubim, non dénique áliud quídpiam inter creátas res visíbiles, aut invisíbiles, majus aut excelléntius inveníri potest. Eadem ancílla Dei est et mater: éadem Virgo et Génitrix.

℟. Cum jucunditáte. 348.

Lectio vi.

HAEC ejus mater est, qui a Patre ante omne princípium génitus fuit, quem Angeli et hómines agnóscunt Dóminum rerum ómnium. Vis ne cognóscere quanto Virgo haec praestántior sit coelestibus poténtiis? Illae cum timóre et tremóre assístunt, fáciem velántes suam: haec humánum genus illi offert, quem génuit. Per hanc et peccatórum véniam consequimur. Ave ígitur Mater, coelum, puélla, Virgo, thronus, Ecclésiae nostrae

decus, glória et firmaméntum, assídue pro nobis precáre Jesum Fílium tuum, et Dñum nostrum : ut per te misericórdiam invenire in die judícii, et quae repósita sunt iis qui díligunt Deum, bona cónsequi possímus, grátia et benignitáte Dómini nostri Jesu Christi : cum quo Patri simul et sancto Spirítui glória, et honor, et impérium nunc, et semper in saecula saeculórum, Amen.

℟. Natívitas tua. 348.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* i.

LIBER generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

De Homília sancti Hilárii Epíscopi.

Comment. in Matth. cap. i.

ON refert quis in oríginis número atque órdine collocétur, dúmmodo universórum família coepta esse intelligátur ab uno. Itaque cum ejúsdem tribus sit Joseph et María, dum profectus esse ex Abrahae génere Joseph osténditur, profécta quoque docétur et María. Haec enim in lege rátio serváta est, ut si mórtuus sine fíliis famíliae princeps esset, defúncti uxórem postérior frater ejúsdem cognatiónis accíperet, susceptósque fílios in famíliam ejus, qui mórtuus esset, referret : manerétque ita in primogénitis successiónis ordo, cum patris eórum, qui post se nati essent, aut nómine haberéntur, aut génere.

℟. Beátam me. 349.

Lectio viii.

SEQUENS illud est, ut, quia díximus secúndum rerum fidem generatiónis istíus órdinem nec número sibi, nec successióne constáre, hujus quoque rei rátio afferátur. Non enim levis causa est, ut áliud in narratióne sit, áliud fúerit in gestis : et áliud referátur in summa, áliud vero teneátur in número. Namque ab Abraham usque ad David quatuórdecim generatiónes numerátae sunt : et a David usque ad transmigratiónem Babylónis in quibúsdam libris decem et septem deprehendúntur. Sed in hoc non mendácii, aut negligéntiae vítium est. Tres enim generatiónes praetéritae sunt. Nam Joras génuit Ochozíam, Ochozías vero génuit Joam, Joas deínde Amasíam, Amasías autem Ozíam : et in Matthaeo Joras Ozíam genuísse scríbitur, cum quartus ab

eo sit. Hoc ita, quia ex gentíli foemina Joras Ochoziam génuit, ex Achab scílicet, qui Jézabel hábuit uxórem.

℟. Felix namque es. 349.

Lectio ix.

DENIQUE per Prophétam non nisi quarta generatióne in throno régio Israélis quemquam de domo Achab esse sessúrum dícitur. Purgáta ígitur labe famíliae gentílis, tribus quae praetéritis jam régulis, in quarto generatiónum consequéntium órdine numerátur, et usque ad Maríam generatiónes quatuórdecim esse scribúntur, cum in número decem et septem reperiántur, nullus error esse póterit sciéntibus non eam solum esse Dómino nostro Jesu Christo oríginem, quae coepit ex María; sed in procreatióne corpórea, nativitátis aetérnae significántiã comprehéndi.

Te Deum laudámus. 17.

DIE XIII. SEPTEMBR.

Sexta die infra Octávam Nativitatis B. Mariae.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Epiphánii Episcopi advérsus haereses.

Lib. 3. *haeresi* lxxviii. *post medium.*

Lectio iv.



BEATA mater Dei María per Hevam significátur, quae per aenígma accépit, ut mater vivéntium vocétur. Illa étenim mater vivéntium vocáta est, étiam postquam audívit: Terra es, et in terram revertéris, post transgressiónem. Et mirum est, quod post transgressiónem hoc magnum cognómen hábuit. Et quod quidem pértinet ad rem sensíbilem, ab illa Heva omnis hóminum generátio dedúcta est in terra: hic autem vere a María haec vita mundo génita est, ut vivéntem gígneret, et fíeret María mater vivéntium. Per aenígma ígitur María mater vivéntium appellata est.

℟. Natívitas. 347.

Lectio v.

HEVÆ datum est operíre corpus sensíbile propter nuditátem sensíbilem: Maríae vero datum est a Deo, ut páreret nobis agnum et ovem, et ex glória ipsíus agni et ovis fíeret nobis velut a véllere in sapiéntia per virtútem ipsíus induméntum incorruptibilitátis. Heva étiam mortis causa facta est homínibus: per ipsam enim mors ingréssa est in mundum:

María vero causa vitae, per quam génita est nobis vita, et per hanc Fílius Dei advénit in mundum : et ubi abundávit peccátum, ibi superabundávit et grátia, et unde illáta est mors, illinc procéssit et vita, ut vita pro morte fíeret : et qui per mulíerem nobis vita factus est, mortem ex mulíere indúctam exclúderet. Et quóniam illic Heva, cum adhuc esset virgo, per inobediéntiam transgréssa est : e contrário per vírginem obediéntia grátiae facta est, annuntiáto advéntu in carne de coelo, et vita aetérna.

℟. Cum jucunditáte. 348.

Lectio vi.

DE María accípitur, (líceat mihi hoc dícere) quod scriptum est de Eccléśia : Relínquet homo patrem suum et matrem suam, et adhaerébit uxóri suae : et erunt duo in carne una. Sanctus autem Apóstolus dicit : Mystérium hoc magnum est, ego autem dico in Christo et Eccléśia. Et vide Scripturárum accurátam dicéndi proprietátẽ, quod de Adam quidem dixit, formávit : de Heva vero non formátam esse, sed aedificátam. Accépit enim, inquit, unam de costis ejus, et aedificávit ipsi in uxórem. Quo osténdat Dñum quidem de María efformásse sibi ipsi corpus, ab ipsa vero costa aedificátam esse Ecclésiam, in eo quod punctum et apértum est ipsíus latus, et mystéria sánguinis et aquae prétia redemptiónis facta sunt.

℟. Natívitas tua. 348.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* i.

LIBER generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. 2. *de Consensu Evangelistarum. Cap.* i.



ATTHÆUS Evangelísta sic orsus est : Liber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Quo exórdio suo satis osténdit, generatiónem Christi secúndum carnem se suscepísse narrándam. Secúndum hanc enim Christus fílius hóminis est : quod étiam se ipse saepíssime appéllat, comméndans nobis quid misericórditer dignátus sit esse pro nobis. Nam illa supérna et aetérna generátio, secúndum quam Fílius Dei unigénitus est ante omnem creatúram,

quia ómnia per ipsum facta sunt, ita ineffábilis est, ut de illa dictum a Prophéta intelligátur : Generatiónem ejus quis enarrábit ?

℟. Beátam me. 349.

Lectio viii.

EXEQUITUR ergo humánam generatiónem Christi Matthaeus, ab Abraham generatóres commémorans, quos perdúcit ad Joseph virum Maríae, de qua natus est Jesus. Neque enim fas erat, ut ob hoc eum a conjúgio Maríae separándum putáret, quod non ex ejus concúbitu, sed Virgo péperit Christum. Hoc enim exémplo magnífice insinuátur fidélibus conjugátis, étiam serváta pari consénsu continéntia, posse permanére vocaríque conjúgium, non permíxto córporis sexu, sed custodíto mentis affféctu : praesértim quia nasci eis étiam fílius pótuit sine ullo compléxu carnáli, qui propter solos gignéndos fílios adhibéndus est.

℟. Felix namque es. 349.

Lectio ix. *Cap.* ii.

QUUM autem evidénter dicat Apóstolus Paulus, ex sémine David secúndum carnem Christum; ipsam quoque Maríam de stirpe David áliquam consanguinitátem duxísse, dubitáre útique non debémus. Cujus foeminae quóniam nec sacerdotále genus tacétur, insinuánte Luca, quod cognáta ejus esset Elisabeth, quam dicit de filiábus Aaron: firmíssime tenéndum est, carnem Christi ex utróque génere propagátam, et regum scílicet, et sacerdótum ; in quibus persónis apud illum pópulum Hebraeórum étiam mystica únctio figurabátur, id est chrisma, unde Christi nomen elúcet, tanto ante étiam ista evidentíssima significatióne praenuntiátum.

Te Deum laudámus. 17.

Vesperae de sequenti, cum Commemoratione Octavae Nativitatis.

DIE XIV. SEPTEMBR.

In festo Exaltationis S. Crucis. Duplex.

AD VESPERAS.

Ańa. O magnum pietátis opus, cum reliquis de Laudibus. 374. Psalmus. Dixit Dñus, cum reliquis ut in Communi Apostolorum, ii.

Capitulum. *Philip.* ii.

FRATRES, Hoc enim sentíte in vobis, quod et in Christo Jesu : qui cum in forma Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se aequálem Deo : sed semetípsum exinanívit, formam servi accípiens, in

similitúdinem hóminum fáctus, et hábitu invéntus ut homo.

Hymnus.

VEXILLA Regis pródeunt :
Fulget Crucis mystérium,
Qua vita mortem pértulit,
Et morte vitam prótulit.

Quae vulneráta lánceae
Mucróne diro, críminum
Ut nos laváret sórdibus,
Manávit unda et sánguine.

Impléta sunt quae cóncinit
David fidéli cármine,
Dicéndo natiónibus :
Regnávit a ligno Deus.

Arbor decóra et fúlgida,
Ornáta Regis púrpura,
Elécta digno stípite
Tam sancta membra tángere.

Beáta cujus bráchiis
Prétium pepéndit saeculi,
Statéra facta córporis,
Tulítque praedam tártari.

O Crux, ave spes única,
In hac triúmphi glória,
Piis adáuge grátiam,
Reísque dele crímina.

Te, fons salútis, Trínitas
Colláudet omnis spíritus :
Quibus Crucis victóriam
Largiris, adde praemium.
Amen.

℣. Hoc signum Crucis erit in coelo. ℟. Cum Dñus ad judicándum vénerit.

Ad Magnif. Ańa. O Crux, splendídior cunctis astris, mundo célebris, homínibus multum amábilis, sánctior univérsis, quae sola fuísti digna portáre taléntum mundi : dulce lignum, dulces clavos, dúlcia ferens póndera : salva praeséntem catérvam : in tuis hódie láudibus congregátam.

Oratio.

DEUS, qui nos hodiérna die Exaltatiónis sanctae Crucis ánnua solemnitáte laetíficas: praesta quaesumus ; ut cujus mystérium in terra cognóvimus, ejus redemptiónis praemia in coelo mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commem. Octavae Nativitatis B. Mariae, Ańa. Natívitas tua, Dei Génitrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo : ex te enim ortus est sol justítiae, Christus Deus noster : qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem : et confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam.

℣. Natívitas est hódie sanctae Maríae Vírginis. ℟. Cujus vita inclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Oratio.

FAMULIS tuis, quaesumus Dñe, coeléstis grátiae munus impertíre : ut quibus beátae Vírginis partus éxtitit salútis exórdium, Nativitátis ejus votíva solémnitas, pacis tríbuat increméntum. Per Dñum.

AD MATUTINUM.

Invitat. Christum Regem pro nobis in Cruce exaltátum, * Veníte adorémus. Psalmus. Veníte. 2.

Hymnus.

PANGE lingua gloriósi
Láuream certáminis,
Et super Crucis trophaeo
Dic triúmphum nóbilem :
Quáliter Redémptor orbis
Immolátus vícerit.

De Paréntis protoplásti
Fraude Factor cóndolens,
Quando pomi noxiális
In necem morsu ruit ;
Ipse lignum tunc notávit,
Damna ligni ut sólveret.

Hoc opus nostrae salútis
Ordo depopóscerat ;
Multifórmis proditóris
Ars ut artem fálleret,
Et medélam ferret inde,
Hostis unde laeserat.

Quando venit ergo sacri
Plenitúdo témporis,
Missus est ab arce Patris
Natus, orbis Cónditor ;
Atque ventre virgináli
Carne amíctus pródiit.

Vagit infans inter arcta
Cónditus praesépia :
Membra pannis involúta
Virgo Mater álligat :
Et Dei manus, pedésque
Stricta cingit fáscia.

Sempitérna sit beátae
Trinitáti glória,
Æqua Patri, Filióque ;
Par decus Paráclito :
Uníus Triníque nomen
Laudet univérsitas. Amen.

In primo Nocturno.

Antiph. Nóbile lignum exaltátur, Christi fides rútilat, dum Crux ab ómnibus venerátur. Psalmus. Beátus vir. xxviii.

Ańa. Sancta Crux extóllitur a cunctis régibus, virga régia erígitur, in qua Salvátor triumphávit. Psalm. Quare fremuérunt. xxviii.

Ańa. O Crux venerábilis, quae salútem attulísti míseris, quibus te éfferam praecóniis, quóniam vitam nobis coelitem praeparásti? Psalm. Dómine, quid multiplicáti sunt. xxix.

℣. Hoc signum Crucis erit in coelo. ℟. Cum Dóminus ad judicándum vénerit.

De libro Números.

Lectio i. *Cap.* xxi.

CUM audísset Chananaeus rex Arad, qui habitábat ad merídiem, venísse scíliçet Israël per exploratórum viam, pugnávit contra illum, et victor exístens, duxit ex eo praedam. At Israël voto se Dómino óbligans, ait : Si tradíderis pópulum istum in manu mea, delébo urbes ejus. Exaudivítque Dóminus preces Israël, et trádidit Chananaeum, quem ille interfécit, subvérsis úrbibus ejus, et vocávit nomen

loci illíus Horma, id est, anáthema.

℟. Gloriósum diem sacra venerátur Ecclésia, dum triumphále exaltátur lignum: * In quo Redémptor noster mortis víncula rumpens, cállidum áspidem superávit. ℣. In ligno pendens nostrae salútis sémitam Verbum Patris invénit.— In quo.

Lectio ii.

PROFECTI sunt autem et de monte Hor, per viam quae ducit ad mare Rubrum, ut circumírent terram Edom. Et taedére coepit pópulum itíneris ac labóris: locutúsque contra Deum et Móysen, ait: Cur eduxísti nos de Ægypto, ut morerémur in solitúdine? Deest panis, non sunt aquae: ánima nostra jam náuseat super cibo isto levíssimo. Quamóbrem misit Dóminus in pópulum ignítos serpéntes.

℟. Crux fidélis inter omnes arbor una nóbilis: nulla silva talem profert, fronde, flore, gérmine: * Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustínuit. ℣. Super ómnia ligna cedrórum tu sola excélsior.— Dulce lignum.

Lectio iii.

AD quorum plagas et mortes plurimórum, venérunt ad Móysen, atque dixérunt: Peccávimus, quia locúti sumus contra Dóminum et te: ora ut tollat a nobis serpéntes. Oravítque Móyses pro pópulo, et locútus est Dóminus ad eum: Fac serpéntem aeneum, et pone eum pro signo: qui percússus aspéxerit eum, vivet. Fecit ergo Móyses serpéntem aeneum, et pósuit eum pro signo: quem cum percússi aspícerent, sanabántur.

℟. Haec est arbor digníssima, in paradísi médio situáta: * In qua salútis auctor própria morte mortem ómnium superávit. ℣. Crux praecellénti decóre fúlgida, quam Heraclíus imperátor concupiscénti ánimo recuperávit. — In qua salútis. Glória Patri. In qua salútis.

In secundo Nocturno.

Ańa. O Crucis victória, et admirábile signum, in coelésti cúria fac nos captáre triúmphum.

Psalmus iv.

UM invocárem, exaudívit me Deus justítiae meae: * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quaeritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : * Dóminus exáudiet me cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre : * quae dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiae, et speráte in Dómino. * Multi dicunt : Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine : * dedísti laetítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam ;

Quóniam tu, Dómine, singuláriter in spe * constituísti me.

Ańa. O Crucis victória, et admirábile signum, in coelésti cúria fac nos captáre triúmphum.

Ańa. Funéstae mortis damnátur supplícium, dum Christus in Cruce nostra destrúxit víncula críminum.

Psalmus x.

IN Dómino confído : quómodo dícitis ánimae meae : * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quae perfecísti, destruxérunt : * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in coelo sedes ejus :

Oculi ejus in páuperem respíciunt : * pálpebrae ejus intérrogant filios hóminum.

Dóminus intérrogat justum et ímpium : * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos : * ignis, et sulphur, et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus, et justítias diléxit : * aequitátem vidit vultus ejus.

Ańa. Funéstae mortis damnátur supplícium, dum Christus in Cruce nostra destrúxit víncula críminum.

Ańa. Rex exaltátur in aethera, cum nóbile trophaeum Crucis ab univérsis Christícolis adorátur per saecula.

Psalmus xx.

DOMINE, in virtúte tua laetábitur rex : * et super salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei : * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniã praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te: * et tribuísti ei longitúdinem diérum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo: * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in saeculum saeculi: * laetificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino: * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui: * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes: * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala; * cogitavérunt consília, quae non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum: * in relíquiis tuis praeparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua: * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Ant. Rex exaltátur in aethera, cum nóbile trophaeum Crucis ab univérsis Christícolis adorátur per saecula.

℣. Adorámus te Christe, et benedícimus tibi. ℟. Quia per Crucem tuam redemísti mundum.

Lectio iv.

CHOSROAS Persárum rex, extrémis Phocae impérii tempóribus, Ægypto et Africa occupáta, ac Jerosólyma capta, multísque ibi caesis Christianórum míllibus, Christi Dñi crucem, quam Hélena in monte Calváriae collocárat, in Pérsidem ábstulit. Itaque Heraclíus, qui Phocae succésserat, multis belli incómmodis et calamitátibus affléctus, pacem petébat, quam a Chósroa victóriis insolénte, ne iníquis quidem conditiónibus impetráre póterat. Quare in summo discrímine se assíduis jejúniis et oratiónibus exércens, opem a Deo veheménter implorábat: cujus mónitu, exércitu comparáto, signa cum hoste cóntulit, ac tres duces Chósroae cum tribus exercítibus superávit.

℟. Nos autem gloriári opórtet in Cruce Dómini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita, et resurréctio nostra: * Per quem salváti, et liberáti sumus. ℣. Tuam Crucem adorámus Dómine, et recólimus tuam gloriósam passiónem. — Per quem salváti.

Lectio v.

QUIBUS cládibus fractus Chósroas, in fuga, qua trajícere Tigrim parábat, Medársen fílium sócium regni desígnat. Sed eam contuméliam cum Síroes Chósroae major natu fílius ferret atróciter, patri simul et fratri necem machinátur: quam paulo post utríque ex fuga retrácto áttulit, regnúmque ab Heraclío impetrávit, quibúsdam accéptis conditiónibus: quarum ea prima fuit, ut crucem Christi Dómini restitúeret. Ergo crux, quatuórdecim annis postquam vénerat in potestátem Persárum, recépta est: quam rédiens Jerosólymam Heraclíus solémni celebritáte suis húmeris rétulit in eum montem, quo eam Salvátor túlerat.

℟. Dum sacrum pignus coelitus exaltátur, Christi fides roborátur: * Adsunt prodígia divína in virga Móysi prímitus figuráta. ℣. Ad Crucis contáctum resúrgunt mórtui, et Dei magnália reseránt ur.—Adsunt.

Lectio vi.

QUOD factum illústri miráculo commendátum est. Nam Heraclíus ut erat auro et gemmis ornátus, insístere coáctus est in porta, quae ad Calváriae montem ducébat. Quo enim magis prógredi conabátur, eo magis retinéri videbátur. Cumque ea re et ipse Heraclíus, et réliqui omnes obstupéscerent: Zacharías Jerosolymórum Antístes: Vide, inquit, imperátor ne isto triumpháli ornátu, in cruce ferénda parum Jesu Christi paupertátem et humilitátem imitére. Tum Heraclíus abjécto amplíssimo vestítu, detractísque cálceis, ac plebéio amíctu indútus, réliquum viae fácile confécit, et in eódem Calváriae loco crucem státuit, unde fúerat a Persis asportáta. Itaque exaltatiónis sanctae crucis solémnitas, quae hac die quotánnis celebrabátur illústrior habéri coepit ob ejus rei memóriam, quod ibídem fúerit repósita ab Heraclío, ubi Salvatóri primum fúerat constitúta.

℟. Hoc signum Crucis erit in coelo, cum Dóminus ad judicándum vénerit: * Tunc manifésta erunt abscóndita cordis nostri. ℣. Cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suae, et coeperit judicáre saeculum per ignem.—Tunc. Glória Patri. Tunc.

In tertio Nocturno.

Antiphona. Adorámus te Christe, et benedícimus tibi, quia per Crucem tuam

redemísti mundum. Psalm. Cantáte Dómino.... cantáte. cxiv.

Ańa. Per lignum servi facti sumus, et per sanctam Crucem liberáti sumus : fructus árboris sedúxit nos, Fílius Dei redémit nos, allelúia. Psalm. Dóminus regnávit, exúltet terra. cxiv.

Ańa. Salvátor mundi salva nos, qui per Crucem et sánguinem tuum redemísti nos, auxiliáre nobis, te deprecámur Deus noster. Psalm. Cantáte Dómino.... quia. cxv.

℣. Omnis terra adóret te ; et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* xii. *c.*

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis Judaeórum : Nunc judícium est mundi : nunc princeps hujus mundi ejiciétur foras. Et réliqua.

Homilía S. Leónis Papae.

Sermone viii. *de passione Domini, post medium.*

EXÁLTATO, dilectíssimi, per crucem Christo, non illa tantum spécies aspéctui mentis occúrrat, quae fuit in óculis impiórum, quibus per Móysen dictum est : Et erit pendens vita tua ante óculos tuos et timébis die ac nocte, et non credes vitae tuae. Isti enim nihil in crucifíxo Dómino praeter fácinus suum cogitáre potuérunt, habéntes timórem, non quo fides vera justificátur, sed quo consciéntia iníqua torquétur. Noster vero intelléctus, quem spíritus veritátis illúminat, glóriam crucis coelo terráque radiántem, puro ac líbero corde suscípiat et interióre ácie vídeat, quale sit quod Dóminus, cum de passiónis suae loquerétur instántia, dixit : Nunc judícium mundi est, nunc princeps hujus mundi ejiciétur foras. Et ego si exaltátus fúero a terra, ómnia traham ad meípsum.

℟. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustínuit : * Quae sola digna fuit portáre prétium hujus saeculi. ℣. Hoc signum Crucis erit in coelo, cum Dóminus ad judicándum vénerit.—Quae. Benedictio. Divínum auxílium.

Lectio viii.

O ADMIRABILIS poténtia crucis ! o ineffábilis glória passiónis ! in qua et tribúnal Dómini, et judícium mundi, et potéstas est crucifíxi. Traxísti enim, Dómine, ómnia ad te ; et cum expandísses tota die manus tuas ad pópulum

non credéntem, et contradicéntem tibi, confiténdae majestátis tuae sensum totus mundus accépit. Traxísti, Dómine, ómnia ad te, cum in execratiónem Judáici scéleris, unam protulérunt ómnia eleménta senténtiam, cum obscurátis lumináribus coeli, et convérso in noctem die, terra quoque mótibus quaterétur insólitis, univérsaque creatúra impiórum úsui se negáret. Traxísti, Dómine, ómnia ad te, quóniam scisso templi velo, sancta sanctórum ab indígnis pontifícibus recesséruntut figúra in veritátem, prophetía in manifestatiónem, et lex in Evangélium verterétur.

℟. Sicut Móyses exaltávit serpéntem in desérto, ita exaltári opórtet Fílium hóminis : * Ut omnis qui credit in ipsum, non péreat, sed hábeat vitam aetérnam. ℣. Non misit Deus Fílium suum in mundum, ut júdicet mundum, sed ut salvétur mundus per ipsum.— Ut omnis. Glória Patri. Ut omnis.

Lectio ix.

TRAXISTI, Dómine, ómnia ad te, ut quod in uno Judaeae templo obumbrátis significatiónibus tegebátur, pleno apertóque sacraménto universárum ubíque natiónum devótio celebráret. Nunc étenim et ordo clárior Levitárum, et dígnitas ámplior seniórum, et sacrátior est únctio sacerdótum : quia crux tua ómnium fons benedictiónum, ómnium est causa gratiárum : per quam credéntibus datur virtus de infirmitáte, glória de oppróbrio, vita de morte. Nunc étiam carnálium sacrificiórum varietáte cessánte, omnes differéntias hostiárum una córporis et sánguinis tui implet oblátio : quóniam tu es verus Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi : et ita in te univérsa pérficis mystéria ; ut sicut unum est pro omni víctima sacrifícium, ita unum de omni gente sit regnum.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. O magnum pietátis opus : mors mórtua tunc est, in ligno quando mórtua vita fuit. Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Salva nos * Christe Salvátor per virtútem Crucis, qui salvásti Petrum in mari, miserére nobis.

3. Ecce Crucem Dómini, * fúgite partes advérsae, vicit leo de tribu Juda, radix David, allelúia.

4. Nos autem gloriári opórtet in Cruce Dómini nostri Jesu Christi.

5. Per signum Crucis * de inimícis nostris líbera nos Deus noster.

Capitulum. *Philip.* ii.

FRATRES, Hoc enim sentíte in vobis, quod et in Christo Jesu : qui cum in forma Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se aequálem Deo : sed semetípsum exinanívit, formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum fáctus, et hábitu invéntus ut homo.

Hymnus.

LUSTRA sex qui jam perégit,
Tempus implens córporis,
Sponte líbera Redémptor,
Passióni déditus,
Agnus in Crucis levátur
Immolándus stípite.

Felle potus ecce languet,
Spina, clavi, láncea
Mite corpus perforárunt :
Unda manat et cruor :
Terra, pontus, astra, mundus,
Quo lavántur flúmine!

Crux fidélis, inter omnes
Arbor una nóbilis :
Silva talem nulla profert
Fronde, flore, gérmine :
Dulce ferrum, dulce lignum,
Dulce pondus sústinent.

Flecte ramos arbor alta,
Tensa laxa víscera ;
Et rigor lentéscat ille,
Quem dedit natívitas ;
Et supérni membra Regis
Tende miti stípite.

Sola digna tu fuísti
Ferre mundi Victímam ;
Atque portum praeparáre
Arca mundo náufrago,
Quam sacer cruor perúnxit,
Fusus Agni córpore.

Sempitérna sit beátae
Trinitáti glória,
Æqua Patri, Filióque;
Par decus Paráclito :
Uníus Triníque nomen
Laudet univérsitas. Amen.

℣. Adorámus te Christe, et benedícimus tibi. ℟. Quia per Crucem tuam redemísti mundum.

Ad Bened. Ánt. Super ómnia ligna cedrórum tu sola excélsior, in qua vita mundi pepéndit, in qua Christus triumphávit, et mors mortem superávit in aetérnum.

Oratio.

DEUS, qui nos hodiérna die Exaltatiónis sanctae Crucis ánnua solemnitáte laetíficas : praesta quaesumus ; ut cujus mystérium in terra cognóvimus, ejus redemptiónis praemia in coelo mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Postea fit Commemoratio de Octava Nativitatis beatae Mariae, Ánt. Nativitátem hodiérnam perpétuae Vírginis Genitrícis Dei Maríae solémniter celebrémus, qua celsitúdo throni processit, allelúia.

℣. Natívitas est hódie sanctae Maríae Vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Oratio.

FAMULIS tuis, quaesumus Dómine, coeléstis grátiae munus impertíre: ut quibus beátae Vírginis partus éxtitit salútis exórdium, Nativitátis ejus votíva solémnitas, pacis tríbuat increméntum. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Aña. Salva nos.

Capitulum. Fratres, Hoc enim sentíte, ut supra. 375.

℟. br. Hoc signum Crucis, * Erit in coelo. Hoc signum. ℣. Cum Dóminus ad judicándum vénerit. Erit. Glória Patri. Hoc signum.

℣. Adorámus te Christe, et benedícimus tibi. ℟. Quia per Crucem tuam redemísti mundum.

AD SEXTAM.

Aña. Ecce Crucem Dñi.

Capitulum. *Galat.* vi. *d.*

QUIHI autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo.

℟. br. Adorámus te Christe, * Et benedícimus tibi. Adorámus. ℣. Quia per Crucem tuam redemísti mundum. Et benedícimus. Glória Patri. Adorámus.

℣. Omnis terra adóret te, et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

AD NONAM.

Aña. Per signum Crucis.

Capitulum. *Philip.* ii.

HUMILIAVIT semetípsum, factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen, quod est super omne nomen.

℟. br. Omnis terra adóret te, * Et psallat tibi. Omnis. ℣. Psalmum dicat nómini tuo, Dñe. Et psallat. Glória Patri. Omnis.

℣. Hoc signum Crucis erit in coelo. ℟. Cum Dóminus ad judicándum vénerit.

In secundis Vesperis omnia dicuntur ut supra in primis. 366.

Ad Magnif. Aña. O Crux benedícta, quae sola fuísti digna portáre regem coelórum, et Dóminum, allelúia.

Oratio. Deus, qui nos hodiérna die, ut supra. 375.

Deinde fit Commem. diei Octavae Nativit. B. Mariae ut in primis Vesperis festi.

Aña. Gloriósae Vírginis Maríae ortum dignissimum recolámus, quae et Genitrícis dignitátem obtínuit, et virginálem pudicítiam non amísit.

℣. Natívitas est hódie sanctae Maríae Vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Oratio. Fámulis tuis, ut supra, 376.

Postea sancti Nicomedis, Martyris, Añs. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

ADESTO, Dómine, pópulo tuo : ut beáti Nicomédis Mártyris tui mérita praeclára suscípiens, ad impetrándam misericórdiam tuam semper ejus patrocíniis adjuvétur. Per Dóminum.

DIE XV. SEPTEMBRIS.

In Octava Nativitatis beatae Mariae. Duplex.

In primo Nocturno.

De Cánticis canticórum.

Lectio i. *Cap.* vii. *b.*

QUAE est ista, quae ascéndit de desérto, delíciis áfluens, innixa super diléctum suum ? Sub árbore malo suscitávi te : ibi corrúpta est mater tua, ibi violáta est génitrix tua. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulátio : lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum.

℟. Hódie nata est beáta Virgo María ex progénie David : * Per quam salus mundi credéntibus appáruit, cujus vita gloriósa lucem dedit saeculo. ℣. Nativitátem beátae Maríae Vírginis cum gáudio celebrémus.—Per quam salus.

Lectio ii.

AQUAE multae non potuérunt extínguere charitátem, nec flúmina óbruent illam : si déderit homo omnem substántiam domus suae pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam. Soror nostra parva, et úbera non habet : quid faciémus soróri nostrae in die quando alloquénda est ? Si murus est, aedificémus super eum propugnácula argéntea : si óstium est, compingámus illud tábulis cédrinis.

℟. Beatíssimae Vírginis Maríae Nativitátem devotíssime celebrémus : Ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum. ℣. Cum jucunditáte Nativitátem beátae Maríae Vírginis devotíssime celebrémus.—Ut ipsa.

Lectio iii.

EGO murus : et úbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem repériens. Vínea fuit pacífico in ea, quae habet pópulos : trádidit eam custódibus, vir affert pro fructu ejus mille argénteos. Vinea mea coram me est. Mille tui pacífici, et ducénti his, qui custódiunt fructus ejus. Quae hábitas in hortis, amíci auscúltant : fac me audíre vocem tuam. Fuge dilécte mi, et assimiláre cápreae, hinnulóque cervórum super montes arómatum.

℟. Gloriósae Vírginis Maríae ortum digníssimum recolámus, * Cujus Dñus humilitátem respéxit, quae Angelo nuntiánte concépit Salvatórem mundi. ℣. Beatíssimae Vírginis Maríae Nativitátem devotíssime celebrémus.—Cujus. Glória Patri. Cujus.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Cyrílli Epíscopi Alexandríni.

Homilia contra Nestorium.

Lectio iv.

HILAREM vídeo coetum sanctórum ómnium, qui convenérunt promptis ánimis, a sancta et Dei Matre María semper Vírgine convocáti. Laus et glória sit tibi sancta Trínitas, quae omnes nos ad hanc celebritátem convocásti. Sit étiam tibi sancta Dei Mater laus. Tu enim es pretiósa margaríta orbis terrarum : tu lampas inextinguíbilis, coróna virginitátis, sceptrum orthodóxae fídei, templum indissolúbile, cóntinens eum qui nusquam continéri potest, mater et virgo, per quam benedíctus, qui venit in nómine Dómini, in sanctis Evangéliis nominátur.

℟. Natívitas gloriósae Vírginis Maríae, ex sémine Abrahae, ortae de tribu Juda, clara ex stirpe David, * Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias. ℣. Hódie nata est beáta Virgo María ex progénie David.—Cujus vita.

Lectio v.

PER te Trínitas sanctificátur, per te crux pretiósa celebrátur, et adorátur in toto orbe terrárum. Per te exúltat coelum, laetántur Angeli et Archángeli, fugántur daemones, et homo ipse ad coelum revocátur. Per te omnis creatúra idolórum errore deténta, convérsa est ad agnitiónem veritátis, et fidéles hómines ad sanctum baptísma pervenérunt, atque in toto orbe terrárum constructae sunt Ecclésiae.

℣. Cum jucunditáte Nativitátem beátae Maríae celebrémus: * Ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum. ℣. Corde, et ánimo Christo canámus glóriam, in hac sacra solemnitáte praecélsae Genitrícis Dei Maríae.—Ut ipsa pro nobis.

Lectio vi.

GE adjutríce Gentes véniunt ad poeniténtiam. Quid plura? Per te unigénitus Dei Fílius, vera illa lux effúlsit sedéntibus in ténebris et umbra mortis. Per te Prophétae praenuntiárunt, per te Apóstoli salútem Géntibus praedicárunt. Quisnam póterit tuárum laudum praecónia explicáre, María Mater et Virgo? Hanc, fratres dilectíssimi, celebrémus, ejus Fílium Ecclésiae sponsum immaculátum adorántes: cui honor et glória in saecula saeculórum, Amen.

℣. Natívitas tua, Dei Génitrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo: * Ex te enim ortus est sol justítiae, Christus Deus noster: * Qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem: et confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.—Ex te. Glória Patri. Qui solvens.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* i.

LIBER generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia ii. *in Matthaeum, post initium.*

AUDITU quidem mirábile est, quod ineffábilis Deus, et qui nec sermónibus explicári potest, nec cogitatiónibus comprehéndi, Patríque per ómnia coaequális, per Vírginis ad nos venit úterum, et fíeri ex mulíere dignátus est, et habére progenitóres David et Abraham: et quid dico, David et Abraham? étiam illas, quod magis stupéndum est, foeminas, quas paulo ante memorávi. Haec ígitur áudiens mente consúrge, nihílque húmile suspicéris, sed pótius propter hoc ipsum máxime miráre, quia cum verus et diléctus Fílius sit sempitérni Dei, étiam fílius David esse dignátus est, modo ut te fílium fáceret Dei: servum patrem habére dignátus est, ut tibi servo patrem fáceret ipsum Deum.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. —Quia fecit.

Lectio viii.

QUIDES ab ipso statim princípio, quam laeta sint haec núntia. Quod si ámbigis de his quae ad tuum spectant honórem, ab iis quae illíus sunt étiam tua disce crédere. Quantum enim cónsequi potest humána rátio, multo est difficílius Deum hóminem fíeri, quam hóminem Dei fílium consecrári. Cum ergo audíeris, quia Fílius Dei, fílius sit et David et Abrahae; dubitáre jam désine, quod et tu, qui fílius es Ádae, futúrus sis fílius Dei. Non enim semetípsum ita humiliásset, nisi nos esset exaltatúrus. Natus est enim secúndum carnem, ut tu nascerére spíritu: natus est ex mulíere, ut tu desíneres fílius esse mulíeris.

℟. Felix namque es sacra Virgo María, et omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiae: Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto foemíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Nativitátem. —Quia. Glória. Christus.

Pro S. Nicomede Martyre.

Lectio ix.

NICOMEDES Présbyter, persequénte Christiános Domitiáno imperatóre, quod corpus Felículae Vírginis propter confessiónem christiánae fídei a Flacco cómite interféctae sepelísset, comprehéndi jussus est: ductúsque ad státuas deórum, cum eis sacrificáre velle (quod fácere jubebátur) constánter negavísset, proptérea quod sacrifícium uni Deo vero, qui regnat in coelis, deberétur; plumbátis caesus, in eo martyrio ánimam Deo réddidit. Cujus corpus cum idem comes in profluéntem Tíberim prójici imperásset: Justus Nicomédis cléricus diligénter conquisítum, ad muros Urbis via Nomentána honorífice in sepúlchro cóndidit.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus fit Comm. S. Nicomedis Mart. Ańa. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam aetérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio. Adésto, Dómine, ut supra. 377.

Et in secundis Vesperis fit Commem. de SS. Cornelio et Cypriano, et aliis ut infra. 394.

DOMINICA III.
Septembris.

Festum Septem Dolorum beatae Mariae Virginis. Duplex.

Si in Dominica iii Septembris occurrat festum sive B. M. V. sive altioris ritus, vel dies octava festi quod alicubi solemne sit, Officium vii. Dolorum transferendum est ad primam insequentem Dominicam non impeditam Officio ritus duplicis primae vel secundae classis.

IN I. VESPERIS.

Ant. Quo ábiit, cum reliquis de Laud. ut infra. 393. Psalmus. Dixit Dóminus, cum reliquis ut in festis B. M. V. clviii.

Capitulum. *Thren.* ii.

QUI comparábo te, vel cui assimilábo te, fília Jerúsalem? cui exaequábo te, et consolábor te, virgo fília Sion? magna est velut mare contrítio tua.

Hymnus.

O QUOT undis lacrymárum!
Quo dolóre vólvitur
Luctuósa, de cruénto
Dum revúlsum stípite,
Cernit ulnis incubántem,
Virgo Mater, Fílium.

Os suáve, mite pectus,
Et latus dulcíssimum,
Dexterámque vulnerátam,
Et sinístram sáuciam,
Et rubras cruóre plantas
Ægra tingit lácrymis.

Gentiésque, milliésque
Stringit arctis néxibus
Pectus illud, et lacértos,
Illa sugit vúlnera:
Sicque tota colliquéscit
In dolóris ósculis.

Eia, Mater, obsecrámus
Per tuas has lácrymas,
Filiíque triste funus,
Vulnerúmque púrpuram,
Hunc tui cordis dolórem
Conde nostris córdibus.

Esto Patri, Filióque,
Et coaevo Flámini:
Esto summae Trinitáti
Sempitérna glória,
Et perénnis laus, honórque
Hoc, et omni saeculo.
Amen.

℣. Regína Mártyrum ora pro nobis. ℟. Quae juxta crucem Jesu constitísti.

Ad Magnif. Ant. Nolíte me consideráre, quod fusca sim, quia decolorávit me sol, Fílii matris meae pugnavérunt contra me.

Oratio.

DEUS, in cujus passióne, secúndum Simeónis prophetíam, dulcíssimam ánimam gloriósae Vírginis, et Matris Maríae

dolóris gládius pertransívit: concéde propítius, ut qui dolóres ejus venerándo recólimus, passiónis tuae efféctum felícem consequámur: Qui vivis.

Deinde fit Commemoratio Dominicae.

Ad Completorium et per Horas finis Hymnorum erit:

Jesu, tibi sit glória,
Qui passus es pro sérvulis,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna saecula.
Amen.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Stemus juxta crucem cum María Matre Jesu, * Cujus ánimam dolóris gládius pertransívit. Psalmus. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

JAM toto súbitus vesper eat polo,
Et sol attónitum praecípitet diem,
Dum saevae récolo ludíbrium necis,
Divinámque catástrophen.
Spectátrix áderat supplício Parens,
Malis uda, gerens cor adamántinum:
Natus funérea péndulus in cruce
Altos dum gémitus dabat.
Pendens ante óculos Natus, atrócibus
Sectus verbéribus, Natus hiántibus
Fossus vulnéribus, quot penetrántibus
Te confixit acúleis!
Heu! sputa, álapae, vérbera, vúlnera,
Clavi, fel, áloe, spóngia, láncea,
Sitis, spina, cruor, quam vária pium
Cor pressére tyránnide.
Cunctis intérea stat genero-sior
Virgo Martyribus: prodígio novo
In tantis móriens non móreris Parens
Diris fixa dolóribus.
Sit summae Tríadi glória, laus, honor,
A qua supplíciter sollícita prece,
Posco virgínei róboris aemulas
Vires rebus in ásperis.
Amen.

In primo Nocturno.

Antiphona. Multiplicáti sunt, qui tríbulant me, multi insúrgunt advérsum me.

Psalmus iii.

DOMINE, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimae meae: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dñe, suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum : * et exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : * exúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa : * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Multiplicáti sunt, qui tríbulant me, multi insúrgunt advérsum me.

Ant. Paravérunt sagíttas suas in pháretra, ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Psalmus x.

IN Dómino confído : quómodo dícitis ánimae meae : * Tránsmigra in montem sicut passer ?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quae perfecísti, destruxérunt : * justus autem quid fecit ?

Dóminus in templo sancto suo,* Dóminus in coelo sedes ejus :

Oculi ejus in páuperem respíciunt : * pálpebrae ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum et ímpium : * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos : * ignis, et sulphur, et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dñus, et justítias diléxit : * aequitátem vidit vultus ejus.

Ant. Paravérunt sagíttas suas in pháretra, ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Ant. Defécit in dolóre vita mea, et anni mei in gemítibus.

Psalmus xxx.

IN te, Dómine, sperávi, non confúndar in aetérnum : * in justítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuam, * accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protectórem : et in domum refúgii, * ut salvum me fácias.

Quóniam fortitúdo mea, et refúgium meum es tu : * et propter nomen tuum dedúces me, et enútries me.

Edúces me de láqueo hoc, quem abscondérunt mihi : * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas comméndo spíritum meum : * redemísti me, Dómine Deus veritátis.

Odísti observántes vanitátes, * supervácue.

Ego autem in Dño sperávi: * exultábo, et laetábor in misericórdia tua.

Quóniam respexísti humilitátem meam, * salvásti de necessitátibus ánimam meam.

Nec conclusísti me in mánibus inimíci: * statuísti in loco spatióso pedes meos.

Miserére mei, Dñe, quóniam tríbulor: * conturbátus est in ira óculus meus, ánima mea, et venter meus:

Quóniam defécit in dolóre vita mea: * et anni mei in gemítibus.

Infirmáta est in paupertáte virtus mea: * et ossa mea conturbáta sunt.

Super omnes inimícos meos factus sum oppróbrium, et vicínis meis valde: * et timor notis meis.

Qui vidébant me, foras fugérunt a me: * oblivióni datus sum, tamquam mórtuus a corde.

Factus sum tamquam vas pérditum: * quóniam audívi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu.

In eo dum convenírent simul advérsum me, * accípere ánimam meam consiliáti sunt.

Ego autem in te sperávi, Dómine: * dixi: Deus meus es tu: in mánibus tuis sortes meae.

Eripe me de manu inimicórum meórum, * et a persequéntibus me.

Illústra fáciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericórdia tua: * Dómine, non confúndar, quóniam invocávi te.

Erubéscant ímpii, et deducántur in infernum: * muta fiant lábia dolósa.

Quae loquúntur advérsus justum iniquitátem, * in supérbia, et in abusióne.

Quam magna multitúdo dulcédinis tuae, Dómine, * quam abscondísti timéntibus te!

Perfecísti eis, qui sperant in te, * in conspéctu filiórum hóminum.

Abscóndes eos in abscóndito faciéi tuae * a conturbatióne hóminum.

Próteges eos in tabernáculo tuo * a contradictióne linguárum.

Benedíctus Dóminus: * quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte munita.

Ego autem dixi in excéssu mentis meae: * Projéctus sum a fácie oculórum tuórum.

Ideo exaudísti vocem orationis meae, * dum clamárem ad te.

Dilígite Dóminum omnes sancti ejus: * quóniam veritátem requíret Dóminus, et retríbuet abundánter faciéntibus supérbiam.

Viríliter ágite, et confortétur cor vestrum, * omnes qui sperátis in Dómino.

Afla. Defécit in dolóre vita mea, et anni mei in gemítibus.

℣. Regína Mártyrum ora pro nobis. ℟. Quae juxta crucem Jesu constitísti.

Ex Jeremía Prophéta.

Lectio i. *Thren.* i.

LORANS plorávit in nocte, et lácrymae ejus in maxíllis ejus : non est, qui consolétur eam ex ómnibus caris ejus. Omnes amíci ejus sprevérunt eam, et facti sunt ei inimíci. Vide Dómine, quóniam tríbulor, conturbátus est venter meus. Subvérsum est cor meum in memetípsa, quóniam amaritúdine plena sum. Foris intérficit gládius, et domi mors símilis est. Audiérunt, quia ingemísco ego, et non est, qui consolétur me.

℟. Símeon, vir justus, et timorátus, dixit ad Maríam, * Tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius.

℣. Ne vocétis me pulchram, sed amáram, quia amaritúdine valde replévit me Omnípotens.—Tuam.

Lectio ii. *Thren.* ii.

QUI comparábo te ? vel cui assimilábo te, Fília Jerúsalem ? Cui exaequábo te, et consolábor te virgo Fília Sion ? Magna est velut mare contrítio tua: quis medébitur tui ? Plausérunt super te mánibus omnes transeúntes per viam, sibilavérunt, et movérunt caput suum super Fíliam Jerúsalem : Haeccine est urbs, dicéntes, perfécti decóris, gáudium univérsae terrae ? Aperuérunt super te os suum omnes inimíci tui: sibilavérunt, et fremuérunt déntibus, et dixérunt : Devorábimus.

℟. Surge, et áccipe Púerum, et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum, * Et esto ibi, usque dum dicam tibi. ℣. Vocávi Fílium meum ex Ægypto, ut véniat salus in Israël.—Et esto ibi.

Lectio iii.

FECIT Dóminus, quae cogitávit, complévit sermónem suum, quem praecéperat a diébus antíquis : destrúxit, et non pepércit, et laetificávit super te inimícum, et exaltávit cornu hóstium tuórum. Clamávit cor eórum ad Dóminum super muros fíliae Sion. Deduc quasi torréntem lácrymas per diem, et noctem ; non des réquiem tibi : neque táceat pupílla óculi tui.

℟. Fili, quid fecísti nobis sic ? * Ego, et pater tuus : * Doléntes quaerebámus te.

℣. Quid est, quod me quaerebátis? In his, quae Patris mei sunt, opórtet me esse.—Ego. Glória Patri. Doléntes.

In secundo Nocturno.

Ańa. Factum est cor meum tamquam cera liquéscens in médio ventris mei.

Psalmus xxi.

DEUS, Deus meus, réspice in me: quare me derelíquisti? * longe a salúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus, clamábo per diem, et non exáudies: * et nocte, et non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * laus Israël.

In te speravérunt patres nostri: * speravérunt, et liberásti eos.

Ad te clamavérunt, et salvi facti sunt: * in te speravérunt, et non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, et non homo: * oppróbrium hóminum, et abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me derisérunt me: * locúti sunt lábiis, et movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum: * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es, qui extraxísti me de ventre: * spes mea ab ubéribus matris meae: in te projéctus sum ex útero:

De ventre matris meae Deus meus es tu, * ne discésseris a me.

Quóniam tribulátio próxima est: * quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi: * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens et rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum: * et dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquéscens * in médio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit fáucibus meis: * et in púlverem mortis deduxísti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi: * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas, et pedes meos: * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi vero consideravérunt et inspexérunt me: * divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum a me: * ad defensiónem meam cónspice.

Erue a frámea, Deus, ánimam meam : * et de manu canis únicam meam:

Salva me ex ore leónis: * et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis : * in médio Ecclésiae laudábo te.

Qui timétis Dóminum, laudáte eum : * univérsum semen Jacob, glorificáte eum.

Tímeat eum omne semen Israël: * quóniam non sprevit, neque despéxit deprecatiónem páuperis:

Nec avértit fáciem suam a me : * et cum clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in ecclésia magna : * vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.

Edent páuperes, et saturabúntur: et laudábunt Dóminum qui requírunt eum:* vivent corda eórum in saeculum saeculi.

Reminiscéntur, et converténtur ad Dóminum * univérsi fines terrae :

Et adorábunt in conspéctu ejus * univérsae famíliae Géntium.

Quóniam Dómini est regnum : * et ipse dominábitur Géntium.

Manducavérunt, et adoravérunt omnes pingues terrae : * in conspéctu ejus cadent omnes, qui descéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet: * et semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra : * et annuntiábunt coeli justítiam ejus pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

Antiphona. Factum est cor meum tamquam cera liquéscens in médio ventris mei.

Ana. Deus vitam meam annuntiávi tibi ; posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo.

Psalmus lv.

MISERERE mei, Deus, quóniam conculcávit me homo : * tota die impúgnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei tota die : * quóniam multi bellántes advérsum me.

Ab altitúdine diéi timébo : * ego vero in te sperábo.

In Deo laudábo sermónes meos, in Deo sperávi : * non timébo quid fáciat mihi caro.

Tota die verba mea execrabántur : * advérsum me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabitábunt, et abscóndent : * ipsi calcáneum meum observábunt.

Sicut sustinuérunt ánimam meam, pro níhilo salvos fácies illos : * in ira pópulos confrínges.

Deus vitam meam annuntiávi tibi : * posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo,

Sicut et in promissióne tua : * tunc converténtur inimíci mei retrórsum :

In quacúmque die invocávero te : * ecce cognóvi quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum, in Dómino laudábo sermónem : * in Deo sperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

In me sunt, Deus, vota tua, * quae reddam, laudatiónes tibi.

Quóniam eripuísti ánimam meam de morte, et pedes meos de lapsu :* ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

Aña. Deus vitam meam annuntiávi tibi; posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo.

Aña. Fuérunt mihi lácrymae meae panes die, ac nocte.

Psalmus xli.

QUEMADMODUM desíderat cervus ad fontes aquárum : * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum : * quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymae meae panes die ac nocte; * dum dícitur mihi quotídie : Ubi est Deus tuus?

Haec recordátus sum, et effúdi in me ánimam meam : * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis et confessiónis : * sonus epulántis.

Quare tristis es, ánima mea? * et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est : * proptérea memor ero tui de terra Jordánis, et Hermóniim a monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, et fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dñus misericórdiam suam, * et nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitae meae, * dicam Deo : Suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei? * et quare contristátus incédo, dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi, qui tríbulant me inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies: Ubi est Deus tuus? * quare tristis es, ánima mea, et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Aña. Fuérunt mihi lácrymae meae panes die, ac nócte.

℣. Fascículus myrrhae diléctus meus mihi. ℟. Inter úbera mea commorábitur.

Sermo S. Bernárdi Abbátis. *Ex Serm. de duodecim stellis.*

Lectio iv.

QUARTYRIUM Vírginis tam in Simeónis prophetía, quam in ipsa Domínicae passiónis históría commendátur. Pósitus est hic (ait sanctus senex de púero Jesu) in signum, cui contradicétur, et tuam ipsíus ánimam (ad Maríam autem dicébat) pertransíbit gládius. Vere tuam, o beáta Mater, ánimam pertransívit. Alióquin nonnísi eam pertránsiens, carnem Fílii tui penetráret. Et quidem posteáquam emísit spíritum tuus ille Jesus, ipsíus plane non áttigit ánimam crudélis láncea, quae ipsíus apéruit latus, sed tuam útique ánimam pertransívit. Ipsíus nimírum ánima jam ibi non erat, sed tua plane inde nequíbat avélli.

℟. Jesum bajulántem sibi crucem: * Sequebátur turba mulíerum, quae plangébant, et lamentabántur eum. ℣. Fíliae Jerúsalem super vos ipsas flete, et super fílios vestros.—Sequebátur.

Lectio v.

QUAM ergo pertransívit ánimam vis dolóris, ut plusquam Mártyrem non immérito praedicémus, in qua nimírum corpóreae sensum passiónis excésserit compassiónis affféctus. An non tibi plusquam gládius fuit sermo ille revéra pertránsiens ánimam, et pertíngens usque ad divisiónem ánimae ac spíritus: Múlier, ecce fílius tuus? O commutatiónem! Joánnes tibi pro Jesu tráditur, servus pro Dómino, discípulus pro Magístro, fílius Zebedaei pro fílio Dei, homo purus pro Deo vero. Quómodo non tuam affectuosíssimam ánimam pertransíret haec audítio, quando et nostra, licet sáxea, licet férrea péctora sola recordátio scindit?

℟. Postquam venérunt in locum, qui dícitur Calváriae, ibi crucifixérunt eum: * Stabat autem juxta

crucem Jesu Mater ejus. ℣. Tunc beátam illíus ánimam dolóris gládius pertransívit.—Stabat.

Lectio vi.

NON mirémini, fratres, quod María Martyr in ánima fuísse dicátur. Mirétur, qui non memínerit, se audivísse Paulum inter máxima Géntium crímina memorántem, quod sine affectióne fuíssent. Longe id fuit a Maríae viscéribus, longe sit a sérvulis ejus. Sed forte quis dicat; Numquid non eum praescíerat moritúrum? Et indubitánter. Numquid non sperábat contínuo resurrectúrum? et fidéliter. Super haec dóluit crucifíxum? et veheménter. Alióquin quisnam tu, frater, aut unde tibi haec sapiéntia, ut miréris plus Maríam compatiéntem, quam Maríae Fílium patiéntem? Ille enim mori córpore pótuit, ista cómmori corde non pótuit? Fecit illud cháritas, qua majórem nemo hábuit: fecit et hoc cháritas, cui post illam símilis áltera non fuit.

℟. Joseph ab Arimathaea * Pétiit corpus Jesu, quod de cruce depósitum * Suo compléxu Mater excépit. ℣. Dolens Sunamítis, sinu, et génibus suis sustínuit mórtuum Fílium.—Pétiit. Glória Patri. Suo.

In tertio Nocturno.

Antiphona. Intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Psalmus lxiii.

EXAUDI, Deus, oratiónem meam cum déprecor: * a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me a convéntu malignántium: * a multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas: * intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum, et non timébunt: * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos: * dixérunt: Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes: * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum: * et exaltábitur Deus.

Sagíttae parvulórum factae sunt plagae eórum: * et infirmátae sunt contra eos linguae eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos: * et tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei: * et facta ejus intellexérunt.

Laetábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, * et laudabúntur omnes recti corde.

Añ. Intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Añ. Anima mea turbáta est valde, sed tu, Dómine, úsquequo?

Psalmus vi.

DOMINE, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corípias me.

Miserére mei, Dómine, quóniam infírmus sum: * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde: * sed tu, Dómine, úsquequo?

Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam: * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui: * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas nóctes lectum meum: * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite a me omnes, qui operámini iniquitátem: * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletus mei.

Exaudívit Dñus deprecatiónem meam, * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant, et conturbéntur veheménter omnes inimíci mei: * convertántur, et erubéscant valde velóciter.

Añ. Anima mea turbáta est valde, sed tu, Dómine, úsquequo?

Añ. Deus adjútor in tribulatiónibus, quae invenérunt nos nimis.

Psalmus xlv.

DEUS noster refúgium, et virtus: * adjútor in tribulatiónibus, quae invenérunt nos nimis.

Propterea non timébimus dum turbábitur terra: * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátae sunt aquae eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus laetíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur: * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátae sunt gentes, et inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, quae pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terrae.

Arcum cónteret, et confrínget arma : * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Añs. Deus adjútor in tribulatiónibus, quae invenérunt nos nimis.

℣. Per te salútem hauriámus, Virgo María. ℟. Ex vulnéribus Christi.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* xix.

IN illo témpore : Stabant juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus María Cléophae, et María Magdaléne. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

De institut. Virg. cap. vii.

STABAT ante crucem Mater, et fugiéntibus viris, stabat intrépida. Vidéte, utrum pudórem mutáre potúerit Mater Jesu, quae ánimum non mutávit. Spectábat piis óculis Fílii vúlnera, per quae sciébat ómnibus futúram redemptiónem. Spectábat non degéneri Mater spectáculo, quae non metúerat peremptórem. Pendébat in cruce Fílius, Mater se persecutóribus offerébat.

℟. Quis tibi sensus fuit, o Mater dolórum, * Dum Joseph síndone Fílium tuum invólvit, et pósuit eum in monuménto ? ℣. Consideráte, et vidéte, si est dolor, sicut dolor meus.— Dum Joseph.

Lectio viii.

Ex ejusdem Epistola xxv. *ad Eccles. Vercell. prope finem.*

QUARIA Mater Dómini ante crucem Fílii stabat. Nullus me hoc dócuit, nisi sanctus Joánnes Evangelísta. Mundum álii concússum in passióne Dómini conscripsérunt, coelum ténebris obdúctum, refugísse solem, in paradísum latrónem, sed post piam confessiónem, recéptum. Joánnes dócuit quod álii non docuérunt, quemádmodum in cruce pósitus Matrem appelláverit. Pluris putátur, quod victor suppliciórum pietátis offícia Matri exhibébat, quam quod regnum coeléste donábat. Nam si religiósum est, quod latróni donátur vénia, multo uberióris pietátis est, quod a

Fílio Mater tanto affléctu honorátur.

℟. In toto corde tuo gémitus Matris tuae ne obliviscáris, * Ut perficiátur propitiátio, et benedíctio. ℣. Ave Princeps generósa, Martyrúmque prima rosa, Virginúmque lílium.—Ut perficiátur. Glória Patri. Ut perficiátur.

Léctio ix. erit de Homília Dominicae occurrentis.

AD LAUDES

et per Horas, Añae.

1. Quo ábiit * diléctus tuus, o pulchérrima muliérum? Quo declinávit diléctus tuus, et quaerémus eum tecum? Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis, 18.

2. Recédite a me, * amáre flebo, nolíte incúmbere ut consolémini me.

3. Non est ei spécies, * neque decor, et vídimus eum, et non erat aspéctus.

4. A planta pedis usque ad vérticem cápitis non est in eo sánitas.

5. Fulcíte me flóribus, * stipáte me malis, quia amóre lángueo.

Capitulum. *Thren.* ii.

QUI comparábo te? vel cui assimilábo te, Fília Jerúsalem? Cui exaequábo te, et consolábor te, virgo Fília Sion? Magna est velut mare contrítio tua.

Hymnus.

SUMME Deus cleméntiae,
Septem dolóres Vírginis,
Plagásque Jesu Fílii
Fac rite nos revólvere.

Nobis salútem cónferant
Deíparae tot lácrymae,
Quibus laváre súfficis
Totíus orbis crímina.

Sit quinque Jesu vúlnerum
Amára contemplátio,
Sint et dolóres Vírginis
Ætérna cunctis gáudia.

Jesu, tibi sit glória,
Qui passus es pro sérvulis,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna saecula.
Amen.

℣. María Virgo per virtútem tot dolórum. ℟. Fac nos gaudére in regno coelórum.

Ad Bened. Aña. Veníte, ascendámus ad montem Dómini, et vidéte, si est dolor, sicut dolor meus.

Oratio.

DEUS, in cujus passióne, secúndum Simeónis prophetíam, dulcíssimam ánimam gloriósae Vírginis, et Matris Maríae dolóris gládius pertransívit: concéde propítius, ut, qui dolóres ejus venerándo recólimus, passiónis tuae efféctum felícem consequámur: Qui vivis.

Et fit Commem. Dominicae occurrentis.

DOMINICA III SEPT.

in Festo **Septem Dolorum B. M. V.**

Si hoc festum extra Dominicam reponatur, deficiente alia lectione IX, Officii utcumque simplicis, erit sequens.

Lectione IX.

Ecce, inquit, filius tuus: ecce mater tua. Testabatur de cruce Christus, et inter matrem atque discipulum dividebat pietatis officia. Condebat Dominus non solum publicum, sed etiam domesticum testamentum: et hoc ejus testamentum signabat Joannes, dignus tanto testatore testis. Bonum testamentum non pecuniae, sed vitae aeternae; quod non atramento scriptum est, sed Spiritu Dei vivi, qui ait: Lingua mea calamus scribae, velociter scribentis.

AD PRIMAM.

Ańa. Quo ábiit.

℟. br. Christe fili Dei vivi. Christe. ℣. Qui passus es propter nostram salútem.

AD TERTIAM.

Ańa. Recédite a me.

Capit. Cui comparábo

℟. br. O vos omnes, * Qui transítis per viam. O vos. ℣. Atténdite, et vidéte, si est dolor, sicut dolor meus. Qui transítis. Glória Patri. O vos.

℣. Defecérunt prae lácrymis óculi mei. ℟. Conturbáta sunt ómnia víscera mea.

AD SEXTAM.

Ańa. Non est ei spécies.

Capitulum. *Thren.* i.

PLORANS plorávit in nocte, et lácrymae ejus in maxíllis ejus, non est qui consolétur eam ex ómnibus caris ejus.

℟. br. Defecérunt prae lácrymis, * Oculi mei. Defecérunt. ℣. Conturbáta sunt ómnia víscera mea. Oculi. Glória Patri. Defecérunt.

℣. Fascículus myrrhae diléctus meus mihi. ℟. Inter úbera mea commorábitur.

AD NONAM.

Ańa. Fulcíte me flóribus.

Capitulum. *Thren.* ii.

DEDUC quasi torréntem lácrymas per diem, et noctem ; non des réquiem tibi, neque táceat pupílla óculi tui.

℟. br. Fascículus myrrhae * Diléctus meus mihi. Fascículus. ℣. Inter úbera mea commorábitur. Diléctus. Glória Patri. Fascículus.

℣. Anima mea liquefácta est. ℟. Ut diléctus locútus est.

In secundis Vesp. omnia ut in primis. 381.

Ad Magnif. Ańa. Opprésit me dolor, et fácies mea intúmuit a fletu, et pálpebrae meae caligavérunt.

Et fit Commem. Dominicae occurrentis.

DIE XVI. SEPTEMBR.

In festo SS. Cornelii et Cypriani, Pontif. et Mart. Semiduplex.

Omnia de Communi plurimorum Mart. xliv. praeter ea quae hic ponuntur.

Ańa. Istorum est enim regnum coelórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad praemia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Laetámini in Dño, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

BEATORUM Mártyrum, paritérque Pontíficum, Cornélii et Cypriáni, nos quaesumus Dómine,

festa tueántur : et eórum comméndet orátio veneránda. Per Dóminum.

Et fit Commem. SS. Euphemiae, Luciae, et Geminiani, Martyrum.

In Vesperis, Ańa. Gaudent in coelis ánimae sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti : et quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exúltant sine fine.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

In Laudibus vero Antiphona. Istórum est. ℣. Laetámini. 394.

Oratio.

PRAESTA, Dómine, précibus nostris cum exultatióne provéntum : ut sanctórum Mártyrum Euphémiae, Lúciae, et Geminiáni, quorum diem passiónis ánnua devotióne recólimus, étiam fídei constántiam subsequámur. Per Dóminum.

Si festum SS. Cornelii et Cypriani venerit in Dominica, transfertur in proximam diem festo novem Lectionum non impeditam. Commemoratio autem SS. Euphemiae, Luciae et Geminiani fit in primis Vesperis et Laudibus Dominicae, cum nona Lectione ipsorum : et Antiphonae et ℣℣. non variantur.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

Si autem venerit in Quatuor Temporibus, leguntur Lectiones de Epist. ad Romanos : Fratres, Debitóres sumus, de Communi plurimorum Martyrum. xlvii. et nona Lectio de Homilia Feriae occurrentis, cum ejus Commemoratione ad Laudes tantum.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ORNELIUS Románus, Gallo et Volusiáno imperatóribus pontificátum gerens, cum Lucína foemina sanctíssima córpora Apostolórum Petri et Pauli e catacúmbis in opportuniórem locum tránstulit : ac Pauli corpus Lucína in suo praedio via Ostiénsi, prope eum locum, ubi fúerat gládio percússus, collocávit : Cornélius príncipis Apostolórum corpus non longe inde, ubi crucifíxus fúerat, repósuit. Quod cum ad imperatóres delátum esset, et Pontífice auctóre multos fieri Christiános, mittitur is in exílium ad Centum cellas ; ubi eum sanctus Cypriánus Epíscopus Carthaginénsis per lítteras est consolátus.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt

iter, serviéntes praecéptis tuis, ut inveniréntur illaesi in aquis válidis :* Terra appáruit árida, et in Mari rubro via sine impedimento. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquae, et torrentes inundavérunt. — Terra appáruit.

Lectio v.

HOC autem christiánae charitátis offícium cum frequens alter álteri persólveret, deteriórem in partem id accipiéntes imperatóres, accersítum Romam Cornélium, tamquam de majestáte reum plumbátis caedi, raptúmque ad Martis simulácrum ei sacrificáre jubent. Quam impietátem cum ille detestarétur, ei caput abscíssum est décimo octávo Kaléndas Octóbris : cujus corpus beáta Lucína cléricis adjutóribus humávit in arenária praedii sui prope coemetérium Callísti. Vixit in pontificátu annos círciter duos.

℟. Vérbera carnificum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine :* Ut haerédes fierent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut haerédes.

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri de Scriptóribus ecclesiásticis.

Lectio vi.

CYPRIANUS Afer, primum glorióse rhetóricam dócuit : exínde suadénte présbytero Caecílio, a quo et cognoméntum sortítus est, Christiánus fáctus, omnem substántiam suam paupéribus erogávit. Ac post non multum témporis eléctus in Presbyterum, étiam Episcopus Carthaginénsis constitútus est. Hujus ingénii supérfluum est índicem téxere, cum sole clarióra sint ejus ópera. Passus est sub Valeriáno et Galliéno princípibus, persecutióne octáva, eódem die, quo Romae Cornélius, sed non eódem anno.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos : et in témpore erit respéctus illórum :* Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. — Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evangelium : **Cum audiéritis praelia,** de Communi plurimorum Martyrum. Iiii.

Pro sanctis Martyribus Euphemia, Lucia, et Geminiano.

Lectio ix.

EUPHEMIA, Lúcia, et Geminiánus, in persecutióne Diocletiáni, non eódem loco, sed eódem die, martyrio coronáti sunt. Euphémia virgo apud Chalcédonem, Prisco procónsule, vária tormentórum génera, virgárum, equúlei, rotárum, ignis constánter passa; demum béstiis objécta, una ex iis morsum sancto córpori infigénte, caeteris pedes ejus lambéntibus, immaculátum spíritum Deo réddidit. Lúcia, vídua Romána, a fílio Eutrópio, quod Christum multos annos coluísset, accusáta, in ollam pice ac plumbo ferventem demíttitur: unde incólumis evádens, cum ferro plumbóque oneráta per Urbem ducerétur, Geminiánum, nóbilem virum, constántia fídei et martyrii ad Christum convértit: quem étiam cum multis áliis ad fidem perdúctis, várie tortum, gloriósi martyrii abscísso cápite sócium hábuit. Quorum córpora Máxima, múlier christiána, honorífice sepelívit.

Te Deum laudámus. 17.

Vesperae de sequenti cum Commemor. SS. Cornelii et Cypriani, Pontif. et Mart.

DIE XVII. SEPTEMBR.

In festo Impressionis SS. Stigmatum in corpore S. Francisci, Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter sequentia.

AD VESPERAS.

Capitulum. *Eccli.* xxxi.

BEATUS vir, qui invéntus est sine mácula: et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia, et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua.

Hymnus.

ISTE Conféssor Dómini, coléntes
Quem pie laudant pópuli per orbem,
Hac die laetus méruit beáta
Vúlnera Christi.

Qui pius, prudens, húmilis, pudícus,
Sóbriam duxit sine labe vitam,
Donec humános animávit aurae
Spíritus artus.

Cujus ob praestans méritum, frequénter
Ægra quae passim jacuére membra,
Víribus morbi dómitis, salúti
Restituúntur.

Noster hinc illi Chorus obsequéntem
Cóncinit laudem, celebrésque palmas;
Ut piis ejus précibus juvémur
Omne per aevum.
Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super coeli sólio corúscans,
Totíus mundi sériem gubérnat
Trinus et unus.
Amen.

In utrisque Vesperis, ℣. Signásti, Dómine, servum tuum Francíscum. ℟. Signis redemptiónis nostrae.

Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui frigescénte mundo, ad inflammándum corda nostra tui amóris igne, in carne beatíssimi Francísci passiónis tuae sacra Stígmata renovásti: concéde propítius; ut ejus méritis et précibus crucem júgiter ferámus, et dignos fructus poeniténtiae faciámus: Qui vivis et regnas.

Pro Commem. SS. Cornelii et Cypriani, Pontif. et Martyrum, Aña. Gaudent in coelis. ℣. Exultábunt sancti. 395.

Oratio. Beatórum Mártyrum, ut supra. 394.

In primo Nocturno.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

Lectio i. *Cap.* v. *d. et* vi.

SI spíritu vívimus, spíritu et ambulémus. Non efficiámur inánis glóriae cúpidi, ínvicem provocántes, ínvicem invidéntes. Fratres, et si praeoccupátus fúerit homo in áliquo delícto, vos, qui spirituáles estis, hujúsmodi instrúite in spíritu lenitátis, considerans teípsum, ne et tu tentéris. Alter altérius ónera portáte, et sic adimplébitis legem Christi. Nam si quis exístimat se áliquid esse, cum nihil sit, ipse se sedúcit. Opus autem suum probet unusquísque, et sic in semetípso tantum glóriam habébit, et non in áltero. Unusquísque enim onus suum portábit. Commúnicet autem is qui catechizátur verbo, ei qui se catechízat, in ómnibus bonis.

℟. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: * Intra in gáudium Dñi tui. ℣. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum.—Intra.

Lectio ii.

NOLITE erráre: Deus non irridétur. Quae enim semináverit homo, haec et metet. Quóniam qui séminat in carne sua,

de carne et metet corruptiónem : qui autem séminat in spíritu, de spíritu metet vitam aetérnam. Bonum autem faciéntes, non deficiámus : témpore enim suo metémus, non deficiéntes. Ergo dum tempus habémus, operémur bonum ad omnes, máxime autem ad domésticos fídei. Vidéte quálibus lítteris scripsi vobis mea manu. Quicúmque enim volunt placére in carne, hi cogunt vos circumcídi, tantum ut crucis Christi persecutiónem non patiántur. Neque enim qui circumcidúntur, legem custódiunt : sed volunt vos circumcídi, ut in carne vestra gloriéntur.

℟. Justus germinábit sicut lílium : * Et florébit in aetérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri.—Et florébit.

Lectio iii.

QUIHI autem absit gloriári nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. In Christo enim Jesu neque circumcísio áliquid valet, neque praepútium, sed nova creatúra. Et quicúmque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos, et misericórdia, et super Israël Dei. De caetero nemo mihi moléstus sit : ego enim stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum spíritu vestro, fratres, Amen.

℟. Iste cognóvit justítiam, et vidit mirabília magna, et exorávit Altíssimum : * Et invéntus est in número sanctórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Et invéntus est. Glória Patri. Et invéntus est.

In secundo Nocturno.

B. Bonaventura in Legenda S. Francisci. cap. xiii.

Lectio iv.

FIDELIS revéra fámulus et miníster Christi Franciscus, biénnio ántequam spíritum rédderet coelo, cum in loco excélso seórsum, qui mons Alvérniae dícitur, quadragenárium, ad honórem Archángeli Michaélis, jejúnium inchoásset, supérnae contemplatiónis dulcédine abundántius sólito superfúsus, ac coeléstium desideriórum ardentióri flamma succénsus, supernárum coepit immissiónum cumulátius dona sentíre. Dum ígitur Seráphicis desideriórum ardóribus sursum agerétur in Deum, et affféctus compassíva teneritúdine in eum

transformarétur, cui ex charitáte nímia crucifígi complácuit : quodam mane, circa festum Exaltatiónis sanctae crucis, in látere montis orans, vidit quasi spéciem uníus Séraphim, sex alas tam fúlgidas quam ignítas habéntem, de coelórum sublimitáte descéndere : qui volátu celérrimo ad áeris locum viro Dei propínquum pervéniens, non solum alátus, sed et crucifíxus appáruit : manus quidem et pedes habens extensos, et cruci affíxos, alas vero sic miro modo hinc inde dispósitas, ut duas supra caput erígeret, duas ad volándum extenderet, duábus vero réliquis totum corpus circumplecténdo veláret. Hoc videns, vehemènter obstúpuit, mixtúmque dolóri gáudium mens ejus incúrrit, dum et in gratióso ejus aspéctu sibi tam mirabíliter quam familiáriter apparéntis excessívam quamdam concipiébat laetítiam, et dira conspécta crucis affíctio ipsíus ánimam compassívi dolóris gládio pertransívit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. —Et dedit.

Lectio v.

INTELLEXIT quidem illo docénte intérius, qui et apparébat extérius : quod licet passiónis infírmitas cum immortalitáte spíritus seráphici nullátenus conveníret ; ídeo tamen hujúsmodi vísio suis fúerat praesentáta conspéctibus, ut amícus ipse Christi praenósceret, se non per martyrium carnis, sed per incéndium mentis totum in Christi Jesu crucifíxi exprèssam similitúdinem transformándum. Dispárens ítaque vísio, post arcánum ac familiáre collóquium, mentem ipsíus seráphico intérius inflammávit ardóre : carnem vero Crucifíxo confórmi extérius insignívit effígie, tamquam si ad ignis liquefactívam virtútem praeámbulam sigillatíva quaedam esset impréssio subsecúta. Statim namque in mánibus et pédibus ejus apparére coepérunt signa clavórum, ipsórum capítibus in inferióri parte mánuum et superióri pedum apparéntibus, et eórum acumínibus existéntibus ex advérso. Dextrum quoque latus quasi láncea transfíxum rubra cicatríce obdúctum erat ; quod saepe sánguinem sacrum effúndens, túnicam et femorália respergébat.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Léctio vi.

POSTQUAM ígitur novus homo Francíscus novo et stupéndo miráculo cláruit, cum singulári privilégio retroáctis saeculis non concésso insignítus appáruit ; sacris vidélicet Stigmátibus decorátus, descéndit de monte secum ferens Crucifíxi effígiem, non in tábulis lapídeis vel lígneis manu figurátam artíficis, sed in cárneis membris descríptam dígito Dei vivi. Quóniam sacraméntum regis Seráphicus vir abscóndere bonum esse óptime norat, secréti regális cónscius, signácula illa sacra pro víribus occultábat. Verum quia Dei est ad glóriam suam magna revelâre, quae facit Dóminus ipse ; qui signácula illa secréte imprésserat, mirácula quaedam apérte per ipsa monstrávit, ut illórum occúlta et mira vis Stígmatum, manifésta patéret claritáte signórum. Porro rem admirábilem, ac tantópere testátam, atque in pontifíciis diplomátibus praecípuis láudibus et favóribus exaltátam, Benedíctus Papa undécimus anniversária solemnitáte celebrári vóluit ; quam póstea Paulus quintus Póntifex máximus, ut corda fidélium in Christi crucifíxi accenderéntur amórem, ad univérsam Ecclésiam propagávit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Léctio vii. *Cap.* xvi. *d*,

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papae.

Homilia xxxii. *in Evang.*

QUIA Dóminus ac Redémptor noster novus homo venit in mundum, nova praecépta dedit mundo. Vitae étenim nostrae véteri in vítiis enutrítae contrarietátem oppósuit novitátis suae. Quid enim vetus, quid carnális homo

nóverat, nisi sua retinére, aliéna rápere, si posset; concupíscere, si non posset? Sed coeléstis médicus síngulis quibúsque vítiis obviántia ádhibet medicaménta. Nam sicut arte medicínae cálida frígidis, frígida cálidis curántur: ita Dóminus noster contrária oppósuit medicaménta peccátis, ut lúbricis continéntiam, tenácibus largitátem, iracúndis mansuetúdinem, elátis praecíperet humilitátem.

℣. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua.—Ipse intercédat.

Lectio viii.

QUERTE cum se sequéntibus nova mandáta propóneret, dixit: Nisi quis renuntiáverit ómnibus quae póssidet, non potest meus esse discípulus. Ac si apérte dicat: Qui per vitam véterem aliéna concupíscitis, per novae conversatiónis stúdium et vestra largímini. Quid vero in hac lectióne dicat, audiámus: Qui vult post me veníre, ábneget semetípsum. Ibi dícitur, ut abnegémus nostra: hic dícitur, ut abnegémus nos. Et fortásse laboriósum non est hómini relínquere sua: sed valde laboriósum est relínquere semetípsum. Minus quippe est abnegáre quod habet: valde autem multum est, abnegáre quod est.

℟. Mihi absit gloriári nisi in cruce Dñi nostri Jesu Christi: * Per quem mihi mundus crucifíxus est et ego mundo. ℣. Ego enim Stígmata Dñi Jesu in córpore meo porto.—Per quem mihi. Glória Patri. Per quem mihi.

In Quatuor Temporibus, Lectio ix. de Homilia Feriae et ejus Commemoratio in Laudibus.

Lectio ix.

AD se autem nobis veniéntibus Dóminus praecepit, ut renuntiémus nostris: quia quicúmque ad fídei agónem venímus, luctámen contra malígnos spíritus súmimus. Nihil autem malígni spíritus in hoc mundo próprium póssident: nudi ergo cum nudis luctári debémus. Nam si vestítus quisque cum nudo luctátur, cítius ad terram dejícitur, quia habet unde teneátur. Quid enim sunt terréna ómnia, nisi quaedam córporis induménta? Qui ergo contra diábolum

ad certámen próperat, vestiménta abjíciat, ne succúmbat.

Te Deum laudámus. 17.

Hymnus ad Laudes.

JESU, coróna célsior,
Et véritas sublímior,
Qui confiténti sérvulo
Reddis perénne praemium:
Da supplicánti coetui,
Hujus rogátu, nóxii
Remissiónem críminis,
Rumpéndo nexum vínculi.
Anni revérso témpore
Dies refúlsit lúmine,
Quo Sanctus hic de córpore
Christi recépit Stígmata.
Hic vana terrae gáudia,
Et luculénta praedia,
Pollúta sorde députans,
Ovans tenet coeléstia.
Te Christe Rex piíssime
Hic confiténdo júgiter,
Calcávit artes daemonum,
Saevúmque Avérni príncipem.
Virtúte clarus et fide,
Confessióne sédulus,
Jejúna membra déferens
Dapes supérnas óbtinet.
Proínde te piíssime,
Precámur omnes súpplices
Nobis ut hujus grátia
Poenas remíttas débitas.
Patri perénnis glória,
Natóque Patris único,
Sanctóque sit Paráclito,
Per omne semper saeculum. Amen.

In secundis Vesperis a Capitulo fit de S. Josepho a Cupertino cum Commemoratione SS. Stigmatum.

DIE XVIII. SEPTEMB.

In festo S. Josephi a Cupertino, Confess. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter ea quae sequuntur.

IN I. VESPERIS.

Ad Magnif. Aña. Mórtuus sum, et vita mea est abscóndita cum Christo in Deo.

Oratio.

DEUS qui ad unigénitum Fílium tuum exaltátum a terra ómnia tráhere disposuísti: pérfice propítius, ut méritis, et exémplo Seráphici Confessóris tui Joséphi supra terrénas omnes cupiditátes eleváti ad eum pervenire mereámur: Qui tecum vivit et regnat.

Deinde fit Commemor. SS. Stigmatum, Aña. Hic vir despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias coelo cóndidit ore, manu.

℣. Signásti, Dñe, servum tuum Francíscum. ℟. Signis redemptiónis nostrae.

Oratio. Dómine Jesu, ut supra. 398.

In primo Nocturno.

De Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio i.

Cap. iv. *v.* vi. *ad* xii.

DEUS, qui dixit de ténebris lucem splendéscere, ipse illúxit in córdibus nostris ad illuminatiónem sciéntiae claritátis Dei, in fácie Christi Jesu. Habémus autem thesáurũ istum in vasis fictílibus : ut sublímitas sit virtútis Dei, et non ex nobis. In ómnibus tribulatiónem pátimur, sed non angustiámur : aporiámur, sed non destitúimur : persecutiónem pátimur, sed non derelínquimur : dejícimur, sed non perímus : semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes, ut et vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris. Semper enim nos, qui vívimus, in mortem trádimur propter Jesum : ut et vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli.

℟. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: * Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecceália quinque superlucrátus sum.—Intra in gaúdium.

Lectio ii.

Cap. v. *v.* i. *ad* ix.

SCIMUS enim, quóniam si terréstris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quod aedificatiónẽ ex Deo habémus, domum non manufáctam, aetérnam in coelis. Nam et in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram, quae de coelo est, superíndui cupiéntes : si tamen vestíti, non nudi inveniámur. Nam, et qui sumus in hoc tabernáculo, ingemíscimus graváti eo quod nólumus expoliári, sed supervestíri ; ut absorbeátur, quod mortále est, a vita. Qui autem éfficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spíritus. Audéntes ígitur semper, sciéntes, quóniam dum sumus in córpore, peregrinámur a Dño : (per fidem enim ambulámus, et non per spéciem). Audémus autem, et bonam voluntátem habémus magis peregrinári a córpore, et praeséntes esse ad Dóminum.

℟. Justus germinábit sicut lílium : * Et florébit in aetérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri.—Et florébit.

Lectio iii.

Cap. xii. v. i. *ad* x.

SI gloriári opórtet (non éxpedit quidem) véniam autem ad visiónes, et revelatiónes Dómini. Scio hóminem in Christo ante annos quatuórdecim (sive in

córpore, sive extra corpus, néscio, Deus scit) raptum hujúsmodi usque ad tértium coelum. Et scio hujúsmodi hóminem (sive in córpore, sive extra corpus, néscio, Deus scit) quóniam raptus est in paradísum ; et audívit arcána verba, quae non licet hómini loqui. Pro hujúsmodi gloriábor : pro me autem nihil gloriábor, nisi in infirmitátibus meis. Nam, et si volúero gloriári, non ero insípiens : veritátem autem dicam : parco autem, ne quis me exístimet supra id, quod videt in me, aut áliquid audit ex me. Et ne magnitúdo revelatiónũ extóllat me, datus est mihi stímulus carnis meae ángelus Sátanae, qui me colaphízet. Propter quod ter Dóminum rogávi, ut discéderet a me : et dixit mihi : súfficit tibi grátia mea; nam virtus in infirmitáte perfícitur. Libénter ígitur gloriábor in infirmitátibus meis, ut inhábitet in me virtus Christi.

℟. Iste cognóvit justítiam, et vidit mirabília magna, et exorávit Altíssimum : * Et invéntus est in número sanctórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Et invéntus est. Glória Patri. Et invéntus est.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.



OSEPHUS a Cupertíno, óppido in Salentínis, dioecésis Neritonénsis, anno reparátae salútis millésimo sexcentésimo tértio, piis ibídem paréntibus ortus, Deíque amóre praeventus, puerítiam atque adolescéntiam summa cum simplicitáte, morúmque innocéntia transégit. A diutúrno, molestóque morbo patientíssime toleráto, Deíparae Vírginis ope liberátus se totum pietátis opéribus, ac excoléndis virtútibus dedit, utque Deo ad majóra vocánti se intímius conjúngeret, órdini Seráphico nomen dare constítuit. Post vários eventus voti tandem compos factus, apud Minóres conventuáles in coenóbio Cryptulae, inter láicos primum ob litterárum imperítiam, deínde inter cléricos divína dispositióne connumerátus est. Sacerdótio post solémnia vota initiátus, perfectius sibi vitae institútum propósuit. Quamóbrem mundánis quibuscúmque affectibus, terrenísque rebus pene ad vitam necessáriis íllico a se abdicátis, cilíciis, flagéllis, caténis, omni demum asperitátum, ac poenárum génere corpus afflíxit, spíritum

vero sanctae oratiónis, altissimaeque contemplatiónis assiduitáte dúlciter enutrívit. Hinc factum est, ut cháritas Dei, quae jam erat in ejus corde a prima aetáte diffúsa, miro, planéque singulári modo in dies coruscáverit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.— Et dedit.

Lectio v.

EXLUXIT praecípue ardentíssima ejus cháritas in extásibus ad Deum suavíssimis, stupendísque ráptibus, quibus frequénter afficiebátur. Mirum autem, quod alienáto a sénsibus ánimo statim ab éxtasi eum revocábat sola obediéntia. Hanc quippe virtútem exímio stúdio prosequebátur, dícere sólitus, se ab ea véluti caecum circumdúci, et mori pótius velle, quam non obedíre. Paupertátem vero Seráphici Patriárchae ita aemulátus est, ut morti próximus Praeláto suo asserére vere potúerit, se nihil habére, quod more religiosórum resignáret. Itaque mundo, sibíque mórtuus vitam Jesu manifestábat in carne sua, quae dum in alíquibus ex turpitúdine obscénum flagítium sentiébat, prodigiósum de se efflábat odórem, indícium nitidíssimae illíus puritátis, quam, immúndo spíritu vehementíssimis tentatiónibus frustra obnubiláre diu conánte, servávit illaesam, tum arcta sénsuum custódia, tum jugi córporis maceratióne, tum dénique speciáli protectióne purissimae Vírginis Maríae, quam Matrem suam appellare consuévit, ac véluti Matrem dulcíssimam íntimo cordis afféctu venerabátur, eámque ab áliis venerári exoptábat, ut cum ejúsdem patrocínio, sicut ipse aiébat, ómnia bona consequeréntur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

HAEC beáti Joséphi sollicitúdo a sua erga próximos charitáte prodíbat ; tanto enim animárum zelo exardébat, ut ómnium salútem modis ómnibus instantíssime procuráret. Exténdens páriter charitátem suam in próximum sive páuperem, sive infírmum,

sive quacúmque ália tribulatióne vexátum, quantum in ipso erat, illum recreábat. Nec aliéni erant ab ejus charitáte, qui objurgatiónibus, probris, omnísque géneris injúriis ipsum appéterent; nam eádem patiéntia, mansuetúdine, vultúsque hilaritáte tália excipiébat, qua tot inter, ac tantas vicissitúdines resplénduit, dum vel moderatórum órdinis vel sacrae Inquisitiónis jussu hac illac erráre versaríque coáctus est. Quamquam vero pópuli non solum, sed viri príncipes exímiam ejus sanctitátem, et supérna charísmata admiraréntur; ea nihilóminus erat humilitáte, ut magnum se peccatórem réputans Deum enixe deprecarétur, ut sua ab eo illústria dona removéret; hómines vero exoráret, ut in eum locum mórtuum ejus corpus injícerent, ubi memória sui esset prorsus obliteráta. At Deus, qui ponit húmiles in sublíme, quique servum suum, dum víveret, coelésti sapiéntia, prophetía, córdium perscrutatióne, curatiónum grátia, caeterísque donis cumulatíssime exornáverat, ejus quoque mortem iis, quibus ipse ántea praedíxerat, loco, ac témpore, anno aetátis suae sexagésimo primo, Auximi in Picéno pretiósam réddidit, sepulchrúmque gloriósum. Illum dénique étiam post óbitum miráculis coruscántē Benedíctus quartusdécimus Beatórum, Clemens tertiusdécimus Sanctórum fastis adscrípsit; ejus autem offícium, et missam Clemens quartusdécimus ejúsdem órdinis ad univérsam Ecclésiam exténdit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.— Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xxii.

IN illo témpore: Loquebátur Jesus Princípibus Sacerdótum, et Pharisaeis in parábolis dicens: Símile factum est regnum coelórum hómini regi, qui fecit núptias fílio suo. Et réliqua.

Homilía S. Gregórii Papae. *Lib.* 2. *Homiliarum Homilia* xxxviii. *circa medium.*

QUIA jam, largiénte Dómino, nuptiárum domum, id est sanctam Ecclésiam, intrástis,

solérter, fratres, aspícite, ne áliquid de mentis vestrae hábitu Rex ingrédiens reprehéndat. Cum magno enim cordis timóre pensándum est, quod prótinus súbditur : Intrávit autem Rex, ut vidéret discumbéntes, et vidit ibi hóminem non vestítum veste nuptiáli. Quid, fratres caríssimi, éxprimi per nuptiálem vestem putámus ? Si enim vestem nuptiálem baptísma, vel fidem dícimus, quis sine baptísmate, et fide has núptias intrávit ? Eo enim ipso foris est, qui necdum crédidit. Quid ergo debémus intellígere per nuptiálem vestem, nisi charitátem ? Intrat enim ad núptias, sed cum nuptiáli veste non intrat, qui in sancta Ecclésia assístens fidem habet sed charitátem non habet. Recte enim cháritas nuptiális vestis vocátur, quia hanc in se Cónditor noster hábuit, dum ad sociándae sibi Ecclésiae núptias venit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dñum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua.— Ipse intercédat.

Lectio viii.

SOLA quippe dilectióne Dei actum est, ut ejus Unigénitus mentes sibi eléctórum hóminum uníret. Unde et Joánnes dicit : Sic enim diléxit Deus mundum, ut Fílium suum Unigénitum daret pro nobis. Qui ergo per charitátem venit ad hómines, eámdem charitátem innótuit vestem esse nuptiálem. Omnis ergo vestrum, qui in Ecclésia pósitus Deo crédidit, jam ad núptias intrávit : sed cum nuptiáli veste non venit, si charitátis grátiam non custódit. Et certe fratres, si quis ad carnáles núptias esset invitátus, vestem mutáret, congaudére se sponso, et sponsae ex ipso sui hábitus decóre osténderet, inter gaudéntes, et festa celebrántes despéctis véstibus apparére erubésceret. Nos ad Dei núptias venímus, et cordis vestem mutáre dissimulámus. Congáudent Angeli, cum ad coelum assumúntur elécti. Qua ergo mente haec spirituália festa conspícimus, qui nuptiálem vestem, id est charitátem, quae sola nos speciósos éxhibet, non habémus ?

℟. Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris : Et vos símiles homínibus

expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit.— Et vos símiles. Glória Patri. Et vos símiles.

In Quatuor Temporibus Lectio ix. de Homilia Feriae, et ejus Commem. in Laudibus tantum.

Lectio ix.

SCIENDUM vero est, quia sicut in duóbus lignis, superióre vidélicet, et inferióre vestis téxitur: ita in duóbus praecéptis cháritas habétur, in dilectióne scílicet Dei, et próximi. Scriptum quippe est: Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua, et ex tota virtúte tua: et próximum tuum sicut teípsum. Qua in re notándum est, quia in dilectióne próximi mensúra amóris pónitur, cum dícitur: Díliges próximum tuum sicut teípsum. Dei autem diléctio nulla mensúra constríngitur, cum dícitur: Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota ánima tua, ex tota virtúte tua. Non enim jubétur quisque quantum díligat, sed ex quanto, cum dícitur, ex toto; quia ille veráciter Deum díligit, qui sibi de se nihil relínquit. Duo ergo necésse est ut charitátis praecépta custódiat, quisquis habére in núptiis vestem nuptiálem curat.

Te Deum laudámus. 17. Ad Bened. Ańa. Osténdit mihi Dóminus flúvium aquae vivae, splendídum tamquam crystállum procedéntem de sede Dei et Agni.

Vesperae a Capitulo de sequenti, Commemoratio praecedentis.

DIE XIX. SEPTEMBR.

In festo SS. Martyrum Januarii, Episcopi et sociorum. Duplex.

Omnia de Communi plurimorum Mart. xliv. praeter sequentia.

Oratio.

DEUS qui nos ánnua sanctórũ Mártyrum tuórum, Januárii et sociórum ejus, solemnitáte laetíficas: concéde propítius, ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Deinde fit Commemor. S. Josephi a Cupertino, Ańa. Exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio ut supra, 403.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

Si autem venerit in Quatuor Temporibus, leguntur Lectiones de Epistola ad Romanos: **Fratres, Debitóres sumus,** ut in Communi plurimorũ Martyrum. xlvii. et nona Lectio de Homilia Feriae occurrentis, cum ejus Commemoratione ad Laudes tantum.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ANUARIUS, Benevénti Epíscopus, Diocletiáno et Maximiáno in Christiános saeviéntibus, ad Timótheum Campániae praesidem ob christiánae fídei professiónem Nolam perdúcitur. Ibi ejus constántia várie tentáta, in ardéntem fornácem conjéctus, ita illaesus evásit, ut ne vestiméntum, aut capíllum quidem flamma violáverit. Hinc praeses accénsus iracúndia, Mártyris corpus ímperat usque eo dístrahi, quoad nervórum compáges artuúmque solvántur. Festus intérea ejus Diáconus, et Desidérius Lector comprehénsi, vinctíque una cum Episcopo ante rhedam praesidis Putéolos pertrahúntur, et in eúmdem cárcerem, in quo Sósius Misénas, et Próculus Puteolánus Diáconus, Eutyches et Acútius láici ad béstias damnáti detinebántur, simul conjiciúntur.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes praecéptis tuis, ut inveniréntur illaesi in aquis válidis : * Terra appáruit árida, et in Mari rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquae, et torrénte inundavérunt. — Terra appáruit.

Lectio v.

POSTERO die omnes in amphitheátro feris objécti sunt : quae naturális oblítae feritátis, ad Januárii pedes se prostravére. Id Timótheus mágicis cantiónibus tríbuens, cum sententiam cápitis in Christi Mártyres pronuntiásset, óculis repénte captus, oránte mox beáto Januário, lumen recépit : quo miráculo, hóminum míllia fere quinque Christi fidem suscepérunt. Verum ingrátus judex níhilo placátior factus benefício, sed conversióne tantae multitúdinis actus in rábiem ; véritus máxime príncipum decréta, sanctum Epíscopum cum sóciis gládio pércuti jussit.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut haerédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tra-

didérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut haerédes.

Léctio vi.

HORUM córpora finítimae urbes, pro suo quaeque stúdio certum sibi patrónum ex iis apud Deum adoptándi, sepeliénda curárunt. Januárii corpus Neapolitáni divíno admónitu extulére : quod primo Benevéntum, inde ad monastérium Montis Vírginis, postrémo Neápolim translátum, et in majóri Ecclésia cónditum, multis miráculis cláruit. Sed illud in primis memorándum, quod erumpéntes olim e monte Vesúvio flammárum globos, nec vicínis modo, sed longínquis étiam regiónibus vastitátis metum afferéntes, extínxit. Praeclárum illud quoque, quod ejus sanguis, qui in ampúlla vítrea concrétus asservátur, cum in conspéctu cápitis ejúsdem Mártyris pónitur, admirándum in modum colliquefíeri et ebullíre, perínde atque recens effúsus, ad haec usque témpora cérnitur.

℣. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos : et in témpore erit respéctus illórum : * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. — Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xxiv.

IN illo témpore : Sedénte Jesu super montem Olivéti, accessérunt ad eum discípuli secréto, dicéntes : Dic nobis, quando haec erunt ? Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi.

Comm. in Matth. cap. xxv.

DISCIPULI Dñum intérrogant quando haec fíerent, quodve signum et advéntus sui et consummatiónis saeculi nóscerent. Et quia tria haec in unum quaesíta sunt : distínctis et témporis, et intelligéntiae significatiónibus separántur. Respondétur ígitur primum de civitátis occásu : et confirmátur veritáte doctrínae, ne quis fallax ignorántibus posset obrépere. Ventúri enim erant étiam eórum témpore qui se Christum essent nuncupatúri. Ut ígitur fides pestífero mendácio détrahi posset, admonítio praecéssit.

℟. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis : * Quia

unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum.—Quia unus.

Lectio viii.

CONFIRMAT ígitur eos ad tolerántiam passiónum, fugae, verberatiónis, intéritus, et públici in eos ódii propter nomen ejus. Atque his quidem vexatiónibus multi turbabúntur, et tantis insurgéntibus malis scandalizabúntur, et usque in mútuum ódium excitabúntur. Et falsi prophétae erunt (ut Nicoláus unus ex septem Diacónibus fuit) multósque ementíta veritáte pervértent: et abundánte nequítia cháritas refrigéscet.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis: Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum.—Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

Lectio ix.

SED usque in finem perseveránti bus salus reserváta est: ac tum per omnes orbis partes viris apostólicis dispérsis, Evangélii véritas praedicábitur. Et cum univérsis fúerit cognítio sacraménti coeléstis invécta, tum Jerúsalem ccásus et finis incúmbet: ut praedicatiónis fidem et infidélium poena, et metus civitátis érutae consequátur. Haec ígitur in eam, ut fúerant praedícta, perfécta sunt: et lapidátis, fugátis, peremptis Apóstolis, fame, bello, captivitáte consúmpta est. Ac tum fuit digna non esse, cum ejéctis praedicatóribus Christi, indígnam Dei praedicatióne se praebuit.

Te Deum laudámus. 17.

Vesperae a Capitulo de SS. Eustachio, et sociis Martyribus, cum Commemoratione sanctorum Januarii et sociorum, Martyrum.

DIE XX. SEPTEMBR.

In festo SS. Eustachii et sociorum, Martyrum. Duplex.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum. xliv. praeter ea, quae hic ponuntur propria.

Oratio.

DEUS, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum, Eustáchii et sociórum ejus, natalítia cólere: da nobis in aetérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Pro Commemor. sanctorum Januarii et sociorum, Añ. Gaudent in coelis áni-

mae sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti : et quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exúltant sine fine.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Oratio. Deus, qui nos ánnua, ut supra. 409.

Si hoc festum venerit in Quatuor Temporibus, Lectiones primi Nocturni : Fratres, Debitóres sumus, de Communi plurimorum Martyrum. xlvii. Lectio nona legitur de Homilia Feriae occurrentis, cum ejus Commemoratione in Laudibus tantum ; et de Vigilia nihil fit, nisi in Missa.

Si non venerit in Quatuor Temporibus, Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente ; nona Lectio erit de Vigilia, ut infra, et Commemoratio in Laudibus.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

EUSTACHIUS, qui et Plácidus, génere, ópibus et militári glória inter Romános insígnis, sub Trajáno imperatóre magístri mílitum títulum méruit. Cum vero sese aliquándo in venatióne exercéret, ac fugiéntem mirae magnitúdinis cervum insequerétur, vidit repénte inter consisténtis ferae córnua excélsam atque fulgéntem Christi Dómini e cruce pendéntis imáginem ; cujus voce ad immortális vitae praedam invitátus, una cum uxóre Theopísta, ac duóbus párvulis fíliis, Agapíto et Theopísto, christiánae milítiae nomen dedit.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile. 410.

Lectio v.

QOX ad visiónis prístinae locum, sicut ei Dóminus praecéperat, regréssus, illum praenuntiántem audívit, quanta sibi deínceps pro ejus glória perferénda essent. Quocírca incredíbiles calamitátes mira patiéntia perpéssus, brevi in summam egestátem redáctus est. Cumque clam se subdúcere cogerétur, in itínere cónjugem primum, deínde étiam líberos sibi miserabíliter eréptos ingémuit. Tantis obvolútus aerúmnis, in regióne longínqua víllicum agens, longo témpore delítuit ; donec coelésti voce recreátus, ac nova occasióne a Trajáno conquisítus, íterum bello praefícitur.

℟. Vérbera. 410.

Lectio vi.

ILLA in expeditióne, líberis simul cum uxóre insperáto recéptis, victor

Urbem ingéntiómnium gratulatióne ingréditur. Sed paulo post inánibus diis pro parta victória sacrificáre jussus, constantíssime rénuit. Cumque váriis ártibus ad Christi fidem ejurándam frustra tentarétur, una cum uxóre et líberis leónibus objícitur : horum mansuetúdine concitátus imperátor, aeneum in taurum subjéctis flammis candéntem eos immítti jubet, ubi divínis in láudibus consummáto martyrio, duodécimo Kaléndas Octóbris ad sempitérnam felicitátem convolárunt : quorum illaesa córpora religióse a fidélibus sepúlta, póstmodum ad ecclésiam, eórum nómine eréctam, honorífice transláta sunt.

℟. Tamquam aurum in fornáce. 411.

In tertio Nocturno, Homilia S. Ambrosii Episcopi in Evangelium: Descéndens Jesus, de Communi plurimorum Martyrum. Iviii.

Pro Vigilia S. Matthaei, Benedictio. Per evangélica dicta.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio ix. *Cap.* v. *f.*

IN illo témpore : Vidit Jesus publicánum nómine Levi, sedéntem ad telónium, et ait illi : Séquere me. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Episcopi.

Lib. 5. *Comment. in Lucae cap.* v. *post initium.*

MYSTICA est haec vocátio publicáni, quem sequi jubet non córporis gressu, sed mentis afféctu. Itaque ille prius avára de mercédibus, dura de labóribus periculísque nautárum emoluménta convértens, verbo vocátus, própria derelínquit, qui rapiébat aliéna : ac vile illud sedíle destítuens, toto post Dóminum vestígio mentis incédit ; convívii quoque magni éxhibet apparátum. Qui enim domicílio Christum récipit intérno, máximis delectatiónibus exuberántium páscitur voluptátum.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus pro Comm. Vigiliae, Aña et ℣. de Feria occurrente.

Oratio.

OA quaesumus omnípotens Deus : ut beáti Matthaei Apóstoli tui et Evangelístae, quam praevenímus, veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

Vesperae de sancto Matthaeo Apostolo, cum Commemoratione praecedentis festi.

DIE XXI. SEPTEMBR.

In festo S. Matthaei, Apostoli et Evangelistae.

Duplex.

Omnia dicuntur de Communi Apostolorum. ii. praeter sequentia.

Oratio.

BEATI Apóstoli et Evangelístae Matthaei, Dómine, précibus adjuvémur : ut quod possibílitas nostra non óbtinet, ejus nobis intercessióne donétur. Per Dóminum.

Deinde fit Commemor. SS. Eustachii et sociorum, Martyrum. Aña. Gaudent in coelis. ℣. Exultábunt. Oratio. Deus, qui nos concédis. 412.

In primo Nocturno leguntur Lectiones de Ezechiele Propheta positae in Communi Evangelistarum. xxii.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

MATTHÆUS, qui et Levi, Apóstolus et Evangelísta, Caphárnai cum ad telónium sedéret, a Christo vocátus, statim secútus est ipsum : quem étiam cum réliquis discípulis convívio excépit. Post Christi resurrectiónem, ántequam in provínciam proficiscerétur, quae ei ad praedicándum obtígerat, primus in Judaea, propter eos qui ex circumcisióne credíderant, Evangélium Jesu Christi hebráice scripsit : mox in Æthiópiam profectus, Evangélium praedicávit, ac praedicatiónem multis miráculis confirmávit.

℟. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens : * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium coelum, voce magna clamántem, et dicéntem.— Isti sunt.

Lectio v.

TLLO ígitur in primis miráculo, quo regis fíliam a mórtuis excitávit, regem patrem, et uxórem ejus, cum univérsa província ad Christi fidem convértit. Rege mórtuo, Hírtacus ejus successor, cum Iphigeníam, régiam fíliam vellet sibi dari in matrimónium, Matthaeum, cujus ópera illa virginitátem Deo vóverat, et in sancto propósito perseverábat, ad altáre mystérium celebrántem jussit occídi. Qui undécimo Kaléndas Octóbris munus Apostólicum martyrii glória cumulávit. Cujus corpus Salérnum translátum, ac póstmodum in Ecclésia ejus nómine dedicáta, Gregório séptimo summo Pontífice cónditum, ibídem magno

hóminum concúrsu ac pietáte cólitur.

℟. Beáti estis cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me: * Gaudéte et exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in coelis. ℣. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis.—Gaudéte.

De Expositióne S. Gregórii Papae super Ezechiélem Prophétam.

Homilia viii. *Lib.* i.

Lectio vi.

SANCTA quátuor animália, quae prophetíae spíritu futúra praevidéntur, subtíli narratióne describúntur, cum dícitur: Quátuor fácies uni, et quátuor pennae uni. Quid per fáciem, nisi notítia; et quid per pennas, nisi volátus exprímitur? Per fáciem quippe unusquísque cognóscitur: per pennas vero in altum ávium córpora sublevántur. Fácies ítaque ad fidem pértinet, penna ad contemplatiónem. Per fidem namque ab omnipoténti Deo cognóscimur, sicut ipse de suis óvibus dicit: Ego sum pastor bonus, et cognósco oves meas, et cognóscunt me meae. Qui rursus ait: Ego scio quos elégerim. Per contemplatiónem vero, qua super nosmetípsos tóllimur, quasi in áera levámur.

℟. Isti sunt triumphatóres, et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt praemia aetérna: * Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.—Modo coronántur. Glória Patri. Modo coronántur.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* ix. *b.*

IN illo témpore: Vidit Jesus hóminem sedéntem in telónio, Matthaeum nómine. Et ait illi: Séquere me. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. i. *Comm. in Matth. c.* ix.

SAETERI Evangelístae, propter verecúndiam, et honórē Matthaei, noluérunt eum nómine appelláre vulgáto: sed dixérunt, Levi: dúplici quippe vocábulo fuit. Ipse autem Matthaeus (secúndum illud quod dícitur a Salomóne: Justus accusátor est sui in princípio sermónis: et in álio loco: Dic tu peccáta

tua, ut justificéris) Matthaeum se, et publicánum nóminat, ut osténdat legéntibus, nullum debére salútem desperáre, si ad melióra convérsus sit, cum ipse de publicáno in Apóstolum sit repénte mutátus.

℟. Isti sunt qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo : * Cálicem Dómini bibérunt, et amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terrae verba eórum. — Cálicem.

Lectio viii.

ARGUIT in hoc loco Porphyrius, et Juliánus Augústus, vel imperítiam históricі mentiéntis, vel stultítiam eórum qui statim secúti sint Salvatórem, quasi irrationabíliter quémlibet vocántem hóminem sint secúti : cum tantae virtútes, tántaque signa praecésserint, quae Apóstolos, ántequam créderent, vidísse non dúbium est. Certe fulgor ipse, et majéstas divinitátis occúltae, quae étiam in humána fácie relucébat, ex primo ad se vidéntes tráhere póterat aspéctu. Si enim in magnéte lápide et súccinis haec esse vis dícitur, ut ánnulos et stípulam et festúcas sibi cópulent, quanto magis Dóminus ómnium creatúrarum ad se tráhere póterat quos vocábat ?

℟. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in charitáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna : operáti sunt justítiam. — Quorum doctrína. Glória. Quorum doctrína.

Lectio ix.

ET factum est, discumbénte eo in domo, ecce multi publicáni et peccatóres veniéntes discumbébant cum Jesu. Vidébant publicánum a peccátis ad melióra convérsum, locum invenísse poeniténtiae, et ob id étiam ipsi non despérant salútem. Neque vero in prístinis vítiis permanéntes véniunt ad Jesum, ut Pharisaei, et Scribae múrmurant ; sed poeniténtiam agéntes, ut sequens Dñi sermo significat, dicens : Misericórdiam volo, et non sacrifícium : non enim veni vocáre justos, sed peccatóres. Ibat autem Dñus ad convívia peccatórũ, ut occasiónem habéret docéndi, et spirituáles invitatóribus suis praebéret cibos.

Te Deum laudámus. 17.

In secundis Vesperis fit Commemoratio sequentis et sanctorum Mauritii et sociorum, Martyrum.

DIE XXII. SEPTEMBR.

In festo S Thomae de Villanova, Episcopi et Conf. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. lxi. praeter sequentia.

Ad Magnif. in utrisque Vesperis, Añia. Dispérsit, dedit paupéribus : justítia ejus manet in saeculum saeculi.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriae índuit eum.

Oratio.

DEUS, qui beátum Thomam Pontíficem insígnis in páuperes misericórdiae virtúte decorásti : quaesumus, ut ejus intercessióne in omnes, qui te deprecántur, divítias misericórdiae tuae benígnus effúndas. Per Dóminum.

Deinde fit Commemoratio SS. Mauritii et sociorum, Martyrum, Antiph. Istórum est enim regnum coelórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad praemia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Laetámini in Dño, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

ANNUE, quaesumus omnípotens Deus : ut sanctórum Mártyrum tuórum Maurítii et sociórum ejus nos laetíficet festíva solémnitas : ut quorum suffrágiis nítimur, eórum natalítiis gloriémur. Per Dóminum nostrum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

Si autem venerit in Quatuor Temporibus Lectiones primi Noct. Fidélis sermo, de Comm. lxiv. Lectio ix. de Feria, et ejus Commem. in Laudibus tantum.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

THOMAS in óppido Fontispláni Toletánae dioecéseos in Hispánia natus anno Dómini millésimo quadringentésimo octogésimo octávo, ab óptimis paréntibus ineúnte vita pietátem et singulárem in páuperes misericórdiam accépit ; cujus adhuc puer complúra dedit exémpla ; sed illud in primis nóbile, quod ut nudos operíret, própriis véstibus non semel se ipsum éxuit. Exácta puerítia, Complúto, quo missus fúerat, ut alúmnus in collégio majóri sancti Ildefónsi lítteris óperam daret, patris óbitu revocátus, univérsam haereditátē egénis virgínibus aléndis dicávit ; eodémque statim revérsus est, et sacrae theológiae cursu confécto, ádeo

doctrína excélluit, ut in eádem universitáte cáthedram ascéndere jussus, philosóphicas theologicásque quaestiónes mirabíliter explanáverit : ínterim assíduis précibus sciéntiam Sanctórum, et rectam vitae morúmque normam a Dómino vehementíssime póstulans. Quare divíno instínctu Eremitárum sancti Augustíni ampléxus est institútum.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

RELIGIONEM proféssus ómnibus religiósi hóminis virtútibus et ornaméntis excélluit, humilitáte, patiéntia, continéntia, sed ardentíssima charitáte summe conspícuus : inter vários et assíduos labóres oratióni, rerúmque divinárum meditatióni invícto spíritu semper inténtus. Praedicándi onus, útpote sanctimónia et doctrína praestans, subíre jussus, coelésti aspiránte grátia, innumerábiles e vitiórum coeno in viam salútis edúxit. Regéndis deínde frátribus admótus, prudéntiam, aequitátem, et mansuetúdinem pari sedulitáte ac severitáte conjúnxit : ádeo ut priscam sui órdinis disciplínam multis in locis vel firmáverit, vel restitúerit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus enim mea.

Lectio vi.

GRANATENSIS Archiepíscopus designátus, mira humilitáte et constántia insígne munus rejécit. Verum non multo post Valentínam Ecclésiam, superiórum auctoritáte coáctus, gubernándam suscépit : quam annis ferme úndecim ita rexit, ut sanctíssimi et vigilantíssimi pastóris partes expléverit. Caeterum consuéta vivéndi ratióne nihil ádmodum immutáta, inexplébili charitáti multo magis indúlsit, cum amplos Ecclésiae rédditus in egénos dispérsit, ne léctulo quidem sibi relícto ; nam eum, in quo decumbébat, cum in coelum evocarétur, ab eódem commodátum hábuit, cui paulo ante eleemósynae loco donáverat. Obdormívit in Dómino sexto Idus Septémbris, annos natus octo et sexagínta. Servi sui sanctitátem adhuc vivéntis, et

exínde post mortem, miráculis Deus testátam vóluit; praesértim, cum hórreum, fruménto paupéribus distribúto, pénitus vácuum, repénte plenum invéntum est : et cum ad ejus sepúlchrum puer mórtuus revíxit. Quibus aliísque non paucis fulgéntem signis, Alexánder séptimus Póntifex máximus Sanctórum número adscrípsit, atque ejus memóriam quarto décimo Kaléndas Octóbris celebrári mandávit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna. — Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium: Homo péregre, de Communi Confessoris Pontificis. lxx.

Pro sanctis Mauritio et sociis, Martyribus.

Lectio ix.

CUM Maximiánus imperátor, ducto in Gálliam exércitu, in fínibus Sedunórum sacrifícii causa constitísset, Thebaeórum légio, ne se impiórum sacrórum societáte contamináret, a réliquis cópiis discéssit. Quare imperátor misit ad eos mílites, qui suo nómine nuntiárent, ut si salvi esse vellent, in castra ad sacrifícia redírent. Qui se christiána religióne impedíri respondérunt. Quorum respónsum ille indigníssime ferens, majóri iracúndia, quam ántea, exársit. Itaque immíssa parte exércitus in Thebaeos, décimum quemque eórum primum occídi jussit : quod martyrium sua sponte, maximéque hortatóre Maurítio, ferre maluérunt, quam imperáta fácere nefárii imperatóris: ac deínde réliquos omnes, constantíssime Christum praedicántes, décimo Kaléndas Octóbris ab univérso exércitu trucidári ímperat.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Bened. Aña. Eleemósynas illíus enarrábit omnis Ecclésia Sanctórum.

Deinde fit Commemoratio SS. Martyr. Aña. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Oratio. Annue, quaesumus, ut supra. 418.

In secundis Vesperis ad Magnificat, Aña. Dispérsit. 418. Deinde fit Comm.

sequentis, et S. Theclae, Virginis Martyris.

DIE XXIII. SEPTEMB.

In festo S. Lini, Papae et Martyris. Semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris. xxvii. praeter ea quae hic ponuntur propria.

Ad Magnificat, Ańa. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Lini Mártyris tui atque Pontíficis, ánnua solemnitáte laetíficas : concéde propítius ; ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Theclae, Virg. et Mart. Ańa. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dñus praeparávit in aetérnum.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio.

DA, quaesumus omnípotens Deus : ut qui beátae Theclae Vírginis et Mártyris tuae natalítia cólimus; et ánnua solemnitáte laetémur, et tantae fídei proficiámus exémplo. Per Dóminum nostrum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

Si autem venerit in Quatuor Temporibus, Lectiones primi Nocturni erunt de Actibus Apostolorum : A Miléto, de Comm. unius Martyris. xxx. Lectio ix. de Homilia Feriae et ejus Commem. in Laudibus.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

LINUS Póntifex, Volatérris in Etrúria natus, primus post Petrum gubernávit Ecclésiam. Cujus tanta fides et sánctitas fuit, ut non solum daemones ejíceret, sed étiam mórtuos revocáret ad vitam. Scripsit res gestas beáti Petri, et ea máxime, quae ab illo acta sunt contra Simónem magum. Sancívit, ne qua múlier, nisi veláto cápite in ecclésiam introíret. Huic Pontífici caput amputátum est ob constántiam christiánae fídei, jussu Saturníni ímpii et ingratíssimi consuláris, cujus fíliam a daemonum vexatióne liberáverat. Sepúltus est in Vaticáno prope sepúlchrum príncipis Apostolórum, nono Kaléndas Octóbris. Sedit annos úndecim,

menses duos, dies vigínti tres : creátis bis mense Decémbri Epíscopis quíndecim, Presbyteris decem et octo.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

De Expositióne S. Ambrósii Epíscopi in Psalmum centésimum décimum octávum.

Lectio v. *Serm.* xxi.

PRINCIPES persecúti sunt me gratis : et a verbis tuis trepidávit cor meum. Bene hoc Martyr dicit, quod injúste persecutiónum torménta sustíneat : qui nihil rapúerit, nullum violéntus oppresserit, nullíus sánguinem fúderit, nullíus torum putáverit esse violándum : qui nihil légibus débeat, et gravióra latrónum sustinére cogátur supplícia : qui loquátur juste, et non audiátur : qui loquátur plena salútis, et impugnétur : ut possit dícere : Cum loquébar illis, impugnábant me gratis. Gratis ígitur persecutiónem pátitur, qui impugnátur sine crímine : impugnátur ut nóxius, cum sit in tali confessióne laudábilis : impugnátur quasi venéficus, qui in nómine Dómini gloriátur, cum piétas virtútum ómnium fundaméntum sit.

℟. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et voluntáte.

Lectio vi.

TERE frustra impugnátur, qui apud ímpios et infídos impietátis arcéssitur, cum fídei sit magíster. Verum qui gratis impugnátur, fortis debet esse et constans. Quómodo ergo subtéxuit : Et a verbis tuis trepidávit cor meum ? Trepidáre infirmitátis est, timóris atque formídinis. Sed est étiam infírmitas ad salútem, est étiam timor sanctórum. Timéte Dñum omnes sancti ejus ; et, Beátus vir, qui timet Dóminum. Qua ratióne beátus ? Quia in mandátis ejus cupit nimis.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitae et intellléctus : et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum. — Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evangelium : Si quis venit ad me, de Communi unius Martyris. xxxvi.

Pro sancta Thecla Virgine et Martyre.

Lectio ix.

THECLA virgo, ex illústribus paréntibus Icónii nata, a Paulo Apóstolo fídei praecéptis institúta, miris sanctórum Patrum láudibus celebrátur. Quae décimum octávum annum agens, Thamíride sponso relícto, cum eam paréntes, quod Christiána esset, accusássent : in ardéntem rogum, qui, nisi Christo renuntiáret, ei parátus erat, prius signo crucis armáta seípsam injécit. Sed igne plúvia, quae repénte exórta est, extíncto, Antiochíam venit : ubi feris objécta, et tauris in divérsa incitátis alligáta, mox conjécta in fossam plenam serpéntibus, ex ómnibus Jesu Christi grátia liberátur. Cujus ardóre fídei, et vitae sanctitáte multi ad Christum convérsi sunt. Iterum in pátriam rédiens, in montem sola secéssit : deínde multis virtútibus et miráculis insígnis, nonagenária migrávit ad Dóminum, ac Seleucíae sepúlta est.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus pro Commemoratione S. Theclae, Aña. Símile est regnum coelórum hómini negotiatóri quaeránti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Oratio. Da quaesumus, ut supra. 421.

DIE XXIV. SEPTEMBR.

In festo B. Mariae Virginis de Mercede.

Duplex.

AD VESPERAS.

Aña. Dum esset Rex, cum reliquis Añis et Psalmis, ut in festis B. M. V. clviii. praeter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui per gloriosíssimam Fílii tui Matrem ad liberándos Christi fidéles a potestáte Paganórum nova Ecclésiam tuam prole amplificáre dignátus es : praesta quaesumus ; ut quam pie venerámur tanti óperis Institutrícem, ejus páriter méritis et intercessióne a peccátis ómnibus, et captivitáte daemonis liberémur. Per eúmdem Dóminum.

Deinde fit Commemor. S. Lini, Papae et Martyris,

Aña. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio. Deus, qui nos, ut supra. 421.

Lectio iv.

QUO témpore major, feliciórque Hispaniárum pars diro Saracenórum opprimebátur jugo, innumeríque fidéles sub imáni servitúte, máximo cum perículo christiánae fídei abjurándae, amittendaeque salútis aetérnae, infelíciter detinebántur, beatíssima coelórum Regína tot tantísque benígniter occúrrens malis, nímiam charitátem suam in iis rediméndis osténdit. Nam sancto Petro Nolásco, pietáte et ópibus florénti, qui sanctis vacans meditatiónibus júgiter ánimo recogitábat, qua ratióne tot Christianórum aerúmnis sub Maurórum captivitáte degéntium succúrri posset, ípsamet beatíssima Virgo seréna fronte se conspiciéndam dedit, et acceptíssimum sibi ac Unigénito suo Fílio fore dixit, si suum in honórem instituerétur ordo religiosórum, quibus cura incúmberet captívos e Turcárum tyránnide liberándi. Qua coelésti visióne vir Dei recreátus, mirum est, quo charitátis ardóre flagráre coeperit, hoc unum servans in corde suo, ut ipse, ac instituénda ab eo relígio máximam illam charitátem sédulo exercérent, ut quisque ánimam suam póneret pro amícis, et próximis suis.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. — Dedi.

Lectio v.

ERA ipsa nocte éadem Virgo sanctíssima beáto Raymúndo de Pénnafort, et Jacóbo Aragóniae regi appáruit, idípsum de religiósis instituéndis ádmonens, suadénsque, ut opem pro constructióne tanti óperis ferrent. Petrus autem statim ad Raymúndi pedes, qui ipsi erat a sacris confessiónibus, ádvolans, ei rem omnem apéruit, quem étiam coelitus instrúctum réperit, ejúsque directióni se humíllime subjécit. At supervéniens Jacóbus rex, quam et ipse accéperat a beatíssima Vírgine revelatiónem éxequi státuit. Unde collátis inter se consíliis, et consentiéntibus ánimis in honórem ejúsdem Vírginis Matris órdinem instituere

aggréssi sunt, sub invocatióne sanctae Maríae de Mercéde Redemptiónis Captivórum.

℟. Quae est ista, quae processit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliae Sion, et beátam dixérunt, et regínae laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium.—Vidérunt.

Lectio vi.

DIE ígitur décima Augústi anno Dómini millésimo ducentésimo décimo octávo, rex idem Jacóbus eam institutiónem jam pridem ab iísdem sanctis viris concéptam éxequi státuit, sodálibus quarto voto adstrictis manéndi in pignus sub Paganórum potestáte, si pro Christianórum liberatióne opus fúerit. Quibus rex ipse arma sua régia in péctore deférre concéssit, et a Gregório nono illud tam praecelléntis erga próximum charitátis institútum, et religiónem confirmári curávit: sed et ipse Deus per Vírginem Matrem increméntum dedit, ut talis institútio celérius, ac felícius totum per orbem divulgarétur, sanctísque viris florúerit charitáte ac pietáte insígnibus, qui eleemósynas a Christi fidélibus colléctas in prétium redemptiónis suórum proximórum expénderent, seque ipsos interdum darent in redemptiónem multórum. Ut autem tanti benefícii, et institutiónis débitae Deo, et Vírgini Matri referántur grátiae, sedes apostólica hanc peculiárem festivitátem celebrári, et offícium recitári indúlsit, cumália fere innúmera eídem órdini privilégia páriter contulísset.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dñus concupívit: * Et vidéntes eam fíliae Sion, beatíssimam praedicavérunt, dicéntes: * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit Regina a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte.—Et vidéntes. Glória Patri. Unguéntum.

In Quatuor Temporibus Lectio ix. de Homilia, et Commemoratio Feriae in Laudibus.

DIE XXVI. SEPTEMBR.

SS. Cypriani et Justinae, Martyrum.

Oratio.

BEATORUM Mártyrum Cypriáni et Justínae nos, Dómine, fóveant continuáta praesídia: quia non désinis propítius intuéri, quos tálibus auxíliis concésseris adjuvári. Per Dóminum.

Lectio ii.

CYPRIANUS primum magus, póstea Martyr, cum Justínā christiánam vírginem, quam júvenis quidam ardénter amábat, cantiónibus ac venefíciis ad ejus libídinis assénsum allícere conarétur ; daemonem consúluit, quanam id re cónsequi posset. Cui daemon respóndit, nullam illi artem processúram advérsus eos qui vere Christum cólerent. Quo respónso commótus Cypriánus, veheménter dolére coepit vitae superióris institútum. Itaque relíctis mágicis ártibus, se totum ad Christi Dómini fidem convértit.

Lectio iii.

QUAM ob causam una cum vírgine Justína comprehénsus est, et ambo cólaphis flagellísque caesi sunt : mox in cárcerem conjécti, si forte senténtiam commutárent. Verum inde póstea emíssi, cum in christiána religióne constantíssimi reperiréntur, in sartáginem plenam ferventis picis, ádipis, et cerae injécti sunt. Demum Nicomedíae secúri feriúntur. Quorum projécta córpora, cum sex dies inhumáta jacuíssent, noctu quidam nautae clam ea in navem impósita Romam portavérunt : ac primum in praedio Rufínae nóbilis foeminae sepúlta sunt : póstea transláta in Urbem, in basílica Constantiniána cóndita sunt prope baptistérium.

Te Deum laudámus. 17.

DIE XXVII. SEPTEMB.

In festo SS. Martyrum Cosmae et Damiani. Semiduplex.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum. xliv. exceptis iis quae hic habentur.

Oratio.

PRAESTA quaesumus omnípotens Deus : ut qui sanctórum Mártyrum tuórum Cosmae et Damiáni natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus, eórum intercessiónibus liberémur. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

COSMAS et Damiánus, fratres Arabes, in Ægéa urbe nati, nóbiles médici, imperatóribus Diocletiáno et Maximiáno, non magis medicínae sciéntia, quam Christi virtúte, morbis étiam insanabílibus medebántur. Quorum religióne cum Lysias praefectus

cognovísset, addúci eos ad se jubet : ac de vivéndi instituto, et de fídei professióne interrogátos, cum se et Christiános esse, et christiánam fidem esse ad salútem necessáriam, líbere praedicárent ; deos venerári ímperat : et si id recúsent, minátur cruciátus, et necem acerbíssimam.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes praecéptis tuis, ut inveniréntur illaesi in aquis válidis : * Terra appáruit árida : et in Mari rubro via sine impedimento. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquae, et torrénte inundavérunt.— Terra appáruit.

Lectio v.

TERUM ut se frustra haec illis propónere intélligit : Colligáte, inquit, manus et pedes istórum, eósque exquisítis torquéte supplíciis. Quibus jussa exequéntibus, nihilóminus Cosmas et Damiánus in sententia persistébant. Quare ut erant vincti, in profúndum mare jaciúntur : unde cum salvi ac solúti essent egréssi, mágicis ártibus praefectus factum assígnans, in cárcerem tradit, ac postrídie edúctos, in ardéntem rogum ínjici jubet: ubi cum ab ipsis flamma refúgeret, várie et crudéliter tortos secúri pércuti vóluit. Itaque in Jesu Christi confessióne martyrii palmam accepérunt.

℟. Vérbera carnífícum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut haerédes fierent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia.— Ut haerédes.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.
Sermone xlvii. *de Sanctis.*

Lectio vi.

QUOTIESCUMQUE, fratres caríssimi, sanctórum Mártyrum solémnia celebrámus, ita, ipsis intercedéntibus, expectémus a Dómino cónsequi temporália benefícia : ut ipsos Mártyres imitándo, accípere mereámur aetérna. Ab ipsis enim sanctórum Mártyrum in veritáte festivitátum gáudia celebrántur, qui ipsórum Mártyrum exémpla sequúntur. Solemnitátes enim Mártyrum, exhortatiónes sunt martyriórum : ut imitári non pígeat, quod celebráre delectat.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos: et in témpore erit respéctus illórum : * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣.

Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi.—Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In tertio Nocturno, Homília S. Ambrosii Episcopi in Evang. Descéndens Jesus de monte, de Communi plurimorum Martyrum. lviii.

℟. viii. Haec est vera fratérnitas. liv.

In secundis Vesperis a Capit. fit de S. Wenceslao, cum Commem. SS. Cosmae et Damiani, Martyrum.

DIE XXVIII. SEPTEMB.

In festo S. Wenceslai, Martyris. Semiduplex.

Omnia de Communi unius Mart. xxvii. praeter ea quae hic sequuntur propria.

Oratio.

DEUS, qui beátum Wenceslàum per martyrii palmam a terréno principátu ad coeléstem glóriam transtulísti : ejus précibus nos ab omni adversitáte custódi, et ejúsdem tríbue gaudére consórtio. Per Dóminum nostrum.

Deinde fit Commemorat. SS. Martyrum Cosmae et Damiani, Añna. Gaudent in coelis ánimae sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti : et quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exúltant sine fine.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Oratio. Praesta quaesumus, ut supra. 426.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

WENCESLAUS Bohémiae dux, Wratisláo patre christiáno, Drahomíra matre gentíli natus, ab ávia Ludmílla, foemina sanctíssima, pie educátus, omni virtútum génere insígnis, summo stúdio virginitátem per omnem vitam servávit illibátam. Mater per nefáriam Ludmíllae necem regni administratiónem assecúta, ímpie cum juniórefílio Bolesláo vivens, concitávit in se prócerum indignatiónem : quare tyránnici et ímpii regíminis pertaesi, utriúsque excússo jugo, Wenceslàum in urbe Pragénsi regem salutárunt.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Descenditque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum.—Et dedit illi.

Lectio v.

ILLE regnum pietáte magis quam império regens, órphanis, víduis, egénis tanta charitáte subvénit, ut própriis húmeris aliquándo ligna indigéntibus nocte comportárit, paupéribus humándis frequénter adfúerit, captívos liberárit, carcéribus deténtos nocte intempésta visitárit, pecúniis et consílio saepíssime consolátus. Miti ánimo princeps veheménter dolébat, quémpiam, etsi reum, morti adjudicári. Summa religióne Sacerdótes venerátus, suis mánibus tríticum serébat, et vinum exprimébat, quibus in missae sacrificio uteréntur ; nocte nudis pédibus super nivem et gláciem circuíbat ecclésias, sanguínea et terram calefaciéntia post se relínquens vestígia.

℟. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, Dñe, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. —Et.

Lectio vi.

ANGELOS hábuit sui córporis custódes : cum enim ad singuláre certámen advérsus Radisláum, ducem Curiménsem, eo fine accéderet, ut suórum salúti prospíceret, visi sunt Angeli arma ministrásse, et dixísse adversário : Ne férias. Pertérritus hostis, venerabúndus prócidens véniam exorávit. Cum in Germániam proféctus esset, imperátor, conspéctis duóbus Angelis, áurea cruce ad se accedéntem ornántibus, e sólio prosíliens bráchiis excépit, régiis insígnibus decorávit, eíque sancti Viti bráchium donávit. Nihilóminus ímpius frater, matre hortánte, convívio excéptum et póstea in eccléisia orántem, parátae sibi mortis praescium, adhíbitis scéleris comítibus, interfécit. Sanguis per paríetes aspérsus, adhuc conspícitur: et Deo víndice, matrem inhumánam terra absórbuit ; interfectóres váriis modis mísere periérunt.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dñus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dñus pane vitae et intellectus: et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum.— Et. Glória Patri. Et.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evang. Si quis vult post me veníre, ut in Communi unius Martyris. xli.

Vesperae de S. Michaele Archangelo sine Commem. S. Wenceslai.

DIE XXIX. SEPTEMBR.

In Dedicatione S. Michaelis Archangeli. Duplex.

AD VESPERAS.

Ańa. Stetit Angelus, cum reliquis de Laudibus. 441. Psalmus. Dixit Dñus, cum reliquis de Dominica. 134. et loco ultimi, Ps. Laudáte Dñum omnes Gentes. 138.

Capitulum. *Apoc.* i.

SIGNIFICAVIT Deus quae opórtet fíeri cito, loquens per Angelum suum servo suo Joánni, qui testimónium perhíbuit verbo Dei, et testimónium Jesu Christi, quaecúmque vidit.

Hymnus.

TE splendor et virtus Patris,
Te vita, Jesu, córdium,
Ab ore qui pendent tuo,
Laudámus inter Angelos.

Tibi mille densa míllium
Ducum coróna mílitat :
Sed éxplicat victor crucem
Míchael salútis signifer.

Dracónis hic dirum caput
In ima pellit tártara,
Ducémque cum rebéllibus
Coelésti ab arce fúlminat.

Contra ducem supérbiae
Sequámur hunc nos Príncipem,
Ut detur ex Agni throno
Nobis coróna glóriae.

Patri, simúlque Filio,
Tibíque, sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Saeclum per omne glória.
Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

Ad Magnif. Ańa. Dum sacrum mystérium cérneret Joánnes, Archángelus Míchael tuba cécinit : Ignósce, Dómine Deus noster, qui áperis librum, et solvis signácula ejus, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui miro órdine Angelórum ministéria hominúmque dispénsas : concéde propítius ; ut a quibus tibi ministrántibus in coelo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitat. Regem Archangelórum Dóminum, * Veníte adorémus. Psalmus. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus. Te splendor, ut supra.

In primo Nocturno.

Ańa. Concússum est mare, et contrémuit terra, ubi Archángelus Míchael descendébat de coelo.

Psalmus viii.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super coelos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo coelos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quae tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus ? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum ?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas: ínsuper et pécora campi.

Vólucres coeli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra !

Antiphona. Concússum est mare, et contrémuit terra, ubi Archángelus Míchael descendébat de coelo.

Añ. Laudémus Dñum, quem laudant Angeli, quem Chérubim et Séraphim : Sanctus, Sanctus, Sanctus proclámant.

Psalmus x.

IN Dómino confído : quómodo dícitis ánimae meae : * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quae perfecísti, dextruxérunt : * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in coelo sedes ejus :

Oculi ejus in páuperem respíciunt: * pálpebrae ejus intérrogant fílios hóminum.

Dñus intérrogat justum et ímpium : * qui autem díligit iniquitátem odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis, et sulphur, et spíritus procellárum, pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dñus, et justítias diléxit : * aequitátem vidit vultus ejus.

Añ. Laudémus Dñum, quem laudant Angeli, quem Chérubim et Séraphim : Sanctus, Sanctus, Sanctus proclámant.

Añ. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dñi de manu Angeli.

Psalmus xiv.

DOMINE, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis re-

quiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam:

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus: * timéntes autem Dóminum glorificat:

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit haec, * non movébitur in aetérnum.

Ant. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dei de manu Angeli.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

Pater noster. Absolutio. Exáudi, Dómine. ℣. Jube, domne. Benedictio. Benedictióne perpétua.

Ex Daniéle Prophéta.

Lectio i. *Cap.* vii. *c.*

ASPICIEBAM donec throni pósiti sunt, et antíquus diérum sedit: vestiméntum ejus cándidum quasi nix, et capilli cápitis ejus quasi lana munda: thronus ejus flammae ignis: rotae ejus ignis accénsus. Flúvius ígneus rapidúsque egrediebátur a fácie ejus. Míllia míllium ministrábant ei, et décies míllies centéna míllia assistébant ei: judícium sedit, et libri apérti sunt. Aspiciébam propter vocem sermónum grándiu, quos cornu illud loquebátur: et vidi quóniam interfécta esset béstia, et periísset corpus ejus, et tráditum esset ad comburéndum igni.

℟. Factum est siléntium in coelo, dum commítteret bellum draco cum Michaéle Archángelo: * Audíta est vox míllia míllium dicéntium: Salus, honor, et virtus omnipoténti Deo. ℣. Míllia míllium ministrábant ei, et décies centéna míllia assistébant ei.—Audíta est vox. Benedictio. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio ii. *Cap.* x.

DIE autem vigésima et quarta mensis primi eram juxta flúvium magnum, qui est Tigris. Et levávi óculos meos, et vidi: et ecce vir unus vestítus líneis, et renes ejus accíncti auro obrízo: et corpus ejus quasi chrysólithus, et fácies ejus velut spécies fúlguris, et óculi ejus ut lampas ardens: et bráchia ejus, et quae deórsum sunt usque ad pedes, quasi spécies aeris

candéntis: et vox sermónum ejus ut vox multitúdinis. Vidi autem ego Dániel solus visiónem: porro viri, qui erant mecum, non vidérunt: sed terror nímius írruit super eos, et fugérunt in abscónditum. Ego autem relíctus solus vidi visiónem grandem hanc: et non remánsit in me fortitúdo, sed et spécies mea immutáta est in me, et emárcui, nec hábui quidquam vírium.

℟. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuríbulum áureum in manu sua: et data sunt ei incénsa multa: * Et ascéndit fumus arómatum de manu Angeli in conspéctu Dómini. ℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi: adorábo ab templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo, Dómine.—Et. Bened. Spíritus sancti grátia.

Lectio iii.

ET audívi vocem sermónum ejus: et áudiens jacébam consternátus super fáciem meam, et vultus meus haerébat terrae. Et ecce manus tétigit me, et eréxit me super génua mea, et super artículos mánuum meárum. Et dixit ad me: Dániel vir desideriórum, intéllige verba, quae ego loquor ad te, et sta in gradu tuo: nunc enim sum missus ad te. Cumque dixísset mihi sermónem istum, steti tremens. Et ait ad me: Noli metúere Dániel: quia ex die primo, qua posuísti cor tuum ad intelligéndum ut te affligéres in conspéctu Dei tui, exaudíta sunt verba tua: et ego veni propter sermónes tuos. Princeps autem regni Persárum réstitit mihi vigínti et uno diébus: et ecce Míchael, unus de princípibus primis, venit in adjutórium meum, et ego remánsi ibi juxta regem Persárum. Veni autem ut docérem te quae ventúra sunt pópulo tuo in novíssimis diébus, quóniam adhuc vísio in dies.

℟. In conspéctu Angelórum psallam tibi, et adorábo ad templum sanctum tuum, * Et confitébor nómini tuo, Dñe. ℣. Super misericórdia tua, et veritáte tua; quóniam magnificásti super nos nomen sanctum tuum.—Et confitébor. Glória Patri. Et confitébor.

In secundo Nocturno.

Aña. Míchael Archángele, veni in adjutórium pópulo Dei.

Psalmus xviii.

COELI enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélae, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terrae verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo coelo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas : * testimónium Dñi fidéle, sapiéntiam praestans párvulis.

Justítiae Dómini rectae, laetificántes corda : * praecéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in saeculum saeculi : * judícia Dñi vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum : * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me: * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint dominàti, tunc immaculátus ero : * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * et redémptor meus.

Ańa. Míchael Archángele, veni in adjutórium pópulo Dei.

Ańa. Míchael praepósitus paradísi, quem honorificant Angelórum cives.

Psalmus xxiii.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus: * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina praeparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus, et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Haec est generátio quaeréntium eum, * quaeréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles : * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae ? * Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in praelio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles : * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriae.

Ańa. Míchael praepósitus paradísi, quem honorífícant Angelórum cives.

Ańa. Glorióśus apparuísti in conspéctu Dómini, proptérea decórem índuit te Dóminus.

Psalmus xxxiii.

BENEDICAM Dñum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant mansuéti, et laeténtur.

Magnificáte Dóminum mecum : * et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me : * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illumináminí : * et fácies vestrae non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum : * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum : * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus : * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes sancti ejus : * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt : * inquiréntes autem Dñum non minuéntur omni bono.

Veníte fílii, audíte me : * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam : * díligit dies vidére bonos ?

Próhibe linguam tuam a malo : * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum : * inquíre pacem, et perséquere eam.

Óculi Dómini super justos : * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala : * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos : * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde : * et húmiles spíritu salvábit.

Multae tribulatiónes justórum : * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum : * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima : * et qui odérunt justum, delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum : * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Añ. Gloriósus apparuísti in conspéctu Dómini, proptérea decórem índuit te Dóminus.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini. ℟. De manu Angeli.

Pater noster. Absolutio. Ipsíus píetas. ℣. Jube, domne, benedícere. Bened. Deus Pater omnípotens.

Sermo S. Gregórii Papae. *Ex Homil.* xxxiv. *in Evang. ante medium.*

Lectio iv

NOVEM Angelórum órdines dícimus, quia vidélicet esse testánte sacro elóquio scimus : Angelos, Archángelos, Virtútes, Potestátes, Principátus, Dominatiónes, Thronos, Chérubim, atque Séraphim. Esse namque Angelos et Archángelos pene omnes sacri elóquii páginae testántur : Chérubim vero atque Séraphim saepe, ut notum est, libri Prophetárum loquúntur. Quátuor quoque órdinum nómina Paulus Apóstolus ad Ephésios enúmerat, dicens : Supra omnem Principátum, et Potestátem, et Virtútem, et Dominatiónem. Qui rursus ad Colossénses scribens, ait : Sive Throni, sive Potestátes, sive Principátus, sive Dominatiónes. Dum ergo illis quátuor, quae ad Ephésios dixit, conjungúntur Throni, quinque sunt órdines : quibus dum Angeli, et Archángeli, Chérubim, atque Séraphim adjúncta sunt, proculdúbio novem esse Angelórum órdines inveniúntur.

℟. Hic est Míchael Archángelus, princeps milítiae Angelórum : * Cujus honor praestat benefícia populórum, et orátio perdúcit ad regna coelórũ. ℣. Archángelus Míchael praepósitus paradísi, quem honorífícant Angelórum cives. — Cujus honor. Benedíctio. Christus perpétuae.

Lectio v.

SCIENDUM vero, quod Angelórum vocábulum nomen est offícii, non natúrae. Nam sancti illi coeléstis pátriae spíritus, semper quidem sunt spíritus, sed semper vocári Angeli nequáquam possunt : quia tunc solum sunt Angeli, cum per eos áliqua nuntiántur. Unde et per Psalmístam dícitur : Qui facit Angelos suos spíritus. Ac si paténter dicat : Qui eos, quos semper habet

spíritus, étiam cum volúerit, Angelos facit. Hi autem qui mínima núntiant, Angeli : qui vero summa annúntiant, Archángeli vocántur. Hinc est enim quod ad Maríam vírginem non quílibet Angelus, sed Gábriel Archángelus míttitur. Ad hoc quippe ministérium, summum Angelum veníre dignum fúerat, qui summum ómnium nuntiábat. Qui idcírco étiam privátis nomínibus censéntur, ut signétur per vocábula, étiam in operatióne quid váleant. Míchael, namque, Quis ut Deus? Gábriel autem, Fortitúdo Dei : Ráphael vero dícitur Medicína Dei.

℟. Venit Míchael Archángelus cum multitúdine Angelórum, cui trádidit Deus ánimas sanctórum, * Ut perdúcat eas in paradísum exultatiónis. ℣. Emítte, Dómine, Spíritum sanctum tuum de coelis, spíritum sapiéntiae, et intellectus.— Ut perdúcat. Benedictio. Ignem sui amóris.

Lectio vi.

ET quóties mirae virtútis áliquid ágitur, Míchael mitti perhibétur : ut ex ipso actu et nómine detur intélligi, quia nullus potest fácere, quod fácere praevalet Deus. Unde et ille antíquus hostis, qui Deo esse per supérbiam símilis concupívit, dicens : In coelum conscéndam, super astra coeli exaltábo sólium meum, símilis ero Altíssimo : dum in fine mundi in sua virtúte relinquétur extrémo supplício periméndus, cum Michaéle Archángelo praeliatúrus esse perhibétur, sicut per Joánnem dícitur : Factum est praelium cum Michaéle Archángelo. Ad Maríam quoque Gábriel míttitur, qui Dei Fortitúdo nominátur. Illum quippe nuntiáre veniébat, qui ad debellándas aéreas potestátes húmilis apparére dignátus est. Ráphael quoque interpretátur, ut díximus, Medicína Dei : quia vidélicet dum Tobíae óculos quasi per offícium curatiónis tétigit, caecitátis ejus ténebras tersit.

℟. In témpore illo consúrget Míchael, qui stat pro fíliis vestris : * Et véniet tempus, quale non fuit, ex quo Gentes esse coepérunt, usque ad illud. ℣. In témpore illo salvábitur pópulus tuus omnis, qui invéntus fúerit scriptus in libro vitae.—Et véniet. Glória Patri. Et véniet.

In tertio Nocturno.

Ant. Angelus Archángelus Míchael, Dei núntius pro animábus justis, allelúia, allelúia.

Psalmus xcv.

CANTATE Dómino cánticum novum : * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dñus, et laudábilis nimis : * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii Géntium daemónia : * Dóminus autem coelos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriae Géntium, afférte Dómino glóriam et honórem : * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in Géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terrae qui non commovébitur : * judicábit pópulos in aequitáte.

Laeténtur coeli, et exúltet terra, commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia, quae in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dñi, quia venit : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrae in aequitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Ańa. Angelus Archángelus Míchael, Dei núntius pro animábus justis, allelúia, allelúia.

Ańa. Data sunt ei incénsa multa, ut adoléret ea ante altáre áureum, quod est ante óculos Dómini.

Psalmus xcvi.

DOMINUS regnávit, exúltet terra : * laeténtur ínsulae multae.

Nubes et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum praecédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terrae : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt coeli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, et laetáta est Sion.

Et exultavérunt fíliae Judae, * propter judícia tua, Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde laetítia.

Laetámini justi in Dño : * et confitémini memóriae sanctificatiónis ejus.

Aña. Data sunt ei incénsa multa, ut adoléret ea ante altáre áureum, quod est ante óculos Dómini.

Aña. Multa magnália de Michaéle Archángelo, qui fortis in praelio fecit victóriam.

Psalmus ciì.

BENEDIC ánima mea Dómino: * et ómnia, quae intra me sunt, nómini sancto ejus.

Bénedic ánima mea Dómino : * et noli oblivísci omnes retributiónes ejus :

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis : * qui sanat omnes infirmitátes tuas.

Qui rédimit de intéritu vitam tuam : * qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus.

Qui replet in bonis desidérium tuum : * renovábitur ut áquilae juvéntus tua :

Fáciens misericórdias Dóminus : * et judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Móysi, * fíliis Israël voluntátes suas.

Miserátor, et miséricors Dóminus : * longánimis, et multum miséricors.

Non in perpétuum irascétur : * neque in aetérnum comminábitur.

Non secúndum peccáta nostra fecit nobis : * neque secúndum iniquitátes nostras retríbuit nobis.

Quóniam secúndum altitúdinem coeli a terra : * corroborávit misericórdiam suam super timéntes se.

Quantum distat ortus ab occidénte : * longe fecit a nobis iniquitátes nostras.

Quómodo miserétur pater filiórum, misértus est Dñus timéntibus se : * quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum.

Recordátus est quóniam pulvis sumus : * homo, sicut foenum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorébit.

Quóniam spíritus pertransíbit in illo, et non subsístet : * et non cognóscet ámplius locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab aetérno, * et usque in aetérnum super timéntes eum.

Et justítia illíus in fílios filiórum, * his qui servant testaméntum ejus:

Et mémores sunt mandatórum ipsíus, * ad faciéndum ea.

Dóminus in coelo parávit sedem suam : * et regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dño omnes Angeli ejus: * poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem sermónum ejus.

Benedícite Dño omnes virtútes ejus : * minístri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dño ómnia ópera ejus : * in omni loco dominatiónis ejus, bénedic ánima mea Dómino.

Aña. Multa magnália de Michaéle Archángelo, qui fortis in praelio fecit victóriam.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Pater noster. Absolutio. A vínculis. ℣. Jube, domne, benedícere. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xviii.

IN illo témpore : Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes : Quis, putas, major est in regno coelórum ? Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 3. *Comm. in cap.* xviii. *Matthaei.*

POST invéntum statérem, post tribúta réddita, quid sibi vult Apostolórum repentína interrogátio, Quis, putas, major est in regno coelórum ? Quia víderant pro Petro et Dómino idem tribútum réddi-tum, ex aequalitáte prétii arbitráti sunt Petrum ómnibus Apóstolis esse praelátum, qui in redditióne tribúti Dómino fúerat comparátus : ídeo intérrogant, quis major sit in regno coelórum. Vidénsque Jesus cogitatiónes eórum, et causas erróris intélligens, vult desidérium glóriae, humilitátis contentióne sanáre. ℟. In conspéctu géntium nolíte timére : vos enim in córdibus vestris adoráte et timéte Dóminum : * Angelus enim ejus vobíscum est. ℣. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thurí-bulum áureum in manu sua. — Angelus enim ejus. Benedictio. Quorum festum cólimus.

Lectio viii.

SI autem manus tua, vel pes tuus scandalízat te, abscínde eum, et prójice abs te. Necésse est quidem veníre scándala: vae tamen ei est hómini, qui quod necésse est ut fiat in mundo, vítio suo facit, ut per se fiat. Igitur omnis truncátur affléctus, et univérsa propínquitas amputátur, ne per occasiónem pietátis unusquísque credéntium scándalis páteat. Si, inquit, ita est quis tibi conjúnctus, ut manus, pes, óculus, et est útilis atque sollícitus, et acútus ad perspiciéndum; scándalum autem tibi facit, et propter dissonántiam morum te pértrahit in gehénnam: mélius est, ut et propinquitáte ejus, et emoluméntis carnálibus cáreas : ne dum vis lucrifácere cognátos et necessários, causam hábeas ruinárum.

℣. Míchael Archángelus venit in adjutórium pópulo Dei, * Stetit in auxílium pro animábus justis. ℣. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuríbulum áureum in manu sua.—Stetit. Glória Patri. Stetit. Benedíctio. Ad societátem.

Lectio ix.

DICO vobis, quia Angéli eórum in coelis semper vident fáciem Patris mei. Supra díxerat, per manum et pedem et óculum omnes propinquitátes, et necessitúdines, quae scándalum fácere póterant, amputándas : austeritátem ítaque senténtiae, subjécto praecépto témperat, dicens : Vidéte ne contemnátis unum ex pusíllis istis. Sic, inquit, praecípio severitátem, ut commiscéri cleméntiam dóceam : quia Angeli eórum in coelis vident semper fáciem Patris. Magna dignitas animárum, ut unaquaeque hábeat ab ortu nativitátis in custódiam sui Angelum delegátum. Unde légimus in Apocalypsi Joánnis : Angelo Ephesi, et reliquárum Ecclesiárum, scribe haec. Apóstolus quoque praecipit velári cápita in ecclésiis foeminárum propter Angelos.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Stetit Angelus * juxta aram templi, habens thuríbulum áureum in manu sua. Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Dum praeliarétur * Míchael Archángelus cum drácone, audíta est vox dicéntium, Salus Deo nostro, allelúia.

3. Archángele Míchael, * constítui te príncipem super

omnes ánimas suscipiéndas.

4. Angeli Dómini, Dñum benedícite in aetérnum.

5. Angeli, Archángeli, * Throni, et Dominatiónes, Principátus, et Potestátes, Virtútes coelórum, laudáte Dnũm de coelis, allelúia.

Capitulum. *Apoc.* i.

SIGNIFICAVIT Deus quae opórtet fíeri cito, loquens per Angelum suum servo suo Joánni, qui testimónium perhíbuit verbo Dei, et testimónium Jesu Christi, quaecúmque vidit.

Hymnus.

CHRISTE, sanctórum decus Angelórum,
Gentis humánae Sator et Redémptor,
Coelitũ nobis tríbuas beátas
Scándere sedes.

Angelus pacis Míchael in aedes
Coelitus nostras véniat, serénae
Auctor ut pacis lacrymósa in orcum
Bella reléget.

Angelus fortis Gábriel, ut hostes
Pellat antíquos, et amíca coelo,
Quae triumphátor státuit per orbem,
Templa revísat.

Angelus nostrae médicus salútis
Adsit e coelo Ráphael, ut omnes
Sanet aegrótos, dubiósque vitae
Dírigat actus.

Virgo Dux pacis, Genitríxque lucis,
Et sacer nobis Chorus Angelórum
Semper assístat, simul et micántis
Régia coeli.

Praestet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque sancti
Spíritus, cujus résonat per omnem
Glória mundum.

Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

Ad Bened. Aña. Factum est siléntium in coelo, dum draco commítteret bellum: et Míchael pugnávit cum eo, et fecit victóriam, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui miro órdine Angelórum ministéria hominúmque dispénsas: concéde propítius; ut a quibus tibi ministrántibus in coelo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Antiphona. Dum praeliarétur.

Capitulum. Significávit, ut supra.

℟. br. Stetit Angelus, * Juxta aram templi. Stetit. ℣. Habens thuríbulum áureum in manu sua. Juxta. Glória Patri. Stetit.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini. ℟. De manu Angeli.

AD SEXTAM.

Ańa. Archángele Míchael.

Capitulum. *Apoc.* v. *c.*

AUDIVI vocem Angelórum multórum in circúitu throni, et animálium, et seniórum : et erat número eórum míllia míllium, voce magna dicéntium : Salus Deo nostro.

℟. br. Ascéndit fumus arómatum, * In conspéctu Dómini. Ascéndit. ℣. De manu Angeli. In conspéctu. Glória Patri. Ascéndit.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

AD NONAM.

Ańa. Angeli, Archángeli.

Capitulum. *Apoc.* xii. *b.*

FACTUM est praelium magnum in coelo: Míchael et Angeli ejus praeliabántur cum dracóne, et draco pugnábat, et ángeli ejus : et non praevaluérunt, neque locus invéntus est eórum ámplius in coelo.

℟. br. In conspéctu Angelórum, * Psallam tibi, Deus meus. In conspéctu. ℣. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Psallam. Glória Patri. In conspéctu.

℣. Adoráte Deum. ℟. Omnes Angeli ejus.

IN II. VESPERIS.

Ańa. Stetit Angelus, cum reliquis de Laudibus. 441. Psalm. Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica. 134. et loco ultimi :

Psalmus cxxxvii.

CONFITEBOR tibi, Dómine, in toto corde meo : * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi ; * adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, et veritáte tua : * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me : * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terrae : * quia audiérunt ómnia verba oris tui :

Et cantent in viis Dñi, * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, et humília réspicit : * et alta a longe cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me : * et super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me : * Dómine, misericórdia tua in saeculum : ópera mánuum tuárum ne despícias.

Capitulum. Significávit. Hymnus. Te splendor, ut supra in primis Vesp. 430.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Ad Magnif. Ańa. Princeps gloriosíssime Míchael Archángele, esto memor nostri : hic, et ubíque semper precáre pro nobis Fílium Dei, allelúia, allelúia.

Oratio. Deus, qui miro órdine, ut supra. 442.

Deinde fit Commemoratio S. Hieronymi, ut infra.

DIE XXX. SEPTEMBR.

In festo sancti Hieronymi Presbyteri, Confessoris et Ecclesiae Doctoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter ea quae hic ponuntur propria.

Ad Magnificat in utrisque Vesperis, Ańa. O Doctor óptime, Ecclésiae sanctae lumen, beáte Hierónyme, divínae legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriae índuit eum.

Oratio.

DEUS, qui Ecclésiae tuae in exponéndis sacris Scriptúris beátum Hierónymum Confessórem tuum, Doctórem máximum providére dignátus es : praesta quaesumus ; ut ejus suffragántibus méritis quod ore simul et ópere dócuit, te adjuvánte exercére valeámus. Per Dóminum.

In primo Nocturno Lectiones de libro Ecclesiastici : Sapiéntiam ómnium antiquórum, ut in Communi Doctorum. lxxvii.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

HIERONYMUS, Eusébii fílius, Stridóne in Dalmátia Constántio imperatóre natus, Romae adoléscens est baptizátus, et in liberálibus discíplinis a Donáto et áliis viris doctíssimis erudítus. Tum discéndi stúdio Gálliam peragrávit : ubi pios áliquot, et in divínis lítteris erudítos viros cóluit, multósque sacros libros sua manu descrípsit. Mox se in Graeciam cónferens, philosóphia et

eloquéntia instrúctus, summórum theologórum consuetúdine flóruit: in primis vero Gregório Nazianzéno Constantinópoli óperam dedit: quo doctóre se sacras lítteras didicísse profitétur. Tum religiónis causa visit Christi Dómini incunábula, totámque lustrávit Palaestínam, quam peregrinatiónem, adhíbitis Hebraeórum eruditíssimis, ad sacrae Scriptúrae intelligéntiam sibi multum profuísse testátur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.— Et dedit.

Lectio v.

DEINDE secéssit in vastam Syriae solitúdinem: ubi quadriénnium in lectióne divinórum librórum, coelestísque beatitúdinis contemplatióne consúmpsit, assídua se abstinéntia, vi lacrymárum, et córporis afflictatióne discrúcians. Présbyter a Paulíno Epíscopo Antiochíae factus, Romam de controvérsiis quorúmdam Episcopórum cum Paulíno et Epiphánio ad Dámasum Pontíficem profectus, ejus ecclesiásticis epístolis scribéndis adjútor fuit. Verum cum prístinae solitúdinis desidério tenerétur, in Palaestínam revérsus, Béthlehem ad Christi Dómini praesépe in monastério, quod a Paula Romána extrúctum erat, coeléstem quamdam vitae ratiónem instítuit: et quamquam várie morbis doloribúsque tentarétur, tamen córporis incómmoda piis labóribus, et perpétua lectióne ac scriptióne superábat.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriae índuit eum, Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas paradísi.

Lectio vi.

QUAMQUAM ad orácu-lum ex ómnibus orbis terrae pártibus ad ipsum divínae Scriptúrae quaestiónes explicándae referebántur. Illum Dámasus Póntifex, illum sanctus Augustínus de locis Scriptúrae difficíllimis saepe consúluit, propter ejus singulárem doctrínam, et linguae non solum Latínae et Graecae, sed Hebráicae étiam et Chaldáicae intelligéntiam: et quod omnes pene scriptóres, ejúsdem Augustíni testimónio, lége-

rat. Haeréticos acérrimis scriptis exagitávit : piórum et catholicórum patrocínium semper suscépit. Vetus testaméntum ex Hebraeo convértit : novum jussu Dámasi Graecae fídei réddidit ; magna étiam ex parte explicávit. Multa praetérea Latíne réddidit scripta doctórum virórum : et ipse áliis próprii ingénii monuméntis christiánam disciplínam illustrávit. Qui ad summam senectútem pervéniens, sanctitáte et doctrína illústris, Honório imperatóre migrávit in coelum. Cujus corpus ad Béthlehem sepúltum, póstea Romam in basílicam sanctae Maríae ad praesépe translátum est.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiē meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* v. *b.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vos estis sal terrae. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur ? Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. i. *Comment. in cap.* v. *Matthaei.*

SAL appellántur Apóstoli et doctóres : quia per illos univérsum hóminum condítur genus. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur ? Si doctor erráverit, a quo álio doctóre emendábitur ? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Exémplum de agricultúra sumptum est. Sal étenim sicut in cibórum condiméntum, et ad siccándas carnes necessárium est, ita álium usum non habet. Certe légimus in scriptúris, urbes quasdam ira victórum sale seminátas, ut nullum in ipsis germen orirétur.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dñum : * Ipse intercédat pro peccátis ómniu populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua.—Ipse.

Lectio viii.

CAVEANT ergo doctóres et Episcopi, et videant poténtes poténter torménta sustinére, nihílque esse remédii, sed

majórum ruínam ad tártarum dúcere. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita : neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum : ut lúceat ómnibus, qui in domo sunt. Docet fidúciam praedicándi, ne Apóstoli abscondántur ob metum, et sint símiles lucérnae sub módio : sed tota libertáte se prodant : ut quod audiérunt in cubículis, praedicent in tectis.

℟. In médio Ecclésiae apéruit os ejus, * Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiae et intellectus. ℣. Jucunditátem et exultatiónem thesaurizávit super eum.—Et implévit. Glória Patri. Et implévit.

Lectio ix.

NOLITE putáre, quóniam veni sólvere legem, aut Prophétas : non veni sólvere, sed adimplére. Sive quod de se per álios prophetáta compléverit, sive quod ea quae ante propter infirmitátem audiéntium rúdia et imperfécta fuérunt, sua praedicatióne compléverit, iram tollens, et vicem taliónis exclúdens, et occúltam in mente concupiscéntiam damnans. Donec tránseat coelum et terra. Promittúntur nobis coeli novi, et terra nova, quae factúrus est Dñus Deus. Si ergo nova creánda sunt, consequénter vétera transitúra.

Te Deum laudámus. 17.

In secundis Vesperis fit Commemoratio S. Remigii.

FESTA OCTOBRIS.

Prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum.

DOMINICA I.

Octobris.

In Solemnitate SS. Rosarii B. M. V. Duplex.

AD VESPERAS.

Ańa. Dum esset Rex, cum reliquis ut in festis B. M. V. clviii. praeter sequentia.

Ad Magnif. Ańa. Sancta María, succúrre miseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto foemíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Solemnitátem.

Oratio.

DEUS, cujus Unigénitus per vitam, mortem, et resurrectiónem suam nobis salútis aetérnae praemia comparávit : concéde quaesumus, ut haec mystéria sanctíssimo beátae Maríae Vírginis Rosário recoléntes, et imitémur quod

cóntinent, et quod promíttunt assequámur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio Dominicae occurrentis.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

CUM Albigénsium haeresis per Tolosátium regiónem ímpie grassarétur, atque áltius in dies radíces ágeret, sanctus Domínicus, qui nuper Praedicatórum órdinis fundaménta jécerat ad eam convelléndă totus incúbuit. Id ut praestáret valídius auxílium beátae Vírginis, cujus dignitas illis erróribus impudentíssime petebátur, cuíque datum est cunctas haereses interímere in univérso mundo, enixis précibus implorávit : a qua (ut memóriae próditum est) cum mónitus esset, ut Rosárium pópulis praedicáret, velut singuláre advérsus haereses, ac vítia praesídium ; mirum est quanto mentis fervóre, et quam felíci succéssu injúnctum sibi munus sit executus. Est autem Rosárium certa precándi fórmula, qua quíndecim Angelicárum salutatiónum décades, oratióne Domínica interjécta distínguimus, et ad eárum síngulas tótidem nostrae reparatiónis mystéria pia meditatióne recólimus. Ex eo ergo témpore pius hic orándi modus mirabíliter per sanctum Domínicũ promulgári, augeríque coepit ; quem ejúsdem institutórem, auctorémque fuísse summi Pontífices, apostólicis lítteris passim affirmárunt.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans.—Dedi.

Lectio v.

INNUMERABILES porro fructus ex hac tam salutári institutióne in christiánam rempúblicam dimanárunt, inter quos victória illa mérito numerátur, quam sanctíssimus Póntifex Pius quintus, et ab eo inflammáti christiáni príncipes, apud Echínadas ínsulas de Turcárum tyránno potentíssimo reportárunt. Nam cum illa ipsa die ea victória reláta sit, qua die sanctíssimi Rosárii sodalitátes per univérsum orbem consuétas supplicatiónes perágerent, statutásque preces de more fúnderent ; iis précibus haud immérito referátur accépta. Quod quidem cum étiam Gregórius tertiusdécimus testátus esset, ut pro tam singulári benefício beátae Vírgini sub appellatióne Rosárii perénnes

grátiae ubíque terrárum haberéntur in Ecclésiis ómnibus, in quibus altáre Rosárii foret, prima quaque Octóbris Domínica Officium ritu dúplici majóri perpétuo celebrándum indíxit : aliíque Pontífices Rosáriũ recitántibus, ejusdémque Rosárii sodalitátibus indulgéntias pene innúmeras concessére.

℟. Quae est ista, quae procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliae Sion, et beátam dixérunt, et regínae laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium.—Vidérunt eam.

Lectio vi.

DUPER vero Clemens undécimus ánimo réputans insígnem páriter victóriam anno millésimo septingentésimo décimo sexto in Hungáriae regno a Cárolo sexto in imperatórem Romanórum eléćto de innúmeris Turcárum cópiis relátam, eo die contigísse, quo festum Dedicatiónis sanctae Maríae ad Nives celebrarétur, atque eódem ferme témpore, quo sanctíssimi Rosárii confrátres públicam solemnémque supplicatiónem in alma Urbe ingénti pópuli concúrsu, magnáque religióne peragéntes, férvidas ad Deum preces pro Turcárum depressióne fúnderent, ac poténtem opem Deíparae Vírginis in auxílium Christianórum humíliter implorárent ; eam ob rem victóriã illam, nec non liberátam paulo post eorúmdem Turcárum obsidióne Corcyrénsem ínsulam ejúsdem beátae Vírginis patrocínio pie cénsuit adscribéndam. Quamóbrem ut hujus quoque tam insígnis benefícii perénnis semper et memória extáret, et grátia, sanctíssimi Rosárii festum eádem die, eodémque ritu celebrándum ad Ecclésiam univérsam exténdit. Haec autem ómnia Benedíctus decimustértius in Breviário Románo novíssime appóni jussit. Sanctíssimam ergo Dei Genitrícem cultu hoc eídem gratíssimo júgiter venerémur : ut quae tóties Christi fidélibus, Rosárii précibus exoráta, terrénos hostes profligáre dedit ac pérdere, infernos páriter superáre concédat.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit : * Et vidéntes eam fíliae Sion, beatíssimam praedicavérunt, dicéntes : Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte.— Et vidéntes. Glória Patri. Unguéntum.

In tertio Nocturno, Homilia in Evang. Loquénte Jesu. clxix. In Responsorio septimo dicitur: tuam sanctam Solemnitátem. Lectio nona de Homilia Dominicae et de ea fit Commem. in Laud. et ii. Vesperis.

DIE I. OCTOBRIS.

In festo sancti Remigii, Episcopi et Confess. Semiduplex ad libitum, vel Simplex de praecepto.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. lxi. praeter ea quae sequuntur.

Si festum S. Remigii celebretur sub ritu simplici, pro nona Lectione dicatur, Remígius Epíscopus, ut infra; et in fine Te Deum, cum Commemoratione in Vesperis et Laudibus.

Ańa. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriae índuit eum.

Oratio.

DAquaesumus omnípotens Deus: ut beáti Remígii Confessóris tui atque Pontificis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

In Hymno ad Matutinum dicitur:

Hac die laetus méruit supremos
Laudis honóres.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

REMIGIUS, Epíscopus Rhemensis flóruit Clodovéo rege Francórum, quem étiam baptizávit, et primus ómnium doctrína et miráculis Francos ad Christi Dómini fidem perdúxit. Ejus oratióne mórtua puélla revíxit. Multos interpretátus est divínae Scriptúrae libros. Amplius septuagínta annos summa cum laude Rhemensem Ecclésiam administrávit. Cujus vitae et mortis sanctitátem multa, quae consecúta sunt, mirácula comprobárunt.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: ℣ Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus.

Sermo S. Máximi Epíscopi. *Homilia* lix. *quae est* ii. *de S. Eusebio.*

Lectio v.

AD sancti ac beatíssimi Patris nostri Remígii, cujus hódie festa celebrámus, laudes addidísse,

áliquid decerpsísse est : síquidem virtútum ejus grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scriptúra : Glória patris est fílius sápiens : quantae hujus sunt glóriae, qui tantórum filiórum sapiéntia, et devotióne laetátur ? In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : ℣. Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus.

Lectio vi.

QUIDQUID ígitur in hac sancta plebe potest esse virtútis et grátiae, de hoc quasi quodam fonte lucidíssimo ómnium rivulórum púritas emanávit. Et enim quia castitátis pollébat vigóre, quia abstinéntiae gloriabátur angústiis, quia blandiméntis erat praeditus lenitátis, ómnium cívium in Deum provocávit affléctum : quia Pontíficis administratióne fulgébat, plures e discípulis relíquit sui sacerdótii successóres.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : ℣. Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evang. Homo péregre, ut in Communi Confessoris Pontificis, lxx.

Vesperae de SS. Angelis Custodibus cum Commemoratione S. Remigii, Episcopi.

DIE II. OCTOBRIS.

In festo
SS. Angelorum Custodum.
Duplex.

AD VESPERAS.

Ańa. Angelis suis, cum reliquis de Laudibus. 457. Psalm. Dixit Dñus, cum reliquis de Dominica. 134. et loco ultimi Psalm. Laudáte Dñum omnes gentes. 138.

Capitulum. *Exodi* xxiii. *d.*

ECCE ego mittam Angelum meum, qui praecédat te, et custódiat in via et introdúcat in locum quem parávi. Obsérva eum, et audi vocem ejus.

Hymnus.

CUSTODES hóminũ psállimus Angelos,
Natúrae frágili quos Pater áddidit
Coelestis cómites, insidiántibus
Ne succúmberet hóstibus.

Nam quod corrúerit próditor ángelus,
Concéssis mérito pulsus honóribus ;
Ardens invídia, péllere nítitur
Quos coelo Deus ádvocat.
Huc custos ígitur pérvigil ádvola,
Avértens pátria de tibi crédita
Tam morbos ánimi, quam requiéscere
Quidquid non sinit íncolas.
Sanctae sit Tríadi laus pia júgiter,
Cujus perpétuo núnine máchina
Triplex haec régitur, cujus in ómnia
Regnat glória saecula.
Amen.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Ad Magnif. Ańa. Omnes sunt administratórii spíritus, in ministérium missi propter eos, qui haereditátem cápiunt salútis.

Oratio.

DEUS, qui ineffábili providéntia sanctos Angelos tuos ad nostram custódiam míttere dignáris : largíre supplícibus tuis, et eórum semper protectióne deféndi, et aetérna societáte gaudére. Per Dóminum.

Deinde fit Commemor. S. Remigii, Ańa. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriae índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio. Da quaesumus omnípotens Deus. 450.

AD MATUTINUM.

Invitator. Regem Angelórum Dóminum, * Veníte adorémus. Psalmus. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus. Custódes hóminum, ut supra in Vesperis. 451.

In primo Nocturno.

Ańa. Dñus Deus coeli et terrae, ipse mittet Angelum suum coram te. Psalmus. Dómine Dóminus noster, cum reliquis per ordinem Nocturnorum positis in Dedicatione S. Michaelis, ut supra. 430.

Ańa. Deus meus misit Angelum suum, et conclúsit ora leónum, et non nocuérunt mihi. Psalmus. In Dómino confído. 431.

Ańa. Bene ambulétis, et Dóminus sit in itínere vestro, et Angelus ejus comitétur vobíscum. Psalmus. Dómine quis habitábit. 431.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

De libro Exodi.

Lectio i. *Cap.* xxiii. *d.*

ECCE ego mittam Angelum meum, qui praecédat te, et custódiat in via, et introdúcat in locum, quem parávi. Obsérva eum, et audi vocem ejus, nec contemnéndum putes : quia non dimíttet cum peccáveris, et est nomen meum in illo. Quod si audíeris vocem ejus, et féceris ómnia quae loquor, inimícus ero inimícis tuis, et afflígam afflígentes te. Praecedétque te Angelus meus.

℟. Angelis suis Deus mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis:* In mánibus portábunt te, ne unquam offéndas ad lápidem pedem tuum. ℣. Míllia míllium ministrábant ei, et décies míllies centéna míllia assistébant ei.—In.

Ex Zacharía Prophéta.

Lectio ii. *Cap.* i. *b.*

FACTUM est verbum Dómini ad Zacharíam, fílium Barachíae, fílii Addo, Prophétam, dicens : Vidi per noctem : et ecce vir ascéndens super equum rufum, et ipse stabat inter myrtéta, quae erant in profúndo : et post eum equi rufi, várii, et albi. Et dixi: Quid sunt isti, Dómine mi? Et dixit ad me Angelus, qui loquebátur in me : Ego osténdam tibi quid sint haec. Et respóndit vir, qui stabat inter myrtéta, et dixit : Isti sunt, quos misit Dóminus, ut perámbulent terram : Et respondérunt Angelo Dómini, qui stabat inter myrtéta, et dixérunt : Perambulávimus terram, et ecce omnis terra habitátur, et quiéscit.

℟. Respóndit Angelus Dómini, et dixit : Dómine exercítuum,* Usquequo tu non miseréberis Jerúsalem, et úrbium Juda, quibus irátus es? ℣. Iste enim septuagésimus annus est.—Usquequo.

Lectio iii. *Cap.* ii.

ET levávi óculos meos, et vidi : et ecce vir, et in manu ejus funículus mensórum. Et dixi : Quo tu vadis? Et dixit ad me : Ut métiar Jerúsalem, et vídeam quanta sit latitúdo ejus, et quanta longitúdo ejus. Et ecce Angelus, qui loquebátur in me, egrediebátur, et Angelus álius egrediebátur in occúrsum ejus. Et dixit ad eum : Curre, lóquere ad púerum istum, dicens : Absque muro habitábitur Jerúsalem, prae multitúdine hóminum, et jumentórum in médio ejus. Et ego ero ei, ait Dóminus, murus ignis in circúitu, et in glória ero in médio ejus.

℟. In conspéctu Géntium nolíte timére ; vos enim in córdibus vestris adoráte et timéte Dñum : * Angelus enim ejus vobíscum est. ℣. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuríbulum áureum in manu sua.—Angelus. Glória Patri. Angelus.

In secundo Nocturno.

Aña. Cum essem vobíscum, per voluntátem Dei eram : ipsum benedícite, et cantáte ei. Psalmus. Coeli enárrant. 433.

Aña. Tollens se Angelus Dómini, qui praecedébat castra Israël, ábiit post eos. Psalmus. Dñi est terra. 434.

Aña. Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum, et erípiet eos. Psalm. Benedícam Dñum in omni témpore. 435.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dñi. ℟. De manu Angeli.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

In Psalmum. Qui habitat.

Lectio iv.

ANGELIS suis mandávit de te. Mira dignátio, et vere magna diléctio charitátis. Quis enim? quibus? de quo? quid mandávit? studióse considerémus, fratres, diligénter commendémus memóriae hoc tam grande mandátum. Quis enim mandávit? cujus sunt Angeli? cujus mandátis obtémperant? cujus obédiunt voluntáti? Nempe Angelis suis mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis. Nec cunctántur, quin étiam in mánibus tollant te. Summa ergo Majéstas mandávit Angelis, et Angelis suis mandávit. Illis útique sublímibus, tam beátis ; quam próximis sibi cohaeréntibus, et vere domésticis mandávit de te. Tu quis es? Quid est homo, quod memor es ejus? aut fílius hóminis, quóniam réputas eum? Quasi vero non sit homo putrédo, et fílius hóminis vermis. Sed quid putas mandávit de te? ut custódiant te.

℟. Vivit ipse Dóminus, * Quóniam custodívit me Angelus ejus, et hinc eúntem, et ibi commoránte, et inde huc reverténtem. ℣. Et non permísit me Dóminus ancíllam suam coinquinári.— Quóniam.

Lectio v.

QUANTAM tibi debet hoc verbum inférre reveréntiam, afférre devotiónem, conférre fidúciam : reveréntiam pro praeséntia, devotiónem pro benevolén-tia, fidúciam pro custódia. Caute ámbula, ut vidélicet cui adsunt Angeli, sicut eis mandátum est ; in ómnibus

viis tuis. In quovis diversório, in quovis ángulo, Angelo tuo reveréntiam habe. Tu ne áudeas illo praesénte, quod vidénte me non audéres? An praeséntem esse dúbitas, quem non vides? Quid si audíres? Quid si tángeres? Quid si olfáceres? Vide, quia non solo visu rerum praeséntia comprobétur.

℟. Angelus Dómini descéndit cum Azaría et sóciis ejus in fornácem, et excússit flammam ignis de fornáce: * Et non tétigit eos omníno ignis, neque contristávit. ℣. Benedíctus Deus eórum, qui misit Angelum suum, et éruit servos suos, qui credidérunt in eum.—Et non tétigit.

Lectio vi.

IN ipso ítaque, fratres, affectuóse diligámus Angelos ejus, tamquam futúros aliquándo cohaerédes nostros, ínterim vero actóres et tutóres a Patre pósitos, et praepósitos nobis. Quid sub tantis custódibus timeámus? Nec superári, nec sedúci, minus autem sedúcere possunt, qui custódiunt nos in ómnibus viis nostris. Fidéles sunt, prudéntes sunt, poténtes sunt, quid trepidámus? Tantum sequámur eos, adhaereámus eis, et in protectióne Dei coeli commorémur. Quóties ergo gravíssima cérnitur urgére tentátio, et tribulátio véhemens · imminére, ínvoca custódem tuum, ductórem tuum, adjutórem tuum in opportunitátibus, in tribulatióne: incláma eum, et dic: Dómine salva nos, perímus.

℟. In omni tribulatióne eórum non est tribulátus, * Et Angelus faciéi ejus salvávit eos. ℣. In dilectióne sua, et indulgéntia sua ipse redémit eos, et portávit eos, et elevávit eos cunctis diébus saeculi.—Et Angelus. Glória Patri. Et Angelus.

In tertio Nocturno.

Ant. Misit Dóminus Angelum suum, qui percússit omnem virum robústum, et bellatórem, et príncipem exércitus regis Assyriórum. Psalmus. Cantáte Dómino cánticum novum. 438.

Antiphona. Adoráte Dóminum omnes Angeli ejus: audívit et laetáta est Sion. Psalm. Dóminus regnávit, exúltet. 438.

Ant. Benedícite Dómino omnes Angeli ejus, poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem sermonum ejus. Psalmus. Bénedic ánima mea Dómino. 439.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus

meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xviii.

IN illo témpore : Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes : Quis, putas, major est in regno coelórum ? Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi.

Comm. in Matth. cap. xviii. *post initium.*

NON nisi revérsos in natúram puerórum introíre regnum coelórum Dóminus docet : id est, per simplicitátem puerílem vítia córporum nostrórum animaeque revocánda. Púeros autem, credéntes omnes per audiéntiae fidem nuncupávit. Hi enim patrem sequúntur, matrem amant, próximo velle malum nésciunt, curam opum négligunt : non insoléscunt, non odérunt, non mentiúntur, dictis credunt, et quod áudiunt, verum habent. Reverténdum ígitur est ad simplicitátem infántium : quia in ea collocáti, spéciem humilitátis Domínicae circumferémus.

℟. Machabaeus, et qui cum eo erant, cognovérunt expugnári praesídia :* Cum fletu et lácrymis rogábant Dóminum, et omnis turba simul, ut bonum Angelum mítteret ad salútem Israël. ℣. Cum páriter prompto ánimo procéderent Jerosólymis, appáruit praecédens eos eques in veste cándida.— Cum fletu. Bened. Quorum festum cólimus.

Lectio viii.

VAE huic mundo ab scándalis. Humílitas passiónis scándalu mundo est. In hoc enim máxime ignorántia detinétur humána, quod sub deformitáte crucis, aetérnae glóriae Dóminum nóluit accípere. Et quid mundo tam periculósum, quam non recepísse Christum? Ideo vero necésse esse ait veníre scándala : quia ad sacraméntum reddéndae nobis aeternitátis, omnis in eo passiónis humílitas esset explénda.

℟. Tu Dómine, qui misísti Angelum tuum sub Ezechía rege Juda, et interfecísti de castris Sennácherib centum octogínta quinque míllia :* Et nunc Dominátor coelórum mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timóre et tremóre magnitúdinis bráchii tui. ℣. Ut métuant qui cum blasphémia véniunt adversus sanctum pópulum tuum.—Et nunc Dominátor. Glória Patri. Et nunc Dominátor.

Lectio ix.

VIDETE ne contemnátis unum de pusíllis istis, qui credunt in me. Aptíssimum vínculum mútui amóris impósuit, ad eos praecípue, qui vere in Dño credidíssent. Pusillórum enim Angeli quotídie Deum vident : quia Fílius hóminis venit salváre quae pérdita sunt. Ergo et Fílius hóminis salvat, et Deum Angeli vident, et Angeli pusillórum praesunt fidélium oratiónibus. Praeésse Angelos, absolúta auctóritas est. Salvatórum ígitur per Christum oratiónes Angeli quotídie Deo ófferunt. Ergo periculóse ille contémnitur, cujus desidéria ac postulatiónes ad aetérnum et invisíbilem Deum ambitióso Angelórum famulátu ac ministério pervehúntur.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Angelis suis * mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis. Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Laudémus Dóminum, * quem laudant Angeli, quem Chérubim et Séraphim, Sanctus, Sanctus, Sanctus proclámant.

3. Angeli eórum * semper vident fáciem Patris mei, qui est in coelis.

4. Benedíctus Deus, qui misit Angelum suum, et éruit servos suos, qui credidérunt in eum.

5. Laudáte Deum * omnes Angeli ejus, laudáte eum omnes virtútes ejus.

Capitulum. *Exodi* xxiii. *d.*

ECCE ego mittam Angelum meum, qui praecédat te, et custódiat in via, et introdúcat in locum quem parávi. Obsérva eum, et audi vocem ejus.

Hymnus.

AETERNE rector síderum,
Qui, quidquid est, poténtia
Magna creásti, nec regis
Minóre providéntia :
Adésto supplicántium
Tibi reórum coetui ;
Lucísque sub crepúsculum
Lucem novam da méntibus :
Tuúsque nobis Angelus,
Eléctus ad custódiam,
Hic adsit ; a contágio
Ut críminum nos prótegat.
Nobis dracónis aemuli
Versútias extérminet ;
Ne rete frauduléntiae
Incáuta nectat péctora.
Metum repéllat hóstium
Nostris procul de fínibus :
Pacem procúret cívium,
Fugétque pestiléntiam.
Deo Patri sit glória,
Qui, quos redémit Fílius,
Et sanctus unxit Spíritus,
Per Angelos custódiat.
Amen.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Ad Bened. Ańa. Revérsus est Angelus, qui loquebátur in me, et suscitávit me, quasi virum qui suscitátur a somno suo.

Oratio.

DEUS, qui ineffábili providéntia sanctos Angelos tuos ad nostram custódiam míttere dignáris: largíre supplícibus tuis, et eórum semper protectióne defendi, et aetérna societáte gaudére. Per Dóminum nostrum.

AD TERTIAM.

Ańa. Laudémus Dñum.

Capit. Ecce ego, ut supra.

℟. br. Stetit Angelus, * Juxta aram templi. Stetit. ℣. Habens thuríbulum áureum in manu sua. Juxta. Glória Patri. Stetit.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dñi. ℟. De manu Angeli.

AD SEXTAM.

Ańa. Angeli eórum.

Capitulum. *Exodi* xxiii. *d.*

NEC contemnéndum putes: quia non dimíttet cum peccáveris, et est nomen meum in illo.

℟. br. Ascéndit fumus arómatum, * In conspéctu Dómini. Ascéndit. ℣. De manu Angeli. In conspéctu. Glória Patri. Ascéndit.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

AD NONAM.

Ańa. Laudáte Deum.

Capitulum. *Exodi* xxiii. *e.*

QUOD si audíeris vocem ejus, et féceris ómnia quae loquor, inimícus ero inimícis tuis, et afflígam affligéntes te: praecedétque te Angelus meus.

℟. br. In conspéctu Angelórum, * Psallam tibi, Deus meus. In conspéctu. ℣. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Psallam. Glória Patri. In conspéctu.

℣. Adoráte Deum. ℟. Omnes Angeli ejus.

IN II. VESPERIS.

Ańa. Angelis suis, cum reliquis de Laudibus. 457. Psalmus. Dixit Dñus, cum reliquis de Dominica. 134. et loco ultimi, Psalmus. Confitébor tibi, Dómine. 443.

Capit. Hymn., et ℣. ut supra in primis Vesp. 451.

Ad Magnif. Ańa. Sancti Angeli Custódes nostri, defendite nos in praelio, ut non pereámus in treméndo judício.

Oratio ut supra.

DIE IV. OCTOBRIS.

In festo S. Francisci Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi. Confess. non Pontif. lxxxiii. praeter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam beáti Francísci méritis foetu novae prolis amplíficas : tríbue nobis ex ejus imitatióne terréna despícere, et coeléstium donórum semper participatióne gaudére. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones de libro Sapientiae: Justus si morte praeoccupátus, ut in Communi Confessoris non Pontif. lxxxv.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

FRANCISCUS, Assísii in Umbria natus, patris exémplum secútus, a prima aetáte mercatúram fecit. Qui quodam die páuperem, pro Christi amóre flagitántem pecúniam, cum praeter consuetúdinem repulísset, repénte eo facto commótus, large ei misericórdiam impertívit : et ex eo die Deo promísit, se némini unquam poscénti eleemósynam negatúrum. Cum vero post in gravem morbum incidísset, ex eo aliquándo confirmátus, coepit ardéntius cólere offícia charitátis. Qua in exercitatióne tantum profécit, ut evangélicae perfectiónis cúpidus, quidquid habéret, paupéribus largirétur. Quod ferens iníquius pater, eum ad Assisinátem Epíscopum duxit, ut coram illo bonis céderet patérnis : qui rejéctis étiam véstibus, patri concéssit ómnia, illud subjúngens, sibi in pósterum majórem facultátem fore dicéndi : Pater noster qui es in coelis.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Et dedit.

Lectio v.

QUUM autem illud ex Evangélio audísset : Nolíte possidére aurum, neque argéntum, neque pecúniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas túnicas, neque calceaménta : sibi eam régulam servándam propósuit. Itaque detráctis cálceis, et una conténtus túnica, cum duódecim sócios adhibuísset, órdinem Minórum instítuit. Quare Romam venit anno salútis millésimo ducentésimo nono, ut sui órdinis régula ab apostólica sede confirmarétur. Quem

cum accedéntem ad se summus Póntifex Innocéntius tértius rejecísset, quod in somnis póstea sibi ille, quem repúlerat, collabéntem Lateranénsem basílicam suis húmeris sustinére visus esset, conquisítum accersíri jussit, benignéque accípiens, omnem ejus institutórum ratiónem confirmávit. Francíscus ígitur, dimíssis in omnes orbis terrae partes frátribus ad praedicándū Christi Evangélium, ipse cúpiens sibi áliquam dari martyrii occasiónem, navigávit in Syriam : ubi a rege Soldáno liberalíssime tractátus, cum nihil proficeret, rédiit in Itáliam.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

QULTIS ígitur extrúctis suae famíliae domicíliis, se in solitúdinem montis Alvérni cóntulit : ubi quadragínta diérum, propter honórem sancti Michaélis Archángeli, jejúnio inchoáto, festo die Exaltatiónis sanctae crucis ei Séraphim Crucifíxi effígiem inter alas cóntinens appáruit ; qui ejus et mánibus et pédibus et láteri vestígia clavórum impréssit : quae sanctus Bonaventúra, cum Alexándri quarti summi Pontíficis praedicatióni interésset, narrásse Pontíficem a se visa esse, lítteris commendávit. His insígnibus summi in eum Christi amóris, máximam habébat ómnium admiratiónem. Ac biénnio post gráviter aegrótans, deférri vóluit in ecclésiam sanctae Maríae Angelórum : ut ubi grátiae spíritum a Deo accéperat, ibi spíritum vitae rédderet. Eo in loco fratres, ad paupertátem ac patiéntiam, et sanctae Románae Ecclésiae fidem servándam cohortátus, Psalmum illum pronúntians : Voce mea ad Dóminum clamávi : in eo versículo : Me expéctant justi, donec retríbuas mihi : efflávit ánimam quarto Nonas Octóbris. Quem miráculis clarum Gregórius nonus Póntifex máximus in Sanctórum númerum adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.— Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno, Homilia S. Augustini Episcopi in Evangel. Confíteor tibi Pater, de Communi Abbatum secundo loco. c.

In secundis Vesperis fit Commemoratio SS. Placidi et sociorum, Martyrum.

DIE V. OCTOBRIS.

SS. Placidi et sociorum, Martyrum.

Ańa. Istórum est enim regnum coelórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad praemia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Laetámini in Dómino, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

DEUS, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum, Plácidi et sociórum ejus, natalítia cólere : da nobis in aetérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Lectio iii.

PLACIDUS Romae, Tertúllo patre in primis nóbili natus, puer Deo oblátus, et sancto Benedícto tráditus, tantum ejus disciplína et monásticae vitae institútis profécit, ut inter praecípuos illíus discípulos numerétur. Ab eo in Sicíliam missus, monastérium et ecclésiam in honórem sancti Joánnis Baptístae prope Messánae portum construxit, ubi cum mónachis admirábili sanctitáte vixit. Ejus viséndi causa cum eo venissent Eutychius et Victorínus illíus fratres, et Flávia virgo soror, eódem témpore illuc áppulit immánis quidam piráta, Manúcha nómine, qui capto monastério, cum Plácidum et caeteros nullo modo addúcere potuísset ut Christum negárent, ipsum fratrésque illíus ac sorórem crudéliter necári jussit. Cum quibus étiam Donátus, Firmátus Diáconus, Faustus, aliíque trigínta mónachi, martyrii agónem felíciter consummárunt tértio Nonas Octóbris, anno salútis quingentésimo trigésimo nono.

Te Deum laudámus. 17.

DIE VI. OCTOBRIS.

In festo S. Brunonis, Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter sequentia.

Oratio.

SANCTI Brunónis Confessóris tui, quaesumus Dómine, intercessiónibus adjuvémur : ut qui majestátem tuam gráviter

delinquéndo offéndimus, ejus méritis et précibus nostrórum delictórum véniam consequámur. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BRUNO Carthusiánae religiónis institútor, Colóniae Agrippínae natus est. Ab ipsis incunábulis spécimen futúrae sanctitátis praeferens, morum gravitáte, puerília illíus aetátis, divína favénte grátia, declínans ádeo excélluit : ut jam inde monachórum pater, vitaeque anachoréticae futúrus instaurátor agnoscerétur. A paréntibus, génere ac virtúte claris, Lutétiam Parisiórum missus, tantum ibi in philosóphiae ac theológiae stúdiis profécit, ut doctóris ac magístri munus in utráque facultáte sit adéptus : nec multo post, ob egrégias ipsíus virtútes, Ecclésiae Rheménsis canonicátu potítus.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Et dedit.

Lectio v.

ELAPSIS áliquot annis, cum sex áliis familiáribus mundo renúntians, sanctum Hugónem Epíscopum Gratianopolitánum ádiit. Qui causa eórum advéntus cógnita, eosdémque intélligens esse, quos eádem nocte, véluti septem stellas ad suos pedes corruéntes in somnis víderat, montes suae dioecésis aspérrimos, quos Carthusiános appéllant, illis concéssit. Illuc Bruno cum sóciis, ipso Hugóne comitánte, secédens, cum per áliquot annos eremíticam vitam egísset, ab Urbáno secúndo, qui ejúsdem Brunónis discípulus fúerat, Romam accersítur. Ejus consíliis ac doctrína Póntifex, in tot illis Ecclésiae calamitátibus, per áliquot annos usus est, donec Bruno, recusáto Rhegiénsi archiepiscopátu, discedéndi facultátem obtínuit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

IGITUR solitúdinis amóre erémum quamdam apud Squillácum in

Calábriae fínibus pétiit. Quo in loco, cum ipsum oránte Rogérius comes Calábriae inter venándum, latrántibus ad illíus spelúncam cánibus, reperísset, sanctitáte viri permótus, illum ac sócios fovére et cólere impénse coepit. Nec liberálitas sine praemio fuit. Cum enim idem Rogérius Cápuam obsidéret, eúmque Sérgius quidam excubiárum magíster pródere statuísset, Bruno adhuc in dicta erémo vivens, in somnis illi ómnia apériens, ab imminénti perículo cómitem liberávit. Tandem virtútibus ac méritis plenus, nec sanctitáte minus quam doctrínae fama clarus, obdormívit in Dómino: sepultúsque est in monastério sancti Stéphani ab ipso Rogério constrúcto, ubi háctenus honorífice cólitur.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.— Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evang. Sint lumbi vestri, de Communi Confessoris non Pontificis, xcii.

In secundis Vesperis Commemoratio sequentis.

DIE VII. OCTOBRIS.

Sancti Marci,
Papae et Confessoris.

Ańa. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriae índuit eum

Oratio.

EXAUDI Dómine preces nostras, et interveniénte beáto Marco Confessóre tuo atque Pontífice, indulgéntiam nobis tríbue placátus et pacem.

Et fit Commem. SS. MM. Sergii, Bacchi, Marcelli et Apuleji, Ańa. Istórum est enim regnum coelórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad praemia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Laetámini in Dómino, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

SANCTORUM Mártyrum tuórum nos, Dómine, Sérgii, Bacchi, Marcélli, et Apuléji, beáta mérita prosequántur: et tuo semper fáciant amóre ferventes. Per Dóminum.

Lectio iii.

ARCUS Románus, Constantíno magno imperatóre Póntifex, instítuit, ut Epíscopus Ostiénsis, a quo Románus Póntifex consecrátur, pállio uterétur. Duas Romae basílicas aedificávit, álteram in Urbe, álteram via Ardeatína : quas Constantínus auctas, magnis munéribus exornávit. Vixit in pontificátu menses octo, sepultúsque est in coemetério Balbínae.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus fit Comm. SS. Sergii, etc. Mart. Aña. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Oratio. Sanctórum Mártyrum, ut supra. 463.

DIE VIII. OCTOBRIS.

In festo S. Birgittae, Viduae. Duplex.

Omnia de Communi Sanctarum nec Virginum nec Martyrum. cxxiii. praeter ea quae hic habentur.

Oratio.

DOMINE Deus noster, qui beátae Birgíttae per Fílium tuum unigénitum secréta coeléstia revelásti : ipsíus pia intercessióne da nobis fámulis tuis, in revelatióne sempitérnae glóriae tuae gaudére laetántes. Per eúmdem Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

IRGITTA in Svécia illústribus et piis paréntibus orta, sanctíssime vixit. Cum adhuc in útero gestarétur, a naufrágio propter eam mater erépta est. Decénnis post audítum de passióne Dómini sermónē, sequénti nocte Jesum in cruce, recénti sánguine perfúsum vidit, et de eádem passióne secum loquéntem: quo ex témpore in ejúsdem meditatióne ita afficiebátur, ut de ea sine lácrymis cogitáre deínceps nunquam posset.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam :* Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua intende, próspere procéde, et regna.—Et dedúcet.

Lectio v.

ULFONI Neríciae príncipi in matrimónium trádita, virum ipsum ad pietátis offícia, tum óptimis exémplis, tum efficáci-

bus verbis adhortáta est. In filiórum educatióne piíssima. Paupéribus, et máxime infírmis, domo ad id múneris dicáta, inserviébat quam diligentíssime, illórum pedes sólita laváre, et osculári. Cum autem una cum viro suo redíret Compostélla, ubi sancti Jacóbi Apóstoli sepúlchrum visitáverant, et Atrébati Ulfo gráviter aegrotáret; sanctus Dionysius Birgíttae noctu appáruit, et de maríti salúte, aliísque de rebus, quae futúrae erant, praemónuit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam.— Proptérea.

Lectio vi.

UIRO Cisterciénsi mónacho facto, et paulo post defúncto, Birgítta audíta Christi voce in somnis, arctiórem vitae formam est aggréssa. Cui deínde arcána multa fuérunt divínitus reveláta. Monastérium Vastanénse sub régula sancti Salvatóris, ab ipso Dómino accépta, instítuit. Romam Dei jussu venit, ubi plúrimos ad amórem divínum vehemènter accéndit. Inde Jerosólymam pétiit, et íterum Romam: qua ex peregrinatióne cum in febrim incidísset, grávibus per annum íntegrum afflictáta morbis, cumuláta méritis, praenuntiáto mórtis die, migrávit in coelum. Corpus ejus ad Vastanénse monastérium translátum est, et miráculis illústrem Bonifácius nonus in Sanctórum númerum rétulit.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.— Múlier. Glória Patri. Múlier.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evangelium: Símile est regnum coelórum thesáuro, de Communi Sanctarum nec Virg. nec Mart. cxxvi.

In secundis Vesperis fit Commem. SS. Dionysii et sociorum, Martyrum.

DIE IX. OCTOBRIS.

In festo SS. Dionysii, Episcopi, Rustici, et Eleutherii, Martyrum.
Semiduplex.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum. xliv. praeter sequentia.

Ańa. Istórum est enim regnum coelórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad praemia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Laetámini in Dómino, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

DEUS, qui hodiérna die beátum Dionysium Mártyrem tuum atque Pontíficem virtúte constántiae in passióne roborásti : quique illi ad praedicándum géntibus glóriam tuam Rústicum et Eleuthérium sociáre dignátus es : tríbue nobis quaesumus eórum imitatióne, pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

DIONYSIUS Atheniénsis, unus ex Areopagítis judícibus, vir fuit omni doctrínae génere instrúctus. Qui cum adhuc in Gentilitátis erróre versarétur, eo die quo Christus Dóminus cruci affíxus est, solem praeter natúram defecísse animadvértens, exclamásse tráditur : aut Deus natúrae pátitur, aut mundi máchina dissólvetur. Sed cum Paulus Apóstolus véniens Athénas, et in Areopágum ductus, rationem reddidísset ejus doctrínae, quam praedicábat, affírmans Christum Dóminum resurrexísse, et mórtuos omnes in vitam reditúros esse, cum álii multi, tum ipse Dionysius in Christum crédidit.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes praecéptis tuis, ut inveniréntur illaesi in aquis válidis : * Terra appáruit árida : et in Mari rubro via sine impedimento. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquae, et torrénte inundavérunt. — Terra appáruit.

Lectio v.

ITAQUE et baptizátus est ab Apóstolo, et Atheniénsium Ecclésiae praeféctus. Qui cum póstea Romam venísset, a Cleménte Pontífice missus est in Gálliam praedicándi Evangélii causa. Quem Lutétiam usque Parisiórum Rústicus Présbyter, et Eleuthérius Diáconus prosecúti sunt : ubi a Fescénnio praefécto quod multos ad christiánam religiónem convertísset, ipse cum sóciis virgis caesus est : cumque in praedicatióne christiánae fídei constantíssime perseveráret, in cratículam subjécto igne injícitur, multísque praetérea supplíciis una cum sóciis cruciátur.

℟. Vérbera carnífícum non timuérunt sancti Dei,

moriéntes pro Christi nómine: * Ut haerédes fierent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia.—Ut haerédes.

Lectio vi.

SED ea tormentórum génera ómnibus forti ac libénti ánimo perferéntibus, Dionysius annum agens supra centésimum, cum réliquis secúri percútitur séptimo Idus Octóbris. De quo illud memóriae próditum est, abscíssum suum caput sustulísse, et progréssum ad duo míllia pássuum in mánibus gestásse. Libros scripsit admirábiles, ac plane coeléstes, de divínis nomínibus, de coelésti et ecclesiástica hierarchía, de mystica theológia, et álios quosdam.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos : et in témpore erit respéctus illórum: * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi.—Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In tertio Nocturno, Homilia venerabilis Bedae in Evangelium: Atténdite, de Communi Martyrum tertio loco. lix.

In secundis Vesperis a Capitulo de sequenti, cum Commem. praecedentis.

DIE X. OCTOBRIS.

In festo S. Francisci Borgiae, Confessoris. Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter ea quae sequuntur.

In Hymno Iste Confessor, mutatur tertius versus.

Oratio.

DOMINE Jesu Christe, verae humilitátis et exémplar, et praemium : quaesumus, ut sicut beátum Francíscum in terréni honóris contémptu imitatórem tui gloriósum effecísti; ita nos ejúsdem imitatiónis et glóriae tríbuas esse consórtes : Qui vivis et regnas.

Pro Commem. SS. Mart. Dionysii, etc. Ańa. Gaudent in coelis ánimae sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti : et quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exúltant sine fine.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Oratio. Deus, qui hodiérna die, ut supra. 466.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

FRANCISCUS Gándiae dux quartus, Joánne Bórgia et Joánna Aragónia Ferdinándi cathólici nepte génitus, post puerílem aetátem inter domésticos mira innocéntia, et pietáte transáctam, in aula primum Cároli quinti Caesaris, mox in Catalániae administratióne admirabílior fuit christiánae virtútis, et vitae austerióris exémplis. Ad Granaténse sepúlchrum Isabéllam imperatrícem cum detulísset, in ejus vultu foede commutáto, mortálium ómnium caducitátem rélegens, voto se adstrínxit, rebus ómnibus, cum primum licéret, abjéctis, regum Regi únice inserviéndi. Inde tantum virtútis increméntum fecit, ut inter negotiórum turbas religiósae perfectiónis simíllimam imáginem réferens, miráculum príncipum appellarétur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit illi claritátem.

Lectio v.

MORTUA Eleonóra de Castro cónjuge, ingréssus est Societátem Jesu, ut in ea latéret secúrius, et praeclúderet dignitátibus áditum, interpósita voti religióne: dignus, quem et viri príncipes complúres in amplecténdo severióri institúto fúerint secúti, et Cárolus quintus ipse in abdicándo império hortatórem sibi, aut ducem extitísse non diffiterétur. In eo arctióris vitae stúdio Franciscus jejúniis, caténis férreis, aspérrimo cilício, cruéntis, longísque verberatiónibus, somno brevíssimo, corpus ad extrémam usque máciem redégit ; nullis praetérea parcens labóribus ad sui victóriam, et ad salútem animárum. Tot ítaque instrúctus virtútibus, a sancto Ignátio primum generális commissárius in Hispániis, nec multo post praepósitus generális tértius a Societáte univérsa, licet invítus, elígitur. Quo in múnere princípibus, ac summis Pontifícibus prudéntia, ac morum sanctitáte appríme carus, praeter complúra vel cóndita, vel aucta ubíque domicília, sócios in regnum Polóniae, in ínsulas Océani, in Mexicánam, et Peruánam províncias invéxit : missis quoque in álias re-

giónes apostólicis viris, qui praedicatióne, sudóribus, sánguine, fidem cathólicam Románam propagárunt.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lóricam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

IDE se ita demísse sentiébat, ut peccatóris nomen sibi próprium fáceret. Románam púrpuram a summis Pontifícibus saepius oblátam, invícta humilitátis constántia recusávit. Vérrere sordes, emendicáre victum ostiátim, aegris ministráre in nosocomíis, mundi, ac sui contémptor, in delíciis hábuit. Síngulis diébus multas continénter horas, frequénter octo, quandóque decem dabat coeléstium contemplatióni. Cénties quotídie de genu Deum adorábat. Nunquam a sacrificándo abstínuit : prodebátque sese divínus, quo aestuábat, ardor, ejus vultu sacram hóstiam offeréntis, aut concionántis interdum radiánte. Sanctíssimum Christi corpus in Eucharístia latens, ubi asservarétur, instínctu coelésti sentiébat. Cardináli Alexandríno, ad conjungéndos contra Turcas christiános príncipes legáto comes ádditus a beáto Pio quinto, árduum iter, fractis jam pene víribus, suscépit ex obediéntia, in qua et vitae cursum Romae, ut optárat, felíciter consummávit, anno aetátis suae sexagésimo secúndo, salútis vero millésimo quingentésimo septuagésimo secúndo. A sancta Terésia, quae ejus utebátur consíliis, vir sanctus ; a Gregório decimotértio fidélis adminíster appellátus ; demum a Clemente décimo plúribus, magnísque clarus miráculis, in Sanctórum número adscríptus.

℣. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homilia sancti Hieronymi Presbyteri in Evangelium : Ecce nos relíquimus ómnia, ut in Communi Abbatum. xcix.

DIE XIII. OCTOBRIS.

In festo S. Eduardi Regis, Confess. Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. cxxxiii. praeter ea quae sequuntur.

In Hymno Iste Confessor, mutatur tertius versus.

Oratio.

DEUS, qui beátum regem Eduárdum Confessórem tuum aeternitátis glória coronásti : fac nos, quaesumus, ita eum venerári in terris, ut cum eo regnáre possímus in coelis. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

EDUARDUS, cognoménto Confessor, nepos sancti Eduárdi regis et Mártyris, Anglo-Sáxonum regum últimus (quem futúrum regem Brithuáldo viro sanctíssimo in mentis excéssu Dóminus demonstrávit) decénnis a Danis Angliam vastántibus quaesítus ad necem, exuláre cógitur apud avúnculum Normánniae ducem : ubi in médiis vitiórum illécebris talem se exhíbuit integritáte vitae, morúmque innocéntia, ut ómnibus admiratióni esset. Elúxit in eo vel tum mira píetas in Deum, ac res divínas, fuítque ingénio mitíssimo atque ab omni dominándi cupiditáte aliéno; cujus ea vox fertur: Malle se regno carére, quod sine caede, et sánguine obtinéri non possit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus. 468.

Lectio v.

EXTINCTIS mox tyránnis, qui frátribus suis vitam, et regnum eripúerant, revocátur in pátriam : ubi summis ómnium votis, et gratulatióne regno potítus, ad hostílium irárum delénda vestígia totum se convértit, a sacris exórsus ac Divórum templis, quorum ália a fundaméntis eréxit, ália refécit, auxítque redítibus ac privilégiis ; in eam curam potíssimum inténtus, ut reflorésceret collápsa relígio. Ab aulae procéribus compúlsum ad núptias, constans est assértio scriptórum, cum vírgine sponsa virginitátem in matrimónio servásse. Tantus in eo fuit in Christum amor, et fides, ut illum aliquándo inter missárum solémnia vidére merúerit blando vultu, et divína luce fulgéntem. Ob profúsam charitátem, orphanórum et egenórum pater passim dicebátur, nunquam laetior, quam cum régios thesáuros exhausísset in páuperes.

℟. Amávit eum. 469.

Lectio vi.

PROPHETIAE dono illústris, de Angliae futúro statu multa coelitus praevídit, et illud in primis memorábile, quod Sweyni

Danórum regis in mare demérsi mortem, dum Angliam invadéndi ánimo classem conscénderet, eódem quo áccidit moménto, divínitus intelléxit. Joánnem Evangelístam mirífice cóluit, nihil cuíquam, quod ejus nómine peterétur, negáre sólitus. Cui olim sub lácera veste suo nómine stipem rogánti, cum nummi deéssent, detráctum ex dígito ánnulum porréxit, quem divus non ita multo post Eduárdo remísit, una cum núntio secutúrae mortis. Quare rex, indíctis pro se précibus, ipso ab Evangelísta praedícto die, piíssime óbiit Nonis vidélicet Januárii, anno salútis millésimo sexagésimo sexto, quem sequénti saeculo, Alexánder Papa tértius miráculis clarum, Sanctórum fastis adscrípsit. At ejus memóriam Innocéntius undécimus offício público per univérsam Ecclésiam eo die celebrári praecépit, quo annis ab óbitu sex et trigínta translátum ejus corpus, incorrúptum, et suávem spírans odórem repértum est.

℟. Iste homo. 469.

In tertio Nocturno, Homilia sancti Gregorii Papae in Evang. Sint lumbi vestri praecíncti, ut in Communi Confess. non Pontif. xcii.

Vesperae de sequenti, cum Comm. S. Eduardi.

DIE XIV. OCTOBRIS.

In festo S. Callisti I., Papae et Mart. Duplex.

Omnia de Comm. unius Martyris. xxvii. praeter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui nos cónspicis ex nostra infirmitáte defícere: ad amórem tuum nos misericórditer per Sanctórum tuórum exémpla restáura. Per Dñum.

Deinde fit Commemor. S. Eduardi, Añа. Hic vir despíciens mundum, et terréna, triúmphans, divítias coelo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio ut supra. 470.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

CALLISTUS Románus praefuit Ecclésiae Antoníno Heliogábalo imperatóre. Constítuit quátuor anni témpora, quibus jejúnium, ex apostólica traditióne accéptum, ab ómnibus servarétur. Ædificávit basílicam sanctae Maríae trans Tíberim, et in via Appia vetus coemetérium, in quo multi sancti Sacerdótes, et Mártyres sepúlti sunt, ampliávit; unde

ab eo Callísti coemetérium appellátur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

EJUSDEM pietátis fuit, quod beáti Calepódii Presbyteri, et Mártyris corpus, jactátum in Tíberim conquíri diligénter curávit, et invéntum honorífice sepelívit. Palmátium consulári, Simplícium senatória dignitáte illústres, Felícem, et Blandam, qui deínde omnes martyrium subiére, cum baptísmo lustrásset, missus est in cárcerem, ubi Privátum mílitē ulcéribus plenum, admirabíliter sanitáti restitútum, Christo adjúnxit ; pro quo idem, recens adhuc a fide suscépta, plumbátis usque ad mortem caesus, occúbuit.

℟. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam praeveníst eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.—Et voluntáte.

Lectio vi.

SEDIT Callístus annos quinque, mensem unum, dies duódecim. Ordinatiónibus quinque mense Decémbri, creávit Presbyteros séxdecim, Diáconos quátuor, Epíscopos octo. Post longam famem, crebrásque verberatiónes, praeceps actus in púteum, atque ita martyrio coronátus sub Alexándro imperatóre, illátus est in coemetérium Calepódii, via Aurélia, tértio ab Urbe lápide, prídie Idus Octóbris. Ejus póstmodum corpus in basílicam sanctae Maríae trans Tíberim, ab ipso aedificátam delátum, sub ara majóri, máxima veneratióne cólitur.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitae, et intellectus : et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum.—Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In tertio Nocturno, Homilia sancti Hilarii Episcopi in Evangelium : Nihil est opértum, de Communi tertio loco. xlii.

Vesperae a Capitulo de sancta Teresia Virgine cum Commem. S. Callisti.

DIE XV. OCTOBRIS.

In festo S. Teresiae, Virginis. Duplex.

Omnia de Communi Virginum. ciii. praeter ea quae hic ponuntur propria.

AD VESPERAS.

Capitulum. 2. *Cor.* x. *d.*

FRATRES, Qui gloriátur, in Dño gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est; sed quem Deus comméndat.

In utrisque Vesperis et Laudibus, Hymnus.

REGIS supérni núntia
Domum patérnam déseris,
Terris Terésa bárbaris
Christum datúra, aut sánguinem;
Sed te manet suávior
Mors, poena poscit dúlcior:
Divíni amóris cúspide
In vulnus icta cóncides.
O charitátis víctima,
Tu corda nostra cóncrema,
Tibíque gentes créditas
Avérni ab igne líbera.
Sit laus Patri cum Fílio,
Et Spíritu Paráclito,
Tibíque sancta Trínitas,
Nunc, et per omne saeculum. Amen.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Ad Magnif. Ánt. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus praeparávit in aetérnum.

Oratio.

EXAUDI nos, Deus salutáris noster: ut sicut de beátae Terésiae Vírginis tuae festivitáte gaudémus; ita coeléstis ejus doctrínae pábulo nutriámur, et piae devotiónis eruditiámur affectu. Per Dñum.

Et fit Commemoratio S. Callisti, Papae et Martyris. Ánt. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio. Deus, qui nos cónspicis, ut supra. 471.

AD MATUTINUM.

Invitator. Regem Vírginum Dóminum, ℣ Veníte adorémus. Psalm. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

HAEC est dies, qua cándidae
Instar colúmbae, coelitum
Ad sacra templa spíritus
Se tránstulit Terésiae;
Sponsíque voces áudiit:
Veni soror de vértice
Carméli, ad Agni núptias:
Veni ad corónam glóriae.
Te sponse Jesu Vírginum
Beáti adórent Ordines,
Et nuptiáli cántico
Laudent per omne saeculum. Amen.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

TERESIA virgo nata est Abulae in Hispánia, paréntibus tum génere, tum pietáte praecláris. Ab iis divíni timóris lacte educáta, admirándum futúrae sanctitátis in tenérrima adhuc aetáte spécimen dedit. Nam cum sanctórum Mártyrum acta perlégeret, ádeo in ejus meditatióne sancti Spíritus ignis exársit, ut domo aufúgiens in Africam trajíceret, ubi vitam pro glória Jesu Christi et animárum salúte profúnderet. A pátruo revocáta, ardens martyrii desidérium eleemósynis aliísque piis opéribus compensávit, júgibus lácrymis deplórans óptimam sibi sortem fuísse praeréptam. Mórtua matre, cum a beatíssima Vírgine péteret, ut se matrem esse monstráret, pii voti compos effécta est, semper perínde ac fília patrocínio Deíparae pérfruens. Vigésimũ aetátis annum agens, ad moniáles sanctae Maríae de Monte Carmélo se cóntulit: ibi per duodevigínti annos gravíssimis morbis et váriis tentatiónibus vexáta, constantíssime méruit in castris christiánae poeniténtiae, nullo refécta pábulo coeléstium eárum consolatiónũ, quibus solet étiam in terris sánctitas abundáre.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Et dedúcet.

Lectio v.

ANGELICIS ditáta virtútibus non modo própriam, sed públicam étiam salútem sollícita charitáte curávit. Quare severiórem véterum Carmelitárum régulam, Deo afflánte, et Pio quarto approbánte, primum muliéribus, deínde viris observándam propósuit. Efflóruit in eo consílio omnípotens miseréntis Dómini benedíctio: nam duo supra trigínta monastéria inops Virgo pótuit aedificáre, ómnibus humánis destitúta auxíliis, quinímo adversántibus plerúmque saeculi princípibus. Infidélium et haereticórum ténebras perpétuis deflébat lácrymis, atque ad placándam divínae ultiónis iram, voluntários próprii córporis cruciátus Deo pro eórum salúte dicábat. Tanto autem divíni amóris incéndio cor ejus conflagrávit, ut mérito víderit Angelum igníto jáculo

sibi praecórdia transverberántem ; et audíerit Christum data déxtera dicéntem sibi : Deínceps ut vera sponsa meum zelábis honórem. Eo consiliánte, máxime árduum votum emísit, efficiéndi semper quidquid perféctius esse intellígeret. Multa coeléstis sapiéntiae documénta conscrípsit, quibus fidélium mentes ad supérnae pátriae desidérium máxime excitántur.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi.

QUM autem assídua éderet exémpla virtútum, tam ánxio castigándi córporis desidério aestuábat, ut quamvis secus suadérent morbi, quibus afflictabátur, corpus cilíciis, caténis, urticárum manípulis, aliísque aspérrimis flagéllis saepe cruciáret, et aliquándo inter spinas volutáret, sic Deum álloqui sólita : Dómine aut pati, aut mori : se semper misérrima morte pereúntẽ exístimans, quámdiu a coelésti aetérnae vitae fonte abésset. Prophetíae dono excélluit, eámque divínis charismátibus tam liberáliter locupletábat Dóminus, ut saepius exclámans péteret, benefíciis in se divínis modum impóni, nec tam céleri oblivióne culpárum suárum memóriam aboléri. Intolerábili ígitur dívini amóris incéndio pótius quam vi morbi, Albae cum decúmberet, praenuntiáto suae mortis die, ecclesiásticis sacraméntis munita, alúmnos ad pacem, charitátem et regulárem observántiam adhortáta, sub colúmbae spécie puríssimam ánimam Deo réddidit, annos nata sexagínta septem, anno millésimo quingentésimo octogésimo secúndo, Idibus Octóbris, juxta Kalendárii Románi emendatiónem. Ei moriénti adésse visus est inter Angelórum ágmina Christus Jesus : et arbor árida cellae próxima statim efflóruit. Ejus corpus usque ad hanc diem incorrúptum, odoráto liquóre circumfúsum, pia veneratióne cólitur. Miráculis cláruit ante et post óbitum : eámque Gregórius decimusquíntus in Sanctárum númerum rétulit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximae ejus, * Afferéntur tibi in laetítia et exultatióne. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evang. Símile erit regnum coelórum decem virgínibus, ut in Communi Virg. cxv.

AD LAUDES.

Hymnus ut in primis Vesperis. 473.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Ad Bened. Aña. Símile est regnum coelórum hómini negotiatóri quaeránti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio.

EXAUDI nos Deus salutáris noster : ut sicut de beátae Terésiae Vírginis tuae festivitáte gaudémus ; ita coeléstis ejus doctrínae pábulo nutriámur, et piae devotiónis eruditámur affféctu. Per Dñum.

In secundis Vesp. omnia ut in primis. 473. praeter :

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

DIE XVII. OCTOBRIS.

In festo S. Hedwigis, Viduae. Semiduplex.

Omnia de Communi Sanctarum nec Virginum nec Martyrum. cxxiii. praeter ea quae hic habentur.

Oratio.

DEUS, qui beátam Hedwígem a saeculi pompa ad húmilem tuae crucis sequélam toto corde transíre docuísti : concéde; ut ejus méritis et exémplo discámus peritúras mundi calcáre delícias, et in ampléxu tuae crucis ómnia nobis adversántia superáre : Qui vivis et regnas.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

HEDWIGIS, régiis clara natálibus, innocéntia tamen vitae longe clárior, sanctae Elisabéthae fíliae regis Hungáriae matértera, Berthóldi et Agnétis Moráviae marchiónũ fília, ánimi ab ineúnte aetáte moderatiónem prótulit ; adhuc enim puéllula puerílibus abstínuit ; et duodénnis Henríco Polóniae duci a paréntibus núptui trádita, thálami fide sancte serváta, prolem inde suscéptam in Dei timóre erudívit. Ut autem commódius Deo vacáret, ex pari voto, et consénsu unánimi ad separatiónem thori virum indúxit; quo defúncto, ipsa in monastério Trebnicénsi, Deo, quem assíduis précibus exoráverat, inspiránte, Cisterciénsem devóta sumpsit

hábitum ; in eóque contemplatióni inténta, divínis offíciis, et missárum solémniis a solis ortu ad meridiem usque assídua assístens, antíquum humáni géneris hostem fortis contémpsit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et dedúcet.

Lectio v.

SAECULI autem commércia, ni divína, vel animárum salútem attíngerent, audíre, vel loqui non sustínuit : prudéntia in agéndis sic emícuit, ut neque excéssus esset in modo, nec error in órdine, comis alióquin, et mansuéta in próximum. Grandem autem de se triúmphum jejúniis, et vigíliis, vestiúmque asperitáte austéra carnem mácerans, reportávit : hinc sublimióribus florens virtútibus christiánis, consiliórum gravitáte, animíque candóre et quiéte, in exímium religiósae pietátis evásit exémplar : ómnibus se ultro subjícere, atque vilióra prae caeteris moniálibus alácriter múnia subíre ; paupéribus étiam flexo genu ministráre, leprosórum pedes ablúere et osculári ipsi familiáre erat, neque illórum úlcera sánie manántia sui victrix abhórruit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Propterea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi.

QUIRA fuit ejus patiéntia, animíque constántia ; praecípue vero in morte Henríci ducis Silésiae sui, quem matérne diligébat, fílii in bello a Tártaris caesi, enítuit ; pótius enim grátias Deo, quam fílio lácrymas réddidit. Miraculórum dénique glória percrébuit ; púerum enim demérsum, et molendíni rotis allísum, et prorsus attrítum, invocáta, vitae restítuit, áliaque praestitit, ut rite iis Clemens quartus probátis, Sanctórum número eam adscrípserit, ejúsque festum in Polónia, ubi praecípua veneratióne uti Patróna cólitur, die décima quinta Octóbris celebrári concésserit ; quod deínde ut décima séptima in tota Ecclésia fíeret, Innocéntius undécimus ampliávit.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera

ejus.—Múlier. Glória Patri. Múlier.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evang. Símile est regnum coelórum thesáuro, ut in Communi non Virg. cxxvi.

Vesperae de sequenti sine Commem. S. Hedwigis.

DIE XVIII. OCTOBRIS.

In festo S. Lucae, Evangelistae. Duplex.

Omnia de Communi Apostolorum. ii. praeter ea quae sequuntur.

Oratio.

INTERVENIAT pro nobis, quaesumus Dómine, sanctus tuus Lucas Evangelísta: qui crucis mortificatiónem júgiter in suo córpore, pro tui nóminis honóre portávit. Per Dóminum.

In primo Nocturno leguntur Lectiones Ezechielis Prophetae, positae in Communi Evangelistarum. xxii.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri de Scriptóribus Ecclesiásticis.

Lectio iv.

LUCAS médicus Antiochénsis, ut ejus scripta índicant, Graeci sermónis non ignárus, fuit sectátor Apóstoli Pauli, et omnis peregrinatiónis ejus comes. Scripsit Evangélium, de quo idem Paulus: Mísimus, inquit, cum illo fratrem, cujus laus est in Evangélio per omnes Ecclésias. Et ad Colossénses: Salútat vos Lucas médicus caríssimus. Et ad Timótheum: Lucas est mecum solus. Aliud quoque édidit volúmen egrégium, quod título, Acta Apostolórum, praenotátur: cujus história usque ad biénnium Romae commorántis Pauli pérvenit, id est, usque ad quartum Nerónis annum. Ex quo intellígimus, in eádem urbe librum esse compósitu.

℟. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens: * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium coelum, voce magna clamántem, et dicéntem.—Isti sunt.

Lectio v.

IGITUR períodos Pauli et Theclae, et totam baptizáti Leónis fábulam, inter apócryphas scriptúras computámus. Quale enim est, ut indivíduus comes Apóstoli, inter caeteras ejus res hoc solum ignoráverit? sed et Tertulliánus vicínus eórum témporum, refert, Presbyterum quemdam in

Asia amatórem Apóstoli Pauli, convíctum a Joánne, quod auctor esset libri, et conféssum se hoc Pauli amóre fecísse, et ob id loco excidísse. Quidam suspicántur, quotiescúmque in epístolis suis Paulus dicit, juxta Evangélium meum, de Lucae significáre volúmine.

℟. Beáti estis cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me: * Gaudéte et exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in coelis. ℣. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis.—Gaudéte.

Lectio vi.

LUCAM autem non solum ab Apóstolo Paulo didicísse Evangélium, qui cum Dómino in carne non fúerat, sed a caeteris Apóstolis: quod ipse quoque in princípio sui volúminis declárat, dicens: Sicut tradidérunt nobis, qui a princípio ipsi vidérunt, et ministri fuérunt sermónis. Igitur Evangélium, sicut audíerat, scripsit: Acta vero Apostolórum, sicut víderat ipse, compósuit. Vixit octogínta et quátuor annos, uxórem non habens: sepúltus est Constantinópoli: ad quam urbem vigésimo Constantíni anno ossa ejus cum relíquiis Andréae Apóstoli transláta sunt de Achája.

℟. Isti sunt triumphatóres, et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt praemia aetérna: * Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.— Modo. Glória Patri. Modo.

In tertio Nocturno, Homilia sancti Gregorii Papae in Evang. Designávit Dóminus, de Communi Evangelistarum. xxv.

In secundis Vesperis fit Commem. sequentis.

DIE XIX. OCTOBRIS.

In festo S. Petri de Alcantara, Confess. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxviii. praeter sequentia.

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui aedificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriae índuit eum.

Oratio.

DEUS, qui beátum Petrum Confessórem tuum admirábilis poenitén-

tiae, et altíssimae contemplatiónis múnere illustráre dignátus es: da nobis quaesumus; ut ejus suffragántibus méritis carne mortificáti, facílius coeléstia capiámus. Per Dóminum.

In Hymno mutatur tertius versus.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

PETRUS Alcántarae in Hispánia nobílibus paréntibus natus, a ténerisannis futúrae sanctitátis indícia praebuit. Décimo sexto aetátis anno órdinem Minórum ingréssus, se ómnium virtútum exémplar exhíbuit. Tum munus concionatóris ex obediéntia exércens, innúmeros a vítiis ad veram poeniténtiam tradúxit. Primaevum sancti Francísci institútum exactíssime reparáre cúpiens, ope divína fretus, et apostólica munítus auctoritáte, angustíssimum et paupérrimum coenóbium juxta Pedrósum fundávit: quod vitae genus aspérrimum, ibi felíciter coeptum, per divérsas Hispániae províncias, usque ad Indias mirífice propagátum fuit. Sanctae Terésiae, cujus probáverat spíritum; in promovénda Carmelitárum reformatióne adjútor fuit. Ipsa autem a Deo edócta, quod Petri nómine nihil quisquam péteret, quin prótinus exaudirétur, ejus précibus se commendáre et ipsum adhuc vivéntem Sanctum appelláre consuévit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. —Et dedit.

Lectio v.

PRINCIPUM obséquia, qui ipsum velut oráculum consulébant, summa humilitáte declínans Cárolo quinto imperatóri a confessiónibus esse recusávit. Paupertátis rigidíssimus custos, una túnica, qua nulla detérior esset, conténtus erat. Puritátem ita cóluit, ut a fratre in extrémo morbo sibi inserviénte, nec léviter quidem tangi passus sit. Corpus suum perpétuis vigíliis, jejúniis, flagéllis, frígore, nuditáte, atque omni génere asperitátum in servitútem redégit, cum quo pactum iníerat, ne ullam in hoc saeculo ei réquiem praebéret. Cháritas Dei et próximi in ejus corde diffúsa tantum quandóque excitábat incéndium, ut e

cellae angústiis in apértum campum prosilíre, aerísque refrigério concéptum ardórem temperáre cogerétur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

GRATIA contemplatiónis admirábilis in eo fuit, qua cum assídue spíritus reficerétur, intérdum áccidit, ut ab omni cibo et potu plúribus diébus abstinúerit. In áera frequénter sublátus, miro fulgóre coruscáre visus est. Rápidos flúvios sicco pede trajécit. Fratres in extréma penúria, coelitus deláta alimónia cibávit. Báculus ab ipso terrae defíxus, mox in víridem ficúlneam excrévit. Cum nóctu iter ágeret densa nive cadénte, dírutam domum sine tecto ingréssus est, eíque nix in áere péndula pro tecto fuit, ne illíus cópia suffocarétur. Dono prophetíae, ac discretiónis spirituum imbútum fuísse, sancta Terésia testátur. Dénique annum agens sexagésimum tértium, hora qua praedíxerat, migrávit ad Dóminum, mirábili visióne, Sanctorúmque praeséntia confortátus. Quem eódem moménto in coelum ferri beáta Terésia procul distans vidit; cui póstea appárens dixit: O felix poeniténtia, quae tantam mihi proméruit glóriam! Post mortem vero plúrimis miráculis cláruit, et a Cleménte nono Sanctórum número adscríptus est.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno, Homilia venerabilis Bedae Presbyteri in Evangelium: **Nolíte timére pusíllus grex,** ut in Communi Confessoris non Pontificis. xcvii.

Vesperae a Capitulo de sequenti, Commem. praecedentis.

DIE XX. OCTOBRIS.

In festo S. Joannis Cantii, Confess. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter sequentia.

IN I. VESPERIS.

Hymnus.

CENTIS Polónae glória,
Clerique splendor nóbilis,

Decus Lycaei, et pátriae
Pater, Joánnes ínclyte.
Legem supérni Núminis
Doces magíster, et facis :
Nil scire prodest : sédulo
Legem nitámur éxequi.
Apostolórum límina
Pedes viátor vísitas ;
Ad pátriam, ad quam téndimus
Gressus, viámque dírige.
Urbem petis Jerúsalem ;
Signáta sacro sánguine
Christi colis vestígia
Rigásque fusis flétibus.
Acérba Christi vúlnera
Haeréte nostris córdibus,
Ut cogitémus cónsequi
Redemptiónis prétium.
Te prona mundi máchina
Clemens adóret Trínitas
Et nos novi per grátiam
Novum canámus cánticum.
Amen.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriae índuit eum.

Antiph. Similábo eum viro sapiénti, qui aedificávit domum suam supra petram.

Oratio.

DA, quæsumus omnípotens Deus; ut sancti Joannis Confessóris exémplo in sciéntia sanctórum proficiéntes, atque áliis misericórdiam exhibéntes, ejus méritis indulgéntiam apud te consequámur. Per Dóminum.

Deinde fit Commemor. S. Petri de Alcantara, Añ. Hic vir despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias coelo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio. Deus, qui beátum Petrum, ut supra. 479.

AD MATUTINUM.

Invitator. Regem Confessórum Dóminum, * Veníte adorémus. Psalmus. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

CORPUS domas jejúniis,
Caedis cruénto vérbere,
Ut castra poeniténtium
Miles sequáris ínnocens.
Sequámur et nos sédulo
Gressus Paréntis óptimi,
Sequámur, ut licéntiam
Carnis refraenet spíritus.
Rigénte bruma próvidum
Praebes amíctum páuperi,
Sitim famémque egéntium
Esca, potúque súblevas.
O qui negásti némini
Opem rogánti, pátrium
Regnum tuére, póstulant
Cives Polóni, et éxteri.
Sit laus Patri, sit Fílio,
Tibíque sancte Spíritus :
Preces Joánnis impétrent
Beáta nobis gáudia.
Amen.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

OANNES in óppido Kenty Cracoviénsis dioecésis, a quo Cántii cognómen duxit, Stanisláo et Anna piis et honéstis paréntibus natus, morum suavitáte, innocéntia, gravitáte ab ipsa infántia, spem fecit máximae virtútis. In universitáte Cracoviénsi philosóphiae, ac theológiae primum audítor, tum per omnes Academíae gradus ascendéndo profféssor, ac doctor, sacra, quam annis multis trádidit, doctrína mentes audiéntium non illustrábat modo, sed et ad omnem pietátem inflammábat, simul docens scílicet, et fáciens. Sacérdos factus nihil de litterárum stúdio remíttens, stúdium auxit christiánae perfectiónis. Utque passim offéndi Deum máxime dolébat, sic eum sibi et pópulo placáre obláto quotídie, non sine multis lácrymis incruénto sacrifício satagébat. Ilkusiénsem paróchiam annis áliquot egrégie administrávit, sed animárum perículo commótus póstea dimísit ac postulánte Academía ad prístinum docéndi offícium rédiit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus. 480.

Lectio v.

QUIDQUID témporis ab stúdio supérerat, partim salúti proximórum, sacris praesértim conciónibus, curándae, partim oratióni dabat, in qua coeléstibus quandóque visiónibus, et collóquiis dignátus fertur. Christi vero passióne sic afficiebátur, ut in ea contemplánda totas intérdum noctes dúceret insómnes, ejúsque causa mélius recoléndae Hierosólymam peregrinátus sit: ubi et martyrii desidério flagrans, Turcis ipsis Christum crucifíxum praedicáre non dubitávit. Quater étiam ad Apostolórum límina pedes, atque viária onústus sárcina Romam venit, tum ut sedem apostólicam, cui máxime addíctus fuit, honoráret: tum ut sui (sic enim aiébat) purgatórii poenas expósita illic quotídie peccatórum vénia redímeret. Quo in itínere a latrónibus olim spoliátus, et num quid habéret praetérea interrogátus, quum negásset, áureos deínde áliquot suo insútos pállio recordátus, fugiéntibus hos étiam clamans óbtulit latrónibus, qui viri sancti candórem simul, et largitátem admiráti, étiam ablátos ultro reddidére. Aliénae famae ne quis detráheret, descríptis beáti Augustíni

exémplo in paríete versículis, se, atque álios perpétuo vóluit admónitos. Famélicos de suo étiam obsónio satiábat. Nudos autem non emptis modo, sed detráctis quoque sibi véstibus, et cálceis operiébat, demisso ipse ínterim usque ad terram pállio, ne domum núdipes redíre viderétur.

℟. Amávit eum. 481.

Lectio vi.

BREVIS illi somnus, atque humi; vestis, quae nuditátem, cibus, qui mortem dumtáxat arcéret; virgináles pudicítiam, velut lílium inter spinas, áspero cilício, flagéllis, atque jejúniis custodívit. Quin et per annos ante óbitum trigínta círciter et quinque ab usu cárnium perpétuo abstínuit. Tandem diérum juxta, ac meritórum plenus, quem vicínae, quam praesénsit, morti se diu diligentérque praeparásset, ne qua re ámplius tenerétur, si quid domi supérerat, id omníno paupéribus distríbuit. Tum Ecclésiae sacraméntis rite munítus, dissólvi jam cúpiens, et esse cum Christo prídie Nativitátis ejus in coelum evolávit miráculis ante, et post mortem clarus. Mórtuus ad próximam Academíae Ecclésiam sanctae Annae delátus est, ibíque honorífice sepúltus. Auctáque in dies pópuli veneratióne ac frequéntia inter primários Polóniae, ac Lithuániae Patrónos religiosíssime cólitur. Novísque corúscans miráculis a Cleménte decimotértio Pontífice máximo décimo séptimo Kaléndas Augústi, anno millésimo septingentésimo sexagésimo séptimo, solémni ritu Sanctórum fastis adscríptus est.

℟. Iste homo. 481.

In tertio Nocturno, de Homilia in Evang. Sint lumbi vestri, ut in Commúni. xcii.

Hymnus ad Laudes. Gentis Polónae glória, ut in primis Vesperis. 481.

IN II. VESPERIS.

Hymnus.

TE deprecánte córporum
Lues recédit, ímprobi
Morbi fugántur, prístina
Rédeunt salútis múnera.

Phthisi, febríque, et úlcere
Diram redáctos ad necem,
Sacrátas morti víctimas
Ejus rapis e fáucibus.

Te deprecánte túmido
Merces abáctae flúmine,
Tractae Dei poténtia
Sursum fluunt retrógradae.

Cum tanta possis, sédibus
Coeli locátus, póscimus
Respónde votis súpplicum
Et invocátus súbveni.

O una semper Trínitas
O trina semper Unitas :
Da, supplicánte Cántio,
Ætérna nobis praemia.
Amen.

Ańa. Hic vir despíciens mundum, et terréna, triúmphans, divítias coelo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio. Da quaesumus, ut supra, 482.

Et fit Commem. sequentis ut infra.

DIE XXI. OCTOBRIS.

S. Hilarionis, Abbatis.

Ańa. Similábo eum viro sapiénti, qui aedificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum. ℟. Stolam glóriae índuit eum.

Oratio.

INTERCESSIO nos, quaesumus Dómine, beáti Hilariónis Abbátis comméndet : ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Et fit Comm. SS. Ursulae et sociarum in Vesperis et Laudibus, Ańa. Prudéntes vírgines aptáte vestras lámpades : ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.

℣. Adducéntur Regi vírgines post eam. ℟. Próximae ejus afferéntur tibi.

Oratio.

DA nobis, quaesumus Dómine Deus noster, sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum, Ursulae et sociárum ejus, palmas incessábili devotióne venerári : ut quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Lectio ii.

HILARION ortus Tábathae in Palaestina ex paréntibus infidélibus, Alexandríam missus studiórum causa, ibi morum et ingénii laude flóruit : ac Jesu Christi suscépta religióne, in fide et charitáte mirabíliter profécit. Frequens enim erat in Ecclésia, assíduus in jejúnio et oratióne : omnes voluptátum illécebras, et terrenárum rerum cupiditátes contemnébat. Cum autem Antónii nomen in Ægypto celebérrimum esset, ejus vivéndi stúdio in solitúdinem conténdit : apud quem duóbus ménsibus omnem ejus vitae ratiónem dídicit. Domum revérsus, mórtuis paréntibus, facultátes suas paupéribus dilargítus est : necdum quintumdécimum annum egréssus, rédiit in solitúdinem : ubi extrúcta exígua casa, quae vix ipsum cáperet, humi cubábat. Nec

vero saccum, quo semel amíctus est, unquam aut lavit aut mutávit, cum supervacáneũ esse díceret, mundítias in cilício quaerere.

Lectio iii.

IN sanctárum litterárum lectióne et meditatióne multus erat. Paucas ficus, et succum herbárum ad victum adhibébat, nec illis arte solis occásum vescebátur. Continéntia et humilitáte fuit incredíbili. Quibus, aliísque virtútibus várias horribilésque tentatiónes diáboli superávit, et innumerábiles daemones in multis orbis terrae pártibus ex hóminum corpóribus ejécit. Qui octogésimum annum agens, multis aedificátis monastériis, et clarus miráculis, in morbum íncidit: cujus vi cum extrémo pene spíritu conflictarétur, dicébat: Egrédere, quid times? egrédere ánima mea, quid dúbitas? septuagínta prope annis servísti Christo, et mortem times? Quibus in verbis spíritum exhalávit.

Te Deum laudámus. 17.

DIE XXV. OCTOBRIS.

SS. Martyrum Chrysanthi et Dariae.

Oratio.

BEATORUM Mártyrum tuórum, Dñe, Chrysánthi et Daríae, quaesumus, adsit nobis orátio: ut quos venerámur obséquio, eórum pium júgiter experiámur auxílium. Per Dóminum nostrum.

Lectio ii.

CHRYSANTHUS et Daría cónjuges, nóbili génere nati, fide étiam clarióres, quam Daría, maríti ópera, cum baptísmo suscéperat; Romae innumerábilem hóminum multitúdinem, haec mulíerum, ille virórum, ad Christum convertérunt. Quare Celerínus praeféctus comprehénsos trádidit Cláudio tribúno: qui jussit a milítibus Chrysánthum vinctum cruciátibus torquéri; sed víncula ómnia resolúta sunt, mox cómpedes, in quos conjéctus fúerat, confrácti.

Lectio iii.

DEINDE bovis cório inclúsum, in ardentíssimo sole constítuunt: tum pédibus ac mánibus caténa constrictis in obscúrum cárcerem detrúdunt: ubi solútis caténis, claríssima lux locum illustrávit. Daría vero in lupánar compúlsa, leónis tutéla, dum in oratióne defíxa est, a contumélia divínitus defénsa est. Dénique in arenáriam, quae est via Salária, utérque ductus effóssa terra, lapídibus óbruti, parem

martyrii corónam adépti sunt.

Te Deum laudámus. 17.

DIE XXVI. OCTOBRIS.

Sancti Evaristi, Papae et Martyris.

Oratio.

INFIRMITATEM nostram réspice omnípotens Deus : et quia pondus própriae actiónis gravat, beáti Evaristi Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Lectio iii.

EVARISTUS Graecus ex Judaeo patre, Trajáno imperatóre pontificátum gessit. Qui Ecclesiárum títulos urbis Romae Presbyteris divísit : et ordinávit, ut septem Diáconi Episcopum custodírent, dum evangélicae praedicatiónis offício fungerétur. Idem constítuit ex traditióne apostólica, ut matrimónium públice celebrétur, et Sacerdótis benedíctio adhibeátur. Praefuit Ecclésiae annos novem, menses tres: Presbyteris decem et septem, Diáconis duóbus, Episcopis quíndecim, quater mense Decémbri ordinátis. Martyrio coronátus, prope sepúlchrum príncipis Apostolórum in Vaticáno sepúltus est séptimo Kaléndas Novémbris.

Te Deum laudámus. 17.

DIE XXVII. OCTOBR.

In Vigilia SS. Apostolorum Simonis et Judae.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio i. *Cap.* xv.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Ego sum vitis vera : et Pater meus agrícola est. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi.

Tract. lxxx. *in Joannem.*

ISTE locus evangélicus, fratres, ubi se dicit Dóminus vitem, et discípulos suos pálmites, secúndum hoc dicit, quod est caput Ecclésiae, nosque membra ejus, mediátor Dei et hóminum homo Christus Jesus. Uníus quippe natúrae sunt vitis et pálmites. Propter quod cum esset Deus, cujus natúrae non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humána natúra, cujus et nos hómines pálmites esse possémus.

Responsória de Feria occurrenti.

Lectio ii.

QUID ergo est, Ego sum vitis vera? Numquid ut ádderet, vera, hoc

ad eam vitem rétulit, unde ista similitúdo transláta est? Sic enim dícitur vitis per similitúdinem, non per proprietátem: quemádmodum dícitur ovis, agnus, leo, petra, lapis anguláris, et caetera hujúsmodi, quae magis ipsa sunt vera, ex quibus ducúntur istae similitúdines, non proprietátes. Sed cum dicit: Ego sum vitis vera: ab illa se útique discérnit, cui dícitur: Quómodo convérsa es in amaritúdinem vitis aliéna? nam quo pacto est vitis vera, quae expectáta est ut fáceret uvam, fecit autem spinas?

Lectio iii.

EGO sum, inquit, vitis vera, et Pater meus agrícola est. Numquid unum sunt agrícola et vitis? Secúndum hoc ergo vitis Christus, secúndum quod ait: Pater major me est. Secúndum autem id quod ait: Ego et Pater unum sumus; et ipse agrícola est: nec talis, quales sunt qui extrínsecus operándo éxhibent ministérium; sed talis, ut det étiam intrínsecus increméntum. Nam neque qui plantat, est áliquid, neque qui rigat: sed, qui increméntum dat, Deus. Sed útique Deus est Christus, quia Deus erat Verbum. Unde ipse et Pater unum sunt: et, si Verbum caro factum est, quod non erat, manet quod erat.

In Laudibus dicuntur Preces feriales flexis genibus ut supra. 63.

Oratio.

CONCEDE quaesumus omnípotens Deus: ut sicut Apostolórum tuórum Simónis et Judae gloriósa natalítia praevenímus, sic ad tua benefícia promerénda Majestátem tuam pro nobis ipsi praevéniant. Per Dóminum.

DIE XXVIII. OCTOBR.

In festo SS. Apostolorum Simonis et Judae. Duplex.

Omnia de Communi Apostolorum. ii. praeter ea quae hic habentur propria.

Oratio.

DEUS, qui nos per beátos Apóstolos tuos Simónem et Judam ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti: da nobis eórum glóriam sempitérnam et proficiéndo celebráre, et celebrándo profícere. Per Dóminum.

In primo Nocturno.

Incipit Epístola cathólica beáti Judae Apóstoli.

Lectio i.

UDAS Jesu Christi servus, frater autem Jacóbi, his qui sunt in Deo Patre diléctis, et Christo

Jesu conservátis, et vocátis. Misericórdia vobis, et pax, et cháritas adimpleátur. Caríssimi, omnem sollicitúdinem fáciens scribéndi vobis de commúni vestra salúte, necésse hábui scríbere vobis : déprecans supercertári semel tráditae Sanctis fídei. Subintroiérunt enim quidam hómines (qui olim praescripti sunt in hoc judícium) ímpii, Dei nostri grátiam transferéntes in luxúriam, et solum Dominatórem et Dóminum nostrum Jesum Christum negántes.

℟. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dñus : * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbae. ℣. Dum lucem habétis, crédite in lucem, ut fílii lucis sitis.—Estóte.

Lectio ii.

COMMONERE autem vos volo, sciéntes semel ómnia, quóniam Jesus pópulum de terra Ægypti salvans, secúndo eos, qui non credidérunt, pérdidit : ángelos vero, qui non servavérunt suum principátum, sed dereliquérunt suum domicílium, in judícium magni diéi, vínculis aetérnis sub calígine reservávit. Sicut Sódoma et Gomórrha, et finítimae civitátes símili modo exfornicátae, et abeúntes post carnem álteram, factae sunt exémplum, ignis aetérni poenam sustinéntes. Simíliter et hi carnem quidem máculant, dominatiónem autem spernunt, majestátem autem blasphémant.

℟. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde : * Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris.—Jugum.

Lectio iii.

CUM Míchael Archángelus cum diábolo disputans altercarétur de Móysi córpore, non est ausus judícium inférre blasphémiae, sed dixit : Imperet tibi Dóminus. Hi autem, quaecúmque quidem ignórant, blasphémant : quaecúmque autem naturáliter, tamquam muta animália, norunt, in his corrumpúntur. Vae illis, quia in via Cain abiérunt, et erróre Bálaam mercéde effúsi sunt, et in contradictióne Core periérunt. Hi sunt in épulis suis máculae, convivántes sine timóre, semetípsos pascéntes, nubes sine aqua, quae a ventis circumferúntur, árbores autumnáles, infructuósae, bis mórtuae, eradicátae, fluctus feri maris, despumántes suas con-

fusiónes, sídera errántia: quibus procélla tenebrárum serváta est in aetérnum.

℟. Dum stetéritis ante reges et praesides, nolíte cogitáre quómodo aut quid loquámini: * Dábitur enim vobis in illa hora quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquímini: sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. — Dábitur. Glória Patri. Dábitur.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

SIMON Chananaeus, qui et Zelótes; et Thaddaeus, qui et Judas Jacóbi appellátur in Evangélio, unius ex cathólicis Epístolis scriptor; hic Mesopotámiam, ille Ægyptum evangélica praedicatióne peragrávit. Póstea in Pérsidem conveniéntes, cum innumerábiles fílios Jesu Christo peperíssent, fidémque in vastíssimis illis regiónibus et efferátis Géntibus disseminássent; doctrína et miráculis, ac dénique glorióso martyrio, simul sanctíssimum Jesu Christi nomen illustrárunt.

℟. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens: * Isti sunt viri sancti facti amici Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium coelum, voce magna clamántem, et dicéntem.—Isti sunt.

Sermo sancti Gregórii Papae.

Homilia xxx. *in Evang. post medium.*

Lectio v.

SCRIPTUM est: Spíritus Dómini ornávit coelos. Ornaménta enim coelórum sunt virtútes praedicántium. Quae vidélicet ornaménta Paulus enúmerat, dicens: Alii datur per Spíritum sermo sapiéntiae, álii sermo sciéntiae secúndum eúmdem Spíritum, álteri fides in eódem Spíritu, álii grátia sanitátum in uno Spíritu, álii operátio virtútum, álii prophetía, álii discrétio spirítuum, álii génera linguárum, álii interpretátio sermónum. Haec autem ómnia operátur unus atque idem Spíritus, dívidens síngulis prout vult.

℟. Beáti estis cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me: * Gaudéte et exultáte: quóniam merces vestra copiósa est in coelis. ℣. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis.—Gaudéte.

Lectio vi.

QUOT ergo sunt bona praedicántium, tot sunt ornaménta coelórum. Hinc rursus scriptum est: Verbo Dómini coeli firmáti sunt. Verbum enim Dómini Fílius est Patris. Sed eósdem coelos, vidélicet sanctos Apóstolos, ut tota simul sancta Trínitas ostendátur operáta, repénte de sancti Spíritus divinitáte adjúngitur: Et Spíritu oris ejus omnis virtus eórum. Coelórum ergo virtus de Spíritu sumpta est: quia mundi hujus potestátibus contraíre non praesúmerent, nisi eos sancti Spíritus fortitúdo solidásset. Quales namque doctóres sanctae Ecclésiae ante advéntum hujus Spíritus fúerint, scimus; et post advéntum illíus, cujus fortitúdinis facti sint, conspícimus.

℟. Isti sunt triumphatóres, et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt praemia aetérna: ℣. Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.—Modo coronántur. Glória Patri. Modo coronántur.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* xv. *c.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Haec mando vobis, ut diligátis ínvicem. Si mundus vos odit, scitóte quia me priórem vobis ódio hábuit. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. lxxxvii. *in Joannem.*

IN lectióne evangélica, quae hanc antecédit, díxerat Dóminus: Non vos me elegístis: sed ego elégi vos, et pósui vos, ut eátis, et fructum afferátis, et fructus vester máneat, ut quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo det vobis. Hic autem dicit: Haec mando vobis, ut diligátis ínvicem. Ac per hoc intellígere debémus, hunc esse fructum nostrum, de quo ait: Ego vos elégi, ut eátis, et fructum afferátis, et fructus vester máneat: et quod adjúnxit, ut quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, det vobis. Tunc útique dabit nobis, si diligámus ínvicem; cum et hoc ipsum déderit nobis, qui nos elégit non habéntes fructum, quia non eum nos elegerámus, et pósuit nos ut fructum afferámus, hoc est, ínvicem diligámus.

℟. Isti sunt qui. xiv.

Lectio viii.

CHARITAS ergo est fructus noster, quam definit Apóstolus, de corde puro, et consciéntia bona, et fide non ficta. Hac dilígimus ínvicem, hac dilígimus Deum: neque enim vera dilectióne diligerémus ínvicem, nisi diligéntes Deum. Díligit enim unusquísque próximum suum, tamquam seípsum, si díligit Deum: nam si non diligit Deum, non díligit seípsum. In his enim duóbus praecéptis charitátis tota lex pendet, et Prophétae. Hic est fructus noster. De fructu ítaque nobis mandans: Haec mando, inquit, vobis, ut diligátis ínvicem. Unde et Apóstolus Paulus, cum contra ópera carnis commendáre fructum Spíritus vellet, a cápite hoc pósuit: Fructus, inquit, Spíritus, cháritas est: ac deínde caetera, tamquam ex isto cápite exórta et religáta contéxuit, quae sunt, gáudium, pax, longanímitas, benígnitas, bónitas, fides, mansuetúdo, continéntia, cástitas.

℟. Isti sunt viri. xv.

Lectio ix.

QUIS autem bene gaudet, qui bonum non díligit unde gaudet? Quis pacem veram, nisi cum illo potest habére, quem veráciter díligit? Quis est longánimis in bono ópere perseveránter manéndo, nisi férveat diligéndo? Quis est benígnus, nisi díligat, cui opitulátur? Quis bonus, nisi diligéndo efficiátur? Quis salúbriter fidélis, nisi ea fide, quae per dilectiónē operátur? Quis utíliter mansuétus, cui non diléctio moderétur? Quis ab eo cóntinet unde turpátur, nisi díligat unde honestátur? Mérito ítaque magíster bonus dilectiónem sic saepe commendat, tamquam sola praecipiénda sit, sine qua non possunt prodésse caetera bona, et quae non potest habéri sine caeteris bonis, quibus homo efficitur bonus.

Te Deum laudámus. 17.

DIE XXXI. OCTOBRIS.

In Vigilia omnium Sanctorum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio i. *Cap.* vi. *c.*

IN illo témpore: Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judaea, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 5. in Lucae cap. vi. post initium.

ADVERTE ómnia diligénter, quo modo et cum Apóstolis ascéndat, et descéndat ad turbas. Quómodo enim turba nisi in húmili Christum vidéret? Non séquitur ad excélsa, non ascéndit ad sublímia. Dénique ubi descéndit, invénit infírmos: in excélsis enim infírmi esse non possunt. Hinc étiam Matthaeus docet in inferióribus débiles esse sanátos. Prius enim unusquísque sanándus est, ut paulátim virtútibus procedéntibus ascéndere possit ad montem. Et ídeo quemque in inferióribus sanat, hoc est, a libídine révocat, injúriam caecitátis avértit. Ad vúlnera nostra descéndit: ut usu quodam et cópia suae natúrae, compartícipes nos fáciat esse regni coeléstis.

Responsoria de Feria occurrente.

Lectio ii.

BEATI páuperes, quia vestrum est regnum Dei. Quátuor tantum beatitúdines sanctus Lucas domínicas pósuit, octo vero sanctus Matthaeus: sed in illis octo istae quátuor sunt, et in quátuor istis illae octo. Hic enim quátuor velut virtútes amplexus est cardináles: ille in illis octo mysticum número reservávit. Pro octáva enim multi inscribúntur Psalmi: et mandátum áccipis octo illis partem dare, fortásse benedictiónibus. Sicut enim spei nostrae octáva perféctio est, ita octáva summa virtútum est.

Lectio iii.

SED prius quae sunt amplióra videámus. Beáti, inquit, páuperes, quóniam vestrum est regnum Dei. Primam benedictiónem hanc utérque Evangelísta pósuit. Ordine enim prima est, et parens quaedam generatióque virtútum: quia qui contémpserit saecularia, ipse merébitur sempitérna: nec potest quisquam méritum regni coeléstis adipísci, qui mundi cupiditáte pressus, emergéndi non habet facultátem.

In Laudibus dicuntur Preces feriales flexis genibus, ut in Psalterio, 63.

Oratio.

DOMINE Deus noster multíplica super nos grátiam tuam: et quorum praevenímus gloriósa solémnia, tríbue súbsequi in sancta professióne laetítiam. Per Dóminum.

FESTA NOVEMBRIS.

Prima die non impedita dicitur Officium Defunctor.

Te gloriosus apostolorum chorus
Te prophetarum laudabilis
Te per orbem terrarum sancta
Te martyrum candidatus laudat
Te deum laudamus te
Te regem meum omnis terra
Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, stantes ante thronum (Apoc VII 9)

In festo omnium Sanctorum.

DIE I. NOVEMBRIS.

AD VESPERAS.

Ańa. Vidi turbam magnam, cum reliquis de Laudibus. 506.

Psalmus. Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica. 134. et loco ultimi Psalm. Laudáte Dóminum omnes Gentes, ut in Psalterio. 138.

Capitulum. *Apoc.* vii.



C C E ego Joánnes vidi álterum Angelum ascendéntem ab ortu solis, habéntem signum Dei vivi: et clamávit voce magna quátuor Angelis, quibus datum est nocére terrae et mari, dicens: Nolíte nocére terrae et mari, neque arbóribus, quoadúsque signémus servos Dei nostri in fróntibus eórum.

Hymnus.

PLACARE, Christe, sérvulis,
Quibus Patris cleméntiam
Tuae ad tribúnal grátiae
Patróna Virgo póstulat.

Et vos beáta, per novem
Distíncta gyros, ágmina;
Antíqua cum praeséntibus,
Futúra damna péllite.

Apóstoli cum Vátibus
Apud sevérum Júdicem,
Veris reórum flétibus,
Expóscite indulgéntiam.

Vos purpuráti Mártyres,
Vos candidáti praemio
Confessiónis, éxules
Vocáte nos in pátriam.

Choréa casta Vírginum,
Et quos erémus íncolas
Transmísit astris, Coelitum
Locáte nos in sédibus.

Auférte gentem pérfidam
Credéntium de fínibus;
Ut unus omnes únicum
Ovíle nos Pastor regat.

Deo Patri sit glória,
Natóque Patris único,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna saecula.
Amen.

℣. Laetámini in Dómino, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Ad Magníficat, Ańa. Angeli, Archángeli, Throni et Dominatiónes, Principátus et Potestátes, Virtútes coelórum, Chérubim atque Séraphim, Patriárchae et Prophétae, sancti legis Doctóres, Apóstoli, omnes Christi Mártyres, sancti Confessóres, Vírgines Dómini, Anachorítae, Sanctíque omnes intercédite pro nobis.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári : quaesumus, ut desiderátam nobis tuae propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus largiáris. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitator. Regem regum Dñum veníte adorémus : * Quia ipse est coróna Sanctórum ómnium. Psalmus. Veníte, exultémus. 2.

Hymn. Placáre, Christe, sérvulis, ut supra. 495.

In primo Nocturno.

Ańa. Novit Dñus * viam justórum, qui in lege ejus meditántur die ac nocte.

Psalmus i.

BEATUS vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórũ non stetit, * et in cáthedra pestiléntiae non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quaecúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terrae.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Ańa. Novit Dóminus viam justórum, qui in lege ejus meditántur die ac nocte.

Ańa. Mirificávit Dóminus * Sanctos suos, et exaudívit eos clamántes ad se.

Psalmus iv.

CUM invocárem exaudívit me Deus justítiae meae : * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úsquequo gravi corde ? * ut quid dilígitis vanitátem, et quaeritis mendácium ?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : * Dóminus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre : * quae dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiae, et speráte in Dómino. * Multi dicunt : Quis osténdit nobis bona ?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine : *

dedísti laetítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pacĕ in idípsum * dórmiam, et requiéscam ;

Quóniam tu, Dómine, singuláriter in spe * constituísti me.

Aña. Mirificávit Dóminus Sanctos suos, et exaudívit eos clamántes ad se.

Aña. Admirábile est nomen tuum Dómine, quia glória et honóre coronásti Sanctos tuos, et constituísti eos super ópera mánuum tuárum.

Psalmus viii.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra !

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super coelos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo coelos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quae tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus ? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum ?

Minuísti eum paulóminus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres coeli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dñus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra !

Aña. Admirábile est nomen tuum Dómine, quia glória et honóre coronásti Sanctos tuos, et constituísti eos super ópera mánuum tuárum.

℣. Laetámini in Dño, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Pater noster. Absolutio. Exáudi, Dómine. ℣. Jube, domne, benedícere. Bened. Benedictióne perpétua.

Ex libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio i. *Cap.* iv.

ET ecce sedes pósita erat in coelo, et supra sedem sedens. Et qui sedébat, símilis erat aspéctui lápidis iáspidis, et sárdinis : et iris erat in circúitu sedis, símilis visióni smarágdinae. Et in circúitu sedis sedília vigínti quátuor : et super thronos vigínti quátuor senióres sedéntes, circumamícti vestiméntis albis, et in

capítibus eórum corónae áureae. Et de throno procedébant fúlgura, et voces, et tonítrua : et septem lámpades ardéntes ante thronum, qui sunt septem spíritus Dei. Et in conspéctu sedis tamquam mare vítreum símile crystállo : in médio sedis, et in circúitu sedis, quátuor animália plena óculis ante et retro. Et ánimal primum símile leóni, et secúndum ánimal símile vítulo, et tértium ánimal habens fáciem quasi hóminis, et quartum ánimal símile áquilae voláti. Et quátuor animália, síngula eórum habébant alas senas : et in circúitu, et intus plena sunt óculis : et réquiem non habébant die ac nocte, dicéntia : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus omnípotens, qui erat, et qui est, et qui ventúrus est.

℟. Vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum et elevátum : et plena erat omnis terra majestáte ejus. ℣. Et ea quae sub ipso erant, replébant templum. ℣. Séraphim stabant super illud : sex alae uni, et sex alae álteri.—Et ea quae. Benedictio. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio ii. *Cap.* v.

ET vidi in déxtera sedéntis supra thronum, librum scriptum intus et foris, signátum sigíllis septem. Et vidi Angelum fortem praedicántem voce magna : Quis est dignus aperíre librum, et sólvere signácula ejus? Et nemo póterat neque in coelo, neque in terra, neque subtus terram, aperíre librum, neque respícere illum. Et ego flebam multum, quóniã nemo dignus invéntus est aperíre librum, nec vidére eum. Et unus de senióribus dixit mihi : Ne fléveris : ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperíre librum, et sólvere septem signácula ejus. Et vidi : et ecce in médio throni, et quátuor animálium, et in médio seniórum, Agnum stantem tamquam occísum, habéntem córnua septem, et óculos septem : qui sunt septem spíritus Dei, missi in omnem terram. Et venit, et accépit de déxtera sedéntis in throno librum. Et cum aperuísset librum, quátuor animália, et vigínti quátuor senióres cecidérunt coram Agno, habéntes sínguli cítharas, et phíalas áureas plenas odoramentórum, quae sunt oratiónes Sanctórum.

℟. Beáta es virgo María, Dei Génitrix, quae credidísti Dómino : perfécta sunt in te quae dicta sunt tibi : ecce exaltáta es super choros Angelórum : Intercéde

pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. ℣. Ave María, grátia plena : Dóminus tecum.—Intercéde. Benedíctio. Spíritus sancti grátia.

Lectio iii.

ET cantábant cánticum novum, dicéntes : Dignus es, Dómine, accípere librum, et aperíre signácula ejus : quóniam occísus es, et redemísti nos Deo in sánguine tuo ex omni tribu, et lingua, et pópulo, et natióne : et fecísti nos Deo nostro regnum, et sacerdótes : et regnábimus super terram. Et vidi, et audívi vocem Angelórum multórum in circúitu throni, et animálium, et seniórum : et erat número eórum míllia míllium, dicéntium voce magna : Dignus est Agnus, qui occísus est, accípere virtútem, et divinitátem, et sapiéntiam, et fortitúdinem, et honórem, et glóriam, et benedictiónem. Et omnem creatúram, quae in coelo est, et super terram, et sub terra, et quae sunt in mari, et quae in eo, omnes audívi dicéntes : Sedénti in throno, et Agno, benedíctio, et honor, et glória, et potéstas in saecula saeculórum. Et quátuor animália dicébant : Amen. Et vigínti quátuor senióres cecidérunt in fácies suas : et adoravérunt vivéntem in saecula saeculórum.

℟. In conspéctu Angelórum psallam tibi : * Et adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo, Dómine. ℣. Super misericórdia tua, et veritáte tua, quóniam magnificásti super nos nomen sanctum tuum.—Et adorábo. Glória Patri. Et adorábo.

In secundo Nocturno.

Ant. Dómine, qui operáti sunt justítiam, habitábunt in tabernáculo tuo, et requiéscent in monte sancto tuo.

Psalmus xiv.

OMINE, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam :

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum glorificat :

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad

usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit haec, * non movébitur in aetérnum.

Aña. Dómine, qui operáti sunt justítiam, habitábunt in tabernáculo tuo, et requiéscent in monte sancto tuo.

Aña. Haec est generátio * quaeréntium Dñum, quaeréntium fáciem Dei Jacob.

Psalmus xxiii.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina praeparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini ? * aut quis stabit in loco sancto ejus ?

Innocens mánibus, et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Haec est generátio quaeréntium eum, * quaeréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles : * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in praelio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles : * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriae.

Aña. Haec est generátio quaeréntium Dñum, quaeréntium fáciem Dei Jacob.

Aña. Laetámini in Dño, et exultáte justi, et gloriámini omnes recti corde.

Psalmus xxxi.

BEATI, quorum remíssae sunt iniquitátes: * et quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem tota die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua : * convérsus sum in aerúmna mea, dum confígitur spina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci : * et injustítiam meam non abscóndi.

Dixi : Confitébor advérsum me injustítiam meam Dómino : * et tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus, * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum a tribulatióne, quae circúmdedit me : * exultátio mea érue me a circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, et ínstruam te in via hac, qua gradiéris : * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fíeri sicut equus et mulus, * quibus non est intelléctus.

In camo et fraeno maxíllas eórum constrínge, * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris, * sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Laetámini in Dómino, et exultáte justi, * et gloriámini omnes recti corde.

Ana. Laetámini in Dómino, et exultáte justi, et gloriámini omnes recti corde.

℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in laetítia.

Pater noster. Absolutio. Ipsíus píetas. ℣. Jube, domne, benedícere. Bened. Deus Pater omnípotens.

Sermo venerábilis Bedae Presbyteri.
Sermone xviii. *de Sanctis.*

Lectio iv.

RODIE, dilectíssimi, ómnium Sanctórum sub una solemnitátis laetítia celebrámus festivitátem : quorum societáte coelum exúltat, quorum patrocíniis terra laetátur, triúmphis Ecclésia sancta coronátur, quorum conféssio quanto in passióne fórtior, tanto est clárior in honóre: quia dum crevit pugna, crevit et pugnántium glória, et martyrii triúmphus multíplici passiónum génere adornátur : perque gravióra torménta, gravióra fuére et praemia : dum cathólica mater Ecclésia, quae per totum orbem longe latéque diffúsa est, in ipso cápite suo Christo Jesu edócta est, contumélias, cruces et mortem non timére ; magis magísque roboráta, non resisténdo, sed perferéndo, univérsis, quos ágmine ínclyto carcer poenális inclúsit, pari et símili calóre virtútis ad geréndum certámen glóriam triumphálem inspirávit.

℟. Praecúrsor Dómini venit, de quo ipse testátur:* Nullus major inter natos mulíerum Joánne Baptísta. ℣. Hic est Prophéta, et plus quam Prophéta, de quo Salvátor ait.—Nullus. Benedictio. Christus perpétuae.

Lectio v.

VERE beáta mater Ecclésia, quam sic honor divínae dignatiónis illúminat, quam vincéntium

gloriósus Mártyrum sanguis exórnat, quam inviolátae confessiónis cándida índuit virgínitas. Flóribus ejus nec rosae, nec lília desunt. Certent nunc, caríssimi, sínguli, ut ad utrósque honóres amplíssimam accípiant dignitátem, corónas, vel de virginitáte cándidas, vel de passióne purpúreas. In coeléstibus castris pax et ácies habent flores suos, quibus mílites Christi coronántur.

℟. Isti sunt qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo : * Cálicem Dómini bibérunt, et amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terrae verba eórum.— Cálicem Dómini. Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi.

DEI enim ineffábilis et imménsa bónitas étiam hoc provídit, ut labórum quidem tempus et agónis non exténderet, nec longum fáceret, aut aetérnum, sed breve; et ut ita dicam, momentáneum : ut in hac brevi et exígua vita agónes essent et labóres, in illa vero quae aetérna est, corónae et praemia meritórum : ut labóres quidem cito finiréntur, meritórum vero praemia sine fine durárent : ut post hujus mundi ténebras visúri essent candidíssimam lucem, et acceptúri majórem passiónum cunctárum acerbitátibus beatitúdinem, testánte hoc idem Apóstolo, ubi ait : Non sunt condígnae passiónes hujus témporis ad superventúram glóriam, quae revelábitur in nobis.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis: * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum.— Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

In tertio Nocturno.

Ant. Timéte Dóminum * omnes Sancti ejus, quóniam nihil deest timéntibus eum : ecce óculi Dómini super justos, et aures ejus ad preces eórum.

Psalmus xxxiii.

ENEDICAM Dóminum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant mansuéti, et laeténtur.

Magnificáte Dóminum mecum : * et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me : * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illumináminí: * et fácies vestrae non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum: * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum: * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus:* beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes sancti ejus: * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt: * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte fílii, audíte me: * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam: * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam a malo: * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, * et fac bonum: * inquíre pacem, et perséquere eam.

Óculi Dómini super justos: * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala: * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos: * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde: * et húmiles spíritu salvábit.

Multae tribulatiónes justórum: * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum: * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima: * et qui odérunt justum, delínquent.

Rédimet Dñus ánimas servórum suórum: * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Ańa. Timéte Dóminum omnes Sancti ejus, quóniam nihil deest timéntibus eum: ecce óculi Dómini super justos, et aures ejus ad preces eórum.

Ańa. Dómine spes Sanctórum, * et turris fortitúdinis eórum, dedísti haereditátem timéntibus nomen tuum, et habitábunt in tabernáculo tuo in saecula.

Psalmus lx.

EXAUDI, Deus, deprecatiónem meam: * inténde oratióni meae.

A fínibus terrae ad te clamávi: * dum anxiarétur cor meum, in petra exaltásti me.

Deduxísti me, quia factus es spes mea: * turris fortitúdinis a fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in saecula: * pró-

tegar in velaménto alárum tuárum.

Quóniam tu, Deus meus, exaudísti oratiónem meam : * dedísti haereditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjícies : * annos ejus usque in diem generatiónis et generatiónis.

Pérmanet in aetérnum in conspéctu Dei : * misericórdiam et veritátem ejus quis requíret ?

Sic psalmum dicam nómini tuo in saeculum saeculi : * ut reddam vota mea de die in diem.

Antiphona. Dómine spes Sanctórum, et turris fortitúdinis eórum, dedísti haereditátem timéntibus nomen tuum, et habitábunt in tabernáculo tuo in saecula.

Ańa. Qui dilígitis Dóminum, * laetámini in Dómino, et confitémini memóriae sanctitátis ejus.

Psalmus xcvi.

DOMINUS regnávit, exúltet terra : * laeténtur ínsulae multae.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum praecédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terrae : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt coeli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, et laetáta est Sion.

Et exultavérunt fíliae Judae, * propter judícia tua, Dómine :

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et recti corde laetítia.

Laetámini justi in Dño : * et confitémini memóriae sanctificatiónis ejus.

Ańa. Qui dilígitis Dóminum, laetámini in Dómino, et confitémini memóriae sanctitátis ejus.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dñum est merces eórum.

Pater noster. Absolutio. A vínculis. ℣ Jube, domne, benedícere. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* 5.

IN illo témpore : Videns Jesus turbas, ascéndit in montem ; et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. 1. *de Sermone Domini in monte, sub initium.*

QUaeritur quid significet mons, bene intellígitur significáre majóra praecépta justítiae, quia minóra erant quae Judaeis data sunt. Unus tamen Deus per sanctos Prophétas, et fámulos suos, secúndum ordinatíssimam distributiónem témporum, dedit minóra praecépta pópulo, quem adhuc timóre alligári oportébat ; et per Fílium suum majóra pópulo, quem charitáte jam liberári convénerat. Cum autem minóra minóribus, majóra majóribus dantur, ab eo dantur, qui solus novit congruéntem suis tempóribus géneri humáno exhibére medicínam.

℟. Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris : ✠ Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit.—Et vos.

Benedícamus Dómino. ℟. Quorum festum cólimus.

Lectio viii.

DEC mirum est, quod dantur praecépta majóra propter regnum coelórum, et minóra data sunt propter regnum terrénum, ab eódem uno Deo, qui fecit coelum et terram. De hac ergo justítia, quae major est, per Prophétam dícitur : Justítia tua sicut montes Dei. Et hoc bene significat, quod ab uno magístro, solo docéndis tantis rebus idóneo, docétur in monte. Sedens autem docet, quod pértinet ad dignitátem magistérii. Et accédunt ad eum discípuli ejus, ut audiéndis illíus verbis hi essent étiam córpore vicinióres, qui praecéptis adimpléndis étiam ánimo propinquábant. Et apériens os suum docébat eos, dicens. Ista circumlocútio, qua scríbitur : Et apériens os suum, fortássis, ipsa mora comménd at aliquánto longiórem futúrum esse sermónem. Nisi forte non vacet, quod nunc eum dictum est aperuísse os suum, quod ipse in lege véteri aperíre soléret ora Prophetárum.

℟. Média nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines aptáte vestras lámpades. — Ecce.

Glória Patri. Ecce. Bened. Ad societátem.

Lectio ix.

QUID ergo dicit? Beáti páuperes spíritu : quóniam ipsórum est regnum coelórum. Légimus scriptum de appetitióne rerum temporálium : Omnia vánitas, et praesúmptio spíritus. Praesúmptio autem spíritus, audáciam et supérbiam significat. Vulgo étiam magnos spíritus supérbi habére dicúntur : et recte, quandóquidem spíritus étiam ventus vocátur. Unde scriptum est : Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum. Quis vero nésciat, supérbos inflátos dici, tamquam vento disténtos? Unde est étiam illud Apóstoli : Sciéntia inflat, cháritas vero aedíficat. Quaprópter recte hic intelligúntur páuperes spíritu, húmiles et timéntes Deum, id est, non habéntes inflántem spíritum.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Anae.

1. Vidi turbam magnam, quam dinumeráre nemo póterat, ex ómnibus géntibus, stantes ante thronum. Psalm. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Et omnes Angeli stabant in circúitu throni, et cecidérunt in conspéctu throni in fácies suas, et adoravérunt Deum.

3. Redemísti nos, Dñe Deus, in sánguine tuo ex omni tribu, et lingua, et pópulo, et natióne, et fecísti nos Deo nostro regnum.

4. Benedícite Dóminum omnes elécti ejus, ágite dies laetítiae, et confitémini illi.

5. Hymnus ómnibus Sanctis ejus, fíliis Israël, pópulo appropinquánti sibi : glória haec est ómnibus Sanctis ejus.

Capitulum. *Apoc.* vii.

ECCE ego Joánnes vidi álterum Angelum ascendéntem ab ortu solis, habéntem signum Dei vivi : et clamávit voce magna quátuor Angelis, quibus datum est nocére terrae et mari, dicens : Nolíte nocére terrae et mari, neque arbóribus, quoadúsque signémus servos Dei nostri in fróntibus eórum.

Hymnus.

SALUTIS aetérnae dator,
Jesu redémptis súbveni :
Virgo parens cleméntiae
Dona salútem sérvulis.

Vos Angelórum míllia,
Patrúmque coetus, ágmina
Canóra Vatum ; vos reis
Precámini indulgéntiam.

Baptísta Christi praevius,
Summíque coeli Cláviger,
Cum caeteris Apóstolis
Nexus resólvant críminum.

Cohors triúmphans Mártyrum,
Almus Sacerdótum chorus,
Et virginális cástitas
Nostros reátus ábluant.
Quicúmque in alta síderum
Regnátis aula Príncipes,
Favéte votis súpplicum,
Qui dona coeli flágitant.
Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In saeculórum saecula.
Amen.

℣. Exultábunt Sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Ad Benedictus, Aña. Te gloriósus * Apostolórum chorus, te Prophetárum laudábilis número, te Mártyrum candidátus laudat exércitus, te omnes Sancti et elécti voce confiténtur unánimes, beáta Trínitas, unus Deus.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári: quaesumus, ut desiderátam nobis tuae propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus largiáris. Per Dóminum nostrum.

AD TERTIAM.

Aña. Et omnes Angeli.

Capit. Ecce ego Joánnes, ut supra. 506.

℟. br. Laetámini in Dómino, * Et exultáte justi. Laetámini. ℣. Et gloriámini omnes recti corde. Et exultáte. Glória Patri. Laetámini.

℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in laetítia.

AD SEXTAM.

Aña. Redemísti nos.

Capitulum. *Apoc.* vii. *c.*

POST haec vidi turbam magnam, quam dinumeráre nemo póterat ex ómnibus géntibus, et tríbubus, et pópulis, et linguis stantes ante thronum Dei, in conspéctu Agni, amícti stolis albis, et palmae in mánibus eórum.

℟. br. Exúltent justi, * In conspéctu Dei. Exúltent. ℣. Et delecténtur in laetítia. In conspéctu. Glória Patri. Exúltent.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dñum est merces eórum.

AD NONAM.

Aña. Hymnus ómnibus Sanctis ejus.

Capitulum. *Apoc.* vii. *c.*

BENEDICTIO, et cláritas, et sapiéntia, et gratiárum áctio, honor, virtus, et fortitúdo Deo nostro, in saecula saeculórum: Amen.

℟. br. Justi autem, * In perpétuum vivent. Justi.

℣. Et apud Dóminum est merces eórum. In perpétuum. Glória Patri. Justi.

℣. Exultábunt Sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

AD VESPERAS.

Ańa. Vidi turbam, cum reliquis de Laudibus. 506. Psalmus. Dixit Dñus, cum reliquis de Dominica. 134. et loco ultimi, Psalmus. Crédidi. 138.

Capit. Ecce ego Joánnes. Hymnus. Placáre, Christe, ut supra in primis Vesperis. 495.

℣. Exultábunt Sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Ad Magnif. Ańa. O quam gloriósum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes Sancti, amícti stolis albis sequúntur Agnum quocúmque íerit.

Oratio. Omnípotens sempitérne, ut supra. 507.

Dicto Benedicámus Dómino, dicuntur Vesperae Defunctorum, incipiendo ab Antiph. Placébo Dómino, quae integra dicitur ante et post Psalmum, similiter et aliae Antiphonae, ad modum Duplicis. Psalmus. Diléxi, et reliqua omnia, ut in Vesperis Defunctorum, infra clxxxiii. excepto Psalmo. Lauda ánima mea Dóminum, qui post Pater noster, non dicitur, sed dicitur tantum Oratio. Fidélium Deus ómnium, cum suis ℣℣. ut ibidem notatur.

Si prima dies post festum omnium Sanctorum fuerit Dominica, fit Officium de ea, ut in Rubricis generalibus, et Officium Defunctorum transfertur in sequentem Feriam ii. ita ut post Vesperas Dominicae dicantur Vesperae Defunctorum. Matutinum vero post Laudes Feriae ii. quae erit tertia dies infra Octav.

DIE II. NOVEMBRIS.

Secunda die infra Octavam omnium Sanctorum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermóne venerábilis Bedae Presbyteri.

Ex Serm. xviii. *de Sanctis.*

Lectio iv.

QUAM laxo sinu de praelio reverténtes cívitas coeléstis éxcipit, de hoste prostráto trophaea feréntibus occúrrit! Cum triumphántibus viris et foeminae véniunt, quae cum saeculo sexum quoque vicérunt, et geminàta glória milítiae, vírgines cum púeris téneros annos virtútibus transeúntes : sed et caetera fidélium turba aulae perpétuae régiam intrábit, qui

sinceritátem fídei inconcússis praeceptórum coeléstium disciplínis uníta pace observavérunt.

℟. Praecúrsor Dñi. 501.

Lectio v.

ERGO ágite nunc fratres, aggrediámur iter vitae, revertámur ad civitátem coeléstem, in qua scripti sumus, et cives decréti. Non sumus hóspites, sed cives sanctórum, et doméstici Dei, étiam illíus haerédes, cohaerédes autem Christi. Hujus nobis urbis jánuas apériet fortitúdo: et fidúcia latum praebébit ingréssum. Consideremus ergo ínclytam urbis illíus felicitátem, in quantum consideráre possíbile est: ut enim vere est, comprehéndere nullus sermo suffíciet.

℟. Isti sunt qui. 502.

Lectio vi.

DICITUR de ea in quodam loco sic: Quod aufúgiet ibi dolor, et tristítia et gémitus. Quid hac vita beátius, ubi non est paupertátis metus, non aegritúdinis imbecíllitas? Nemo laedétur, irascétur nemo: nemo ínvidet, cupíditas nulla exardéscit: nullum ibi desidérium honóris pulsat, aut potestátis ambítio. Nullus ibi diáboli metus, insídiae daemonum nullae, terror gehénnae procul: mors neque córporis neque ánimae erit, sed immortalitátis múnere vita jucúnda.

℟. Sancti mei. 502.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* v.

IN illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem; et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et réliqua.

De Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Ex lib. i. *de Sermone Domini in monte, cap.* i. *et* ii.

HEC aliúnde omníno incípere opórtuit beatitúdinem, quam a paupertáte spíritus, síquidem perventúra est ad summam sapiéntiam. Inítium autem sapiéntiae timor Dómini: quóniam et e contrário, inítium omnis peccáti supérbia scríbitur. Supérbi autem áppetunt et díligunt regna terrárum. Beáti mites: quóniam ipsi haereditáte possidébunt terram. Illam credo terram, de qua in Psalmo dícitur: Spes mea es tu, pórtio mea in terra viventium. Significat enim quamdam soliditátem et stabilitátem haereditátis perpétuae, ubi ánima per bonum affféctum, tamquam loco suo requiéscit, sicut corpus in terra: et

inde cibo suo álitur, sicut corpus ex terra : ipsa est réquies, et vita sanctórum. Mites autem sunt, qui cedunt improbitátibus, et non resístunt malo, sed vincunt in bono malum.

℟. Sint lumbi vestri. 505.

Lectio viii.

BEATI lugéntes : quóniam ipsi consolabúntur. Luctus est tristítia de amissióne carórum: convérsi autem ad Deum, ea, quae in hoc mundo cara amplectebántur, amíttunt. Non enim gaudent his rebus, quibus ante gaudébant: et donec fiat in illis amor aeternórum, nonnúlla moestítia sauciántur. Consolabúntur ergo Spíritu sancto, qui máxime proptérea Paráclitus nominátur, id est, consolátor, ut temporália amitténtes, aetérna laetítia perfruántur.

℟. Média nocte. 505.

Lectio ix.

BEATI qui esúriunt et sítiunt justítiam : quóniam ipsi saturabúntur. Jam istos amatóres dicit veri et inconcússi boni. Illo ergo cibo saturabúntur, de quo ipse Dóminus dicit : Meus cibus est, ut fáciam voluntátem Patris mei, quod est justítia : et illa aqua, de qua quisquis bíberit, ut idem dicit, fiet in eo fons aquae saliéntis in vitam aetérnam. Beáti misericórdes : quóniam ipsórum miserébitur Deus. Beátos esse dicit, qui subvéniunt míseris : quod eis ita repénditur, ut de miséria liberéntur.

Te Deum laudámus. 17.

Post Laudes diei, dicto Benedicámus Dño, absolute incipit Matutinum Defunctorum ab Invitat. cum Ps. Veníte, et tribus Nocturnis, in quibus duplicantur Añae. Dicitur nonum Responsorium. Líbera me, Dómine, de morte aetérna.

Ad Laudes similiter duplicantur Antiphonae, et in fine Laudum non dicitur Psalm. De profúndis, sed dicto Pater noster, dicuntur Preces et Oratio Fidélium, tantum ut supra in Vesperis.

DIE III. NOVEMBRIS.

Tertia die infra Octavam omnium Sanctorum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermóne venerábilis Bedae Presbyteri. *Ex Serm.* xviii. *de Sanctis.*

Lectio iv.

ULLA erit tunc usquam discórdia, sed cuncta cónsona, cuncta conveniéntia : quia ómnium erit Sanctórum una concórdia, pax cuncta et laetítia

cóntinet. Tranquílla sunt ómnia et quiéta, jugis splendor, non iste qui nunc est, sed tanto clárior, quanto felícior, quia cívitas, ut légitur, illa non egébit lúmine solis: sed Dóminus omnípotens illumináb it eam, et lucérna ejus est Agnus. Ibi Sancti fulgébunt ut stellae in perpétuas aeternitátes, et sicut splendor firmaménti, qui erúdiunt multos.

℟. Praecúrsor Dñi. 501.

Lectio v.

QUAPROPTER nox ibi nulla, nullae ténebrae, concúrsus núbium nullus, nec frígoris aut ardóris aspéritas ulla: sed talis quaedam erit rerum tempéries, qualem nec óculus vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascéndit, nisi illórum, qui ea pérfrui digni inveniúntur, quorum nómina scripta sunt in libro vitae, qui et lavérunt stolas suas in sánguine Agni, et sunt ante sedem Dei, serviúntque ei die ac nocte. Non est senéctus ibi, nec senectútis miséria, dum omnes occúrrunt in virum perféctum, in mensúram aetátis plenitúdinis Christi.

℟. Isti sunt qui. 502.

Lectio vi.

QUERUM super haec ómnia est, consociári Angelórum et Archangelórum coetibus: Thronis étiam et Dominatiónibus, Principátibus et Potestátibus, omniúmque coelestium supernárum Virtútum contubérniis pérfrui, et intuéri ágmina Sanctórum splendídius sidéribus micántia, Patriarchárum fide fulgéntia, Prophetárum spe laetántia, Apostolórum in duódecim tríbubus Israël orbem judicántia, Mártyrum purpúreis victóriae corónis lucéntia, Vírginum quoque choros candéntia serta gestántes inspícere.

℟. Sancti mei. 502.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* v.

IN illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem; et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et réliqua.

De Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Ex lib. i. *de Serm. Domini in monte, cap.* ii. *et* iii.

BEATI mundo corde: quóniam ipsi Deum vidébunt. Quam ergo stulti sunt, qui Deum istis exterióribus óculis quaerunt, cum corde videátur, sicut álibi scriptum est. Et in simplicitáte cordis quaerite illum. Hoc est enim

mundum cor, quod est simplex cor. Et quemádmodum lumen hoc vidéri non potest, nisi óculis mundis: ita nec Deus vidétur, nisi mundum sit illud, quo vidéri potest. Beáti pacífici: quóniam ipsi fílii Dei vocabúntur. In pace perféctio est, ubi nihil repúgnat: et ídeo fílii Dei pacífici, quóniam nihil in his resístit Deo, et útique fílii similitúdinem patris habére debent.

℟. Sint lumbi. 505.

Lectio viii.

PACIFICI autem in semetípsis sunt, qui omnes ánimi sui motus componéntes, et subjiciéntes ratióni, id est, menti et spirítui, carnalésque concupiscéntias habéntes edómitas, fiunt regnum Dei. In quo ita sunt ordináta ómnia, ut id quod est in hómine praecípuum et excéllens, hoc ímperet caeteris non reluctántibus, quae sunt nobis bestiísque commúnia: atque idípsum, quod excéllit in hómine, id est, mens et rátio, subjiciátur potióri, quod est ipsa véritas, unigénitus Fílius Dei. Neque enim imperáre inferióribus potest, nisi superióri se ipse subjíciat. Et haec est pax, quae datur in terra homínibus bonae voluntátis: haec vita consummáti perfectíque sapiéntis.

℟. Média nocte. 505.

Lectio ix.

DE hujúsmodi regno pacatíssimo et ordinatíssimo missus est foras princeps hujus saeculi, qui pervérsis inordinatísque dominátur. Hac pace intrínsecus constitúta, atque firmáta, quascúmque persecutiónes ille, qui foras missus est, forínsecus concitáverit, auget glóriam quae secúndum Deum est; non áliquid in illo aedifício labefáctans, sed deficiéntibus máchinis suis innotéscere fáciens, quanta firmitas intus extrúcta sit. Ideo séquitur: Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam: quóniam ipsórum est regnum coelórum.

Te Deum laudámus. 17.

Vesperae de S. Caroło, cum Commem. Octavae, et sanctorum Vitalis et Agricolae Martyrum.

DIE IV. NOVEMBR.

In festo S. Caroli, Episcopi et Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. lxi. praeter ea quae hic sequntur proprie.

Oratio.

ECCLESIAM tuam, Dñe, sancti Cároli Confessóris tui atque Pon-

tíficis contínua protectióne custódi : ut sicut illum pastorális sollicitúdo glorióſum réddidit ; ita nos ejus intercéssio in tuo semper fáciat amóre fervéntes. Per Dóminum.

Deinde fit Commemoratio Octavae, Añia. O quam glorióſum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes Sancti, amícti stolis albis sequúnturAgnum quocúmque íerit.

℣. Exultábunt Sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári : quaesumus, ut desiderátam nobis tuae propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus largiáris.

Postea fit Commemor. SS. Martyrum Vitalis et Agricolae, Añia. Istórum est enim regnum coelórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad praemia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Laetámini in Dño, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

PRAESTA quaesumus omnípotens Deus : ut qui sanctórum Mártyrum tuórum Vitális et Agrícolae solémnia cólimus, eórum apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

CAROLUS, Mediolàni nóbili Borromaeórum família natus, quanta futúrus esset sanctitáte conspícuus, divína lux super pariéntis matris cubículum noctu corúscans praesignávit. A puerítia clericáli milítiae adscríptus, Abbatía póstmodum insignítus, patrem admónuit, ne rédditus in rem familiárem converteréntur : quorum ipse nactus administratiónem, quidquid supérerat, expendébat in páuperes. Adoléscens liberálibus disciplínis Papíae óperam dedit. Castitátem ádeo cóluit, ut impudícas étiam mulíeres, ad labefactándam ejus pudicítiam plúries immíssas, invícta constántia fugáverit. Vigésimum tértium aetátis annum agens, a Pio quarto ejus avúnculo in sacrum Cardinálium collégium cooptátus, insígni pietátis ac virtútum ómnium splendóre praelúxit. Mox ab eódem Mediolanénsis Archiepíscopus creátus, in eo plúrimam óperam adhíbuit, ut juxta

sacrosánctum Tridentínum concílium, quod ejus potíssimum sollicitúdine jam tum fúerat absolútum, Eccléſiam sibi commíssam compóneret : atque ut depravátos plebis suae mores reformáret, praeter iterátam saepius synodórũ celebratiónem, seípsum exímiae sanctitátis praebuit exémplar. In profligándis haeréticis e pártibus Rhætórum et Helvetiórũ, quorum plúrimos ad christiánam fidem convértit, máxime laborávit. ℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus.

Lectio v.

DUJUS viri cháritas praecípue enítuit, cum Uritáno principátu véndito prétium univérsum ad quadragínta aureórum míllia, una die in páuperes erogávit. Nec minóre pietáte, vigínti míllia, quae sibi fúerant legáta, distríbuit. Ecclesiásticos proventus, quibus ab avúnculo copióse fúerat cumulátus, dimísit ; nonnúllis reténtis, quibus ad próprios usus, et egenórum necessitátes utebátur. Quo témpore pestis Medioláni grassabátur, domésticam supellectílem, ne relícto sibi léctulo, in eósdem aléndos cóntulit, super nuda in pósterum tábula decúmbens : eóque morbo laborántes sédulo invísens, patérno reficiébat afféctu, et Ecclésiae sacraménta própriis ipse mánibus administrans, mirum in modum solabátur : humíllimis ínterim précibus reconciliátor accédens, pública supplicatióne indícta, fune sibi ad collum alligáto, nudis pédibus étiam offendículo cruentátis ; crucem bájulans, semetípsum pro peccátis pópuli hóstiam ófferens, divínam indignatiónem avértere satagébat. Ecclesiásticae libertátis fuit acérrimus propugnátor. Disciplínae vero restituéndae sollícitus, a seditiósis, dum oratióni insísteret, torménti béllici laxáta rota, ígneo glóbulo percússus, divína virtúte servátur illaesus.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus.

Lectio vi.

ABSTINENTIA fuit admirábili : jejunábat saepíssime pane tantum et aqua, solis quandóque lupínis conténtus. Noctúrnis

vigíliis, aspérrimo cilício, assíduis flagéllis corpus domábat. Humilitátis ac mansuetúdinis studiosíssimus fuit. Oratiónem, ac verbi Dei praedicatiónem, gravíssimis licet occupátus, nunquam intermísit. Multas ecclésias, monastéria, collégia aedificavit. Plura scripsit, ad Episcopórum praesértim instructiónem utilíssima : cujus étiam ópera parochórum catechísmus pródiit. Demum in solitúdinem Varálli montis, ubi sculptis imagínibus Domínicae passiónis mystéria ad vivum repraesentántur, secéssit ; ibíque diébus áliquot voluntária castigatióne ásperam, sed Christi dolórum meditatiónibus suávem vitam ducens in febrim incidit. Mediolánum revérsus, ingravescénte morbo, cínere, ac cilício coopértus, et óculis in crucifíxi imáginem defíxis, migrávit in coelum aetátis anno quadragésimo séptimo, Dómini vero millésimo quingentésimo octogésimo quarto, tértio Nonas Novémbris. Quem miráculis clarum Paulus quintus Póntifex máximus in Sanctórum númerum rétulit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna. — Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tértio Nocturno, Homília S. Gregórii Papae in Evang. Homo péregre proficíscens, de Communi primo loco. lxx.

Pro sanctis Martyribus Vitale et Agrícola.

Lectio ix.

 ITALIS, et Agrícola ejus dóminus, in persecutióne Diocletiáni et Maximiáni Bonóniae ob Jesu Christi praedicatiónem comprehénsi sunt : cumque Vitális, quo magis précibus et minis tentarétur ut sententiam mutáret, eo magis se Christi cultórem ac servum profiterétur ; vário tormentórum génere cruciátus, constánter ómnia pérferens, in oratióne spíritum Deo réddidit. Agrícola vero, cum ejus supplícium dilátum esset, si forte torméntis servi permótus, Christo vellet renuntiáre, ejus exémplo magis confirmátus est. Itaque cruci affíxus, Vitáli servo consors et sócius fuit nóbilis martyrii. Eórum córpora ad Judaeórum sepúlchra cum essent humáta, a sancto Ambrósio invénta, in sa-

crum celebrémque locum transláta sunt.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus fit Comm. Octavae, Añia. Te gloriósus Apostolórum chorus, te Prophetárum laudábilis número, te Mártyrum candidátus laudat exércitus, te omnes Sancti et eléeti voce confiténtur unánimes, beáta Trinitas, unus Deus.

℣. Exultábunt Sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári: quaesumus, ut desideratam nobis tuae propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus largiáris.

Postea fit Commemoratio SS. Vitalis et Agricolae, Martyrum, Añia. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in laetítia.

Oratio. Praesta quaesumus. 513.

Vesperae de S. Carolo, cum Commem. Octavae, ut supra. 513.

DIE V. NOVEMBR.

Quinta die infra Octavam omnium Sanctorum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermóne venerábilis Bedae Presbyteri.

Ex Serm. xviii. *de Sanctis.*

Lectio iv.

AD hanc ígitur óperum salutárium deléctet nos pervenire palmam. Libénter ac prompte certémus omnes in agóne justítiae, Deo et Christo spectánte currámus: et qui saeculo et mundo majóres esse jam coepimus, cursum nostrum nulla saeculi cupiditáte tardémus. Si expedítos, si céleres in óperis agóne curréntes dies nos últimus invénerit, nusquam Dóminus méritis nostris déerit remunerátor.

℟. Praecúrsor Dñi. 501.

Lectio v.

QUI corónam in persecutióne purpúream pro passióne donábit, ipse in pace vincéntibus pro justítiae méritis dabit et cándidam. Nam nec Abraham, nec Isaac, nec Jacob occísi sunt; et tamen fídei et justítiae méritis honoráti, inter Patriárchas primi esse meruérunt: ad quorum congregátur convívium

quisquis fidélis et justus et laudábilis invenítur. Mémores esse debémus, voluntátem non nostram, sed Dei fácere debére : quia qui fécerit ejus voluntátem, manet in aetérnum, quómodo et ille manet in aetérnum.

℟. Isti sunt, qui vivéntes in carne. 502.

Lectio vi.

QUAPROPTER, caríssimi, mente íntegra, fide firma, virtúte robústa, charitáte perfécta, paráti ad omnem voluntátē Dei simus, conservántes fórtiter domínica mandáta, in simplicitáte innocéntiam, in charitáte concórdiam, modéstiam in humilitáte, diligéntiam in administratióne, vigilántiam in adjuvándis laborántibus, misericordiā in fovéndis paupéribus, in defendénda veritáte constántiā, in disciplínae severitáte censúram, ne áliquid ad exémplum bonórum factórum desit in nobis. Haec sunt enim vestígia, quae nobis Sancti quique reverténtes in pátriam relinquérunt, ut illórum sémitis inhaeréntes sequerémur et gáudia.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti. 502.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* v.

IN illo témpore : Videns Jesus turbas, ascéndit in montem; et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et réliqua.

De Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Ex lib. 1. *de Serm. Domini in monte, cap.* iii. *et* iv.

ITAQUE in hoc tértio gradu, in quo sciéntia est, lugétur amíssio summi boni, quia inhaerétur extrémis. In quarto autem gradu labor est : ubi veheménter incúmbitur, ut sese ánimus avéllat ab eis, quibus pestífera dulcédine innéxus est. Hic ergo esurítur et sitítur justítia, et multum necessária est fortitúdo : quia non relínquitur sine dolóre, quod cum delectatióne retinétur. Quinto autem gradu perseveránti-bus in labóre datur evadéndi consílium: quia nisi quisque adjuvétur a superióre, nullo modo sibi est idóneus, ut sese tantis miseriárum implicaméntis expédiat. Est autem justum consílium, ut qui se a potentióri adjuvári vult, ádjuvet et infirmiórem, in quo est ipse poténtior. Itaque beáti misericórdes : quia ipsórum miserébitur Deus.

℟. Sint lumbi vestri. 505.

Lectio viii.

SEXTO gradu est cordis mundítia de bona consciéntia bonórum óperum, valens ad contemplándum summum illud bonum, quod solo puro et seréno intelléctu cerni potest. Postrémo est séptima ipsa sapiéntia, id est, contemplátio veritátis, pacíficans totum hóminem, et suscípiens similitúdinem Dei ; quae ita conclúditur : Beáti pacífici : quóniam ipsi fílii Dei vocabúntur. Octáva tamquam ad caput redit, quia consummátum perfectúmque osténdit et probat. Itaque in prima et in octáva nominátum est regnum coelórum : Beáti páuperes spíritu : quóniam ipsórum est regnum coelórum : et, Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam : quóniam ipsórum est regnum coelórum.

℟. Média nocte. 505.

Lectio ix.

QUM jam dícitur : Quis nos separábit a charitáte Christi ? Tribulátio, an angústia, an fames, an núditas, an perículum, an gládius ? Septem sunt ergo quae perficiunt : nam octáva clarificat, et quod perféctum est, demónstrat, ut per hos gradus perficiántur et caeteri, tamquam a cápite rursum exórdiens. Vidétur ergo mihi étiam septifórmis operátio Spíritus sancti, de qua Isaías lóquitur, his grádibus sententiísque congrúere. Sed ínterest órdinis : nam ibi enumerátio ab excellentióribus coepit, hic vero ab inferióribus. Ibi namque íncipit a sapiéntia Dei, et désinit ad timórem Dei : sed inítium sapiéntiae timor Dómini est.

Te Deum laudámus. 17.

DIE VI. NOVEMBR.

Sexta die infra Octavam omnium Sanctorum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. ii. *de festo omnium Sanctorum.*

Lectio iv.

UIA Sanctórum ómnium festívam hódie, dilectíssimi, omníque dignissimam devotióne memóriam celebrámus, óperae prétium puto, de commúni eórum felicitáte, in qua beáta jam réquie perfruúntur, et futúra quam praestolántur consummatióne, adjuvánte Spíritu sancto, sermónem fácere charitáti vestrae. Fidélis quippe sermo, et omni acceptióne dignus :

ut quos solémni veneratióne proséquimur, étiam símili conversatióne sequámur : quos beatíssimos praedicámus, ad eórum beatitúdinem tota aviditáte currámus : quorum delectámur praecóniis, sublevémur eórum patrocíniis.

℟. Praecúrsor Dñi. 501.

Lectio v.

Serm. v. de eodem festo, circa medium.

AD quid ergo Sanctis laus nostra? ad quid glorificátio nostra? ad quid nostra haec ipsa solémnitas? Quo eis terrénos honóres, quos juxta verácem Fílii promissiónem honorificat Pater coeléstis? Quo eis praecónia nostra? Pleni sunt. Prorsus ita est dilectíssimi : bonórum nostrórum Sancti non egent, nec quidquam eis nostra devotióne praestátur. Plane, quod eórum memóriam venerámur, nostra ínterest, non ipsórum. Vultis scire quantum ínterest nostra? Ego in me (fáteor) ex hac recordatióne séntio desidérium véhemens inflammári, et desidérium triplex.

℟. Isti sunt qui. 502.

Lectio vi.

FULGO dícitur; Quod non videt óculus, cor non dolet. Oculus meus, memória mea : et cogitáre de Sanctis, quodámmodo eos vidére est. Sic nempe pórtio nostra in terra vivéntium, nec módica sane pórtio, si tamen, ut decet, memóriam affféctio comitétur; sic, inquam, conversátio nostra in coelis est. Verúmtamen non sic nostra, sicut illórum. Ipsórum enim substántia ibi est, nostra autem desidério : ipsi per praeséntiam, nos per memóriam ibi sumus.

℟. Sancti mei. 502.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* v.

IN illo témpore : Videns Jesus turbas, ascéndit in montem; et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et réliqua.

De Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Ex lib. i. *de Sermone Domini in monte, cap.* iv.

EQUAPROPTER, si gradátim tamquam ascendéntes numerémus, primus ibi est timor Dei, secúnda piétas, tértia sciéntia, quarta fortitúdo, quintum consílium, sextus intelléctus, séptima sapiéntia. Timor Dei cóngruit humílibus, de quibus hic dícitur : Beáti páuperes spíritu : quóniam ipsórum est regnum coelórum : id est,

non infláti, non supérbi, de quibus Apóstolus dicit : Noli altum sápere, sed time : id est, noli extólli. Píetas cóngruit mítibus. Qui enim pie quaerit, honórat sanctam Scriptúram, et non repreléndit quod nondum intélligit, et proptérea non resístit ; quod est mitem esse. Unde hic dícitur : Beáti mites ; quóniam ipsi haereditáte possidébunt terram.

℟. Sint lumbi vestri praecíncti. 505.

Lectio viii.

SCIENTIA cóngruit lugéntibus, qui jam cognovérunt in Scriptúris, quibus malis vincti teneántur, quae tamquam bona et utília ignoránte appetiérunt ; de quibus hic dícitur : Beáti qui lugent nunc. Fortitúdo cóngruit esuriéntibus et sitiéntibus. Labórant enim desideránte gáudium de veris bonis, et amórem a terrénis et corporálibus avértere cupiéntes ; de quibus hic dícitur ; Beáti qui esúriunt : et sítiunt justítiam. Consílium cóngruit misericórdibus : hoc enim unum remédium est de tantis malis evadéndi, ut dimittámus, sicut nobis dimítti vólumus : et adjuvémus, in quo póssumus, álios, sicut et nos, in quo non póssumus, cúpimus adjuvári ; de quibus hic dícitur : Beáti misericórdes : quóniam ipsórum miserébitur Deus.

℟. Média nocte. 505.

Lectio ix.

INTELLECTUS cóngruit mundis corde, tamquam purgáto óculo, quo cerni possit, quod corpóreus óculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascéndit ; de quibus hic dícitur : Beáti mundo corde : quóniam ipsi Deum vidébunt. Sapiéntia cóngruit pacíficis, in quibus jam ordináta sunt ómnia, nullúsque motus advérsus ratiónem rebéllis est, sed cuncta obtémperant spíritui hóminis, cum et ipse obtémperet Deo ; de quibus hic dícitur : Beáti pacífici. Unum autem praemium, quod est regnum coelórum, pro his grádibus várie nominátum est.

Te Deum laudámus. 17.

DIE VII. NOVEMBR.

Septima die infra Octavam omnium Sanctorum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Serm. de Martyribus, quod aut imitandi sunt, aut non laudandi, tom. iii.

Lectio iv.

QUI Sanctórum mérita religiósa charitáte mirátur, quique justórum glórias frequénti laude colló-quitur, eórum mores sanctos atque justítiam imitétur : quóniam quem deléctat Sancti alicújus méritum, delectáre debet par circa cultum Dei obséquium. Quare aut imitári debet, si laudat : aut laudáre non debet, si imitári detréctat : ut qui álium laudat, laudábilem se reddat : et qui Sanctórum mérita admirátur, mirábilis ipse vitae sanctitáte reddátur. Nam si proptérea justos fidelésque dilígimus, quod in ipsis justítiam fidémque suscípimus, póssumus nos quoque esse quod sunt, si faciámus ipsi quod fáciunt.

℟. Praecúrsor Dñi. 501.

Lectio v.

NEQUE enim difficile nobis est, quod ab ipsis géritur, imitári, cum sine praecedénti exémplo ab antíquis tália gesta conspícimus : ut non ipsi alió-rum aemuli redderéntur, sed aemulándae virtútis seípsos nobis praebérent exémplum : ut dum nos ex ipsis, et ex nobis álii proficiunt, sic Christus in suis semper servis in Ecclésia sancta laudétur. Unde ab orígine mundi ínnocens Abel occíditur, Henoch Deo placens transfértur, justus Noe invenítur, Abraham fidélis probátur, Móyses mansuétus dignóscitur, Jesus castus, David lenis, Elias acceptus, Dániel sanctus, tres púeri victóres reddúntur.

℟. Isti sunt qui. 502.

Lectio vi.

APOSTOLI discípuli Christi, credéntium magístri habéntur : e quibus erudíti Confessóres fortíssimi pugnant, Mártyres perfécti triúmphant, et christiáni semper exércitus diábolum Deo armáti debéllant. In istis semper pares virtútes, dissímiles pugnae, gloriósae victóriae. Unde tu Christiáne delicátus es miles, si putas te posse sine pugna víncere, sine certámine triumpháre. Exere vires, fórtiter dímica, atróciter in praelio isto concérta. Consídera pactum, conditiónem atténde, militiam nosce : pactum quod spopondísti, conditiónem qua accessísti, militiam cui nomen dedísti.

℟. Sancti mei. 502.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* v.

IN illo témpore : Videns Jesus turbas, ascéndit in montem; et cum sedísset,

accessérunt ad eum discípuli ejus. Et réliqua.

De Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Ex lib. I. de Serm. Domini in monte, cap. iv.

IN primo gradu, sicut oportébat, pósitum est regnum coelórum, quod est perfectae summaeque sapiéntiae ánimae rationális. Sic ítaque dictum est: Beáti páuperes spíritu: quóniam ipsórum est regnum coelórum: tamquam dicerétur: Inítium sapiéntiae timor Dómini. Mítibus haeréditas data est, tamquam testaméntum patris cum pietáte quaeréntibus. Beáti mites: quóniam ipsi haereditáte possidébunt terram. Lugéntibus consolátio, tamquam sciéntibus quid amíserint, et quibus mersi sunt. Beáti qui lugent nunc: quóniam ipsi consolabúntur. Esuriéntibus et sitiéntibus satúritas, tamquam refectio laborántibus, fortitérque certántibus ad salútem. Beáti qui esúriunt et sítiunt justítiam: quóniam ipsi saturabúntur.

℟. Sint lumbi vestri. 505.

Lectio viii.

MISERICORDIBUS misericórdia, tamquam vero et óptimo consílio uténtibus, ut hoc eis exhibeátur a potentióre, quod invalidióribus ipsi éxhibent. Beáti misericórdes: quóniam miserébitur Deus. Mundis corde facúltas est vidéndi Deum, tamquam purum óculum ad intelligénda aetérna geréntibus. Beáti mundo corde: quóniam ipsi Deum vidébunt. Pacíficis Dei similitúdo est, tamquam perfécte sapiéntibus, formatísque ad imáginem Dei per regeneratiónem renováti hóminis. Beáti pacífici: quóniam ipsi fílii Dei vocabúntur. Et ista quidem in hac vita possunt compléri, sicut compléta esse in Apóstolis crédimus. Nam illa omnímoda et in Angélicam formam mutátio, quae post hanc vitam promíttitur, nullis verbis expóni potest.

℟. Média nocte. 505.

Lectio ix.

BEATI ergo, qui persecutiónem patiúntur propter justítiam: quóniam ipsórum est regnum coelórum. Haec octáva sententia, quae ad caput redit, perfectúmque hóminem declárat significátur fortásse et circumcisióne octáva die in véteri Testaménto, et Dómini resurrectióne post sábbatum, qui est útique octávus, idémque primus dies, et celebratióne octavárum feriárum, quas in regeneratióne novi hóminis

celebrámus; et número ipso Pentecóstes: nam septenário número sépties multiplicáto, quo fiunt quadragínta novem, quasi octávus áddi-tur, ut quinquagínta compleántur. Et tamquam redeátur ad caput, quo die missus est Spíritus sanctus, eo in regnum coelórum dúcimur, et haereditátem accípimus, et consolámur, et páscimur, et misericórdiam conséquimur, et mundámur, et pacificámur. Atque ita perfécti omnes extrínsecus illátas moléstias pro veritáte et justítia sustinémus.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Vesperas duplex; et omnia dicuntur sicut in primis Vesperis festi cum Commemoratione SS. Martyrum quatuor Coronatorum, Ańa. Istórum est enim regnum coelórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad praemia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Exultábunt Sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Oratio.

PRAESTA quaesumus omnípotens Deus: ut qui gloriósos Mártyres fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per Dóminum.

DIE VIII. NOVEMBR.

In Octava omnium Sanctorum. Duplex.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris, de mortalitáte.

Lectio iv. *In fine.*

CONSIDERANDUM est, fratres dilectíssimi, et idéntidem cogitándum, renuntiásse nos mundo, et tamquam hóspites et peregrínos hic ínterim dégere. Amplectámur diem, qui assígnat síngulos domicílio suo, qui nos istinc eréptos, et láqueis saeculáribus exsolútos, paradíso restítuit, et regno coelésti. Quis non péregre constitútus properáret in pátriam régredi? Quis non ad suos navigáre festínans, ventum prósperum cupídius optáret, ut velóciter caros licéret amplécti?

℟. Praecúrsor Dómini venit, de quo ipse testátur: Nullus major inter natos mulíerum Joánne Baptísta. ℣. Hic est Prophéta, et plus quam Prophéta, de quo Salvátor ait.—Nullus.

Lectio v.

PATRIAM nostram paradísum computámus, paréntes Patriárchas

habére jam coepimus: quid non properámus et cúrrimus, ut pátriam nostram vidére, ut paréntes salutáre possímus? Magnus illic nos carórum número expéctat, paréntum, fratrum, filiórum frequens nos et copiósa turba desíderat, jam de sua immortalitáte secúra, et adhuc de nostra salúte sollícita. Ad horum conspéctum et compléxum veníre, quanta et illis et nobis in commúne laetítia est! Qualis illic coeléstium regnórum volúptas sine timóre moriéndi, et cum aeternitáte vivéndi! quam summa et perpétua felícitas!

℟. Isti sunt qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo: Cálicem Dómini bibérunt, et amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terrae verba eórum.—Cálicem.

Lectio vi.

ILLIC Apostolórum gloriósus chorus: illic Prophetárum exultántium número: illic Mártyrum innumerábilis pópulus ob certáminis et passiónis victóriam coronátus. Triumphántes illic Vírgines, quae concupiscéntiam carnis et córporis, continéntiae róbore subegérunt. Remuneráti misericórdes, qui aliméntis et largitiónibus páuperum justítiae ópera fecérunt, qui domínica praecépta servántes, ad coeléstes thesáuros terréna patrimónia transtulérunt. Ad hos, fratres dilectíssimi, ávida cupiditáte properémus, et cum his cito esse, ut cito ad Christum veníre contíngat, optémus.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti certámen habuístis: Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum.—Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* v.

IN illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem; et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et réliqua.

De Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Ex lib. i. *de Sermone Domini in monte, cap.* v.

EATI éritis, inquit, cum vobis maledícent, et persequéntur vos, et dicent omne malum advérsum vos mentiéntes, propter me: gaudéte, et exultáte, quóniam merces vestra multa est in coelis. Animadvértat quisquis delícias

hujus saeculi, et facultátes rerum temporálium quaerit in nómine christiáno, intrínsecus esse beatitúdinem nostram, sicut de ánima ecclesiástica ore prophético dícitur: Omnis glória ejus fíliae Regis ab intus. Nam extrínsecus maledícta, et persecutiónes et detractiónes promittúntur: de quibus tamen magna merces est in coelis, quae sentítur in corde patiéntium, eórum qui jam possunt dícere: Gloriámur in tribulatiónibus, sciéntes quod tribulátio patiéntiam operátur: patiéntia autem probatiónem, probátio vero spem, spes autem non confúndit: quia cháritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per Spíritum sanctum, qui datus est nobis.

℟. Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris: Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit.—Et vos.

Lectio viii.

NON enim ista pérpeti fructuósum est, sed ista pro Christi nómine non solum aequo ánimo, sed étiam cum exultatióne toleráre. Nam multi haerétici nómine christiáno ánimas decipiéntes, multa tália patiúntur: sed ídeo excludúntur ab ista mercéde, quia non dictum est tantum: Beáti qui persecutiónem patiúntur; sed ádditum est: Propter justítiam. Ubi autem sana fides non est, non potest esse justítia: quia justus ex fide vivit. Neque schismátici áliquid sibi ex ista mercéde promíttant: quia simíliter ubi cháritas non est, non potest esse justítia. Diléctio enim próximi malum non operátur: quam si habérent, non dilaniárent corpus Christi, quod est Ecclésia.

℟. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines aptáte vestras lámpades.—Ecce. Glória Patri. Ecce.

Pro sanctis Martyribus quatuor Coronatis.

Lectio ix.

SEVERUS, Severiánus, Carpóphorus, et Victorínus, fratres, in persecutióne Diocletiáni deórum cultum líbere detestántes, plumbátis caesi in verbéribus vitam pro Christi nómine profudérunt. Quorum córpora cánibus objécta, cum ab illis intácta diu fuíssent, subláta a Christiánis, via Lavicána tértio ab

Urbe lápide in arenária sepeliúntur, propesepúlchrum sanctórum Mártyrum Cláudii, Nicóstrati, Symphoriáni, Castórii, et Simplícii, qui eódem imperatóre passi erant: quod cum essent summi sculptóres, nullo modo addúci potuérunt, ut idolórum státuas fácerent: et ad solis simulácrum ducti ut illud veneraréntur, nunquam commissúros se dixérunt, ut adorárent ópera mánuum hóminum. Quamóbrem in cárcerem conjécti, cum ibi multos dies in eódem propósito perstitíssent, primum scorpiónibus caesi, deínde vivi plúmbeis lóculis inclúsi in flumen dejiciúntur. Extat in Urbe ecclésia sub nómine sanctórum quátuor Coronatórum, quorum diu ignóta nómina, divínitus póstea patefácta sunt: ubi non solum illórum quátuor, sed étiam horum quinque Mártyrum córpora honorífice sepúlta sunt, et eórum festívitas sexto Idus Novémbris celebrátur.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus pro Commem. SS. Martyrum quatuor Coronatorum, Añia. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos.

℣. Laetáminiin Dómino, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio. Praesta quaesumus. 523.

Vesperae a Capitulo de sequenti.

DIE IX. NOVEMBR.

Dedicatio basilicae SS. Salvatoris. Duplex.

Ad Vesperas a Capitulo omnia ut in Communi Dedicat. Ecclesiae. cxxxi.

Et fit Commem. omnium Sanctorum, Añia. O quam glorióſum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes Sancti, amicti stolis albis sequúntur Agnum quocúmque ſerit.

℣. Exultábunt Sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári: quaesumus, ut desideratam nobis tuae propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus largiáris.

Deinde S. Theodori, Mart. Añia. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórū non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

DEUS qui nos beáti Theodóri Mártyris tui confessióne gloriósa circúmdas et prótegis : praesta nobis, ex ejus imitatióne profícere, et oratióne fulcíri. Per Dóminum nostrum.

Ad Matutinum omnia de Communi Dedicationis Ecclesiae, exceptis Lectionibus, quae leguntur ut infra.

In primo Nocturno.

De libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio i. *Cap.* xxi. *c.*

ET venit unus de septem Angelis habéntibus phíalas plenas septem plagis novíssimis, et locútus est mecum, dicens : Veni, et osténdam tibi sponsam, uxórem Agni. Et sústulit me in spíritu in montem magnum et altum, et osténdit mihi civitátem sanctam Jerúsalem descendéntem de coelo a Deo, habéntem claritátem Dei : et lumen ejus símile lápidi pretióso, tamquam lápidi iáspidis, sicut crystállum.

℟. In dedicatióne templi decantábat pópulus laudem : * Et in ore eórum dulcis resonábat sonus. ℣. Fundáta est domus Dómini supra vérticem móntium, et vénient ad eam omnes Gentes.—Et in ore.

Lectio ii.

ET habébat murum magnum et altum, habéntem portas duódecim, et in portis Angelos duódecim, et nómina inscripta, quae sunt nómina duódecim tríbuum filiórum Israël, ab Oriénte portae tres : et ab Aquilóne portae tres : et ab Austro portae tres : et ab Occásu portae tres. Et murus civitátis habens fundaménta duódecim, et in ipsis duódecim nómina duódecim Apostolórum Agni. Et qui loquebátur mecum, habébat mensúram arundíneam áuream, ut metirétur civitátem, et portas ejus, et murum.

℟. Fundáta est domus Dñi supra vérticem móntium, et exaltáta est super omnes colles : * Et vénient ad eam omnes Gentes, et dicent: Glória tibi, Dómine. ℣. Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manípulos suos.—Et.

Lectio iii.

ET cívitas in quadro pósita est, et longitúdo ejus tanta est, quanta et latitúdo : et mensus est civitátem de arúndine áurea per stádia duódecim míllia : et longitúdo, et altitúdo, et latitúdo ejus aequália sunt. Et mensus est murum ejus centum quadragínta quátuor cubitórum, mensúra

hóminis, quae est Angeli. Et erat structúra muri ejus ex lápide iáspide: ipsa vero cívitas aurum mundum símile vitro mundo.

℟. Bénedic, Dómine, domum istam, quam aedificávi nómini tuo: veniéntium in loco isto, * Exáudi preces in excélso sólio glóriae tuae. ℣. Dñe, si convérsus fúerit pópulus tuus, et oráverit ad sanctuárium tuum.—Exáudi. Glória Patri. Exáudi.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

RITUS, quos in consecrándis ecclésiis et altáribus Romána servat Ecclésia, beátus Silvéster Papa primus instítuit. Nam et si jam ab Apostolórum témpore loca fuérunt Deo dicáta, quae a quibúsdam oratória, ab áliis ecclésiae dicebántur, ubi colléctae fiébant per unam sábbati, et christiánus pópulus oráre, Dei verbum audíre, et Eucharístiam súmere sólitus erat: non tamen illa ádeo solémni ritu consecrabántur, nec in eis adhuc in títulum eréctum erat altáre, quod chrísmate delibútum, Dómini nostri Jesu Christi, qui altáre, hóstia, et sacérdos noster est, figúram exprímeret.

℟. Orántibus in loco isto, * Dimítte peccáta pópuli tui Deus, et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent, et da glóriam in loco isto. ℣. Qui regis Israël inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim.—Dimítte.

Lectio v.

SED ubi Constantínus imperátor per baptísmi sacraméntum sanitátem salutémque consecútus est, tum primum lege ab eo lata concéssum est toto orbe terrárum, Christiáni ut ecclésias aedificárent: quos ille non solum edícto, sed étiam exémplo ad sacram aedificatiónem est cohortátus. Nam et in suo Lateranénsi palátio ecclésiam Salvatóri dedicávit, et ei continéntem basílicam nómine sancti Joánnis Baptístae cóndidit, eo loco, quo ipse baptizátus a sancto Silvéstro, a lepra mundátus est: quam idem Póntifex consecrávit quinto Idus Novémbris: cujus consecratiónis memória celebrátur hodiérno die, quo primum Romae públice ecclésia consecráta est, et imágo Salvatóris in paríete depícta pópulo Román appáruit.

℟. O quam metuéndus est locus iste! * Vere non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta coeli. ℣. Haec est domus Dómini fírmiter

aedificáta, bene fundáta est supra firmam petram. — Vere.

Lectio vi.

QUOD si beátus Silvéster póstea in consecratióne altáris príncipis Apostolórum decrévit, ut deínceps nisi ex lápide altária non aedificaréntur: tamen basílicae Lateranénsis altáre fuit e ligno eréctum: quod mirum non est. Nam cum a sancto Petro usque ad Silvéstrum, propter persecutiónes, Pontífices certo loco consístere non possent: quocúmque eos necéssitas compulísset, sive in cryptas, sive in coemetéria, sive in aedes pió… rum, super illo altári lígneo ad arcae similitúdinem cóncavo, sacra faciébant. Quo altári sanctus Silvéster, réddita Ecclésiae pace, honóris causa príncipis Apostolórum, qui in illo sacrificásse dícitur, et reliquórum Pontíficum, qui usque ad id tempus ad mystéria conficiénda eo usi fúerant, in Lateranénsi prima Ecclésia collocáto, sancívit, ne quisquam in eo, praeter Románum Pontíficem, missam deínceps celebráret. Eámdem ecclésiam incéndiis, vastatiónibus, terrae ínsuper mótibus disjéctã, eversámque, ac sédula summórum Pontíficum cura reparátam, nova póstmodum molitióne restitútam, Benedíctus décimus tértius Póntifex máximus órdinis Praedicatórum, die vigésima octáva Aprílis anni millésimi septingentésimi vigésimi sexti, ritu solémni consecrávit, ejúsque celebritátis memóriam hac die recoléndam státuit.

℟. Mane surgens Jacob erigébat lápidem in títulum, fundens óleum désuper, votum vovit Dómino: ℣. Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam. ℟. Cumque evigilásset Jacob de somno, ait. — Vere locus. Glória Patri. Vere locus.

In tertio Nocturno, Homilia S. Ambrosii Episcopi in Evang. Ingréssus Jesus, in Communi Dedicationis Ecclesiae. cxli.

Pro S. Theodoro Martyre.

Lectio ix.

HEODORUS, miles christiánus, Maximiáno imperatóre, quod idolórum fanum incendísset, comprehénsus, cum a praefécto legiónis poena ei remitterétur, si poenitens facti christiánam fidem execrarétur, constánter in fídei confessióne persevérans, missus est in cárcerem: ubi úngulis excarnificátus, dum costae nudaréntur, laetus canébat: Benedícam Dó-

minum in omni témpore. Quare in ardéntem rogum injéctus, in oratióne et divínis láudibus ánimam Christo réddidit quinto Idus Novémbris: cujus corpus Eusébia matróna, síndone involútum sepelívit in suo praedio.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus fit Comm. S. Theodori, Martyr. Aña. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam aetérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio. Deus, qui nos beáti. 527.

Vesperae a Capitulo de sequenti, Commemoratio praecedentis et SS. Mart. Tryphonis et sociorum.

DIE X. NOVEMBR.

In festo S. Andreae Avellini, Confess. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui in corde beáti Andreae Confessóris tui, per árduum quotídie in virtútibus proficiéndi votum, admirábiles ad te ascensiónes disposuísti: concéde nobis ipsíus méritis et intercessióne ita ejúsdem grátiae partícipes fieri, ut perfectióra semper exequéntes ad glóriae tuae fastígium felíciter perducámur. Per Dóminum.

Et fit Commem. praecedentis, Aña. O quam metuéndus est locus iste! vere non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta coeli.

℣. Domum tuam, Dñe, decet sanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum.

Oratio.

DEUS, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repraeséntas incólumes: exáudi preces pópuli tui, et praesta; ut quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse laetétur. Per Dóminum.

Deinde SS. Tryphonis et sociorum, Martyrum, Aña. Istórum est enim regnum coelórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad praemia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Laetámini in Dño, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

FAC nos, quaesumus Dómine, sanctórum Mártyrum tuórum Tryphónis, Respícii, et Nymphae semper festa sectári:

quorum suffrágiis protectiónis tuae dona sentiámus. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ANDREAS Avellínus, dictus ántea Lancellótus, apud Castrum Novum Lucániae pagum natus, inter ipsa infántiae primórdia futúrae sanctitátis non obscúra praebuit indícia. Adoléscens ad lítteras addiscéndas patérna e domo egréssus, lúbricã illíus aetátis sémitam inter bonárum ártium stúdia ita perégit, ut sapiéntiae inítium, quod est timor Dómini, ob óculos potíssimum habére nunquam praetermíserit. Cum egrégia proínde forma exímium castitátis stúdium conjúnxit, quo impudícas saepe mulíerum insídias elúsit: intérdum étiam apértam vim propulsávit. Clericáli militíae jam pridem adscríptus, Neápolim se cóntulit, ut legálibus disciplínis vacáret : ibíque jurisprudéntiae láuream adéptus, atque intérea ad sacerdotálem dignitátẽ evéctus, causárum patrocínia in foro dumtáxat ecclesiástico, proque privátis quibúsdam persónis, juxta sacrórum cánonum sanctiónes ágere coepit. Verum cum aliquándo inter causam agéndam leve ei mendácium excidísset, mox vero fortúita sacrárum Scripturárũ lectióne in illa verba incidísset : Os, quod mentítur, occídit ánimam ; tanto ejus culpae dolóre ac poeniténtia corréptus est, ut statim ab ejúsmodi vitae institúto sibi recedéndum esse dúxerit. Itaque abdicátis forénsibus curis, se totum divíno cúltui sacrísque ministériis mancipávit : cumque ecclesiásticae virtútis exémplis eminéret, sanctimoniálium regímini a tunc existénte Archiepíscopo Neapolitáno praeféctus fuit. Quo in múnere cum pravórum hóminum ódia subiísset, primo quidem intentátae sibi necis perículum declinávit, mox vero per sicárium tribus in fácie accéptis vulnéribus, injúriae atrocitátem aequo ánimo pértulit. Tunc perfectióris vitae desidério flagrans, ut inter cléricos Reguláres adscriberétur, supplíciter postulávit : votíque compos factus, ob ingéntem, quo aestuábat, crucis amórem, ut sibi Andréae nomen imponerétur, précibus impetrávit.

℟. Honéstum fecit illum Dñus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam.

℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Et dedit.

Lectio v.

ARCTIORIS ítaque vitae currículum álacri stúdio ingréssus, in eas máxime virtútis exercitatiónes incúbuit, ad quas sese árduis étiam emíssis votis obstrínxit, áltero scílicet suae ipsíus voluntáti júgiter obsisténdi, áltero vero in via christiánae perfectiónis semper ultérius progrediéndi. Reguláris disciplínae cultor assíduus, et in ea promovénda, cum áliis praeésset, studiosíssimus fuit. Quidquid ab institúti sui offícii et régulae praescrípto supérerat témporis, oratióni et animárum salúti tribuébat. In confessiónibus excipiéndis mira ejus píetas et prudéntia enítuit : vicos et óppida Neápoli finítima evangélicis ministériis magno cum animárum lucro frequens lustrábat. Quam ardéntem erga próximos sancti viri charitátem signis étiam Dóminus illustrávit. Cum enim intempésta nocte ab audíta aegri confessióne domum redíret, ac plúviae ventorúmque vis praelucéntem facem extinxísset, non solum ipse cum sóciis inter effusíssimos imbres nihil madefáctus est; verum étiam inusitáto splendóre, e suo córpore mirabíliter emicánte, sóciis inter densíssimas ténebras iter monstrávit. Abstinéntia et patiéntia, nec non abjectióne atque ódio sui summópere praestítit. Necem fratris fílio illátam imperturbáto ánimo tulit, ac suos ab omni ulciscéndi cupiditáte compéscuit; imo étiam pro interfectóribus opem et misericórdiam júdicum implorávit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

QUIBUS in locis clericórum Regulárium órdinem propagávit, eorúmque domicília Mediolàni et Placéntiae instítuit. Illíus óperam sanctus Cárolus Borromaeus, et Paulus de Arétio cléricus Reguláris, Cardináles, quibus erat acceptíssimus, in pastorális múneris curis adhibuérunt. Deíparam Vírginem singulári amóre et cultu prosequebátur. Angelórum colloquio pérfrui méruit, quos, cum divínas laudes persólveret, e regióne concinéntes se audísse testátus est. Dénique post

heróica virtútum exémpla, prophetíae quoque dono illústris, quo et secréta córdium, et abséntia et futúra prospéxit, annis gravis, et labóribus fractus, ad aram celebratúrus in verbis illis tértio repetítis: Introíbo ad altáre Dei, repentíno apopléxiae morbo corréptus est; mox sacraméntis rite munítus, placidíssime inter suos ánimam efflávit. Ejus corpus Neápoli in eccléśia sancti Pauli ad haec usque témpora eo frequentíssimo pópuli concúrsu cólitur, quo fuit elátum. Illum dénique insígnibus in vita et post mortem miráculis clarum Clemens undécimus Póntifex máximus solémni ritu Sanctórum catálogo adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna. —Quia te vidi justum. Glória Patri. Quia te vidi justum.

In tertio Nocturno, Homília in Evangélium: Sint lumbi, de eodem Communi. xcii.

Pro sanctis Martyribus Tryphone, Respício, et Nympha.

Lectio ix.

RYPHON, Décio imperatóre, cum Jesu Christi fidem praedicans, omnes ad ejus cultum perdúcere conarétur, a Décii satellítibus comprehénsus, primum equúleo torquétur, et úngulis férreis excarnificátur: deínde sublímibus pédibus candéntibus clavis confíxus, fústibus caeditur, et admótis fácibus ardéntibus adúritur. Quae cum ómnia fórtiter feréntem vidísset Respícius tribúnus, ad Christi Dómini fidem convérsus, statim se Christiánum esse palam profésśus est. Qui várie cruciátus, una cum Tryphóne rápitur ad Jovis simulácrum: quae státua Tryphóne oránte cóncidit. Quare plumbátis crudelíssime contúsi, nobilíssimum martyrium consecúti sunt, quarto Idus Novémbris. Eódem die virgo quaedam, cui nomen Nympha, cum Jesum Christum verum esse Deum clara voce testarétur, martyrii palmam ad virginitátis corónam adjúnxit.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus fit Comm. SS. Mart. Tryphonis, et soc. Ańa. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exultábumt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Oratio. Fac nos, quaesumus, ut supra. 530.

Vesperae a Capit. de sequenti, Commem. praeced. et S. Mennae, Martyris.

DIE XI. NOVEMBRIS.

In festo S. Martini, Episcopi et Conf. Duplex.

AD VESPERAS.

Capitulum, Hymnus, et ℣. de Communi Confessoris Pontificis. lxi.

Ad Magnificat, Ańa. O beátum virum, cujus ánima paradísum póssidet : unde exúltant Angeli, laetántur Archángeli, chorus Sanctórum proclámat, turba Vírginum invítat, mane nobíscum in aetérnum.

Oratio.

DEUS, qui cónspicis, quia ex nulla nostra virtúte subsístimus : concéde propítius ; ut intercessióne beáti Martíni Confessóris tui atque Pontíficis, contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Deinde fit Commemor sancti Andreae Avellini, Ańa. Hic vir despíciens mundum, et terréna, triúmphans, divítias coelo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio. Deus qui in corde, ut supra. 530.

Et fit Comm. S. Mennae, Martyris, Ańa. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit, fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

PRAESTA quaesumus omnípotens Deus : ut qui beáti Mennae Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invit. Laudémus Deum nostrum, * In confessióne beáti Martíni. Psalmus. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus. Iste Conféssor, ut in Communi. lxi.

In primo Nocturno.

Ańa. Martínus adhuc catechúmenus hac me veste contéxit. Psalmus. Beátus vir, cum reliquis de Communi. lxii.

Ańa. Sanctae Trinitátis fidem Martínus conféssus est, et baptísmi grátiam percépit.

Ańa. Ego signo crucis, non clypeo protéctus, aut

gálea, hóstium cúneos penetrábo secúrus.

Lectiones primi Nocturni, Fidélis sermo, ut in Communi. lxiv. cum ℟℟. sequentibus.

℟. i. Hic est Martínus eléctus Dei Póntifex, cui Dóminus post Apóstolos tantam grátiam conférre dignátus est, * Ut in virtúte Trinitátis Deíficae mererétur fíeri trium mortuórum suscitátor magníficus. ℣. Sanctae Trinitátis fidem Martínus conféssus est.—Ut in virtúte.

℟. ii. Dómine, si adhuc pópulo tuo sum necessárius, non recúso subíre propter eos labórem : * Fiat volúntas tua. ℣. Oculis ac mánibus in coelum semper inténtus, invíctum ab oratióne spíritum non relaxábat. —Fiat.

℟. iii. O beátum virum Martínum Antístitem, * Qui nec mori tímuit, nec vívere recusávit. ℣. Dñe, si adhuc pópulo tuo sum necessárius, non recúso labórem: fiat volúntas tua.—Qui. Glória Patri. Qui.

In secundo Nocturno.

Aña. Confído in Dómino, quod fília mea précibus tuis reddénda sit sanitáti. Psalmus. Cum invocárem, cum reliquis de Comm. lxv.

Aña. Tetrádius cógnita Dei virtúte, ad baptísmi grátiam pervénit.

Aña. O ineffábilem virum, per quem nobis tanta mirácula corúscant !

Lectio iv.

MARTINUS, Sabáriae in Pannónia natus, cum décimum attigísset annum, invítis paréntibus ad Ecclésiam confúgiens, in catechumenórum númerum adscríbi vóluit. Quíndecim annos natus in milítiam proféctus, primum in Constántii, deínde Juliáni exércitu militávit. Qui cum nihil habéret praeter arma, et vestiméntum quo tegebátur, Ambiáni, páuperi ac nudo abeo peténti, ut Christi nómine sibi eleemósynam tribúeret, partem chlámydis dedit. Cui sequénti nocte Christus dimidiáta illa veste indútus appáruit, hanc mittens vocem: Martínus catechúmenus hac me veste contéxit.

℟. Oculis ac mánibus in coelum semper inténtus, * Invíctum ab oratióne spíritum non relaxábat. ℣. Dum sacraménta offérret beátus Martínus, globus ígneus appáruit super caput ejus.—Invíctum.

Lectio v.

DECEM et octo annos cum habéret baptizátus est. Quare relícta militári vita, ad Hilárium Pictaviénsem Epíscopum se

cóntulit, a quo in Acolythórum número redáctus est. Post factus Epíscopus Turonénsis, monastérium aedificávit ubi cum octógínta mónachis sanctíssime aliquámdiu vixit. Qui cum póstea ad Candacénsem vícum suae dioecésis in gravem febrim incidísset, assídua Deum oratióne precabátur, ut se ex illo mortáli cárcere liberáret. Quem audiéntes discípuli, sic rogábant : Cur nos pater déseris ? cui nos míseros derelínquis ? Quorum voce commótus Martínus ita Deum orábat : Dómine, si adhuc pópulo tuo sum necessárius, non recúso labórem.

℟. Beátus Martínus óbitum suum longe ante praescívit, dixítque frátribus,* Dissolutiónem sui córporis imminére, quia judicábat se jam resólvi. ℣. Víribus córporis coepit repénte destítui, convocatísque discípulis dixit.—Dissolutiónem.

Lectio vi.

SED cum eum in illa veheménti febre supínum orántem vidérent discípuli, supplíciter ab eo petiérunt, ut convérso córpore, tantísper dum remítteret morbi vis, pronus conquiésceret. Quibus Martínus : Sínite me, inquit, coelum pótius quam terram aspícere, ut suo jam itínere ítúrus ad Dóminum spíritus dirigátur. Instánte jam morte, viso humáni géneris hoste, Quid, inquit, astas cruénta béstia ? nihil in me funésti repéries. Ea in voce unum et octógínta annos natus ánimam Deo réddidit : quam Angelórum chorus excépit, eósque divínas canéntes laudes multi, in primísque sanctus Severínus Coloniénsis Epíscopus, audiérunt.

℟. Dixérunt discípuli ad beátum Martínum : Cur nos pater déseris, aut cui nos desolátos relínquis ? Invádent enim gregem tuum lupi rapáces. ℣. Scimus quidem desideráre te Christum, sed salva sunt tibi tua praemia, nostri pótius miserére, quos déseris.—Invádent. Glória. Invádent.

In tertio Nocturno.

Ańa. Dóminus Jesus Christus non purpurátum, aut diadémate reniténtem se ventúrum esse praedíxit.

Psalmus x.

IN Dño confído : quómodo dícitis ánimae meae : Tránsmigra in montem sicut passer ?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in phárétra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quae perfecísti, destruxérunt : * Justus autem quid fecit ?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in coelo sedes ejus:

Oculi ejus in páuperem respíciunt : * pálpebrae ejus interrogant fílios hóminum.

Dóminus interrogat justum et ímpium : * qui autem díligit iniquitátem odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos : * ignis, et sulphur, et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dñus, et justítias diléxit : * aequitátem vidit vultus ejus.

Ańa. Dóminus Jesus Christus non purpurátum, aut diadémate reniténtem se ventúrum esse praedíxit.

Ańa. Sacérdos Dei Martíne, apérti sunt tibi coeli, et regnum Patris mei.

Psalmus xiv.

DOMINE, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo ?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam :

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum glorificat :

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit haec, * non movébitur in aetérnum.

Ańa. Sacérdos Dei Martíne, apérti sunt tibi coeli, et regnum Patris mei.

Ańa. Sacérdos Dei Martíne, pastor egrégie, ora pro nobis Deum.

Psalmus xx.

DOMINE, in virtúte tua laetábitur rex : * et super salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei : * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te : * et tribuísti ei longitúdinem diérum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo : * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in saeculum saeculi : * laetificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino : * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui: * Dñus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala : * cogitavérunt consília, quae non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum : * in relíquiis tuis praeparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua : * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Ańa. Sacérdos Dei Martíne, pastor egrégie, ora pro nobis Deum.

℣. Tu es sacérdos in aetérnum. ℟. Secúndum órdinem Melchísedech.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xi. *c.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nemo lucérnam accéndit, et in abscóndito ponit, neque sub módio ; sed supra candelábrum, ut qui ingrediúntur, lumen vídeant. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 7. Comm. in Lucam, cap. xi. *post initium.*

EQUIA in superióribus Ecclésiam synagógae praetulit, hortátur nos, ut fidem pótius nostram ad Ecclésiam transferámus. Lucérna enim fides est, juxta quod scriptum est : Lucérna pédibus meis verbum tuum, Dómine. Verbum enim Dei fides nostra est : verbum Dei lux est. Lucérna est fides. Erat lux vera, quae illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. Lucérna autem lucére non potest, nisi aliúnde lumen accéperit.

℟. O beátum virum, in cujus tránsitu Sanctórum canit número, Angelórum exúltat chorus, * Omniúmque coeléstium Virtútum occúrrit psallántium exércitus. ℣. Ecclésia virtúte roborátur, sacerdótes Dei revelatióne glorificántur, quem Míchael assúmpsit cum Angelis. — Omniúmque.

Lectio viii.

HÆC est lucérna quae accénditur, virtus scílicet nostrae mentis et sensus, ut drachma illa possit, quae períerat, reperíri. Nemo ergo fidem sub lege constítuat. Lex enim intra

mensúram est, ultra mensúram grátia : lex obúmbrat, grátia clarificat. Et ídeo nemo fidem suam intra mensúram legis inclúdat, sed ad Ecclésiam cónferat, in qua séptifórmis Spíritus relúcet grátia, quam princeps ille sacerdótum fulgóre supérnae divinitátis illúminat, ne eam legis umbra restínguat. Dénique lucérna illa, quam matutínis vespertinísque témporibus, ritu véteri, Judaeórum princeps sacerdótum solébat accéndere, velut sub módio sita legis evánuit; et cívitas illa Jerúsalem, quae in terris est, quae occídit Prophétas, quasi in conválle fletus pósita, delitéscit : illa autem Jerúsalem, quae in coelo est, in qua mílitat fides nostra, in illo altíssimo ómnium locáta monte, hoc est Christo, non potest ténebris, et ruínis hujus mundi abscóndi, sed fulgens candóre solis aetérni, luce nos grátiae spiritális illúminat.

℟. Martínus Abrahae sinu laetus excípitur : Martínus hic pauper et módicus, * Coelum dives ingréditur, hymnis coeléstibus honorátur. ℣. Martínus Epíscopus migrávit a saeculo : vivit in Christo gemma sacerdótum. — Coelum dives. Glória Patri. Coelum dives.

Pro S. Menna Martyre.

Lectio ix.

ENNAS Ægyptius, christiánus miles, in persecutióne Diocletiáni et Maximiáni imperatórum, cum poeniténtiae causa in solitúdinem secessísset; natáli die imperatórum, quo pópulus célebri spectáculo tenebátur, in theátrum prosíliens, líbera voce Gentílium superstitiōnē insectabátur. Quamóbrem comprehénsus, et Pyrrho praeside, in metrópoli Cottiénsium Phrygiae vinctus loris crudéliter caeditur : deínde equúleo tortus, lampádibus ardéntibus ad corpus admótis, plagísque cilício confricátis, tum per tríbulos et virgas férreas mánibus ac pédibus colligátis tractus, plumbátis étiam contúsus, demum gládio interfícitur, in ignémque conjícitur. Corpus inde a Christiánis eréptum sepúltum est, ac póstea Constantinópolim translátum.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES

et per Horas, Añae.

1. Dixérunt discípuli * ad beátum Martínum : Cur nos pater déseris, aut cui nos desolátos relínquis? invádent enim gregem tuum lupi rapáces. Psalm. Dñus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Dómine * si adhuc pópulo tuo sum necessárius, non recúso labórem, fiat volúntas tua.

3. O virum ineffábilem, * nec labóre victum, nec morte vincéndum, qui nec mori tímuit, nec vívere recusávit.

4. Oculis ac mánibus in coelum semper inténtus, invíctum ab oratióne spíritum non relaxábat, allelúia.

5. Martínus Abrahae sinu * laetus excípitur : Martínus hic pauper et módicus, coelum dives ingréditur, hymnis coeléstibus honorátur.

Capitulum, Hymnus, et V. de Communi Confessoris Pontificis. lxxii.

Ad Bened. Aña. O beátum virum, cujus ánima paradísum póssidet : unde exúltant Angeli, laetántur Archángeli, chorus Sanctórum proclámat, turba Vírginum invítat : Mane nobíscum in aetérnum.

Oratio.

DEUS, qui cónspicis, quia ex nulla nostra virtúte subsístimus : concéde propítius ; ut intercessióne beáti Martíni Confessóris tui atque Pontíficis, contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Mennae, Martyris, Aña. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam aetérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio. Praesta quaesumus. 534.

Ad Horas Añae de Laudibus. Capitulum et ℣℟. brevia de Communi. lxxii.

AD VESPERAS.

Aña. Dixérunt discípuli, cum reliquis de Laud. 539. Psalmus. Dixit Dñus, cum reliquis de Dominica. 134. et loco ultimi, Psalmus. Meménto. lxxiii.

Capitul. Ecce sacérdos. Hymn. Iste Confessor. lxi. ℣. Justum dedúxit. lxxiv.

Ad Magnificat, Aña. O beátum Pontíficem, qui totis viscéribus diligébat Christum Regem, et non formidábat impérii principátum : o sanctíssima ánima, quam etsi gládius persecutóris non ábstulit, palmam tamen martyrii non amísit!

Oratio ut supra.

Deinde fit Commem. sancti Martini, Papae et Martyris, ut infra.

DIE XII. NOVEMBRIS.

In festo S. Martini, Papae et Martyris. Semiduplex.

Omnia de Comm. unius Martyris. xxvii. praeter sequentia.

Aña. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque

ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Martíni Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte laetíficas : concéde propítius ; ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

MARTINUS, Tudérti in Umbria natus, inítio pontificátus, et lítteris et legatiónibus missis óperam dedit, ut Paulum Constantinopolitánum Patriárcham a nefária haeresi ad cathólicae fídei veritátem revocáret. Qui Constánte imperatóre haerético fretus, eo améntiae progréssus fúerat, ut sedis apostólicae legátos várie in ínsulas relegárit. Quo ejus scélere commótus Póntifex, coácto Romae concílio centum quinque Episcopórum, cum condemnávit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

QUAE causa fuit Constánti mitténdi in Itáliam Olympium exárchum, ut Martínum Pontíficem interficiéndum, aut ad se perducéndum curáret. Igitur Olympius Romam véniens lictóri mandat, ut Pontíficem, dum in basílica sanctae Maríae ad Praesépe missárum solémnia celebráret, occíderet. Quod ubi lictor aggréditur, caecus repénte factus est.

℟. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, Dñe, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vi.

CONSTANTI autem imperatóri ex eo témpore multae calamitátes incidérunt : quibus níhilo mélior factus, Theodórum Callíopam ad Urbem mittens ímperat, ut Pontífici manus injíciat. A quo per fraudem captus Martínus, et Constantinópolim perdúctus, deínde in Chersonésum relegátus, ibi ob

cathólicam fidem aerúmnis conféctus, prídie Idus Novémbris cessit e vita clarus miráculis : cujus corpus Romam póstea translátum, in Ecclésia cónditum est, quae sanctórum Silvéstri et Martíni nómine dedicáta erat. Praefuit Ecclésiae annos sex, mensem unum, dies vigínti sex. Hábuit ordinatiónes duas mense Decémbri, quibus creávit Presbyteros úndecim, Diáconos quinque, Epíscopos per divérsa loca trigínta tres.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitae et intellectus : et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum.—Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evang. Si quis venit ad me, ut in Communi unius Martyris, xxxvi.

℟. viii. Dómine praevenísti. xxxvii.

Vesperae a Capitulo de sequenti, cum Commemoratione praecedentis.

DIE XIII. NOVEMBRIS.

In festo S. Didaci, Confess. Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter ea quae hic sunt propria.

Ad Magnif. Ańa. Similábo eum viro sapiénti, qui aedificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriae índuit eum.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui dispositióne mirábili infírma mundi éligis, ut fórtia quaeque confúndas : concéde propítius humilitáti nostrae ; ut piis beáti Dídaci Confessóris tui précibus ad perénnem in coelis glóriam sublimári mereámur. Per Dóminum.

In Hymno Iste Confessor mutatur tertius versus.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

EIDACUS Hispánus ex óppido sancti Nicolái de Portu dioecésis Hispalénsis, ab ineúnte aetáte pii sub sacerdótis disciplína, sanctióris vitae solitária in ecclésia tyrocínium exércuit. Deínde ut fírmius Deo se conjúngeret, in convéntu de Arrizzáfa fratrum Minórum (quos Observántes vocant) sancti Francísci régulam in statu

laicáli proféssus est. Magna ibi alacritáte húmilis obediéntiae, et reguláris observántiae jugum súbiens, contemplatióni in primis déditus, mira Dei luce perfundebátur, ádeo ut de rebus coeléstibus, litterárum expers, mirándum in modum et plane divínitus loquerétur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

CANARIIS in ínsulis, ubi frátribus sui órdinis praefuit, multa perpéssus, martyrii aestuans desidério, plures infidéles verbo et exémplo ad Christi fidem convértit. Romam véniens anno jubilaei, Nicoláo quinto Pontífice, aegrotórum curae in convéntu Arae coeli destinátus, eo charitátis affléctu munus hoc exércuit, ut Urbe annónae inópia laboránte, aegrótis tamen, quorum aliquándo úlcera étiam lambéndo abstergébat, nihil pénitus necessárii defécerit. Exímia quoque fides et grátia curatiónum in eo elúxit, cum lámpadis, quae collucébat ante imáginem beatíssimae Dei Genitrícis, quam summa devotióne colébat, óleo aegros inúngens, signo crucis impresso, multórum morbos mirabíliter sanáverit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dñus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vi.

DEMUM Complúti finem sibi vitae adésse intélligens, lácera et obsoléta indútus túnica, conjéctis in crucem óculis, singulári devotióne illis verbis ex sacro hymno pronuntiátis : Dulce lignum, dulces clavos, dúlcia ferens póndera, quae fuísti digna portáre Regem coelórum, et Dóminum ; ánimam Deo réddidit, prídie Idus Novémbris, anno Dómini supra millésimũ quadringentésimo sexagésimo tértio. Ejus corpus cum menses non paucos (ut pio confluéntium desidério fieret satis) insepúltum mansísset, quasi jam incorruptiónem indúerit, odórem suavíssimum efflávit. Illum multis et illústribus miráculis clarum Sixtus quintus Póntifex máximus Sanctórum número adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna. — Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno, Homilia venerabilis Bedae Presbyteri in Evangelium : Nolíte timére pusíllus grex, de Communi Confess. non Pontif. secundo loco. xcvii.

Vesperae de sequenti cum Commemoratione S. Didaci.

DIE XV. NOVEMBRIS.

In festo sanctae Gertrudis, Virginis. Duplex.

Omnia de Communi Virginum, ciii. praeter sequent.

Oratio.

DEUS, qui in corde beátae Gertrúdis Vírginis, jucúndam tibi mansiónem praeparásti, ipsíus méritis et intercessióne, cordis nostri máculas cleménter abstérge, et ejúsdem tríbue gaudére consórtio. Per Dóminum nostrum.

℣. Deinde fit Comm. S. Didaci, Aña. Hic vir despíciens mundum, et terréna, triúmphans, divítias coelo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio ut supra. 542.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

GERTRUDIS Islébii in Saxónia nóbili génere nata, quinquénnis in monastério Rodardénsi, órdinis sancti Benedícti, virginitátem suam, ac seípsam Jesu Christo óbtulit. Quo ex témpore a mundánis rebus prorsus aliéna, virtutíque sédulo inténta, coeléstis vitae genus instítuit. Ad humaniórum litterárum notítiam, rerum divinárum cognitiónem adjúnxit. Quarum meditatióne veheméntius ad virtútem incénsa, brevi christiánam perfectiónem adépta est. De Christo, ejúsque vitae mystériis saepenúmero pio cum ánimi sensu loquebátur : unámque Dei glóriam cógitans, ad illam vota sua ómnia, et actiónes referébat : Quamvis autem multis exímiis natúrae et grátiae donis a Deo aucta esset, ita tamen sibi ipsa vilescébat, ut inter praecípua divínae bonitátis mirácula, hoc item memoráret, quod se indignissimam misericórditer sustinéret.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et régna. — Et dedúcet.

Lectio v.

TRIGESIMUM aetátis annum agens, primum Rodardénsis monastérii, ubi religiósam vitam est proféssa, deínde Elpediáni praeses eléćta, quadragínta annórum spátio, ea charitáte, prudéntia, et reguláris disciplínae stúdio munus obívit, ut coenóbium religiósae perfectiónis domicílium viderétur. Utrobíque vero, licet esset ómnium mater et magístra, ómnium tamen mínima habéri volébat, ac demissióne pari minístram se exhibébat. Quo libérius Deo vacáret, vigíliis, abstinéntia, aliísque cruciátibus corpus afflíxit : sempérque sui símilis, morum innocéntiam, mansuetúdinem, ac patiéntiam praetulit singulárem. Proximórum salúti omni ope stúduit, piaeque curae copiósum fructum rétulit. Divíni amóris vi frequéntes patiebátur écstases, altissimaeque contemplatiónis, et divínae uniónis donum obtínuit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Propterea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi.

UT méritum acceptíssimae sibi sponsae Christus osténderet, in corde Gertrúdis jucúndam sibi esse mansiónem testátus est. Deíparam Vírginem véluti matrem, et curatrícem a Jesu accéptam pietáte praecípua prosequebátur ; ab eáque multa accépit benefícia. Erga diviníssimum Eucharístiae sacraméntum et passiónem Dómini tanto amóre cum grati ánimi sensu afficiebátur, ut intérdum ubéribus lácrymis perfunderétur. Justórum ánimas piaculáribus flammis addíctas quotidiánis subsídiis, et précibus juvábat. Multa ad confovéndam pietátem scripsit. Divinárum étiam revelatiónum, et prophetíae dono cláruit. Dénique flagrantíssimo Dei amóre pótius, quam morbo languéscens, anno Dñi millésimo ducentésimo nonagésimo secúndo vita decéssit. Miráculis vivens, et post mortem a Deo illustráta est.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximae ejus, * Afferéntur tibi in laetítia, et exultatióne. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine

tua inténde, próspere procéde, et regna.—Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evangelium : Símile erit regnum coelórum, ut in Communi Virginum. cxv.

DIE XVII. NOVEMBR.

In festo S. Gregorii Thaumaturgi, Episcopi et Confessoris. Semiduplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. lxi. praeter sequentia.

Oratio.

OA quaesumus omnípotens Deus: ut beáti Gregórii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

GREGORIUS, Neocaesaréae Ponti Epíscopus, sanctitáte doctrináque illústris, signis vero ac miráculis multo illústrior, quorum multitúdine atque praestántia Thaumatúrgus appellátus est, et sancti Basilíi testimónio cum Móyse, Prophétis, et Apóstolis comparátus, montem qui Ecclésiae aedificatiónē impediébat, oratióne álio tránstulit. Item palúdem, inter fratres causam discordiárum exsiccávit. Lycum flúvium pernicióse agros inundántem, defíxo ad ripam, quo sustentabátur, báculo, qui statim viréntem crevit in árborem, coércuit, ut póstea ultra eum términum non efflúxerit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus enim.

Lectio v.

SAEPISSIME daemones ex idolórum simulácris, atque ex hóminum corpóribus ejécit : múltaque ália mirabíliter effécit, quibus innumerábiles hómines traxit ad Jesu Christi fidem, cum étiam prophético spíritu futúra praedíceret. Qui migratúrus e vita, cum quaesísset, quot in civitáte Neocaesariénsi réliqui essent infidéles, responsúmque esset, tantum esse septémdecim ; Deo grátias agens : Tótidem, inquit, erant fidéles, cum cepi episcopátum. Plura scripsit, quibus étiam, non solum miráculis, Dei Ecclésiam illustrávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : *

Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus.

Sermo S. Máximi Epíscopi. *Ex Homília* lix. *quae est* ii. *de S. Eusebio.*

Lectio vi.

BEATI patris Gregórii mérita jam in tuto pósita secúri magnificémus: qui gubernáculum fídei viríliter tenens, ánchoram spei tranquílla jam in statióne compósuit, et plenam coeléstibus divítiis et aetérnis mércibus navem optáto in líttore collocávit: qui contra omnes adversários scutum timóris Dei támdiu infatigabíliter ténuit, donec ad victóriam perveníret. Quid enim fuit totus vitae illíus cursus, nisi uníus cum vígili hoste conflíctus? ℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Ipse. Glória. Ipse.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vii. *Cap.* xi. *c.*

IN illo témpore: Respóndens Jesus discípulis suis, ait illis: Habéte fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicúmque díxerit huic monti: Tóllere, et míttere in mare, et non haesitáverit in corde suo, sed credíderit, quia quodcúmque díxerit, fiat, fiet ei. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedae Presbyteri. *Lib.* 3. *Comm. in Marc. c.* xi.

SOLENT Gentíles, qui contra Ecclésiam maledícta scripsére, improperáre nostris, quod non habúerint plenam fidem Dei, quia nunquam montes transférre potúerint. Quibus respondéndum est, non ómnia scripta esse, quae in Ecclésia sunt gesta, sicut étiam de factis ipsíus Christi, et Dómini nostri Scriptúra testátur. Unde et hoc quoque fíeri potuísset, ut mons ablátus de terra mitterétur in mare, si necéssitas id fíeri poposcísset. Quómodo légimus factum précibus beáti patris Gregórii Neocaesaréae Ponti Antístitis, viri méritis et virtútibus exímii, ut mons in terra tantum loco céderet, quantum íncolae civitátis opus habébant.

℟. Amávit eum Dñus, et ornávit eum: stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Índuit eum Dñus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad.

Lectio viii.

CUM enim volens aedificáre ecclésiam in loco apto, vidéret eum angustiórem esse quam res exigébat, eo quod ex una parte rupe maris, ex ália monte próximo coarctarétur ; venit nocte ad locum, et génibus flexis admónuit Dñum promissiónis suae, ut montem lóngius juxta fidem peténtis ágeret. Et mane facto revérsus invénit montem tantum spátii reliquísse structóribus ecclésiae, quantum opus habúerant. Póterat ergo hic, póterat álius quis ejúsdem mériti vir, si opportúnitas exegísset, impetráre a Dómino mérito fídei, ut étiam mons tollerétur, et mitterétur in mare.

℟. Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio ix.

VERUM quia montis nómine nonnúnquam diábolus significátur, vidélicet propter supérbiam, qua se contra Deum érigit, et esse vult símilis Altíssimo ; mons ad praecéptum eórum qui fortes fide sunt, tóllitur de terra, et in mare projícitur, cum praedicántibus verbum doctóribus sanctis, immúndus spíritus ab eórum corde repéllitur, qui ad vitam sunt praeordináti, et in turbuléntis amarísque infidélium méntibus vesániam suae tyránnidis exercére permíttitur.

Te Deum laudámus. 17.

Vesperae de sequenti festo Dedicationis, cum Commemorat. S. Gregorii, Añа. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriae índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio. Da quaesumus, ut supra. 546.

DIE XVIII. NOVEMBR.

In Dedicatione basilicarum SS. Apostolorum Petri et Pauli. Duplex.

Omnia de Communi Dedicationis Ecclesiae, cxxxi. praeter Lectiones.

In primo Nocturno.

De libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio i. *Cap.* xxi. *e.*

ET erat structúra muri ejus ex lápide iáspide : ipsa vero cívitas, aurum mundum símile vitro

mundo. Et fundaménta muri civitátis omni lápide pretióso ornáta. Fundaméntum primum, iáspis : secúndum, sapphírus : tértium, chalcedónius : quartum, smarágdus : quintum, sárdonyx : sextum, sárdius : séptimum, chrysólithus: octávum, beryllus : nonum, topázius : décimum, chrysóprasus : undécimum, hyacínthus: duodécimum, amethystus.

℟. In dedicatióne templi decantábat pópulus laudem : * Et in ore eórum dulcis resonábat sonus. ℣. Fundáta est domus Dómini supra vérticem móntium, et vénient ad eam omnes Gentes.—Et in ore.

Lectio ii.

Et duódecim portae, duódecim margarítae sunt, per síngulas : et síngulae portae erant ex síngulis margarítis : et platéa civitátis aurum mundum, tamquam vitrum perlúcidum. Et templum non vidi in ea : Dóminus enim Deus omnípotens templum illíus est, et Agnus. Et cívitas non eget sole, neque luna, ut lúceant in ea. Nam cláritas Dei illumináv it eam, et lucérna ejus est Agnus.

℟. Fundáta est domus Dómini supra vérticem móntium, et exaltáta est super omnes colles : * Et vénient ad eam omnes Gentes, et dicent : Glória tibi, Dómine. ℣. Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manípulos suos.—Et vénient.

Lectio iii.

Et ambulábunt Gentes in lúmine ejus : et reges terrae afferent glóriam suam, et honórem in illam. Et portae ejus non claudéntur per diem : nox enim non erit illic. Et afferent glóriam et honórem Géntium in illam. Non intrábit in eam áliquod coinquinátum, aut abominatiónem fáciens, et mendácium, nisi qui scripti sunt in libro vitae Agni.

℟. Bénedic, Dómine, domum istam, quam aedificávi nómini tuo : veniéntium in loco isto, * Exáudi preces in excélso sólio glóriae tuae. ℣. Dñe, si convérsus fúerit pópulus tuus, et oráverit ad sanctuárium tuum. — Exáudi. Glória. Exáudi.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

EX locis sacris, quae olim apud Christiános veneratiónem habuérunt, illa celebérrima et frequentíssima fuérunt, in quibus cóndita Sanctórum córpora, vel áliquod Mártyrum vestígium aut monuméntum esset. In quorum

número sanctórum locórum, in primis semper fuit insígnis ea Vaticáni pars, quam sancti Petri confessiónem appellábant. Nam eo Christiáni ex ómnibus orbis terrae pártibus tamquam ad fídei petram, et Ecclésiae fundaméntum conveniéntes, locum príncipis Apostolórum sepúlchro consecrátum, summa religióne ac pietáte venerabántur.

℣. Orántibus in loco isto, * Dimítte peccáta pópuli tui Deus, et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent, et da glóriam in loco isto. ℣. Qui regis Israël inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim.—Dimítte.

Lectio v.

ILLUC Constantínus magnus imperátor octávo die post susceptum baptísmum venit, depositóque diadémate, et humi jacens, vim lacrymárum profúdit : mox sumpto ligóne ac bidénte terram éruit : indéque duódecim terrae cóphinis, honóris causa duódecim Apostolórum, ablátis, ac loco basílicae príncipis Apostolórum designáto, Ecclésiam aedificávit. Quam sanctus Silvéster Papa décimo quarto Kaléndas Decémbris, eo modo quo Lateranénsem ecclésiam quinto Idus Novémbris consecráverat, dedicávit : et in ea altáre lapídeum chrísmate delibútum eréxit : atque ex eo témpore sancívit, ne deínceps altária nisi ex lápide fierent. Idem beátus Silvéster basílicam sancti Pauli Apóstoli via Ostiénsi ab eódem Constantíno imperatóre magnificentíssime aedificátam dedicávit. Quas basílicas idem imperátor multis praediis attribútis locupletávit, ac munéribus amplíssimis exornávit.

℣. O quam metuéndus est locus iste! * Vere non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta coeli. ℣. Haec est domus Dñi firmiter aedificáta, bene fundáta est supra firmam petram.—Vere.

Lectio vi.

QORRO basílicam vetustáte jamprídem collabéntem, ac proptérea multórum Pontíficum pietáte látius ac magnificéntius a fundaméntis eréctam, Urbánus octávus eádem die recurrénte anni millésimi sexcentésimi vigésimi sexti solémni ritu consecrávit. Basílicam vero Ostiénsem quum dira incéndii vis anno millésimo octingentésimo vigésimo tértio pénitus consumpsísset, indefessa quátuor Pontíficum cura splendídius quam ántea eréctam,

et ab intéritu véluti vindicátam, Pius nonus auspicatíssimam nactus occasiónē qua dogma de immaculáta beátae Maríae Vírginis Conceptióne nuper ab ipso proclamátum, ingéntem Cardinálium et Episcopórū númerum ex díssitis étiam cathólici orbis regiónibus Romam attráxerat, die décima Decémbris anni millésimi octingentésimi quinquagésimi quarti, tanta circúmdatus purpuratórum Patrum, et Antístitum coróna solémniter dedicávit, ejúsque celebritátis memóriam hac die recoléndam decrévit.

℟. Mane surgens Jacob erigébat lápidem in títulum, fundens óleum désuper, votum vovit Dómino : * Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam. ℣. Cumque evigilásset Jacob de somno ait.— Vere locus. Glória Patri. Vere locus.

In tertio Nocturno, Homília sancti Gregorii Papae in Evangelium : Ingréssus Jesus, ut in die quarta infra Octavam Dedicationis. cxlix.

Vesperae a Capitulo de S. Elisabeth, cum Commemoratione Dedicationis, et sancti Pontiani, Papae et Martyris.

DIE XIX. NOVEMBR.

In festo S. Elisabeth, Viduae. Duplex.

Omnia de Communi Sanctarum nec Virginum nec Martyrum. cxxiii. praeter ea quae hic habentur.

Oratio.

TUORUM corda fidélium Deus miserátor illústra : et beátae Elísabeth précibus gloriósis fac nos próspera mundi despícere, et coelésti semper consolatióne gaudére. Per Dóminum.

Deinde fit Commemor. Dedicationis, Aña. O quam metuéndus est locus iste! vere non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta coeli.

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum.

Oratio.

DEUS, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repraeséntas incólumes: exáudi preces pópuli tui, et praesta ; ut quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse laetétur. Per Dóminum.

Postea S. Pontiani, Papae et Martyris, Aña. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et

a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

INFIRMITATEM nostram réspice omnípotens Deus : et quia pondus própriae actiónis gravat, beáti Pontiáni Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ELISABETH, Andréae regis Hungáriae fília, ab infántia Deum timére coepit : et crescens aetáte, crevit étiam pietáte. Ludovíco Lantgrávio Hássiae et Thuríngiae in cónjugem copuláta, non minóri cura quae Dei, quam quae viri sui erant, exequebátur. Surgens enim noctúrno témpore, oratióni diu incumbébat ; ac váriis misericórdiae officiis dédita, víduis, pupíllis, aegrótis, egéntibus sédulo inserviébat : gravíque fame urgénte, domus suae fruménta liberáliter erogábat. Leprósos hospítio suscípiens, manus eórum et pedes osculabátur. Curándis autem et aléndis paupéribus insígne xenodochíum construxit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Et dedúcet.

Lectio v.

DEFUNCTO cónjuge, ut Deo libérius serviret, depósitis ómnibus saeculáris glóriae induméntis, vili túnica indúta est, atque órdinem Poeniténtium sancti Francísci ingréssa, patiéntiae et humilitátis virtúte máxime enítuit. Nam bonis ómnibus exúta, a própriis aedibus ejécta, ab ómnibus derelícta, contumélias, irrisiónes, obtrectatiónes invícto ánimo tolerávit, ádeo ut summópere gaudéret, se tália pro Deo pati. Ad ínfima quaeque ministéria erga páuperes et aegrótos se abjíciens, eis necessária procurábat, solis oléribus et legumínibus pro suo victu conténta.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxi te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam.—Proptérea unxit.

Lectio vi.

QUM vero in his aliísque plúrimis sanctis opéribus vitam religiosíssime transegísset, finis tandem suae peregrinatiónis advénit, quem domésticis suis ante praedíxit. Cumque defíxis in coelum óculis divínae contemplatióni vacáret, a Deo mirabíliter recreáta, et sacraméntis refécta, obdormívit in Dómino. Statímque plúrima ad ejus túmulum mirácula patráta sunt. Quibus audítis, et rite probátis ; Gregórius nonus Sanctórum número eam adscrípsit.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.— Múlier. Glória Patri. Múlier.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evangelium : Símile est regnum coelórum thesáuro, ut in Communi non Virginum. cxxvi.

Pro S. Pontiano.

Lectio ix.

PONTIANUS Románus praefuit Ecclésiae Alexándro imperatóre : qui sanctum Pontíficem propter christiánae fidei confessiónem, in Sardíniam ínsulam cum Hippólyto Presbytero relegávit. Úbi is pro Christi fide multis calamitátibus afflíctus, décimo tértio Kaléndas Decémbris e vita migrávit. Ejus corpus Fabiáno Pontífice, cum clero Romam delátum in coemetério Callísti via Appia sepelítur. Sedit annos quátuor, menses quátuor, dies vigintiquínque. Fecit ordinatiónes duas mense Decémbri, quibus creávit Presbyteros sex, Diáconos quinque, Epíscopos per divérsa loca sex.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus fit Comm. S. Pontiani, Aña. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam aetérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio. Infirmitátem nostram, ut supra. 552.

In secundis Vesperis a Capitulo fit de sequenti cum Commemor. S. Elisabeth, Viduae.

DIE XX. NOVEMBR.

In festo S. Felicis de Valois, Confess. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. exceptis his quae hic sunt propria.

In Hymno Iste Conféssor, mutatur tertius versus.

Oratio.

DEUS, qui beátum Felícem Confessórem tuum ex erémo ad munus rediméndi captívos coelitus vocáre dignátus es : praesta quaesumus ; ut per grátiam tuam ex peccatórum nostrórum captivitáte, ejus intercessióne liberáti, ad coeléstem pátriam perducámur. Per Dóminum.

Deinde fit Commemoratio S. Elisabeth, Viduae, Ańa. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiósa non comédit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Oratio. Tuórum corda, ut supra. 551.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

SELIX, Hugo ántea dictus, ex regáli Valesiórum família ortus in Gállia, ab ineúnte aetáte non lévia dedit futúrae sanctitátis indícia ; praesértim misericórdiae erga páuperes : nam adhuc infántulus manu própria, ac si grándior esset, et judícii maturitáte polléret, nummos egénis distríbuit. Jam grandiúsculus, solébat ex appósitis in mensa dápibus ad ipsos míttere, et ferme eo, quod sapídius erat, obsónio paupérculos púeros recreábat. Adoléscens non semel véstibus se expoliávit, ut ínopes cooperíret. Ab avúnculo Theobáldo, Xamphánae et Blésii cómite, vitam reo mortis impetrávit, praedícens, hunc infámem háctenus sicárium, mox sanctíssimis praeditum móribus evasúrum : veridicum testimónium monstrávit evéntus.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus. et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : ℣. Et dedit illi claritátem aetérnam. ℟. Justum dedúxit Dñus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei — Et dedit.

Lectio v.

POST exáctam laudabíliter adolescéntiã, coepit ex coeléstis contemplatiónis stúdio solitúdinem cogitáre ; prius tamen vóluit sacris initiári, ut omnem regni, a cujus successióne jure legis Sálicae non longe distábat, spem sibi praecideret. Sacérdos factus, et prima missa devotíssime celebráta, non multo post in erémum secéssit, ubi summa abstinéntia víctitans, coeléstium charísmatum abundántia pascebátur. Ibi cum sancto Joánne

de Matha Parisiénsi doctóre, a quo ex divína inspiratióne quaesítus et invéntus, per áliquot annos sanctíssime vixit ; donec ambo per Angelum a Deo admóniti Romam petiérunt, speciálem a summo Pontífice vivéndi régulam impetratúri. Facta ígitur Innocéntio Papae tértio inter missárum solémnia revelatióne religiónis et institúti de redeméndis cáptivis, ab ipso Pontífice, simul cum sócio cándidis véstibus, bicolóri cruce signátis, indúitur, ad eam formam qua Angelus indútus appáruit : et insuper vóluit Póntifex, ut nova relígio juxta tríplicem colórem, quo hábitus constat sanctíssimae Trinitátis título decorarétur.

℟. Amávit eum Dñus, et ornávit eum : stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dñus lorícam fídei, et ornávit eum—Et ad portas.

Lectio vi.

REGULA própria ex summi Pontíficis Innocéntii confirmatióne accépta, in dioecési Meldénsi apud locum, qui Cervus Frígidus dícitur, primum órdinis paulo ante a se et sócio extrúctum coenóbium ampliávit, ubi religiósam observántiam, et redemptiónis institútum mirífice cóluit, ac inde per alúmnos in álias províncias diligentíssime propagávit. Illústrem hic a beáta Vírgine matre favórem accépit ; dormiéntibus síquidem cunctis frátribus, et ad matutínas preces in pervigílio Nativitátis Deíparae média nocte recitándas, Deo sic disponénte, non surgéntibus ; Felix de more vígilans, et horas praevéniens, chorum ingréssus, réperit beátam Vírginem in médio chori hábitu cruce órdinis insignito indútam, ac coelítibus simíliter indútis sociátam. Quibus permíxtus Felix, praecinénte Deípara, laudes divínas concínuit, ritéque persólvit. Et quasi jam a terréstri ad coeléstem chorum evocarétur, instántis mortis ab Angelo certíor factus, fílios ad charitátem erga páuperes et captívos adhórtans, ánimam Deo réddidit, aetáte ac méritis consummátus, anno post Christum natum ducentésimo duodécimo supra millésimum, sub eódem Pontífice Innocéntio tértio.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit

ad coeléstia regna.—Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno, Homilia venerabilis Bedae Presbyteri in Evangelium : **Nolíte timére pusíllus grex,** de Communi Confessóris non Pontificis. xcvii.

Vesperae de sequenti cum Comm. S. Felicis, Confess.

DIE XXI. NOVEMBR.

In festo Praesentationis beatae Mariae Virginis. Duplex.

Omnia ut in festis B. M. Virginis. clviii. praeter sequentia.

Ad Magnif. Ánt. **Beáta Dei Génitrix María, Virgo perpétua, templum Dómini, sacrárium Spíritus sancti, sola sine exémplo placuísti Dño nostro Jesu Christo, allelúia.**

Oratio.

DEUS, qui beátam Maríam semper Vírginem, Spíritus sancti habitáculum, hodiérna die in templo praesentári voluísti : praesta quaesumus; ut ejus intercessióne in templo glóriae tuae praesentári mereámur. Per Dóminum.... in unitáte ejúsdem.

Pro Commem. S. Felicis de Valois, Ant. Hic vir despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias coelo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio. Deus, qui beátum, ut supra. 554.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Joánnis Damascéni de fide orthodóxa. *Lib.* 4. *cap.* xv.

Lectio iv.

OACHIM lectíssimam illam, ac summis láudibus dignam mulíerem Annam matrimónio sibi copulávit. Verum, quemádmodum prisca illa Anna, cum sterilitátis morbo laboráret, per oratiónem ac promissiónem Samuélem procreávit ; eódem modo haec étiam per obsecratiónem et promissiónem Dei Genitrícem a Deo accépit, ut ne hic quoque cuíquam ex illústribus matrónis céderet. Itaque grátia (nam hoc sonat Annae vocábulum) Dóminam parit : (id enim Maríae nómine significátur :) vere étenim rerum ómnium conditárum Dómina facta est, cum Creatóris mater éxtitit. In lucem autem éditur in domo probáticae Jóachim, atque ad templum addúcitur : ac deínde in domo Dei plantáta, atque per Spíritum sagináta, instar olívae frugíferae virtútum ómnium domicíliũ effícitur : ut quae

vidélicet ab omni hujúsce vitae et carnis concupiscéntia mentem abstraxísset, atque ita vírginem una cum córpore ánimam conservásset, ut eam decébat, quae Deum sinu suo exceptúra erat.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans.—Dedi.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi de Virgínibus. *Lib.* 2. *post initium.*

Lectio v.

TALIS fuit María, ut ejus uníus vita ómnium sit disciplína. Si ígitur auctor non displicet, opus probémus: ut quaecúmque sibi ejus exóptat praemium, imitétur exémplum. Quantae in una vírgine spécies virtútum émicant! Secrétum verecúndiae, vexíllum fídei, devotiónis obséquium: virgo intra domum, comes ad ministérium, mater ad templum. O quantis illa virgínibus occúrret! quantas compléxa ad Dóminum trahet, dicens: Haec torum fílii mei, haec thálamos nuptiáles immaculátos servávit pudóre.

℟. Quae est ista, quae procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliae Sion, et beátam dixérunt, et regínae laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. —Vidérunt.

Lectio vi.

QUID ergo éxequar cibórum parsimóniam, officiórum redundántiam: álterum ultra natúram superfúisse, álterum pene ipsi natúrae defuísse? Illic nulla intermíssa témpora, hic congeminátos jejúnio dies. Et si quando reficiéndi successísset volúntas, cibus plerúmque óbvius, qui mortem arcéret, non delícias ministráret. Dormíre non prius cupíditas, quam necéssitas fuit: et tamen cum quiésceret corpus, vigiláret ánimus: qui frequénter in somnis aut lecta répetit, aut somno interrúpta contínuat, aut dispósita gerit, aut gerénda praenúntiat.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dñus concupívit: * Et vidéntes eam fíliae Sion, beatíssimam praedicavérunt, dicéntes: * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte.—Et vidéntes. Glória Patri. Unguéntum.

In tertio Nocturno, Homilia Venerabilis Bedae

Presbyteri in Evangelium : Loquénte Jesu. clxix.

In ℣. viii dicitur : tuam sanctam Praesentatiónem.

Ad Bened. Aña. Beáta es, María, quae credidísti : perficiéntur in te quae dicta sunt tibi a Dómino, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui beátam Maríam semper Vírginem, Spíritus sancti habitáculum, hodiérna die in templo praesentári voluísti : praesta quaesumus ; ut ejus intercessióne, in templo glóriae tuae praesentári mereámur. Per Dóminum..... in unitáte ejúsdem.

In secundis Vesp. omnia ut in primis. 556.

Et fit Commem. S. Caeciliae. Aña. Est secrétum Valeriáne, quod tibi volo dícere : Angelum Dei hábeo amatórem, qui nímio zelo custódit corpus meum.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua beátae Caecíliae Vírginis et Mártyris tuae solemnitáte laetíficas : da, ut quam venerámur offício, étiam piae conversatiónis sequámur exémplo. Per Dóminum.

DIE XXII. NOVEMBR.

In festo S. Caeciliae, Virg. et Mart. Duplex.

AD MATUTINUM.

Invitator. Regem Vírginum Dóminum, * Veníte adorémus. Psalm. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus. Vírginis Proles. cvi.

In primo Nocturno.

Aña. Caecília virgo Almáchium superábat, Tibúrtium et Valeriánum ad corónas vocábat. Psalmus. Dñe Dóminus noster, cum reliquis de Communi. cvii.

Aña. Expánsis mánibus orábat ad Dóminum, ut eam eríperet de inimícis.

Aña. Cilício Caecília membra domábat, Deum gemítibus exorábat.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Lectiones primi Nocturni. De Virgínibus, ut in Communi. cix. cum ℣℟. ut infra.

℟. j. Cantántibus órganis Caecília virgo in corde suo soli Dómino decantábat, dicens : * Fiat Dómine cor meum et corpus meum immaculátum, ut non confúndar. ℣. Biduánis et triduánis jejúniis orans, commendábat Dómino quod timébat.—Fiat.

℟. ii. O beáta Caecília, quae duos fratres convertísti, Almáchium júdicem superásti, * Urbánum Epíscopum in vultu angélico demonstrásti. ℣. Quasi apis argumentósa Dómino deservísti. — Urbánum Epíscopum.

℟. iii. Virgo gloriósa semper Evangélium Christi gerébat in péctore, et non diébus neque nóctibus vacábat, * A collóquiis divínis et oratióne. ℣. Expánsis mánibus orábat ad Dñum, et cor ejus igne coelésti ardébat. — A collóquiis divínis. Glória Patri. A collóquiis divínis.

In secundo Nocturno.

Ańa. Dómine Jesu Christe, seminátor casti consílii, súscipe séminum fructus, quos in Caecília seminásti.

Psalmus. Eructávit cor meum, cum reliquis de Communi. cx.

Antíphona. Beáta Caecília dixit ad Tibúrtium : Hódie te fáteor meum cognátum, quia amor Dei te fecit esse contemptórem idolórum.

Ańa. Fiat Dómine cor meum et corpus meum immaculátum, ut non confúndar.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Lectio iv.

CAECILIA, virgo Romána nóbili génere nata, a prima aetáte christianae fídei praecéptis institúta, virginitátem suam Deo vovit. Sed cum póstea contra suam voluntátem data esset in matrimónium Valeriáno, prima nuptiárum nócte hunc cum eo sermónem hábuit : Ego, Valeriáne, in Angeli tutéla sum, qui virginitátem meam custódit : quare ne quid in me commíttas, quo ira Dei in te concitétur. Quibus verbis commótus Valeriánus, illam attíngere non est ausus : quin étiam áddidit, se in Christum creditúrum, si eum Angelum vidéret. Cui Caecília, cum sine baptísmo negáret id fíeri posse : incénsus cupiditáte vidéndi Angelum, se baptizári velle respóndit. Quare hortátu Vírginis ad Urbánum Papam, qui propter persecutiónem in Mártyrum sepúlchris via Appia latébat, véniens, ab eo baptizátur.

℟. Cilício Caecília membra domábat, Deum gemítibus exorábat: * Tibúrtium et Valeriánum ad corónas vocábat. ℣. Haec est virgo sápiens, et una de número prudéntum. — Tibúrtium et Valeriánum.

Lectio v.

INDE ad Caecíliam revérsus, orántem, et cum ea Angelum divíno splendóre fulgéntem invénit. Quo aspéctu obstupefáctus, ut primum ex timóre confirmátus est, Tibúrtium fratrem suum accérsit : qui a Caecília Christi fide imbútus, et ab eódem Urbáno baptizátus, ipse étiam ejúsdem Angeli, quem frater ejus víderat, aspéctu dignátus est. Utérque autem paulo post Almáchio praefécto constánter martyrium súbiit. Qui mox Caecíliam comprehéndi ímperat, ab eáque primum, ubi Tibúrtii et Valeriáni facultátes sint, exquírit.

℟. Caecíliam intra cubículum orántem invénit, et juxta eam stantem Angelum Dñi: * Quem videns Valeriánus, nímio terróre corréptus est. ℣. Angelus Dñi descéndit de coelo, et lumen refúlsit in habitáculo.—Quem.

Lectio vi.

QUI cum virgo ómnia illórum paupéribus distribúta esse respondísset, eo furóre concitátus est, ut eam in ipsíus aedes redúctam, in bálneo combúri jússerit. Quo in loco cum diem noctémque ita fuísset, ut ne flamma quidem illam attíngeret ; eo immíssus est cárnifex, qui ter secúri ictam, cum caput abscíndere non potuísset, semivívam relíquit. Illa tríduo post, décimo Kaléndas Decémbris, Alexándro imperatóre, dúplici virginitátis et mártyrii palma decoráta, evolávit in coelum : cujus corpus ab ipso Urbáno Papa in Callísti coemetério sepúltum est, in ejus aedibus ecclésia ipsíus Caecíliae nómine consecráta. Ejus, et Urbáni ac Lúcii Pontíficum, Tibúrtii, Valeriáni, et Máximi córpora a Paschásli primo Pontífice inde transláta in Urbem, in eádem sanctae Caecíliae ecclésia cóndita sunt.

℟. Dómine Jesu Christe, pastor bone, seminátor casti consílii, súscipe séminum fructus, quos in Caecília seminásti : * Caecília fámula tua quasi apis tibi argumentósa desérvit. ℣. Nam sponsum, quem quasi leónem ferócem accépit, ad te quasi agnum mansuetíssimum destinávit.—Caecília. Glória Patri. Caecília.

In tertio Nocturno.

Ana. Crédimus Christum Fílium Dei verum Deum esse, qui sibi talem elégit fámulam. Psalmus. Cantate Dómino, cum reliquis de Communi. cxiv.

Ana. Nos sciéntes sanctum nomen ejus, omníno negáre non póssumus.

Ant. Tunc Valeriánus perréxit, et signo quod accéperat, invénit sanctum Urbánum.

℣. Elégit eam Deus, et praeelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xxv.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum coelórum decem virgínibus : quae accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsae. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. lxxix. *in Matthaeum, post initium.*

QUAM ob causam in persóna vírginum hanc parábolam profert, nec qualemcúmque persónam sine discrímine súbjicit ? Magna quaedam de virginitáte disserúerat, dicens : Sunt eunúchi, qui seípsos castravérunt propter regnum coelórum : et, Qui potest cápere, cápiat. Nec ignorábat, de virginitáte magnam esse vulgo existimatiónem, quippe cum sit ea res natúra sublímis : quod inde patet, quia neque in véteri Testaménto a priscis illis sanctísque viris culta fuit, et in novo nulla legis necessitáte jubétur : non enim id imperávit, sed fidélium voluntáti permísit. Unde et Paulus ait : De virgínibus autem praecéptum Dómini non hábeo : et laudo quidem eum, qui hoc sectátur institútum ; noléntem autem non cogo, neque eam rem praecéptum fácio.

℟. Beáta Caecília dixit Tibúrtio : Hódie te fáteor meum esse cognátum, quia amor Dei te fecit esse, Contemptórem idolórum. ℣. Sicut enim amor Dei mihi tuum fratrem cónjugem fecit, ita te mihi cognátum fecit esse. — Contemptórem.

Lectio viii.

QUONIAM ígitur et magna res erat, ac de ea apud multos magna erat existimátio ; ne quis ea perfécta se totum perfecísse putáret, ac caetera neglígeret, hanc parábolam pósuit : ut ostenderet, virginitátem, quamvis caetera hábeat, si misericórdiae bonis carúerit, cum fornicatóribus éjici. Ac mérito quidem inhumánum ac misericórdia caréntem cum illis cóllocat. Fornicátor enim córporum, istae vero pecuniárum cupiditáte vincúntur. Non est autem córporum et pecúniae par cupíditas : sed

acrior multo, atque vehementior illa córporum est. Quanto ígitur cum imbecillióre luctantur, tanto minus vénia dignae sunt, si vincántur. Idcírco étiam fátuas appellávit : quóniam majóri certámine superáto, in facillióre totum perdidérunt.

℟. Caecília me misit ad vos, ut ostendátis mihi sanctum Antístitem ; * Quia ad ipsum hábeo secréta, quae pérferam. ℣. Tunc Valeriánus perréxit, et signo quod accéperat, invénit sanctum Urbánum. — Quia. lória Patri. Quia.

Lectio ix.

LAMPADES autem hoc loco illud ipsum virginitátis donum appéllat, et sanctimóniae puritátem : óleum vero benignitátem, eleemósynã, impénsum indigéntibus auxílium. Tardánte autem sponso, dormitavérunt omnes, et dormiérunt. Non parvum témporis rursus spátium interjéctum osténdit, ut discípulos regnum ipsíus mox futúrum expectántes ab ea opinióne dedúceret : id enim illi sperábant : quaprópter crebro ab hujúsmodi eos spe révocat. Ad hoc, illud quoque índicat, somnum quemdam esse mortem. Dormiérunt, inquit ; média autem nocte clamor factus est : vel, ut in eádem parábola persístat : vel rursus osténdit in nocte futúram esse resurrectiónem. Clamórem étiam Paulus commémorat, dicens : In jussu, in voce Archángeli, in novíssima tuba descéndet de coelo.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES

et per Horas, Añae.

1. Cantántibus órganis, * Caecília Dómino decantábat, dicens : Fiat cor meum immaculátum, ut non confúndar. Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Valeriánus * in cubículo Caecíliam cum Angelo orántem invénit.

3. Caecília fámula tua, * Dómine, quasi apis tibi argumentósa desérvit.

4. Benedíco te Pater Dómini mei Jesu Christi, quia per Fílium tuum ignis extínctus est a látere meo.

5. Triduánas * a Dómino popósci indúcias, ut domum meam Ecclésiam consecrárem.

Capitulum, Hymnus et ℣. de Communi. cxvii.

Ad Bened. Añae. Dum auróra finem daret, Caecília exclamávit, dicens : Eia mílites Christi, abjícite ópera tenebrárum, et induímini arma lucis.

Oratio.

DEUS qui nos ánnua beátae Caecíliae Vírginis et Mártyris tuae so-

lemnitáte laetíficas : da, ut quam venerámur offício, étiam piae conversatiónis sequámur exémplo. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Aña. Valeriánus.

Capitulum. Fratres, Qui gloriátur, ut supra. cxvii.

℟. br. Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et pulchritúdine. Glória Patri. Spécie. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

AD SEXTAM.

Aña. Caecília fámula tua.

Capitulum. 2. *Cor.* xi.

ÆMULOR enim vos Dei aemulatióne. Despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

℟. br. Adjuvábit eam, * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvábit. ℣. Elégit eam Deus, et praeelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

AD NONAM.

Aña. Triduánas.

Capitulum. *Eccli.* li. *b.*

DOMINE Deus meus, exaltásti super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meae, et in témpore superbórum sine adjutório.

℟. br. Elégit eam Deus, * Et praeelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et praeelégit. Glória Patri. Elégit. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

AD VESPERAS.

Aña. Cantántibus órganis, cum reliquis de Laudibus. 562. Psalmi de Communi. ciii.

A Capitulo fit de sequenti cum Commem. praeced.

DIE XXIII. NOVEMBR.

In festo S. Clementis, Papae et Martyris. Duplex.

Capitulum, Hymnus, et ℣. de Communi unius Martyris. xxvii.

Ad Magnif. Aña. Orémus omnes ad Dóminum Jesum Christum, ut Confessóribus suis fontis venam apériat.

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua beáti Cleméntis Mártyris tui atque Pontíficis solemnitáte laetíficas : concéde propítius ; ut cujus natalítia cólimus,

virtútem quoque passiónis imitémur. Per Dóminum.

Postea fit Commemoratio S. Caeciliae, Virg. et Mart. Aña. Virgo gloriósa semper Evangélium Christi gerébat in péctore suo, et non diébus neque nóctibus a colloquiis divínis et oratióne cessábat.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Oratio. Deus, qui nos ánnua beátae Caecíliae. 562.

Deinde fit Commemor. S. Felicitatis, Mart. Aña. Símile est regnum coelórum hómini negotiatóri quaeránti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio.

PRÆSTA quaesumus omnípotens Deus : ut beátae Felicitátis Mártyris tuae solémnia recensántes, méritis ipsíus protegámur et précibus. Per Dóminum.

Ad Matutinum omnia usque ad Lectiones, de Communi unius Martyris. xxviii.

In primo Nocturno.

Lectiones de Actibus Apostolorum. A Miléto, de Communi. xxx. cum ℟℟. ut infra.

℟. i. Oránte sancto Cleménte, appáruit ei Agnus Dei : De sub cujus pede fons vivus emánat, flúminis ímpetus laetíficat civitátem Dei. ℣. Vidi supra montem Agnum stantem.—De sub cujus pede.

℟. ii. Omnes una voce dixérunt : Ora pro nobis sancte Clemens, Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. ℣. Non meis méritis ad vos me misit Dóminus vestris corónis partícipem fíeri. — Ut digni efficiámur.

℟. iii. Dedísti, Dómine, habitáculum Mártyri tuo Cleménti in mari, in modum templi marmórei, angélicis mánibus praeparátum : Iter praebens pópulo terrae, ut enárrent mirabília tua. ℣. Dedísti, Dómine, sanctis tuis viam in mari, et in flumínibus sémitam. — Iter praebens. Glória Patri. Iter praebens.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

CLEMENS Románus, Faustíni fílius, de regióne Coelii montis, discípulus beáti Petri, cujus méminit Paulus scribens ad Philippénses : Etiam rogo et te germáne compar, ádjuva illas quae mecum laboravérunt in Evangélio, cum Cleménte, et caeteris

adjutóribus meis, quorum nómina sunt in libro vitae. Hic septem Urbis regiónes divísit septem Notáriis, síngulas síngulis attríbuens, qui passiónes Mártyrum, et res ab eis gestas diligentíssime conquisítas lítteris mandárent. Multa scripsit et ipse accuráte et salutáriter, quibus christiánam religiónem illustrávit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum.—Et dedit.

Lectio v.

CUM autem doctrína ac vitae sanctitáte multos ad Christi fidem convérteret, a Trajáno imperatóre relegátus est trans mare Pónticum in solitúdine urbis Chersónae, in qua duo míllia Christianórum réperit, qui ab eódem Trajáno condemnáti fúerant. Qui cum in eruéndis et secándis marmóribus aquae penúria laborárent, Clemens facta oratióne, in vicínum collem ascéndit, in cujus jugo vidit Agnum dextro pede fontem aquae dulcis, qui inde scatébat, attingéntem; ubi omnes sitim explevérunt : eóque miráculo multi infidéles ad Christi fidem convérsi, Cleméntis étiam sanctitátem venerári coepérunt.

℟. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.—Et voluntáte.

Lectio vi.

QUIBUS concitátus Trajánus, misit illuc, qui Cleméntem alligáta ad ejus collum ánchora, in profúndum dejícerent. Quod cum factum esset, Christiánis ad littus orántibus, mare ad tria milliária recéssit : eóque illi accedéntes, aedículam marmóream in templi formam, et intus arcam lapídeam, ubi Mártyris corpus cónditum erat, et juxta illud ánchoram, qua mersus fúerat, invenérunt. Quo miráculo íncolae permóti, Christi fidem suscepérunt. Ejus corpus póstea Romam, Nicoláo primo Pontífice, translátum, in ecclésia ipsíus sancti Cleméntis cónditum est. Ecclésia étiam in eo ínsulae loco, unde divínitus fons manárat, ejúsdem nómine dedicáta est. Vixit in pontificátu annos novem, menses sex, dies sex. Fecit

ordinatiónes duas mense Decémbri, quibus creávit Presbyteros decem, Diáconos duos, Epíscopos per divérsa loca quíndecim.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitae et intellectus : et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum.—Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xxiv. *d.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi.

Comment. in Matthaeum, cap. xxvi. *in fine.*

T ignorántiam illam diéi ómnibus táciti, non sine útilis siléntii ratióne esse scirémus, vigiláre nos Dóminus propter advéntum furis admónuit, et oratiónum assiduitáte deténtos, ómnibus praeceptórum suórum opéribus inhaerére. Furem enim esse osténdit zábulum, ad detrahénda ex nobis spólia pervígilem, et córporum nostrórum dómibus insidiántem : ut ea incuriósis nobis, et somno déditis, consiliórum suórum atque illecebrárum jáculis perfódiat. Parátos igitur esse nos cónvenit : quia diéi ignorátio inténtam sollicitúdinē suspénsae expectatiónis exágitet.

℟. Coróna áurea super caput ejus, *Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.—Expréssa.

Lectio viii. *Cap.* xxvii.

QUISNAM est fidélis servus et prudens, quem constítuit Dñus super famíliam suam ? Quamquam in commúne nos ad indefessam vigilántiae curam adhortétur : speciálem tamen pópuli princípibus, id est, Epíscopis, in expectatióne adventúque suo sollicitúdinem mandat. Hunc enim servum fidélem atque prudéntem, praepósitum famíliae significat, cómmoda atque utilitátes commíssi sibi pópuli curántem. Qui si dicto áudiens, et praecéptis obédiens erit, id est, si doctrínae opportunitáte et veritáte infirma confírmet, disrúpta consólidet, depraváta convértat, et verbum vitae in aeternitátis

cibum aléndae famíliae dispéndat, atque haec agens, hisque ímmorans deprehendátur : glóriam a Dómino tamquam dispensátor fidélis, et víllicus útilis consequétur, et super ómnia bona constituétur, id est, in Dei glória collocábitur, quia nihil sit ultra, quod mélius sit.

℣. Hic est vere martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit ; nec terrénae dignitátis glóriam quaesívit, sed ad coeléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Qui. Glória Patri. Qui.

Pro S. Felicitate Martyre.

Sermo sancti Gregórii Papae.

Ex Homilia iii. *in Evang.*

Lectio ix.

BEATA Felícitas, cujus hódie natalítia celebrámus, septem fílios sic post se tímuit vivos in carne relínquere, sicut carnáles paréntes solent metúere, ne mórtuos praemíttant. In persecutiónis enim labóre deprehénsa, filiórum corda in amóre supérnae pátriae praedicándo roborávit ; et parturívit spíritu, quos carne pepérerat, ut praedicatióne páreret Deo, quos carne pepérerat mundo. Numquid ergo hanc foeminam Mártyrem díxerim? Sed plus quam Mártyrem : quae septem pignóribus ad regnum praemíssis, tot ante se mórtuos transmísit. Ad poenam prima venit ; sed pervénit octáva.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Oránte sancto Cleménte, * appáruit ei Agnus Dei. Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Non meis méritis * ad vos me misit Dñus, vestris corónis partícipem fieri.

3. Vidi supra montem * Agnum stantem de sub cujus pede fons vivus emánat.

4. De sub cujus pede fons vivus emánat, flúminis ímpetus laetíficat civitátem Dei.

5. Omnes gentes * per gyrum credidérunt Christo Dómino.

Capitulum, Hymnus et ℣. de Communi. xxxviii.

Ad Bened. Aña. Cum iter ad mare cepísset, pópulus voce magna clamábat : Dómine Jesu Christe, salva illum : et Clemens cum lácrymis dicébat : Súscipe Pater spíritum meum.

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua beáti Cleméntis Mártyris tui atque Pontíficis

solemnitáte laetíficas : concéde propítius ; ut cujus natalítia, cólimus, virtútem quoque passiónis imitémur. Per Dóminum nostrum.

Deinde fit Comm. S. Felicitatis, Aña. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Oratio. Praesta quaesumus, ut supra. 564.

Ad Horas, Aña de Laudibus. Capit. et ℣℟. brevia de Communi. xxxix.

AD VESPERAS.

Ant. Oránte sancto Cleménte, cum reliquis de Laudibus. 567. Psalmus. Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica. 134. et loco ultimi, Psalmus. Crédidi. 138.

A Capitulo fit de sequenti cum Commem. praecedentis et S. Chrysogoni, Mart.

DIE XXIV. NOVEMBR.

In festo S. Joannis a Cruce, Confessoris. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter ea, quae sequuntur.

In Hymno Iste Confessor, mutatur tertius versus.

Oratio.

DEUS, qui sanctum Joánnem Confessórem tuum perféctae sui abnegatiónis, et crucis amatórem exímium effecísti ; concéde, ut ejus imitatióni júgiter inhaeréntes, glóriam assequámur aetérnam. Per Dóminum nostrum.

Deinde fit Commemoratio S. Clementis, Aña. Dedísti Dómine habitáculum Mártyri tuo Cleménti in mari in modum templi marmórei, angélicis mánibus praeparátum, iter praebens pópulo terrae ut enárrent mirabília tua.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio. Deus, qui nos, ut supra. 567.

Pro Commemoratione S. Chrysogoni, Mart. Aña. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

ADESTO Dómine supplicatiónibus nostris: ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beáti Chrysógoni Mártyris tui intercessióne liberémur. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

OANNES a Cruce Fontíberi in Hispánia piis paréntibus natus, a primis annis certo innótuit, quam Deíparae Vírgini futúrus esset accéptus ; nam quinquénnis in púteum lapsus, ejúsdem Deíparae manu sublátus, incólumis evásit ; tanto autem patiéndi desidério flagrávit, ut novénnis, spreto mollióri lecto, super sarméntis cubáre consuéverit. Adoléscens hospítio páuperum aegrotántium Metymnae Campi fámulum sese addíxit, quibus magno charitátis ardóre, vilíssima quaeque compléctens offícia, praesto áderat. Cujus exémplo excitáti caeteri, éadem charitátis múnera ardéntius obíbant. Verum ad altióra vocátus, beátae Maríae Vírginis de Monte Carmélo institútum ampléxus est : ubi Sacérdos ex obediéntia fáctus, severióris disciplínae, et arctióris vitae cupidíssimus, primitívam órdinis régulam ex superióris licéntia ita proféssus est, ut, ob jugem domínicae passiónis memóriam, bello in se, tamquam in infensíssimum hostem indícto, vigíliis, jejúniis, férreis flagéllis, omníque poenárum génere, brevi carnem cum vítiis, et concupiscéntiis suis crucifíxerit ; dignus plane, qui a sancta Terésia inter purióres, sancti orésque ánimas Ecclésiam Dei id témporis illústrántes recenserétur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : *Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Et dedit.

Lectio v.

SINGULARI vitae austeritáte, et ómnium virtútum praesídio munítus, prae assídua rerum divinárum contemplatióne diutúrnas, et mirábiles écstases frequénter patiebátur : tantóque in Deum aestuábat amóre, ut, cum divínus ignis sese intro diútius continére non posset, foras erúmpere, ejúsque vultum irradiáre visus sit. Proximórum salúti summópere inténtus, tum in verbi Dei praedicatióne, tum in sacramentórum administratióne fuit assíduus. Hinc tot méritis auctus, strictioríque disciplínae promovéndae ardóre vehemémter accénsus, sanctae Terésiae comes divínitus datus est, ut, quam ipsa inter soróres primaevam Carméli órdinis observántiam instauráverat, eámdem

et inter fratres, Joánne adjutóre, restitúeret. Innúmeros ítaque una cum Dei fámula in divíno ópere promovéndo perpéssus labóres, coenóbia, quae ejúsdem sanctae Vírginis cura per totam Hispániam erécta fúerant, nullis vitae incómmodis, et periculis térritus, síngula perlustrávit, in quibus, aliísque quam plúrimis ejus ópera eréctis, restaurátam observántiam propagándo, verbo, et exémplo firmávit : ut mérito primus post sanctam Terésiam Carmelitárum Excalceatórum órdinis proféssor, et parens habeátur.

℟. Amávit eum Dñus, et ornávit eum : stolam glóriae índuit eum, * et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dñus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

VIRGINITATEM perpétuo cóluit, impudentésque mulíeres ejus pudicítiae insidiári conántes, non modo répulit, sed étiam Christo lucrifécit. In divínis explicándis arcánis aeque ac sancta Terésia, apostólicae sedis judício, divínitus instrúctus, libros de mystica theológia coelésti sapiéntia refértos conscrípsit. Semel interrogátus a Christo, quid praemii pro tot labóribus pósceret, respóndit : Dómine, pati, et contémni pro te. Império in daemones, quos e corpóribus saepe fugábat, discretióne spirítuum, prophetíae dono, miraculórum glória celebratíssimus, ea semper fuit humilitáte, ut saepius a Dño flagitáverit eo loco mori, ubi ómnibus esset ignótus. Voti compos factus, Ubédae diro morbo, et in crure quinque plagis sánie manántibus, ad impléndum patiéndi desidérium, constantíssime tolerátis, Ecclésiae sacraméntis pie, sanctéque suscéptis, in Christi Crucifíxi amplexu, quem semper in corde, atque ore habúerat, post illa verba : In manus tuas comméndo spíritum meum, obdormívit in Dómino, die et hora a se praedíctis, anno salútis millésimo quingentésimo nonagésimo primo, aetátis quadragésimo nono. Migrántem ejus ánimam splendidíssimus ignis globus excépit ; corpus vero suavíssimum odórem spirávit, quod etiámnum incorrúptum Segóbiae honorífice cólitur. Eum plúrimis ante, et post óbitum fulgéntem signis Benedíctus décimus tértius Póntifex máximus in Sanctórum número rétulit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei

Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia te. Glória Patri. Quia te.

In tértio Nocturno, Homília S. Gregórii Papae in Evangélium: Sint lumbi, de Communi Confessoris non Pontificis. xcii.

Pro S. Chrysogono Mart.

Lectio ix.

CHRYSOGONUS, Diocletiáno imperatóre, Romae inclúsus in cárcere, ibi biénnium sanctae Anastásiae facultátibus vixit : quam étiam afflictam propter Christum a viro suo Públio, propteréaque a suis oratiónibus per lítteras auxílium postulántem, mútuis epístolis est consolátus. Sed cum imperátor Romam scripsísset, ut, réliquis Christiánis, qui in vínculis essent, interféctis, Chrysógonus Aquiléjam ad se mitterétur, eo perdúctus est. Cui imperátor : Accersívi, inquit, te, Chrysógone, ut honóribus áugeam, si modo indúxeris ánimum deos cólere. At ille : Ego eum, qui vere est Deus, mente et oratióne véneror ; deos autem, qui nihil sunt nisi daemonum simulácra, odi et éxecror. Quo respónso excandéscens imperátor, ad Aquas Gradátas eum secúri pércuti jubet, octávo Kaléndas Decémbris : cujus corpus projéctum in mare, paulo post in líttore invéntum, Zóilus Présbyter in suis aedibus sepelívit.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus pro Comm. S. Chrysogoni, Aña. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam aetérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio. Adésto, Dómine, ut supra. 568.

Vesperae a Capitulo de sequenti, Comm. praeced.

DIE XXV. NOVEMBR.

In festo S. Catharinae, Virg. et Martyr. Duplex.

Omnia de Communi Virginis et Martyris, ciii. praeter ea quae sequuntur.

Oratio.

DEUS, qui dedísti legem Móysi in summitáte montis Sinai, et in eódem loco per sanctos Angelos tuos corpus beátae Catharínae Vírginis et Mártyris tuae mirabíliter collocásti : praesta quaesumus ; ut ejus méritis et intercessióne, ad montem, qui

Christus est, pervenire valeámus : Qui tecum vivit et regnat.

Deinde fit Commemoratio S. Joannis a Cruce, Añа.

Hic vir despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias coelo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio ut supra. 568.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

CATHARINA, nóbilis virgo Alexandrína, a prima aetáte stúdia liberálium ártium cum fídei ardóre conjúngens, brevi ad eam sanctitátis et doctrínae perfectiónem pervénit, ut decem et octo annos nata eruditíssimum quemque superáret. Quae cum Maximíni jussu multos propter christiánae religiónis professiónem várie torméntis cruciátos, ad supplícium rapi vidéret : non dubitánter ipsum ádiit Maximínum, eíque nefáriam immanitátem objíciens, sapientíssimis ratiónibus Christi fidem ad salútem necessáriam esse affirmávit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Et dedúcet.

Lectio v.

QUJUS prudéntiam Maximínus admirátus, retinéri eam jubet, accersítis úndique doctíssimis homínibus, magnísque propósitis praemiis, qui convíctam Catharínam a Christi fide ad idolórum cultum perduxíssent. Quod contra áccidit. Nam plures philósophi, qui ad eam coarguéndam convénerant, vi ac subtilitáte ejus disputatiónis tanto Jesu Christi amóre sunt incénsi, ut pro illo mori non dubitáverint. Quamóbrem Maximínus blandítiis ac promíssis Catharínam de senténtia deducere aggréditur : verum id frustra fíeri intélligens, verbéribus affféctam, plumbatísque contúsam, dies úndecim sine cibo ac potu inclúsam tenet in cárcere.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Propterea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea unxit.

Lectio vi.

QUO témpore Maximíni uxor, et Porphyrius belli dux, viséndae

vírginis causa cárcerem ingréssi, et ejúsdem praedicatióne in Jesum Christum credéntes, póstea martyrio coronáti sunt. Interim Catharina edúcitur e custódia : et rota expedítur crebris et acútis praefíxa gládiis, ut vírginis corpus crudelíssime dilacerarétur. Quae máchina brevi, Catharínae oratióne confrácta est : eóque miráculo multi Christi fidem suscepérunt. Ipse Maximínus in impietáte et crudelitáte obstinátior, Catharínam secúri pércuti ímperat. Quae fórtiter dato cápite, ad duplicátum virginitátis et martyrii praemium evolávit, séptimo Kaléndas Decémbris : cujus corpus ab Angelis in Sina Arábiae monte mirabíliter collocátum est.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximae ejus, Afferéntur tibi in laetítia et exultatióne. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evang. Símile erit, de Communi Virg. primo loco, cxv.

In secundis Vesperis fit Commemoratio S. Petri, Episcopi et Martyris.

DIE XXVI. NOVEMBR.

S. Petri, Episcopi et Martyris.

Ańa. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

INFIRMITATEM nostram réspice omnípotens Deus : et quia pondus própriae actiónis gravat, beáti Petri Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Lectio iii.

PETRUS Epíscopus Alexandríae, post Theónam virum sanctíssimum, sanctitátis et doctrínae splendóre non solum illustrávit Ægyptum, sed toti luxit Ecclésiae Dei. Qui in persecutióne Maximiáni Galérii, illam témporum acerbitátem ita pértulit, ut multi admirábilem ejus patiéntiam intuéntes, plúrimum in christiána virtúte proficerent. Is primus Aríum diáconum Alexandrínum, propter schisma Meletiánum, cui favébat, a

fidélium communióne sejúnxit. Ad eum cápitis ab eódem Maximiáno damnátum in cárcere cum Achíllas et Alexánder presbyteri deprecatóres Arii venísent, respóndit, noctu apparuísse sibi Jesum veste discíssa ; causámque rei sciscitánti dixísse : Arius vestem meam, quae est Ecclésia, dilacerávit. Quibus étiam praedícens, fore, ut sibi in episcopátu succéderent, praecépit, ne unquam Aríum in communiónem recíperent, quem Deo mórtuum esse sciret. Et hanc divínam praenotiónem veram fuísse, non diu post rei probávit evéntus. Dénique duodécimo sui episcopátus anno, sexto Kaléndas Decémbris, abscísso cápite, ad martyrii corónam evolávit.

Te Deum laudámus. 17.

DIE XXIX. NOVEMBR.

Sancti Saturnini, Martyris Commemoratio.

AD VESPERAS.

Ant. Iste sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Saturníni Mártyris tui concédis natalítio pérfrui, ejus nos tríbue méritis adjuvári. Per Dóminum.

IN VIGILIA

S. Andreae, Apostoli.

Officium fit de Feria, ut dictum est in Rubricis generalibus cum Homilia, et Oratione de Vigilia, ut infra.

Si festum sancti Andreae venerit Feria secunda, de Vigilia fit Officium in Sabbato praecedenti et Commemoratio sancti Saturnini in Dominica.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio i. *Cap.* i. *c.*

IN illo témpore : Stabat Joánnes, et ex discípulis ejus duo. Et respíciens Jesum ambulántem, dicit : Ecce Agnus Dei. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi.

Tract. vii. *in Joannem, post initium.*

QUIA talis erat Joánnes amícus sponsi, non quaerébat glóriam suam, sed testimónium perhibébat veritáti : numquid vóluit apud se remanére discípulos suos, ut non se-

DIE XXVI. NOVEMBR.

S. Silvestri Abbatis.
Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, praeter sequentia.

Oratio.

CLEMENTISSIME Deus, qui sanctum Silvéstrum Abbátem saeculi hujus vanitátem in apérto túmulo pie meditántem ad erémum vocáre, et praecláris vitae méritis decoráre dignátus es : te súpplices exorámus ; ut ejus exémplo terréna despiciéntes, tui consórtio perfruámur aetérno. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Petri Alexandrini Episc. Mart. ut in Brev. eadem die.

In i. Nocturno. Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

SILVESTER, Auxími in Picéno nóbili génere ortus, statim puerílem aetátem lítteris ac bonis móribus mirífice exornávit. Adoléscens Bonóniam ad stúdia jurisprudéntiae missus a patre, cum sacris lítteris a Deo mónitus dedísset óperam, paréntis incúrrit indignatiónem, quam aequo ánimo toto decénnio pértulit. Ob egrégiam ejus virtútem a canónicis cathedrális Auximánae ecclésiae sócius honóris eléctus est ; in quo múnere pópulo oratiónibus, exémplo et conciónibus opem tulit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v.

INTER funus nóbilis cujúsdam defuncti, in apérto túmulo formósi viri suíque propínqui defórme cadáver conspíciens : Ego, inquit, sum quod hic fuit ; quod hic est, ego ero. Et mox, perácto fúnere, illa sibi Dómini occurrénte sententia : Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me, in solitúdinem majóris perfectiónis stúdio secéssit, ibíque vigíliis, oratiónibus jejuniísque déditus, crudas tantum herbas in cibum saépius adhíbuit. Ut autem magis latéret hómines, vária mutávit sedes ; ac demum pervénit ad montem Fanum, locum, quamvis prope Fabriánum, eo tamen témpore desértum, ibíque in honórem sanctíssimi patris Benedícti templum eréxit, con-

gregationísque Silvestrinórum fundaménta jecit, sub régula et hábitu in visióne sibi ab eódem Sancto osténsis.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi.

AT ínvidens sátanas váriis terróribus illíus mónachos turbáre nitebátur, noctu monastérii jánuas hostíliter invádens. Sed vir Dei hostis ímpetum ita représsit, ut mónachi in sancto instituto magis confirmaréntur, ac patris sanctitátem agnóscerent. Spíritu prophetíae aliísque donis enítuit. Quae ut semper profúnda humilitáte conservávit; ita contra se daemonis invídiam concitávit, a quo praeceps actus per scalas oratórii, et prope interiméndus, praesentíssimo Vírginis benefício incolumitáti rédditus est. Quod beneficium perpétua et singulári in illam pietáte commendávit ad últimum usque vitae spíritum, quem fere nonagenárius, sanctitáte et miráculis clarus, Deo réddidit anno salútis millésimo ducentésimo sexagésimo séptimo, sexto Kaléndas Decémbris. Ejus Offícium ac Missam Leo décimus tértius Póntifex máximus ad univérsam exténdit Ecclésiam.

℟. Iste homo.

In iii. Nocturno, Homília S. Hieronymi Presb. in Evang. Ecce nos relíquimus ómnia. ut in Communi Abbatum primo loco.

Lectio ix. de S. Petro Ep. Mart. ut in Breviario.

In Laud. fit Commem. simplicis, ut in Breviario.

Concordat cum originali : ideo imprimi potest.

Tornaci, die 12 Decembris 1890.
G. F. J. Bouvry, Vic. Gen.

Typis Societatis S. Joannis Evangelistæ. — Tornaci [Belg.]

queréntur Dóminum? Magis ipse osténdit discípulis suis quem sequeréntur: habébant enim illum tamquam Agnum. Et ille: Quid me atténditis? Ego non sum Agnus. Ecce Agnus Dei. De quo et supérius díxerat: Ecce Agnus Dei. Et quid nobis prodest Agnus Dei? Ecce, ait, qui tollit peccátum mundi. Secúti sunt illum, hoc audíto, duo qui erant cum Joánne.

Responsoria de Feria occurrente.

Lectio ii.

VIDEAMUS sequéntia. Ecce Agnus Dei. Hoc Joánnes. Et audiérunt eum duo discípuli loquéntem, et secúti sunt Jesum. Non sic illum sequebántur, quasi jam ut inhaerérent illi: nam maniféstum est, quando illi inhaesérunt, quia de navi eos vocávit. In his enim duóbus erat Andréas, sicut modo audístis. Andréas autem frater Petri erat. Et nóvimus in Evangélio quod Petrum et Andréam Dñus de navi vocávit, dicens: Veníte post me, et fáciam vos piscatóres hóminum. Et ex illo jam inhaesérunt illi, ut non recéderent.

Lectio iii.

QUODO ergo quod illum sequúntur isti duo, non quasi non recessúri sequúntur, sed vidére voluérunt ubi habitáret, et fácere quod scriptum est: Limen ostiórum ejus éxterat pes tuus: surge ad illum veníre assídue, et erudíre praecéptis ejus. Osténdit eis ille ubi manéret: veneérunt et fuérunt cum illo. Quam beátum diem duxérunt, quam beátam noctem! Quis est, qui nobis dicat, quae audiérint illi a Dómino? Ædificémus et nosmetípsi in corde nostro, et faciámus domum, quo véniat ille, et dóceat nos, et colloquátur nobis.

Ad Laudes, ut in Psalterio. Et dicuntur Preces feriales flexis genibus, ut supra. 63.

Oratio.

QUÆSUMUS omnípotens Deus, ut beátus Andréas Apóstolus, cujus praevenímus festivitátem, tuum pro nobis implóret auxílium: ut a nostris reátibus absolúti, a cunctis étiam perículis eruámur. Per Dóminum.

Deinde pro Commemor. S. Saturnini, Añ. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam aetérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio. Deus, qui nos, ut supra. 574.

DIE XXX. NOVEMBR.

In festo S. Andreae, Apostoli. Duplex.

AD VESPERAS.

Añ. Salve crux pretiósa, cum reliquis de Laudibus. 581. Psalmus. Dixit Dóminus, cum reliquis ut infra in Communi Apostolorum. ii.

Capitulum. *Rom.* x. *b.*

FRATRES, Corde enim créditur ad justítiam : ore autem conféssio fit ad salútem. Dicit enim Scriptúra : Omnis qui credit in illum, non confundétur.

Hymnus. Exúltet orbis. ℣. In omnem terram. iv.

Ad Bened. Añ. Unus ex duóbus, qui secúti sunt Dóminum, erat Andréas frater Simónis Petri, allelúia.

Oratio.

MAJESTATEM tuam, Dómine, supplíciter exorámus : ut sicut Ecclésiae tuae beátus Andréas Apóstolus éxtitit praedicátor et rector ; ita apud te sit pro nobis perpétuus intercéssor. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitator. Regem Apostolórum Dñum, * Veníte adorémus. Psalmus. Veníte, exultémus. 2.

Hymn. Ætérna Christi, ut in Communi Apostolorum. v.

In primo Nocturno.

Añ. Vidit Dñus Petrum et Andréam, et vocávit eos. Psalmus. Coeli enárrant, cum reliquis ut in Communi Apostolorum. v.

Añ. Veníte post me, dicit Dóminus, fáciam vos fíeri piscatóres hóminum.

Añ. Relíctis rétibus suis, secúti sunt Dóminum Redemptórem.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terrae verba eórum.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio i. *Cap.* x.

FINIS legis, Christus, ad justítiam omni credénti. Móyses enim scripsit, quóniam justítiam quae ex lege est, qui fécerit homo, vivet in ea. Quae autem ex fide est justítia, sic dicit : Ne díxeris in corde tuo : Quis ascéndet in coelum ? id est, Christum dedúcere : Aut quis descéndet in abyssum ? hoc est, Christum a mórtuis revocáre. Sed quid dicit Scriptúra ? Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo : hoc est verbum fídei, quod praedicámus. Quia si confiteáris in ore tuo Dóminum

Jesum, et in corde tuo credíderis, quod Deus illum suscitávit a mórtuis, salvus eris.

℟. Cum perambuláret Dñus juxta mare Galilaeae, vidit Petrum et Andréam rétia mitténtes in mare, et vocávit eos, dicens : * Veníte post me, fáciam vos fíeri piscatóres hóminum. ℣. Erant enim piscatóres ; et ait illis. — Veníte post me.

Lectio ii.

CORDE enim créditur ad justítiam : ore autem conféssio fit ad salútem. Dicit enim Scriptúra : Omnis, qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distínctio Judaei et Graeci : nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes, qui ínvocant illum. Omnis enim, quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. Quómodo ergo invocábunt, in quem non credidérunt ? Aut quómodo credent ei, quem non audiérunt ? Quómodo autem áudient sine praedicánte ? Quómodo vero praedicábunt, nisi mittántur ? sicut scriptum est : Quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona !

℟. Mox ut vocem Dómini praedicántis audívit beátus Andréas, relíctis rétibus, quorum usu actúque vivébat, * Ætérnae vitae secútus est praemia largiéntem. ℣. Hic est qui pro amóre Christi pepéndit in cruce, et pro lege ejus sustínuit passiónem. — Ætérnae vitae.

Lectio iii.

SED non omnes obédiunt Evangélio. Isaías enim dicit : Dómine, quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Christi. Sed dico : Numquid non audiérunt ? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terrae verba eórum. Sed dico : Numquid Israël non cognóvit ? Primus Móyses dicit : Ego ad aemulatiónem vos addúcam in non gentem : in gentem insipiéntem, in iram vos mittam. Isaías autem audet, et dicit : Invéntus sum a non quaeréntibus me : palam appárui iis, qui me non interrogábant. Ad Israël autem dicit : Tota die expándi manus meas ad pópulum non credéntem, et contradicéntem.

℟. Doctor bonus, et amícus Dei Andréas dúcitur ad crucem : quam a longe aspíciens dixit : Salve crux, * Súscipe discípulum ejus, qui pepéndit in te magíster meus Christus. ℣. Salve

crux, quae in córpore Christi dedicáta es : et ex membris ejus tamquam margarítis ornáta. — Súscipe. Glória Patri. Súscipe.

In secundo Nocturno.

Ańa. Dignum sibi Dóminus computávit Mártyrem, quem vocávit Apóstolum, dum esset in mari, allelúia.

Ańa. Diléxit Andréam Dñus in odórem suavitátis.

Ańa. Bíduo vivens pendébat in cruce beátus Andréas pro Christi nómine, et docébat pópulum.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Lectio iv.

ANDREAS Apóstolus Bethsáidae natus, qui est Galilaeae vicus, frater Petri, discípulus Joánnis Baptístae, cum eum de Christo dicéntem audísset : Ecce Agnus Dei ; secútus Jesum, fratrem quoque suum ad eúmdem perdúxit : cum póstea una cum fratre piscarétur in mari Galilaeae, ambo a praetereúnte Christo Dómino ante álios Apóstolos vocáti illis verbis : Veníte post me, fáciam vos fíeri piscatóres hóminum ; nullam interponéntes moram, et relíctis rétibus secúti sunt eum. Post cujus passiónem et resurrectiónem, Andréas, cum in Scythiam Európae, quae ei província ad Christi fidem disseminándam obtígerat, venísset, deínde Epírum ac Thráciam peragrásset ; doctrína et miráculis innumerábiles hómines ad Christum convértit. Post Patras Achάiae profectus, et in ea urbe plúrimis ad veritátem evangélicam perdúctis, Ægéam procónsulem, praedicatióni evangélicae resisténtem, libérrime increpávit, quod, qui judex hóminum habéri vellet, Christum Deum ómnium júdicem a daemónibus elúsus non agnósceret.

℟. Homo Dei ducebátur ut crucifígerent eum : pópulus autem clamábat voce magna, dicens : * Innocens ejus sanguis sine causa damnátur. ℣. Cumque dúcerent eum ut crucifigerétur : factus est concúrsus populórum clamántium, et dicéntium.—Innocens.

Lectio v.

TUM Ægéas irátus : Désine, inquit, Christum jactáre, cui simília verba nihil profuérunt, quo minus a Judaeis crucifigerétur. Andréam vero de Christo nihilóminus líbere praedicántem, quod pro salúte humáni géneris se crucifigéndum obtulísset, ímpia oratióne interpéllat, ac

demum hortátur, ut sibi cónsulens, diis velit immoláre. Cui Andréas: Ego omnipoténti Deo, qui unus et verus est, immolo quotídie, non taurórum carnes, nec hircórum sánguinem, sed immaculátum Agnum in altári: cujus carnem posteáquam omnis pópulus credéntium manducáverit, Agnus, qui sacrificátus est, integer persevérat et vivus. Quamóbrem ira accénsus Ægéas, jubet eum in cárcerem detrúdi: unde pópulus Andréam fácile liberásset, nisi ipse sedásset multitúdinem, veheméntius rogans, ne se ad optatíssimam martyrii corónam properántem impedírent.

℟. O bona crux, quae decórem et pulchritúdinem de membris Dómini suscepísti; áccipe me ab homínibus, et redde me magístro meo: * Ut per te me recípiat, qui per te me redémit. ℣. Beátus Andréas expánsis mánibus ad coelum, orábat, dicens: Salva me bona crux.—Ut per te.

Lectio vi.

IGITUR paulo post in tribúnal prodúctum, cum Ægéas crucis extolléntem mystéria, sibíque suam impietátem exprobrántem, diútius ferre non posset, in crucem tolli, et Christi mortem imitári jussit. Addúctus Andréas ad locum martyrii, cum crucem vidísset, longe exclamáre coepit: O bona crux, quae decórem ex membris Dómini suscepísti, diu desideráta, sollícite amáta, sine intermissióne quaesíta, et aliquándo cupiénti ánimo praeparáta: áccipe me ab homínibus, et redde me magístro meo: ut per te me recípiat, qui per te me redémit. Itaque cruci affíxus est: in qua bíduum vivus pendens, et Christi fidem praedicáre nunquam intermíttens, ad eum migrávit, cujus mortis similitúdinem concupíerat. Quae ómnia Presbyteri et Diáconi Acháiae, qui ejus passiónem scripsérunt, se ita ut commemoráta sunt, audísse et vidísse testántur. Ejus ossa primum Constantíno imperatóre Constantinópolim, deínde Amálphim transláta sunt. Caput, Pio secúndo Pontífice, Romam allátum, in basílica sancti Petri collocátum est.

℟. Expándi manus meas tota die in cruce ad pópulum non credéntem, sed contradicéntem mihi: * Qui ámbulant vias non bonas, sed post peccáta sua. ℣. Deus ultiónum Dñus, Deus ultiónum líbere egit: exaltáre qui júdicas terram, redde retributiónem supérbis.—Qui. Glória Patri. Qui.

In tertio Nocturno.

Ańa. Non me permíttas, Dómine, fámulum tuum a te separári: tempus est ut commendétur terrae corpus meum, et me ad te veníre júbeas.

Ańa. Andréas vero rogábat pópulum, ut non impedíret passiónem ipsíus.

Ańa. Accipe me ab homínibus, et redde me magístro meo: ut per te me recípiat, qui per te me redémit, allelúia.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* iv. *c.*

IN illo témpore: Ambulans Jesus juxta mare Galilaeae, vidit duos fratres, Simónem, qui vocátur Petrus, et Andréam fratrem ejus, mitténtes rete in mare. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papae.

Homilia v. *in Evangelia.*

AUDISTIS, fratres caríssimi, quia ad uníus jussiónis vocem Petrus et Andréas relíctis rétibus secúti sunt Redemptórem. Nulla vero hunc fácere adhuc mirácula víderant; nihil ab eo de praemio aetérnae retributiónis audíerant: et tamen ad unum Dómini praecéptum, hoc quod possidére videbántur, obliti sunt. Quanta nos ejus mirácula vidémus, quot flagéllis afflígimur, quantis minárum asperitátibus deterrémur, et tamen vocántem sequi contémnimus?

℟. Orávit sanctus Andréas, dum respíceret in coelum, et voce magna clamávit, et dixit: Tu es Deus meus, quem vidi: ne me patiáris ab ímpio júdice depóni: * Quia virtútem sanctae crucis agnóvi. ℣. Tu es magíster meus Christus, quem diléxi, quem cognóvi, quem conféssus sum: tantúmmodo in ista voce exáudi me.—Quia.

Lectio viii.

IN coelo jam sedet, qui de conversióne nos ádmonet: jam jugo fídei colla Géntium súbdidit: jam mundi glóriam stravit: jam ruínis ejus crebrescéntibus, districti sui judícii diem propinquántem denúntiat: et tamen supérba mens nostra adhuc non vult hoc sponte desérere, quod quotídie perdit invíta. Quid ergo, fratres caríssimi, quid in ejus judício dictúri sumus, qui ab amóre praeséntis saeculi nec praecéptis fléctimur nec verbéribus emendámur?

℟. Videns crucem Andréas exclamávit, dicens: O crux admirábilis, o crux desiderábilis, o crux quae per totum mundum rútilas.* Súscipe discípulum Christi, ac per te me recípiat, qui per te móriens me redémit. ℣. O bona crux, quae decórem et pulchritúdinem de membris Dómini suscepísti.—Súscipe discípulum. Glória Patri. Súscipe discípulum.

Lectio ix.

SED fortásse áliquis tácitis sibi cogitatiónibus dicat: Ad vocem Domínicam utérque iste piscátor quid, aut quantum dimísit, qui pene nihil hábuit? Sed hac in re, fratres caríssimi, affectum debémus pótius pensáre, quam censum. Multum relíquit, qui sibi nihil retínuit: multum relíquit, qui quantúmlibet parum, totum deséruit. Certe nos et hábita cum amóre possidémus, et ea quae mínime habémus, ex desidério quaerimus. Multum ergo Petrus et Andréas dimísit, quando utérque étiam desidéria habéndi derelíquit.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Salve crux pretiósa,* súscipe discípulum ejus, qui pepéndit in te magister meus Christus. Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Beátus Andréas* orábat, dicens: Dómine Rex aetérnae glóriae, súscipe me pendéntem in patíbulo.

3. Andréas Christi fámulus,* dignus Dei Apóstolus, germánus Petri, et in passióne sócius.

4. Maximílla Christo amábilis, tulit corpus Apóstoli, óptimo loco cum aromátibus sepelívit.

5. Qui persequebántur justum,* demersísti eos Dómine in inférno, et in ligno crucis dux justi fuísti.

Capitulum. *Rom.* x. *b.*

FRATRES, Corde enim créditur ad justítiam: ore autem conféssio fit ad salútem. Dicit enim Scriptúra. Omnis qui credit in illum, non confundétur.

Hymnus. Exúltet orbis. ℣. Annuntiavérunt, de Communi. xvi.

Ad Bened. Añа. Concéde nobis hóminem justum, redde nobis hóminem sanctum; ne interfícias hóminem Deo carum, justum, mansuétum, et pium.

Oratio.

MAJESTATEM tuam, Dómine, supplíciter exorámus: ut sicut Ecclésiae tuae beátus Andréas Apóstolus éxtitit praedicá-

tor et rector; ita apud te sit pro nobis perpétuus intercéssor. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Ańa. Beátus Andréas.

Capitulum. Fratres, Corde enim créditur, ut supra.

℟. br. In omnem terram * Exívit sonus eórum. In omnem. ℣. Et in fines orbis terrae verba eórum. Exívit. Glória Patri. In omnem.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

AD SEXTAM.

Ańa. Andréas Christi fámulus.

Capitulum. *Rom.* x. *c.*

DON enim est distínctio Judaei et Graeci: nam idem Dñus ómnium, dives in omnes qui ínvocant illum. Omnis enim quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit.

℟. br. Constítues eos príncipes, * Super omnem terram. Constítues. ℣. Mémores erunt nóminis tui, Dómine. Super. Glória Patri. Constítues.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

AD NONAM.

Ańa. Qui persequebántur justum.

Capitulum. *Rom.* x. *c.*

ISAIAS enim dicit: Dómine, quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Christi. Sed dico: Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terrae verba eórum.

℟. br. Nimis honoráti sunt, * Amíci tui Deus. Nimis. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Amíci. Glória Patri. Nimis.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus tellexérunt.

AD VESPERAS.

Ańa. Salve crux pretiósa, cum reliquis de Laud. 581. Psalmus. Dixit Dñus, cum reliquis ut in secundis Vesperis de Communi Apostolorum. xvii.

Capitulum. Fratres, Corde enim. 581.

Hymnus. Exúltet orbis gáudiis, ut supra. xvi.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Magnif. Ańa. Cum pervenísset beátus Andréas ad locum, ubi crux paráta erat, exclamávit et dixit: O bona crux, diu desideráta, et jam concupiscénti ánimo praeparáta: secúrus et gáudens vénio

ad te, ita et tu exúltans suscípias me discípulum ejus, qui pepéndit in te.

Oratio. Majestátem tuam, ut supra. 581.

FESTA DECEMBRIS.

Ante Adventum prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum.

DIE II. DECEMBR.

In festo S. Bibianae, Virginis et Martyris. Semiduplex.

Omnia dicuntur de Communi Virg. ciii. exceptis his quae hic sunt propria.

Oratio.

DEUS, ómnium largítor bonórum, qui in fámula tua Bibiána cum virginitátis flore martyrii palmam conjunxísti : mentes nostras ejus intercessióne tibi charitáte conjúnge ; ut amótis perículis, praemia consequámur aetérna. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BIBIANA virgo Romána, nóbili génere nata, christiána fide nobílior fuit. Ejus enim pater Flaviánus sub Juliáno apóstata impíssimo tyránno expraeféctus, servilibúsque notis compúnctus, ad aquas Taurínas deportátus Martyr occúbuit. Mater Dafrósa et fíliae primum conclúsae domi, ut inédia conficeréntur ; mox relegáta mater extra Urbem, cápite plexa est. Mórtuis autem piis paréntibus, Bibiána cum soróre sua Demétria bonis ómnibus expoliátur. Aproniánus Urbis praetor, pecúniis Inhians, soróres perséquitur, quas humána prorsus ope destitútas, Deo mirabíliter, qui dat escam esuriéntibus, enutriénte, cum vivacióres vegetiorésque conspexísset, veheménter est admirátus.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et dedúcet.

Lectio v.

SUADET nihilóminus Aproniánus, ut veneréntur deos Géntium, amíssas ídeo opes, imperatóris grátiam, praeclaríssimas núptias consecutúrae. Si secus fécerint, minátur cárceres, virgas, secúres. At illae neque blandítiis, neque minis a recta fide declinántes, parátae pótius mori, quam foedári móribus Ethnicórum, praetóris

impietátem, constantíssime detestántur. Quare Demétria ob óculos Bibiánae repénte córruens, óbiit in Dómino. Bibiána Rufínae mulíeri vaférrimae seducénda tráditur ; quae ab incunábulis edócta christiánas leges, et illibátum serváre virginitátis florem, se ipsa fórtior, foeminae superávit insídias, et praetóris astus delúsit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Propterea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi.

NIHIL autem proficiénte Rufína, quae, praeter dolósa verba, illam quotídie verbéribus affligébat, ut de sancto propósito dimovéret, spe sua frustrátus praetor, accénsus ira, quod in Bibiána perdidísset óperam, a lictóribus eam denudári, vinctísque mánibus colúmnae alligári, eámque plumbátis caedi jubet, donec effláret ánimam. Cujus sacrum corpus objéctum cánibus bíduo jácuit in foro Tauri, illaesum tamen, et divínitus servátum ; quod deínde Joánnes Présbyter sepelívit noctu juxta sepúlchrum soróris et matris ad Palátium Liciniánum, ubi usque in praesens extat ecclésia Deo, sanctae Bibiánae nómine dicáta, quam Urbánus octávus instaurávit, sanctárum Bibiánae, Demétriae, et Dafrósae corpóribus in ea repértis, et sub ara máxima collocátis.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximae ejus, * Afferéntur tibi in laetítia, et exultatióne. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

Lectiones tertii Nocturni de Homilia sancti Gregorii Papae in Evangel. Símile est regnum coelórum thesáuro abscóndito in agro, ut in Communi non Virginum. cxxvi.

℟. vii. Haec est virgo sápiens. cxxii.

℟. viii. Média. cxxii.

Commune Sanctorum.

IN VIGILIIS
APOSTOLORUM

FFICIUM fit de Feria, ut dictum est in Rubricis generalibus, exceptis Lectionibus et Oratione, quae in propriis locis notantur. Ubi vero non sunt propriae Lectiones, legitur Evangelium cum Homilia sequenti.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio i. *Cap.* xv. *b.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Hoc est praecéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Et réliqua. Homilía S. Gregórii Papae. *Homilia* xxvii. *in Evang.*

UM cuncta sacra elóquia domínicis plena sint praecéptis, quid est quod de dilectióne, quasi de singulári mandáto, Dóminus dicit: Hoc est praecéptum meum ut diligátis ínvicem: nisi quia omne mandátum de sola dilectióne est: et ómnia unum praecéptum sunt? quia quidquid praecípitur, in sola charitáte solidátur. Ut enim multi árboris rami ex una radíce pródeunt: sic multae virtútes ex una charitáte generántur. Nec habet áliquid veriditátis ramus boni óperis, si non manet in radíce charitátis.

Responsoria de Feria pro tempore.

Lectio ii.

PRAECEPTA ergo domínica et multa sunt, et unum · multa per diversitátem óperis, unum in radíce dilectiónis. Quáliter autem ista diléctio tenénda sit, ipse insínuat, qui in plerísque Scriptúrae

suae sententiis, et amícos jubet díligi in se, et inimícos propter se. Ille enim veráciter charitátem habet, qui et amícum díligit in Deo, et inimícum díligit propter Deum. Nam sunt nonnúlli, qui díligunt próximos, sed per afféctum cognatiónis et carnis : quibus tamen in hac dilectióne, sacra elóquia non contradícunt : sed áliud est quod sponte impénditur natúrae, áliud quod praecéptis Domínicis ex charitáte debétur obediéntiae.

Lectio iii.

HI nimírum et próximum díligunt, et tamen illa sublímia dilectiónis praemia non assequúntur : quia amórem suum non spiritáliter, sed carnáliter impéndunt. Proínde cum Dóminus díceret: Hoc est praecéptum meum, ut diligátis ínvicem : prótinus áddidit : Sicut diléxi vos ; ac si apérte dicat : Ad hoc amáte, ad quod amávi vos. Qua in re, fratres charíssimi, solérter intuéndum est, quod antíquus hostis, dum mentem nostram ad rerum temporálium dilectiónem trahit, infirmiórem contra nos próximum éxcitat, qui ea ipsa, quae dilígimus, auférre moliátur.

COMMUNE

APOSTOLORUM ET EVANGELISTARUM.

AD VESPERAS.

Aña. Hoc est praecéptum meum, * ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos.

Psalmus cix.

EXIT Dóminus Dómino meo : * Sede a dextris meis:

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuae emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuae in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non poenitébit eum : * Tu es sacérdos in aetérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die irae suae reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet:* proptérea exaltábit caput.

Aña. Hoc est praecéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos.

Aña. Majórem charitátem * nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis.

Psalmus cx.

CONFITEBOR tibi, Dómine, in toto corde meo : * in consílio justórum, et congregatióne.

Magna ópera Dómini : * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio et magnificéntia opus ejus : * et justítia ejus manet in saeculum saeculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors et miserátor Dñus : * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in saeculum testaménti sui : * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo :

Ut det illis haereditátem géntium : * ópera mánuum ejus véritas, et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus : confirmáta in saeculum saeculi, * facta in veritáte et aequitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo : * mandávit in aetérnum testaméntum suum.

Sanctum, et terríbile nomen ejus : * inítium sapiéntiae timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in saeculum saeculi.

Aña. Majórem charitátem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis.

Aña. Vos amíci mei estis, * si fecéritis quae praecípio vobis, dicit Dñus.

Psalmus cxi.

BEATUS vir, qui timet Dñum : * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : * generátio rectórum benedicétur.

Glória, et divítiae in domo ejus : * et justítia ejus manet in saeculum saeculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis : * miséricors, et miserátor, et justus.

Jucúndus homo qui miserétur et cómmodat, dispónet sermónes suos in judício : * quia in aetérnum non commovébitur.

In memória aetérna erit justus : * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, confirmátum est cor ejus : * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus : justítia ejus manet in saeculum saeculi, * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, et irascétur, déntibus suis fremet et tabéscet : * desidérium peccatórum períbit.

Ańa. Vos amíci mei estis, si fecéritis quae praecípio vobis, dicit Dóminus.

Ańa. Beáti pacífici, beáti mundo corde : quóniam ipsi Deum vidébunt.

Psalmus cxii.

LAUDATE púeri Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in saeculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super coelos glória ejus.

Quis sicut Dñus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in coelo et in terra ?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum laetántem.

Ańa. Beáti pacífici, beáti mundo corde: quóniam ipsi Deum vidébunt.

Ańa. In patiéntia vestra * possidébitis ánimas vestras.

Psalmus cxvi.

LAUDATE Dñum omnes Gentes : * laudáte eum omnes pópuli :

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus : * et véritas Dómini manet in aetérnum.

Ańa. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Capitulum. *Ephes.* ii. *d.*

FRATRES : Jam non estis hóspites, et ádvenae : sed estis cives sanctórum, et doméstici Dei : superaedificáti super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu. ℟. Deo grátias.

Hymnus.

EXULTET orbis gáudiis :
Coelum resúltet láudibus :
Apostolórum glóriam
Tellus et astra cóncinunt.
Vos saeculórum Júdices,
Et vera mundi lúmina,
Votis precámur córdium ;
Audíte voces súpplicum.
Qui templa coeli cláuditis,
Serásque verbo sólvitis ;
Nos a reátu nóxios
Solvi jubéte, quaesumus.
Praecépta quorum prótinus
Languor salúsque séntiunt ;
Sanáte mentes lánguidas :
Augéte nos virtútibus :
Ut, cum redíbit Arbiter
In fine Christus saeculi,
Nos sempitérni gáudii
Concédat esse cómpotes.

Patri, simúlque Fílio,
Tibíque, sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Saeclum per omne glória.
Amen.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terrae verba eórum.

Ad Magníficat, Aña. Tradent enim vos * in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos, et ante reges et praesides ducémini propter me in testimónium illis, et géntibus.

Oratio propria.

AD MATUTINUM.

Invitat. Regem Apostolórum Dñum, * Veníte adorémus. Ps. Veníte. 2.

Hymnus.

AETERNA Christi múnera,
Apostolórum glóriam,
Palmas et hymnos débitos
Laetis canámus méntibus.

Ecclesiárum Príncipes,
Belli triumpháles Duces,
Coeléstis aulae mílites,
Et vera mundi lúmina.

Devóta sanctórum fides,
Invícta spes credéntium,
Perfécta Christi cháritas
Mundi tyránnum cónterit.

In his Patérna glória,
In his triúmphat Fílius,
In his volúntas Spíritus,
Coelum replétur gáudio.

Patri, simúlque Fílio,
Tibíque sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Saeclum per omne glória.
Amen.

In primo Nocturno.

Aña. In omnem terram * exívit sonus eórum, et in fines orbis terrae verba eórum.

Psalmus xviii.

COELI enárrant glóriam Dei,* et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum,* et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélae, neque sermónes,* quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terrae verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo coelo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dñi immaculáta convértens ánimas : * testimónium Dñi fidéle, sapiéntiam praestans párvulis.

Justítiae Dómini rectae, laetificántes corda : * praecéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus,

pérmanens in saeculum saeculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum: * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me: * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint dominàti, tunc immaculátus ero: * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * et redémptor meus.

Añ. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terrae verba eórum.

Añ. Clamavérunt justi, * et Dóminus exaudívit eos.

Psalmus xxxiii.

BENEDICAM Dóminum in omni témpore: * semper laus ejus in ore meo.

In Dño laudábitur ánima mea: * áudiant mansuéti, et laeténtur.

Magnificáte Dñum mecum: * et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me: * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illumináminí: * et fácies vestrae non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dñus exaudívit eum: * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dñi in circúitu timéntium eum: * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dñus: * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dñum omnes sancti ejus: * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt: * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte fílii, audíte me: * timórem Dñi docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam: * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam a malo: * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum: * inquíre pacem, et perséquere eam.

Oculi Dñi super justos: * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dñi super faciéntes mala: * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos: * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dñus iis, qui tribuláto sunt corde : * et húmiles spíritu salvábit.

Multae tribulatiónes justórum: * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dñus ómnia ossa eórum : * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima: * et qui odérunt justum delínquent.

Rédimet Dñus ánimas servórum suórum : * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Añ. Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos.

Añ. Constítues eos príncipes * super omnem terram : mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Psalmus xliv.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribae, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma prae fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis : * proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime,

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna,

Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttae tuae acútae, pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi: * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae prae consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliae regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.

Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam : * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliae Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur : omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliae Regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam : * próximae ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in laetítia et exultatióne : * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in aetérnum : * et in saeculum saeculi.

Ańa. Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terrae verba eórum.

Pater noster. Absolútio. Exáudi, Dómine. ℣. Jube, domne. Benedíctio. Benedictióne perpétua.

Lectiones de Scriptúra positae in Comm. Sanctorum, leguntur quando annotantur in Proprio Sanctorũ per annum, et quando contingit fieri Offic. de aliquo Sancto illis diebus, in quibus in Offic. Feriae non ponuntur Lect. de Scriptura, sed tantum de Homilia, et quando aliquod Festum solemniter celebratur in propria Ecclesia.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio i. *Cap.* iv.

SIC nos exístimet homo ut minístros Christi, et dispensatóres mysteriórum Dei. Hic jam quaeritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. Mihi autem pro mínimo est ut a vobis júdicer, aut ab humáno die : sed neque meípsum júdico. Nihil enim mihi cónscius sum : sed non in hoc justificátus sum : qui autem júdicat me, Dñus est. Itaque nolíte ante tempus judicáre, quoadúsque véniat Dñus : qui et illuminābit abscóndita tenebrárum, et manifestábit consília córdium : et tunc laus erit unicuíque a Deo.

℟. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dñus : * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbae. ℣. Dum lucem habétis, crédite in lucem, ut fílii lucis sitis.—Estóte. Benedíctio. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio ii.

HAEC autem, fratres, transfigurávi in me et Apóllo, propter vos : ut in nobis discátis, ne supra quam scriptum est, unus advérsus álterum inflétur pro álio. Quis enim te discérnit ? Quid autem habes, quod non accepísti ? Si autem accepísti, quid gloriáris quasi non accéperis ? Jam saturáti estis, jam dívites facti estis : sine nobis regnátis : et útinam regnétis, ut et nos vobíscum regnémus. Puto enim quod Deus

nos Apóstolos novíssimos osténdit, tamquam morti destinátos : quia spectáculum facti sumus mundo, et Angelis, et homínibus.

℟. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde : * Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. — Jugum. Bened. Spíritus sancti.

Lectio iii.

NOS stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo : nos infírmi, vos autem fortes : vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus, et sitímus, et nudi sumus, et cólaphis caedimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes mánibus nostris: maledícimur, et benedícimus: persecutiónē pátimur, et sustinémus : blasphemámur, et obsecrámus : tamquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confúndam vos, haec scribo, sed ut fílios meos charíssimos móneo. Nam si decem míllia paedagogórum habeátis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangélium ego vos génui.

℟. Dum stetéritis ante reges et praesides, nolíte cogitáre quómodo, aut quid loquámini : * Dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquímini : sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis.— Dábitur. Glória. Dábitur.

In secundo Nocturno.

Antiphona. Príncipes populórum * congregáti sunt cum Deo Abraham.

Psalmus xlvi.

OMNES Gentes pláudite mánibus : * jubiláte Deo in voce exultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis : * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis: * et Gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis haereditátem suam : * spéciem Jacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo : * et Dóminus in voce tubae.

Psállite Deo nostro, psállite : * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terrae Deus : * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super Gentes : * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham : * quóniam dii fortes terrae veheménter eleváti sunt.

Añia. Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham.

Antiphona. Dedísti haereditátem * timéntibus nomen tuum, Dómine.

Psalmus lx.

EXAUDI, Deus, deprecatiónẽ meam : * inténde oratióni meae.

A fínibus terrae ad te clamávi : * dum anxiarétur cor meum, in petra exaltásti me.

Deduxísti me, quia factus es spes mea : * turris fortitúdinis a fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in saecula : * prótegar in velaménto alárum tuárum.

Quóniam tu, Deus meus, exaudísti oratiónem meam : * dedísti haereditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjícies : * annos ejus usque in diem generatiónis et generatiónis.

Pérmanet in aetérnum in conspéctu Dei : * misericórdiam et veritátem ejus quis requíret ?

Sic psalmum dicam nómini tuo in saeculum saeculi: * ut reddam vota mea de die in diem.

Añia. Dedísti haereditátem timéntibus nomen tuum, Dómine.

Antiphona. Annuntiavérunt * ópera Dei, et facta ejus intellexérunt.

Psalmus lxiii.

EXAUDI, Deus, oratiónem meam cum déprecor : * a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me a convéntu malignántium: * a multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas : * intendérunt arcum rem amáram ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum, et non timébunt : * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos : * dixérunt: Quis vidébit eos ?

Scrutáti sunt iniquitátes: * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum : * et exaltábitur Deus.

Sagíttae parvulórum factae sunt plagae eórum : * et infirmátae sunt contra eos linguae eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos : * et tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei : * et facta ejus intellexérunt.

Laetábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, * et laudabúntur omnes recti corde.

Añą. Annuntiavérunt ópera Dei, et facta ejus intellexérunt.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Pater noster. Absolutio. Ipsíus píetas. ℣. Jube, domne. Benedíctio. Deus Pater omnípotens.

Sermo S. Gregórii Papae. *Hom.* xxx. *in Ev., post med.*

Lectio iv.

SCRIPTUM est : Spíritus Dómini ornávit coelos. Ornaménta enim coelórum sunt virtútes praedicántium. Quae vidélicet ornaménta Paulus enúmerat, dicens : Alii datur per Spíritum sermo sapiéntiae, álii sermo sciéntiae secúndum eúmdem Spíritum, álteri fides in eódem Spíritu, álii grátia sanitátum in uno Spíritu, álii operátio virtútum, álii prophetía, álii discrétio spirítuum, álii génera linguárum, álii interpretátio sermónum. Haec autem ómnia operátur unus atque idem Spíritus, dívidens síngulis prout vult.

℟. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens : * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium coelum, voce magna clamántem, et dicéntem.— Isti sunt. Benedíctio. Christus perpétuae.

Lectio v.

QUOT ergo sunt bona praedicántium, tot sunt ornaménta coelórum. Hinc rursus scriptum est : Verbo Dómini coeli firmáti sunt. Verbum enim Dómini Fílius est Patris. Sed eósdem coelos, vidélicet sanctos Apóstolos, ut tota simul sancta Trínitas ostendátur operáta, repénte de sancti Spíritus divinitáte adjúngitur : Et spíritu oris ejus omnis virtus eórum. Coelórum ergo virtus de Spíritu sumpta est : quia mundi hujus potestátibus contraíre non praesúmerent, nisi eos sancti Spíritus fortitúdo solidásset. Quales namque doctóres sanctae Ecclésiae ante advéntum hujus Spíritus fúerint, scimus: et post advéntum illíus, cujus fortitúdinis facti sint, conspícimus.

℟. Beáti estis cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me : * Gaudéte et exultáte, quóniam merces

vestra copiósa est in coelis. ℣. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum propter Fílium hóminis.—Gaudéte. Bened. Ignem sui amóris.

Léctio vi.

CERTE iste ipse pastor Ecclésiae, ad cujus sacratíssimum corpus sedémus, quantae debilitátis, quantaeque formídinis ante advéntum Spíritus fúerit, ancílla ostiária requisíta dicat. Una enim mulíeris voce percússus, dum mori tímuit, vitam negávit. Et pensándum, quia eum comprehénsum Petrus negávit in terra, quem suspénsum latro conféssus est in cruce. Sed vir iste tantae formídinis, qualis post advéntum Spíritus exístat, audiámus. Fit convéntus magistrátus atque seniórum, caesis denuntiátur Apóstolis, ne in nómine Jesu loqui débeant: Petrus magna auctoritáte respóndet: Obedíre opórtet Deo magis quam homínibus.

℟. Isti sunt triumphatóres, et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt praemia aetérna: * Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.—Modo. Glória Patri. Modo.

In tertio Nocturno.

Ant. Exaltabúntur * córnua justi, allelúia.

Psalmus lxxiv.

CONFITEBIMUR tibi, Deus : * confitébimur, et invocábimus nomen tuum.

Narrábimus mirabília tua : * cum accépero tempus, ego justítias judicábo.

Liquefácta est terra, et omnes qui hábitant in ea : * ego confirmávi colúmnas ejus.

Dixi iníquis : Nolíte iníque ágere : * et delinquéntibus : Nolíte exaltáre cornu :

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum : * nolíte loqui advérsus Deum iniquitátem.

Quia neque ab Oriénte, neque ab Occidénte, neque a desértis móntibus : * quóniam Deus judex est.

Hunc humíliat, et hunc exáltat : * quia calix in manu Dómini vini meri plenus misto.

Et inclinávit ex hoc in hoc : verúmtamen faex ejus non est exinaníta : * bibent omnes peccatóres terrae.

Ego autem annuntiábo in saeculum : * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confríngam : * et exaltabúntur córnua justi.

Ańa. Exaltabúntur córnua justi, allelúia.

Antíphona. Lux orta est justo, allelúia, * rectis corde laetítia, allelúia.

Psalmus xcvi.

DOMINUS regnávit, exúltet terra : * laeténtur ínsulae multae.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum praecédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terrae : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt coeli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, et laetáta est Sion.

Et exultavérunt fíliae Judae, * propter judícia tua, Dómine :

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde laetítia.

Laetámini justi in Dómino : * et confitémini memóriae sanctificatiónis ejus.

Ańa. Lux orta est justo, allelúia, rectis corde laetítia, allelúia.

Antíphona. Custodiébant * testimónia ejus, et praecépta ejus, allelúia.

Psalmus xcviii.

DOMINUS regnávit, irascántur pópuli : * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dñus in Sion magnus : * et excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno : quóniam terríbile et sanctum est : * et honor regis judícium dḷligit.

Tu parásti directiónes : * judícium et justítiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dñum Deum nostrum, et adoráte scabéllum pedum ejus : * quóniam sanctum est.

Móyses et Aaron in sacerdótibus ejus : * et Sámuel inter eos, qui ínvocant nomen ejus :

Invocábant Dóminum, et ipse exaudiébat eos : * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, * et praecéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster, tu exaudiébas eos : * Deus, tu propítius fuísti eis, et ulcíscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dñum Deum nostrum, et adoráte in monte sancto ejus : * quóniam sanctus Dñus Deus noster.

Ańa. Custodiébant testimónia ejus, et praecépta ejus, allelúia.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Pater noster. Absolutio. A vínculis. ℣. Jube, domne. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xix. *d.*

IN illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te : quid ergo erit nobis ? Et réliqua.

Homília S. Hierónymi Presbyteri.

Lib. 3. *in Matth. cap.* xix.

GRANDIS fidúcia ! Petrus piscátor erat, dives non fúerat, cibos manu et arte quaerébat ; et tamen lóquitur confidénter : Relíquimus ómnia. Et quia non súfficit tantum relínquere, jungit quod perfécтum est : Et secúti sumus te. Fécimus quod jussísti : quid ígitur nobis dabis praemii ? Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suae, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Non dixit : Qui reliquístis ómnia : hoc enim et Crates fecit philósophus et multi álii divítias contempsérunt ; sed : Qui secúti estis me : quod próprie Apostolórum est atque credéntium.

℟. Isti sunt qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo : Cálicem Dñi bibérunt, et amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terrae verba eórum. — Cálicem. Benedictio. Cujus, vel Quorum festum cólimus.

Lectio viii.

IN regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suae (quando et mórtui de corruptióne resúrgent incorrúpti) sedébitis et vos in sóliis judicántium, condemnántes duódecim tribus Israël : quia vobis credéntibus, illi crédere noluérunt. Et omnis qui relíquerit do-

mum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam aetérnam possidébit. Locus iste cum illa senténtia cóngruit, in qua Salvátor lóquitur : Non veni pacem míttere, sed gládium. Veni enim separáre hóminem a patre suo, et matrem a fília, et nurum a socru : et inimíci hóminis doméstici ejus. Qui ergo propter fidem Christi, et praedicatiónem Evangélii, omnes affléctus contémpserint, atque divítias et saeculi voluptátes : isti céntuplum recípient, et vitam aetérnam possidébunt.

℟. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dñus in charitáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna : operáti sunt justítiam. — Quorum. Glória Patri. Quorum. Benedictio. Ad societátem.

Lectio ix.

EX occasióne hujus sententíae quidam introdúcunt mille annos post resurrectiónem, dicéntes, tunc nobis céntuplum ómnium rerum, quas dimísimus, et vitam aetérnam esse reddéndam: non intelligéntes, quod, si in caeteris digna sit repromíssio, in uxóribus appáreat turpitúdo : ut qui unam pro Dño dimíserit, centum recípiat in futúro. Sensus ergo iste est: Qui carnália pro Salvatóre dimíserit, spirituália recípiet : quae comparatióne et mérito sui ita erunt, quasi si parvo número centenárius número comparétur.

Deinde dicitur Hymnus Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES

et per Horas, Añae.

1. Hoc est praecéptum meum, * ut diligátis ínvicē, sicut diléxi vos. Psal. Dñus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Majórem charitátem * nemo habet, ut ánimã suam ponat quis pro amícis suis.

3. Vos amíci mei estis, * si fecéritis quae praecípio vobis, dicit Dóminus.

4. Beáti pacífici, * beáti mundo corde : quóniam ipsi Deum vidébunt.

5. In patiéntia vestra * possidébitis ánimas vestras.

Capitulum. *Ephes.* ii. *d.*

FRATRES : Jam non estis hóspites, et ádvenae : sed estis cives sanctórum, et doméstici Dei : superaedificáti super fundaméntũ Apostolórum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu. ℟. Deo grátias.

Hymnus.

EXULTET orbis gáudiis :
Coelum resúltet láudibus :
Apostolórum glóriam
Tellus et astra cóncinunt.
Vos saeculórum Júdices,
Et vera mundi lúmina,
Votis precámur córdium ;
Audíte voces súpplicum.
Qui templa coeli cláuditis,
Serásque verbo sólvitis ;
Nos a reátu nóxios
Solvi jubéte, quaesumus.
Praecépta quorum prótinus
Languor salúsque séntiunt ;
Sanáte mentes lánguidas :
Augéte nos virtútibus :
Ut, cum redíbit Arbiter
In fine Christus saeculi,
Nos sempitérni gáudii
Concédat esse cómpotes.
Patri, simúlque Fílio,
Tibíque, sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Saeclum per omne glória.
Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Benedictus, Aña. Vos qui reliquístis * ómnia, et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam aetérnam possidébitis.

AD TERTIAM.

Aña. Majórem charitátē.
Cap. Fratres, Jam non estis, ut supra. xv.

℟. br. In omnem terram * Exívit sonus eórum. In. ℣. Et in fines orbis terrae verba eórum. Exívit. Glória Patri. In omnem.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

AD SEXTAM.

Aña. Vos amíci mei estis.

Capitulum. *Act.* v. *b.*

PER manus autem Apostolórum fiébant signa et prodígia multa in plebe

℟. br. Constítues eos príncipes * Super omnem terram. Constítues. ℣. Mémores erunt nóminis tui, Dñe. Super. Glória Patri. Constítues.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

AD NONAM.

Aña. In patiéntia vestra.

Capitulum. *Act.* v. *g.*

IBANT Apóstoli gaudéntes a conspéctu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contuméliam pati.

℟. br. Nimis honoráti sunt, * Amíci tui, Deus. Nimis. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Amíci. Glória Patri. Nimis.

℣. Annuntiavérunt ópe-

ra Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

IN II. VESPERIS.

Ant. Jurávit Dñus, * et non poenitébit eum : Tu es sacérdos in aetérnum.

Psalmus cix.

DIXIT Dóminus Dómino meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuae emíttet Dñus ex Sion : * dominámre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuae in splendóribus Sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non poenitébit eum : * Tu es sacérdos in aetérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dñus a dextris tuis, * confrégit in die irae suae reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Ant. Jurávit Dñus, et non poenitébit eum : Tu es sacérdos in aetérnum.

Antiph. Cóllocet eum * Dóminus cum princípibus pópuli sui.

Psalmus cxii.

LAUDATE púeri Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in saeculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dñus, * et super coelos glória ejus.

Quis sicut Dñus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in coelo et in terra ?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum laetántem.

Ant. Cóllocet eum Dñus cum princípibus pópuli sui.

Ant. Dirupísti, Dñe, vínc*ula mea : tibi sacrificábo hóstiam laudis.

Psalmus cxv.

CREDIDI, propter quod locútus sum : * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo : * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dño, * pro ómnibus, quae retríbuit mihi ?

Cálicem salutáris accípiam : * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dño reddam coram omni pópulo ejus : * pretiósa in conspéctu Dñi mors sanctórum ejus :

O Dñe, quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancíllae tuae.

Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dño reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis domus Dñi, in médio tui Jerúsalem.

Ańa. Dirupísti, Dñe, víncula mea : tibi sacrificábo hóstiam laudis.

Antiph. Eúntes ibant * et flebant, mitténtes sémina sua.

Psalmus cxxv.

IN converténdo Dñus captivitátem Sion : * facti sumus sicut consoláti :

Tunc replétum est gáudio os nostrum : * et lingua nostra exultatióne.

Tunc dicent inter Gentes : * Magnificávit Dñus fácere cum eis.

Magnificávit Dñus fácere nobíscum : * facti sumus laetántes.

Convérte, Dñe, captivitátem nostram, * sicut torrens in Austro.

Qui séminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Eúntes ibant et flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exultatióne, * portántes manípulos suos.

Ańa. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua.

Ańa. Confortátus est principátus eórum, et honoráti sunt amíci tui, Deus.

Psalmus cxxxviii.

DOMINE, probásti me, et cognovísti me : * tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam.

Intellexísti cogitatiónes meas de longe : * sémitam meam, et funículum meum investigásti.

Et omnes vias meas praevidísti : * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce, Dómine, tu cognovísti ómnia novíssima, et antíqua : * tu formásti me, et posuísti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me : * confortáta est, et non pótero ad eam.

Quo ibo a spíritu tuo ? * et quo a fácie tua fúgiam ?

Si ascéndero in coelum, tu illic es : * si descéndero in inférnum, ades.

Si súmpsero pennas meas dilúculo, * et habitávero in extrémis maris :

Etenim illuc manus tua dedúcet me : * et tenébit me déxtera tua

Et dixi : Fórsitan ténebrae conculcábunt me : * et nox illumináti o mea in delíciis meis.

Quia ténebrae non obscurábúntur a te, et nox sicut dies illumináb itur : * sicut ténebrae ejus, ita et lumen ejus.

Quia tu possedísti renes meos : * suscepísti me de útero matris meae.

Confitébor tibi quia terribíliter magnificátus es : * mirabília ópera tua, et ánima mea cognóscit nimis.

Non est occultátum os meum a te, quod fecísti in occúlto: * et substántia mea in inferióribus terrae.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui, et in libro tuo omnes scribéntur: * dies formabúntur, et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus: * nimis confortátus est principátus eórum.

Dinumerábo eos, et super arénam multiplicabúntur : * exurréxi, et adhuc sum tecum.

Si occíderis, Deus, peccatóres : * viri sánguinum declináte a me :

Quia dícitis in cogitatióne : * accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te, Dñe, óderam : * et super inimícos tuos tabescébam ?

Perfécto ódio óderam illos : * et inimíci facti sunt mihi.

Proba me, Deus, et scito cor meum ; * intérroga me, et cognósce sémitas meas.

Et vide, si via iniquitátis in me est : * et deduc me in via aetérna.

Antiphona. Confortátus est principátus eórum, et honoráti sunt amíci tui, Deus.

Capitulum. *Ephes.* ii. *d.*

FRATRES : Jam non estis hóspites, et ádvenae sed estis cives sanctórum, et doméstici Dei : superaedificáti super fundaméntum Apostolórum et prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu. ℟. Deo grátias.

Hymnus. Exúltet, ut supra. xvi. ℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Magnif. Ańa. Estóte fortes in bello, * et pugnáte cum antíquo serpénte : et accipiétis regnum aetérnum, allelúia.

ALIAE LECTIONES
PRO APOSTOLIS.

In secundo Nocturno.

De Expositióne S. Augustíni Epíscopi super Psalmum octogésimum sextum. *Ante medium.*

Lectio iv.

FUNDAMENTA ejus in móntibus sanctis : díligit Dóminus portas Sion. Quare sunt fundaménta Apóstoli, et Prophétae ? Quia eórum auctóritas portat infirmitátem nostram. Quare sunt portae ? Quia per ipsos intrámus ad regnum Dei. Praedicant enim nobis : et cum per ipsos intrámus, per Christum intrámus. Ipse est enim jánua. Et cum dicúntur duódecim portae Jerúsalem, et una porta Christus, et duódecim portae Christus, quia in duódecim portis Christus : et ídeo duodenárius númerus Apostolórum. Sacraméntum magnum hujus duodenárii significátio est númeri. Sedébitis, inquit, super duódecim sedes, judicántes duódecim tribus Israël.

℟. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens: * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium coelum, voce magna clamántem et dicéntem.—Isti.

Lectio v.

SI duódecim sellae ibi sunt, non est ubi sédeat tértius décimus Paulus Apóstolus, et non erit quómodo júdicet: et ipse se judicatúrum dixit, non hómines tantum, sed et ángelos. Quos ángelos, nisi apóstatas ángelos ? Nescítis, inquit, quia ángelos judicábimus ? Respondéret ergo turba : Quid te jactas judicatúrum ? Ubi sedébis ? Duódecim sedes dixit Dóminus duódecim Apóstolos: unus cécidit Judas, in locum ipsíus sanctus Mathías ordinátus est : implétus est duodenárius númerus sédium. Primo locum ínveni, ubi sédeas, et sic te mináre judicatúrum. Duódecim ergo sedes quid sibi velint, videámus. Sacraméntum est cujúsdam universitátis, quia per totum orbem terrárum futúra erat Ecclésia : unde vocátur hoc aedifícium ad Christi compágem.

℟. Beáti estis cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum adversum vos, mentiéntes propter me : * Gaudéte et exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in coelis. ℣. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum propter Fílium hóminis. — Gaudéte et exultáte.

Lectio vi.

ET ídeo quia úndique venítur ad judicándum, duódecim sedes sunt: sicut quia úndique intrátur in illam civitátem, duódecim portae sunt. Non solum ergo illi duódecim, et Apóstolus Paulus, sed quotquot judicatúri sunt, propter significatiónem universitátis ad sedes duódecim pértinent: quemádmodum quotquot intrábunt, ad duódecim portas pértinent. Partes enim mundi quátuor sunt, Oriens, Occidens, Aquilo et Merídies. Istae quátuor partes assídue nominántur in Scriptúris. Ab istis quátuor ventis, sicut dicit Dñus in Evangélio, a quátuor ventis se collectúrum eléctos suos: ab ómnibus ergo istis quátuor ventis vocátur Ecclésia. Quómodo vocátur? Undique in Trinitáte vocátur. Non vocátur nisi per baptísmum in nómine Patris, et Fílii, et Spíritus sancti. Quátuor ergo ter ducta duódecim inveniúntur.

℟. Isti sunt triumphatóres et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt praemia aetérna: Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. — Modo. Glória Patri. Modo.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xix. *d.*

IN illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homília venerábilis Bedae Presbyteri.

Homil. in Nat. S. Bened.

PERFECTUS ille est, qui ábiens vendit ómnia quae habet, et dat paupéribus, ac véniens, séquitur Christum: habébit enim thesáurum non defiriéntem in coelis. Unde bene interrogánte Petro, dixit tálibus Jesus: Amen dico vobis, quod vos qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suae, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. In hac quippe vita pro ejus nómine laborántes, in ália praemium speráre dócuit: id est, in regeneratióne; cum vidélicet in vitam immortálem fuérimus resurgéndo regenerati, qui in vitam caducam mortáliter erámus géniti.

℟. Isti sunt qui vivéntes

in carne, plantavérunt Eccléstam sánguine suo : * Cálicem Dómini bibérunt, et amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terrae verba eórum. — Cálicĕ.

Lectio viii.

ET justa prorsus retributio, ut qui hic pro Christo humánae glóriam celsitúdinis neglexérunt, illic a Christo júdices glorificáti singuláriter cum eo assídeant, qui a sequéndis ejus vestígiis nulla ratióne póterant avélli. Nemo autem putet duódecim tantum Apóstolos, quia pro Juda praevaricánte Mathías eléctus est, tunc esse judicatúros : sicut nec duódecim solae sunt tribus Israël judicándae : alióquin tribus Levi, quae tertiadécima est, injudicáta recédet.

℟. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in charitáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam. — Quorum. Glória. Quorum.

Lectio ix.

ET Paulus, qui tertiusdécimus est Apóstolus, judicándi sorte privábitur, cum ipse dicat : Nescítis quóniam ángelos judicábimus, quanto magis saeculária ? Sciéndum namque est, omnes, qui ad exémplum Apostolórum sua reliquérunt ómnia, et secúti sunt Christum, júdices cum eo ventúros, sicut étiam omne mortálium genus esse judicándum. Quia enim duodenário saepe número solet in Scriptúris univérsitas designári, per duódecim sedes Apostolórum, omnis numerósitas judicántium, et per duódecim tribus Israël, univérsitas eórum, qui judicándi sunt, osténditur.

Te Deum laudámus. 17.

PRO EVANGELISTIS LECTIONES.

In primo Nocturno.

Incipit liber Ezechiélis Prophétae.

Lectio i. *Cap.* i.

ET factum est in trigésimo anno, in quarto, in quinta mensis, cum essem in médio captivórum juxta flúvium Chobar, apérti sunt coeli, et vidi visiónes Dei. In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigratiónis regis Jóachim, factum est verbum Dómini ad Ezechiélem fílium Buzi sacerdótem in terra Chaldaeórum, secus flumen Chobar: et facta est super eum ibi manus Dñi. Et vidi, et ecce

ventus túrbinis veniébat ab Aquilóne, et nubes magna, et ignis involvens, et splendor in circúitu ejus : et de médio ejus quasi spécies eléctri, id est, de médio ignis.

℟. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus : * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbae. ℣. Dum lucem habétis, crédite in lucem, ut fílii lucis sitis.— Estóte.

Lectio ii.

ET in médio ejus similitúdo quátuor animálium: et hic aspéctus eórum, similitúdo hóminis in eis. Quátuor fácies uni, et quátuor pennae uni. Pedes eórum pedes recti, et planta pedis eórum quasi planta pedis vituli, et scintíllae quasi aspéctus aeris candéntis. Et manus hóminis sub pennis eórum in quátuor pártibus : et fácies, et pennas per quátuor partes habébant. Junctaeque erant pennae eórum altérius ad álterum. Non revertebántur cum incéderent: sed unumquódque ante fáciē suam gradiebátur.

℟. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde : * Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris.—Jugum.

Lectio iii.

SIMILITUDO autem vultus eórum : fácies hóminis, et fácies leónis a dextris ipsórum quátuor ; fácies autem bovis, a sinístris ipsórum quátuor, et fácies áquilae désuper ipsórum quátuor. Fácies eórum, et pennae eórum exténtae désuper : duae pennae singulórum jungebántur, et duae tegébant córpora eórum : et unumquódque eórum coram fácie sua ambulábat : ubi erat ímpetus spíritus, illuc gradiebántur, nec revertebántur cum ambulárent.

℟. Dum stetéritis ante reges et praesides, nolíte cogitáre quómodo aut quid loquámini : * Dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquímini: sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. — Dábitur. Glória Patri. Dábitur.

In secundo Nocturno.

De Expositióne S. Gregórii Papae super Ezechiélem Prophétam.

Lectio iv. *Hom.* iii. *l.* 1.

SANCTA quátuor animália, quae prophetíae spíritu futúra praevidéntur, subtíli narratióne

describúntur, cum dícitur : Quátuor fácies uni, et quátuor pennae uni. Quid per fáciem, nisi notítia ; et quid per pennas, nisi volátus exprímitur ? Per fácië quippe unusquísque cognóscitur : per pennas vero in altum ávium córpora sublevántur. Fácies ítaque ad fidem pértinet, penna ad contemplatiónẽ. Per fidem namque ab omnipoténti Deo cognóscimur, sicut ipse de suis óvibus dicit : Ego sum pastor bonus, et cognósco oves meas, et cognóscunt me meae. Qui rursus ait : Ego scio quos elégerim. Per contemplatiónem vero, qua super nosmetípsos tóllimur, quasi in áera levámur.

℟. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dñi locútus est ad me, dicens: ℣ Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℟. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium coelum, voce magna clamántem, et dicéntem.—Isti.

Lectio v.

QUATUOR ergo fácies uni sunt : quia si requíras quid Matthaeus de incarnatióne Dñi séntiat ; hoc nimírum sentit, quod Marcus, Lucas, et Joánnes. Si quaeras quid Joánnes séntiat ; hoc procul dúbio, quod Lucas, Marcus, et Matthaeus. Si quaeras quid Marcus ; hoc quod Matthaeus, Joánnes, et Lucas. Si quaeras quid Lucas ; hoc quod Joánnes, Matthaeus, et Marcus sentit. Quátuor ergo fácies uni sunt : quia notítia fídei, qua cognoscúntur a Deo, ipsa est in uno, quae est simul in quátuor. Quidquid enim in uno invéneris, hoc in ómnibus simul quátuor cognósces.

℟. Beáti estis cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes propter me : ℣ Gaudéte et exultáte quóniã merces vestra copiósa est in coelis. ℟. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis.—Gaudéte et exultáte.

Lectio vi.

ET quátuor pennae uni : quia Dei omnipoténtis Fílium Dóminum nostrum Jesum Christum simul omnes concórditer praedicant : et ad divinitátem ejus mentis óculos levántes, penna contemplatiónis volant. Evangelistárum ergo fácies ad humanitátem Dómini pértinet, penna, ad divinitátem : quia in eum, quem corpóreum aspíciunt, quasi fácies inténdunt : sed dum hunc

esse incircumscríptum atque incorpóreum ex divinitáte annúntiant, per contemplatiónis pennam quasi in áera levántur. Quia ítaque una est fides incarnatiónis ejus in ómnibus, et par contemplátio divinitátis ejus in síngulis, recte nunc dícitur: Quátuor fácies uni, et quátuor pennae uni.

℟. Isti sunt triumphatóres, et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt praemia aetérna: * Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.— Modo. Glória Patri. Modo.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* x.

IN illo témpore: Designávit Dñus et álios septuagínta duos: et misit illos binos ante fáciem suam, in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papae.

Homilia xvii. *in Evang.*

DOMINUS et Salvátor noster, fratres charíssimi, aliquándo nos sermónibus, aliquándo vero opéribus ádmonet. Ipsa étenim facta ejus, praecépta sunt: quia dum áliquid tácitus facit, quid ágere debeámus innotéscit. Ecce enim binos in praedicatiónem discípulos mittit: quia duo sunt praecépta charitátis, Dei vidélicet amor, et próximi: et minus quam inter duos cháritas habéri non potest. Nemo enim próprie ad semetípsum habére charitátem dícitur: sed diléctio in álterum tendit, ut cháritas esse possit.

℟. Isti sunt qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo: Cálicem Dñi bibérunt, et amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terrae verba eórum.—Cálicem.

Lectio viii.

ECCE enim binos ad praedicándum discípulos Dóminus mittit; quátenus hoc nobis tácitus ínnuat, quia qui charitátem erga álterum non habet, praedicatiónis officium suscípere nullátenus debet. Bene autem dícitur, quia misit eos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Praedicatóres enim suos Dñus séquitur: quia praedicátio praevenit, et tunc ad mentis nostrae habitáculum Dóminus venit,

quando verba exhortatiónis praecúrrunt : atque per hoc véritas in mente suscípitur.

℟. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dñus in charitáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam. — Quorum. Glória Patri. Quorum.

Lectio ix.

HINC namque eísdem praedicatóribus Isaías dicit : Paráte viam Dñi, rectas fácite sémitas Dei nostri. Hinc fíliis Psalmísta ait : Iter fácite ei, qui ascéndit super occásum. Super occásum namque Dóminus ascéndit : quia unde in passióne occúbuit, inde majórem suam glóriam resurgéndo manifestávit. Super occásum vidélicet ascéndit ; quia mortem quam pértulit, resurgéndo calcávit. Ei ergo qui ascéndit super occásum, iter fácimus, cum nos ejus glóriam vestris méntibus praedicámus, ut eas et ipse post véniens, per amóris sui praeséntiam illústret.

Te Deum laudámus. 17.

Commune unius Martyris.

AD VESPERAS.

Ańa. Qui me conféssus, cum reliquis de Laudibus. xxxviii. Psalm. Dixit Dóminus, cum reliquis ut in Communi Apostolorum. ii.

Capitulum. *Jacobi* i. *b.*

BEATUS vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitae, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus.

DEUS, tuórum mílitum
Sors, et coróna, praemium,
Laudes canéntes Mártyris
Absólve nexu críminis.

Hic nempe mundi gáudia,
Et blanda fraudum pábula
Imbúta felle députans,
Pervénit ad coeléstia.

Poenas cucúrrit fórtiter,
Et sústulit viríliter,
Fundénsque pro te sánguinem,
Ætérna dona póssidet.

Ob hoc precátu súpplici
Te póscimus piíssime;
In hoc triúmpho Mártyris
Dimítte noxam sérvulis.

Laus, et perénnis glória,
Patri sit atque Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna saecula.
Amen.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. Ańa. Iste sanctus * pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: fundátus enim erat supra firmam petram.

Pro Martyre et Pontif.

Oratio.

INFIRMITATEM nostram réspice, omnípotens Deus: et quia pondus própriae actiónis

gravat, beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Alia Oratio.

DEUS, qui nos beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis, ánnua solemnitáte laetíficas : concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Pro Martyre tantum, Oratio.

PRAESTA quaesumus, omnípotens Deus : ut qui beáti N. Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Alia Oratio.

PRAESTA quaesumus, omnípotens Deus : ut intercedénte beáto N. Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitat. Regem Mártyrum Dóminum, * Veníte, adorémus. Ps. Veníte. 2.

Hymnus. Deus, tuórum míslitum, ut supra. xxvii.

In primo Nocturno.

Aña. In lege Dñi * fuit volúntas ejus die ac nocte.

Psalmus i.

BEATUS vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiae non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo:

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quaecúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terrae.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Aña. In lege Dómini fuit volúntas ejus die ac nocte.

Aña. Praedicans * praecéptum Dómini, constitútus est in monte sancto ejus.

Psalmus ii.

QUARE fremuérunt Gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia ?

Astitérunt reges terrae, et príncipes convenérunt in

unum * advérsus Dñum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in coelis, irridébit eos : * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * praedicans praecéptũ ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi Gentes haereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terrae.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite: * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dño in timóre : * et exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Añ. Praedicans praecéptum Dómini, constitútus est in monte sancto ejus.

Añ. Voce mea * ad Dóminum clamávi: et exaudívit me de monte sancto suo.

Psalmus iii.

DOMINE, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me ? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimae meae: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dñe, suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum: * et exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : * exúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa : * dentes peccatórum contrivísti.

Dñi est salus : * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Añ. Voce mea ad Dóminum clamávi : et exaudívit me de monte sancto suo.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Pater noster. Absolutio. Exáudi, Dómine. ℣. Jube, domne. Benedíctio. **Benedictióne perpétua.**

Lectiones sequentes primi Nocturni leguntur in Festo Martyris et Pontif.

In Festo autem Mart. non Pont. leguntur quae inferius positae sunt in Communi plurim. Mart. xlvii.

De Actibus Apostolórum.

Lectio i. *Cap.* xx. *d.*

AMILETO Paulus mittens Ephesum, vocávit Majóres natu Ecclésiae. Qui cum venissent ad eum, et simul essent, dixit eis : Vos scitis a prima die, qua ingréssus sum in Asiam, quáliter vobíscum per omne tempus fúerim, sérviens Dómino cum omni humilitáte, et lácrymis, et tentatiónibus, quae mihi accidérunt ex insídiis Judaeórum : quómodo nihil subtráxerim utílium, quo minus annuntiárem vobis, et docérem vos públice, et per domos, testíficans Judaeis atque Gentílibus in Deum poeniténtiam, et fidem in Dóminum nostrum Jesum Christum. Et nunc ecce alligátus ego spíritu, vado in Jerúsalem, quae in ea ventúra sint mihi, ignórans: nisi quod Spíritus sanctus per omnes civitátes mihi protestátur, dicens : Quóniam víncula et tribulatiónes Jerosólymis me manent. Sed nihil horum véreor : nec fácio ánimam meam pretiosiórem quam me, dúmmodo consúmmem cursum meum, et ministérium verbi, quod accépi a Dómino Jesu, testificári Evangélium grátiae Dei.

℟. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: * Fundátus enim erat supra firmam petram. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna. — Fundátus. Benedictio. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio ii.

ET nunc ecce ego scio, quia ámplius non vidébitis fáciem meam vos omnes, per quos transívi praedicans regnum Dei. Quaprópter contéstor vos hodiérna die, quia mundus sum a sánguine ómnium. Non enim subterfúgi, quo minus annuntiárem omne consílium Dei vobis. Atténdite vobis, et univérso gregi, in quo vos Spíritus sanctus pósuit Epíscopos régere Ecclésiam Dei, quam acquisívit sánguine suo. Ego scio quóniam intrábunt post discessiónem meam lupi rapáces in vos, non parcéntes gregi. Et ex vobis ipsis exúrgent viri loquéntes pervérsa, ut abdúcant discípulos post se. Propter quod vigiláte, memória retinéntes, quóniam per triénnium nocte et die non cessávi, cum lácrymis monens unumquémque vestrum.

℟. Justus germinábit sicut lílium : * Et florébit in aetérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri.—Et florébit. Bened. Spíritus sancti grátia.

Lectio iii.

ET nunc comménd vos Deo, et verbo grátiae ipsíus, qui potens est aedificáre, et dare haereditátem in sanctificátis ómnibus. Argéntum et aurum, aut vestem nullíus concupívi, sicut ipsi scitis : quóniam ad ea quae mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministravérunt manus istae. Omnia osténdi vobis, quóniam sic laborántes, opórtet suscípere infírmos, ac meminísse verbi Dómini Jesu, quóniam ipse dixit : Beátius est magis dare, quam accípere. Et cum haec dixísset, pósitis génibus suis orávit cum ómnibus illis. Magnus autem fletus factus est ómnium : et procumbéntes super collum Pauli, osculabántur eum, doléntes máxime in verbo quod díxerat, quóniam ámplius fáciem ejus non essent visúri. Et deducébant eum ad navem.

℟. Iste cognóvit justítiam, et vidit mirabília magna, et exorávit Altíssimum: * Et invéntus est in número sanctórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pérvenit ad coeléstia regna.—Et invéntus. Glória Patri. Et invéntus.

In secundo Nocturno.

Aña. Fílii hóminum * scitóte quia Dóminus Sanctum suum mirificávit.

Psalmus iv.

UM invocárem, exaudívit me Deus justítiae meae:* in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úsquequo gravi corde ? * ut quid dilígitis vanitátem, et quaeritis mendácium ?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : * Dñus exáudiet me cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre : * quae dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiae, et speráte in Dño. * Multi dicunt: Quis osténdit nobis bona ?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine: * dedísti laetítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam ;

Quóniam tu, Dómine, singuláriter in spe * constituísti me.

Aña. Fílii hóminum scitóte quia Dñus Sanctum suum mirificávit.

Aña. Scuto* bonae voluntátis tuae coronásti eum, Dómine.

Psalmus v.

VERBA mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meae, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo :* Dñe, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo: * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus:* neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem : * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus : * ego autem in multitúdine misericórdiae tuae.

Introíbo in domum tuam: * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant, * júdica illos, Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos: * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et laeténtur omnes, qui sperant in te, * in aetérnum exultábunt : et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dñe, ut scuto bonae voluntátis tuae* coronásti nos.

Aña. Scuto bonae voluntátis tuae coronásti eum, Dómine.

Antiphona. In univérsa terra* glória et honóre coronásti eum.

Psalmus viii.

DOMINE Dóminus noster,* quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra !

Quóniam eleváta est magnificéntia tua,* super coelos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo coelos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam et stellas, quae tu fundásti.

Quid est homo, quod me-

mor es ejus ? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres coeli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dñus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

℟. In univérsa terra glória et honóre coronásti eum.

℣. Posuísti, Dñe, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Pater noster. Absolútio. Ipsíus précibus. ℣. Jube, domne. Benedíctio. Deus Pater omnípotens.

Sermo S. Augustíni Epíscopi.

Lectio iv. *Serm.* xliv. *de SS.*

RIUM PHALIS beáti Mártyris N. dies hódie nobis anniversária celebritáte recúrrit : cujus glorificatióni sicut congáudet Ecclésia, sic ejus propónit sequénda vestígia. Si enim compátimur, et conglorificábimur. In cujus glorióso agóne duo nobis praecípue consideránda sunt, induráta vidélicet tortóris saevítia, et Mártyris invícta patiéntia. Saevítia tortóris, ut eam detestémur : patiéntia Mártyris, ut eam imitémur. Audi Psalmístam advérsus malítiam increpántem : Noli aemulári in malignántibus : quóniam tamquam foenum velóciter aréscent. Quod autem advérsus malignántes patiéntia exhibénda sit, audi Apóstolum suadéntem: Patiéntia vobis necessária est, ut reportétis promissiónes.

℟. Honéstum fecit illum Dñus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum.—Et dedit. Bened. Christus perpétuae.

Lectio v.

CORONATA ítaque est beáti Mártyris patiéntia, mancipáta est aetérnis cruciátibus tortóris incorrécta malítia. Hoc atténdens in agóne suo glorióus Christi athléta, non exhórruit cárcerem. Ad imitatiónem cápitis sui tolerávit probra, sustínuit irrisiónes, flagélla non tímuit : et quot ante mortem pro Christo pértulit supplícia, tot ei de se óbtulit sacrifícia. Quod enim propinánte Apóstolo bíberat, alte reti-

nébat : Quia non sunt condígnae passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quae revelábitur in nobis. Et quia momentáneum hoc et leve nostrae tribulatiónis, aetérnum glóriae pondus operátur in coelis. Hujus promissiónis amóre a terrénis suspénsus, et praegustáta supérnae suavitátis dulcédine ineffabíliter affléctus, dicébat cum Psalmísta : Quid mihi est in coelo, et a te quid vólui super terram ? Defécit caro mea, et cor meum : Deus cordis mei, et pars mea Deus in aetérnum.

℟. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, Dñe, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.—Et. Benedíctio. Ignem sui amóris.

Lectio vi.

CONTEMPLABATUR enim, quantum in aenígmate infírmitas humána óculum mentis in aeternitáte fígere potest, quanta sint supérnae civitátis gáudia : et ea enarráre non sufficiens, admirándo clamábat : Quid mihi est in coelo? Quasi díceret: Excédit vires meas, excédit facultátem eloquéntiae meae, transcéndit capacitátem intelligéntiae meae illud decus, illa glória, illa celsitúdo, qua nobis, a conturbatióne hóminum remótis, in abscondito faciéi suae Jesus Christus Dñus noster reformábit corpus humilitátis nostrae, configurátum córpori claritátis suae. Hujus perféctae libertátis contemplatióne nullum vitábat perículum, nullum horrébat supplícium : et si míllies posset mori, non putábat se hanc digne posse áliqua ratióne promeréri.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dñus : Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dñus pane vitae et intellléctus : et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum.—Et. Glória Patri. Et.

In tertio Nocturno.

Ańa. Justus Dóminus, * et justítiam diléxit : aequitátem vidit vultus ejus.

Psalmus x.

IN Dño confído : quómodo dícitis ánimae meae : * Tránsmigra in montem sicut passer ?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quae perfecísti, destruxérunt : * justus autem quid fecit ?

Dóminus in templo sancto suo,* Dóminus in coelo sedes ejus :

Oculi ejus in páuperem respíciunt :* pálpebrae ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum et ímpium :* qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos :* ignis, et sulphur, et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dñus, et justítias diléxit :* aequitátem vidit vultus ejus.

Añ. Justus Dóminus, et justítiam diléxit : aequitátem vidit vultus ejus.

Añ. Habitábit * in tabernáculo tuo : requiéscet in monte sancto tuo.

Psalmus xiv.

DOMINE, quis habitábit in tabernáculo tuo ?* aut quis requiéscet in monte sancto tuo ?

Qui ingréditur sine mácula,* et operátur justítiam :

Qui lóquitur veritátem in corde suo,* qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum,* et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus :* timéntes autem Dóminum glorificat :

Qui jurat próximo suo, et non décipit,* qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit haec,* non movébitur in aetérnum.

Añ. Habitábit in tabernáculo tuo : requiéscet in monte sancto tuo.

Añ. Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso.

Psalmus xx.

DOMINE, in virtúte tua laetábitur rex :* et super salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei :* et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis :* posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te :* et tribuísti ei longitúdinem diérum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo :* glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in saeculum saeculi :* laetificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dño :* et in misericórdia Altíssimi, non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui : * Dñus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala : * cogitavérunt consília, quae non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum : * in relíquiis tuis praeparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in vírtúte tua : * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Añ. Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Pater noster. Absolutio. A vínculis. ℣. Jube, domne. Benedíctio. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xiv. *f.*

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis : Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et fílios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papae.

Hom. xxxvii. *in Evangelia.*

SI considerémus, fratres charíssimi, quae et quanta sunt quae nobis promittúntur in coelis, viléscunt ánimo ómnia quae habéntur in terris. Terréna namque substántia supérnae felicitáti comparáta, pondus est, non subsídium. Temporális vita aetérnae vitae comparáta, mors est pótius dicénda, quam vita. Ipse enim quotidiánus defléctus corruptiónis quid est áliud, quam quaedam prolíxitas mortis? Quae autem lingua dícere, vel quis intelléctus cápere súfficit, illa supérnae civitátis quanta sint gáudia ; Angelórum choris interésse, cum beatíssimis spirítibus glóriae conditóris assístere, praeséntem Dei vultum cérnere, incircumscríptum lumen vidére, nullo mortis metu áffici, incorruptiónis perpétuae múnere laetári?

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus coró-

nam de lápide pretióso.—Exprèssa. Bened. Cujus festum cólimus.

Lectio viii.

SED ad haec audíta inardéscit ánimus, jamque illic cupit assístere, ubi se sperat sine fine gaudére. Sed ad magna praemia perveníri non potest, nisi per magnos labóres. Unde et Paulus egrégius praedicátor dicit: Non coronábitur, nisi qui legítime certáverit. Deléctet ergo mentem magnitúdo praemiórum, sed non detérreat certámen labórum. Unde ad se veniéntibus Véritas dicit: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et fílios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénae dignitátis glóriam quaesívit, sed ad coeléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Qui minas. Glória Patri. Qui minas. Bened. Ad societátem.

Sequens Responsorium dicitur ultimo loco in festis sex SS. Martyrum Pontificum Eusebii, Marcelli, Jo-annis, Silverii, Martini, et Pontiani.

℟. Dómine, praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: * Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in saeculum saeculi.—Posuísti. Glória Patri. Posuísti.

Lectio ix.

SED percontári libet, quómodo paréntes, et carnáliter propínquos praecípimur odísse, qui jubémur et inimícos dilígere? Et certe Véritas de uxóre dicit: Quod Deus conjúnxit, homo non séparet. Et Paulus ait: Viri, dilígite uxóres vestras, sicut et Christus Ecclésiam. Ecce, discípulus uxórem diligéndam praedicat, cum Magíster dicat: Qui uxórem non odit, non potest meus esse discípulus. Numquid áliud judex núntiat, áliud praeco clamat? An simul et odísse póssumus, et dilígere? Sed si vim praecépti perpéndimus, utrúmque ágere per discretiónem valémus: ut uxórem, et eos, qui nobis carnis cognatióne conjúncti sunt, et quos próximos nóvimus, diligámus; et quos adversários in via Dei pátimur, odiéndo et fugiéndo nesciámus.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES

et per Horas, Añae.

1. Qui me conféssus fúerit * coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo. Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Qui séquitur me,* non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitae, dicit Dóminus.

3. Qui mihi minístrat, * me sequátur : et ubi ego sum, illic sit et miníster meus.

4. Si quis mihi ministráverit, * honorificábit eum Páter meus, qui est in coelis, dicit Dóminus.

5. Volo, Pater, * ut ubi ego sum, illic sit et miníster meus.

Capitulum. *Jac.* i. *b.*

BEATUS vir, qui suffert tentatiónem : quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitae, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus.

INVICTE Martyr, únicum
Patris secútus Fílium,
Victis triúmphas hóstibus,
Victor fruens coeléstibus.

Tui precátus múnere
Nostrum reátum dílue,
Arcens mali contágium,
Vitae repéllens taedium.

Solúta sunt jam víncula
Tui sacráti córporis :
Nos solve vinclis saeculi,
Dono supérni Núminis.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, et per omne saeculum. Amen.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Benedictus, Aña. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam aetérnam custódit eam.

Pro Mart. et Pont., Oratio.

INFIRMITATEM nostram réspice, omnípotens Deus : et quia pondus própriae actiónis gravat, beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Alia Oratio.

DEUS, qui nos beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte laetíficas : concéde propítius ; ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Pro Martyre tantum, Oratio.

PRAESTA quaesumus omnípotens Deus : ut qui beáti N. Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis

amóre roborémur. Per Dóminum

Alia Oratio.

PRAESTA quaesumus omnípotens Deus: ut, intercedénte beáto N. Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Aña. Qui séquitur me.

Capit. Beátus vir, ut supra. xxxviii.

℟. br. Glória et honóre, * Coronásti eum, Dómine. Glória. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória et honóre.

℣. Posuísti, Dñe, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretioso.

AD SEXTAM.

Aña. Qui mihi minístrat.

Capitulum. *Eccli.* xv.

CIBAVIT illum pane vitae et intelléctus, et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum Dñus Deus noster.

℟. br. Posuísti Dómine, * Super caput ejus. Posuísti, Dómine. ℣. Corónam de lápide pretióso. Super caput ejus. Glória Patri. Posuísti.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

AD NONAM.

Antiphona. Volo Pater.

Capitulum. *Eccli.* xxxix.

JUSTUS cor suum trádidit ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur.

℟. br. Magna est glória ejus, * In salutári tuo. Magna. ℣. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. In salutári tuo. Glória Patri. Magna.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multíplicábitur.

AD VESPERAS.

Aña. Qui me conféssus, ut supra cum reliquis de Laud. xxxviii. Ps. Dixit Dóminus, cum reliquis de Communi Apostolorum. ii. et loco ultimi, Psal. Crédidi. 138.

Capit. Beátus vir, ut supra. xxxviii.

Hymnus. Deus, tuórum, ut supra. xxvii.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multíplicábitur

Ad Magníficat, Aña. Qui vult veníre post me, * ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

ALIAE LECTIONES PRO UNO MARTYRE.

In secundo Nocturno.

De Expositióne S. Ambrósii Epíscopi in Psalmum centésimum décimum octávum.

Lectio iv. *Serm.* xxi.

PRINCIPES persecúti sunt me gratis : et a verbis tuis trepidávit cor meum. Bene hoc Martyr dicit, quod injúste persecutiónum torménta sustíneat : qui nihil rapúerit, nullum violéntus oppresserit, nullíus sánguinẽ fúderit, nullíus torum putáverit esse violándum : qui nihil légibus débeat, et gravióra latrónum sustinére cogátur supplícia: qui loquátur juste, et non audiátur: qui loquátur plena salútis, et impugnétur : ut possit dícere : Cum loquébar illis, impugnábant me gratis. Gratis ígitur persecutiónem pátitur, qui impugnátur sine crímine, impugnátur ut nóxius, cum sit in tali confessióne laudábilis : impugnátur quasi venéficus, qui in nómine Dómini gloriátur, cum píetas virtútum ómnium fundaméntum sit.

℟. Honéstum fecit illum Dñus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum.—Et dedit.

Lectio v.

VERE frustra impugnátur, qui apud impios et infídos, impietátis arcéssitur, cum fídei sit magíster. Verum qui gratis impugnátur, fortis debet esse et constans. Quómodo ergo subtéxuit : Et a verbis tuis trepidávit cor meum ? Trepidáre infirmitátis est, timóris atque formídinis. Sed est étiam infírmitas ad salútem, est étiam timor sanctórum. Timéte Dñum omnes sancti ejus: et, Beátus vir, qui timet Dñum. Qua ratióne beátus? Quia in mandátis ejus cupit nimis.

℟. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, Dñe, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.—Et voluntáte.

Lectio vi.

PONE ergo Mártyrem inter perícula constitútum, cum inde immánitas bestiárum ad incutiéndum terrórem ínfremat, aliúnde stridor candéntium laminárum, et flamma fornácis ardéntis exaestuet, ex parte ália pérsonent tractus grá-

vium catenárum, hinc cárnifex cruéntus assístat: pone, inquam, circumspectántem ómnia plena supplíciis, deínde cogitántem mandáta divína, illum ignem perpétuum, illud sine fine incéndium perfidórum, illam poenae recrudescéntis aerúmnam: trepidáre corde, ne, dum praeséntibus cedat, perpétuis se dedat exítiis: perturbári ánimo, dum futúri judícii rhomphaeam illam terríbilem quadam conspéctus spécie contuétur. Nonne ad hanc trepidatiónem fidúciae viri constántis, aequális in eúmdem concúrrit efféctum confidéntia cupiéntis aetérna, et divína trepidántis?

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitae et intellectus: et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum. — Et corónam. Glória Patri. Et.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xvi. *d.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homília S. Gregórii Papae.

Hom. xxxii. *in Evang.*

QUIA Dñus, ac Redémptor noster novus homo venit in mundum, nova praecépta dedit mundo. Vitae étenim nostrae véteri, in vítiis enutrítae contrarietátem oppósuit novitátis suae. Quid enim vetus, quid carnális homo nóverat, nisi sua retinére, aliéna rápere, si posset, concupíscere, si non posset? Sed coeléstis médicus síngulis quibúsque vítiis obviántia ádhibet medicaménta. Nam sicut arte medicínae cálida frigidis, frígida cálidis curántur: ita Dóminus noster contrária oppósuit medicaménta peccátis, ut lúbricis continéntiam, tenácibus largitátem, iracúndis mansuetúdinem, elátis praecíperet humilitátem.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Expréssa.

Lectio viii.

CERTE cum se sequéntibus nova mandáta propóneret dixit: Nisi quis renuntiáverit ómnibus quae póssidet, non potest

meus esse discípulus. Ac si apérte dicat: Qui per vitam véterem aliéna concupíscitis, per novae conversatiónis stúdium et vestra largímini. Quid vero in hac lectióne dicat, audiámus: Qui vult post me veníre, ábneget semetípsum. Ibi dícitur, ut abnegémus nostra: hic dícitur, ut abnegémus nos. Et fortásse laboriósum non est hómini relínquere sua: sed valde laboriósum est relínquere semetípsum. Minus quippe est abnegáre quod habet: valde autem multum est, abnegáre quod est.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénae dignitátis glóriam quaesívit, sed ad coeléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

Lectio ix.

AD se autem nobis veniéntibus Dóminus praecépit, ut renuntiémus nostris: quia quicúmque ad fidei agónem venímus, luctámen contra malígnos spíritus súmimus. Nihil autem malígni Spíritus in hoc mundo próprium pósident: nudi ergo cum nudis luctári debémus. Nam si vestítus quisque cum nudo luctátur, cítius ad terram dejícitur, quia habet unde teneátur. Quid enim sunt terréna ómnia, nisi quaedam córporis induménta? Qui ergo contra diábolum ad certámen próperat, vestiménta abjíciat, ne succúmbat.

Te Deum laudámus. 17.

III. ALIA HOMILIA.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* x. *c.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nihil est opértum, quod non revelábitur; et occúltum, quod non sciétur. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi.

Comment. in Matth. cap. x. *post medium.*

DOMINUS diem judícii osténdit, quae abstrúsam voluntátis nostrae conscéntiam prodet: et ea quae nunc occúlta existimántur, luce cognitiónis públicae déteget. Igitur non minas, non consília, non potestátes insectántiũ monet esse metuéndas: quia dies judícii nulla haec fuísse, atque inánia revelábit. Et quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine: et quod in aure audítis, praedicáte super

tecta. Non légimus Dñum sólitum fuísse nóctibus sermocinári, et doctrínam in ténebris tradidísse: sed quia omnis sermo ejus carnálibus ténebrae sunt, et verbum ejus infidélibus nox est.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Exprássa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.—Exprássa signo.

Lectio viii.

ITAQUE id quod a se dictum est, cum libertáte fídei et confessiónis vult esse loquéndum. Idcírco quae in ténebris dicta sunt praedicári jussit in lúmine: ut, quae secréto áurium commíssa sunt, super tecta, id est, excélso loquéntium praecónio audiántur. Constánter enim Dei ingerénda cognítio est, et profúndum doctrínae evangélicae secrétum in lúmine praedicatiónis apostólicae revelándum: non timéntes eos, quibus cum sit licéntia in córpora, tamen in ánimam jus nullum est: sed timéntes pótius Deum, cui perdéndae in gehénna et ánimae et córporis sit potéstas.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénae dignitátis glóriam quaesívit, sed ad coeléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

Lectio ix.

NOLITE timére eos qui occídunt corpus. Nullus ígitur córporum nostrórum casus est pertimescéndus, neque ullus interiméndae carnis admitténdus est dolor: quando pro natúrae suae atque oríginis conditióne resolúta, in substántiam spirituális ánimae refundátur. Et quia doctrínis tálibus confirmátos opórtet líberam confiténdi Dei habére constántiam; étiam conditiónem, qua tenerémur, adjécit: negatúrum se eum Patri in coelis, qui se hominibus in terra negásset: eum porro qui conféssus coram homínibus se fuísset, a se in coelis confiténdum: qualésque nos nóminis sui testes hominibus fuissémus, tali nos apud Deum Patrem testimónio ejus usúros.

Te Deum laudámus. 17.

Commune
PLURIMORUM MARTYRUM.

AD VESPERAS.

Ańa. Omnes sancti, cum reliquis de Laudibus. Iv. Ps. Dixit Dóminus. cum reliquis ut in Communi Apostolorum. ii.

Capitulum. *Sap.* iii.

IUSTORUM ánimae in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori, illi autem sunt in pace.

Hymnus.

SANCTORUM méritis ínclyta gáudia
Pangámus sócii, géstaque fórtia :
Gliscens fert ánimus prómere cántibus
Victórum genus óptimum.
Hi sunt quos fátue mundus abhórruit :
Hunc fructu vácuum, flóribus áridum,
Contempsére tui nóminis ásseclae,
Jesu, Rex bone Coelitum.
Hi pro te fúrias atque minas truces
Calcárunt hóminum, saevaque vérbera :
His cessit lácerans fórtiter úngula
Nec carpsit penetrália.
Caedúntur gládiis more bidéntium ;
Non murmur résonat, non querimónia :
Sed corde impávido mens bene cónscia
Consérvat patiéntiam.
Quae vox, quae póterit lingua retéxere,
Quae tu Martyribus múnera praeparas ?
Rubri nam flúido sánguine fúlgidis
Cingunt témpora láureis.
Te, summa o Déitas, únaque póscimus,
Ut culpas ábigas, nóxia súbtrahas,
Des pacem fámulis, ut tibi glóriam
Annórum in sériem canant.
Amen.

℣. Laetámini in Dño, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini omnes recti corde.

Ad Magnificat, Antiph.

Istórum est enim * regnum coelórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad praemia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

Pro pluribus Martyribus Pontificibus, Oratio.

BEATORUM Mártyrum, paritérque Pontíficum N. et N. nos, quae-

sumus Dómine, festa tuántur : et eórum commémdet orátio veneránda. Per Dóminum nostrum.

Si non fuerint Pontifices, Oratio

DEUS, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum N. et N. natalítia cólere : da nobis in aetérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum nostrum.

Alia Oratio.

DEUS, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum N. et N. solemnitáte laetíficas : concéde propítius ; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum nostrum.

AD MATUTINUM.

Invitat. Regem Mártyrum Dóminum, * Veníte, adorémus. Ps. Veníte. 2.

Hymnus.

CHRISTO profúsum sánguinem,
Et Mártyrum victórias,
Dignámque coelo láuream
Laetis sequámur vócibus.

Terróre victo saeculi,
Poenísque spretis córporis,
Mortis sacrae compéndio
Vitam beátam póssident.

Tradúntur igni Mártyres,
Et bestiárum déntibus :
Armáta saevit úngulis
Tortóris insáni manus.

Nudáta pendent víscera:
Sanguis sacrátus fúnditur :
Sed pérmanent immóbiles
Vitae perénnis grátia.

Te nunc, Redémptor, quaesumus,
Ut Mártyrum consórtio
Jungas precántes sérvulos
In sempitérna saecula.
Amen.

In primo Nocturno.

Ant. Secus decúrsus aquárum * plantávit víneam justórum, et in lege Dñi fuit volúntas eórum.

Psalmus 1.

BEATUS vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit,* et in cáthedra pestiléntiae non sedit :

Sed in lege Dñi volúntas ejus,* et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quaecúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic impii, non sic:* sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terrae.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Aña. Secus decúrsus aquárum plantávit víneam justórum, et in lege Dñi fuit volúntas eórum.

Aña. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dñus : et quasi holocáusta accépit eos in aetérnum.

Psalmus ii.

QUARE fremuérunt Gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia ?

Astitérunt reges terrae, et príncipes convenérunt in unum, * advérsus Dñum et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in coelis, irridébit eos : * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * praedicans praecéptũ ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi Gentes haereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terrae.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas figuli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite : * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dño in timóre : * et exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínã nequándo irascátur Dñus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Aña. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dñus : et quasi holocáusta accépit eos in aetérnum.

Aña. Si coram homínibus * torménta passi sunt, spes electórum est immortális in aetérnum.

Psalmus iii.

DOMINE, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me ? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimae meae : * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dñe, suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dñum clamávi : * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum : * et exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : * exúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa : * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : * et

super pópulum tuum benedíctio tua.

Añas. Si coram homínibus torménta passi sunt, spes eléctórum est immortális in aetérnum.

℣. Laetámini in Dño, et exultáte justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Pater noster. Absolutio. Exáudi, Dómine. ℣. Jube, domne. Benedíctio. Benedictióne perpétua.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio i. *Cap.* viii. *c.*

FRATRES, Debitóres sumus non carni, ut secúndum carnem vivámus. Si enim secúndum carnem vixéritis, moriémini: si autem spíritu facta carnis mortificavéritis, vivétis. Quicúmque enim spíritu Dei agúntur, ii sunt Fílii Dei. Non enim accepístis spíritum servitútis íterum in timóre, sed accepístis spíritum adoptiónis filiórum, in quo clamámus : Abba (Pater). Ipse enim Spíritus testimónium reddit spirítui nostro, quod sumus fílii Dei. Si autem filii, et haerédes ; haerédes quidem Dei, cohaerédes autem Christi : si tamen compátimur, ut et conglorificémur. Existimo enim quod non sunt condígnae passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quae revelábitur in nobis. Nam expectátio creatúrae, revelatiónem filiórum Dei expéctat.

℟. Abstérget Deus omnem lácrymam ab óculis sanctórum : et jam non erit ámplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor : * Quóniam prióra transiérunt. ℣. Non esúrient, neque sítient ámplius, neque cadet super illos sol, neque ullus aestus. —Quóniam. Benedíctio. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio ii.

SCIMUS autem quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, iis qui secúndum propósitum vocáti sunt sancti. Nam quos praescívit, et praedestinávit confórmes fieri imáginis Fílii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. Quos autem praedestinávit, hos et vocávit : et quos vocávit, hos et justificávit : quos autem justificávit, illos et glorificávit. Quid ergo dicémus ad haec? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui étiam próprio Fílio suo non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum : quómodo non étiam cum illo ómnia nobis donávit? Quis accusábit advérsus eléctos Dei? Deus qui justíficat, quis est qui

condémnet? Christus Jesus, qui mórtuus est, imo qui et resurréxit, qui est ad déxteram Dei, qui étiam interpéllat pro nobis.

℟. Viri sancti gloriósum sánguinem fudérunt pro Dómino, amavérunt Christum in vita sua, imitáti sunt eum in morte sua : * Et ídeo corónas triumpháles meruérunt. ℣. Unus spíritus, et una fides erat in eis.—Et ídeo. Benedictio. Spíritus sancti grátia.

Lectio iii.

QUIS ergo nos separábit a charitáte Christi? tribulátio, an angústia, an fames, an núditas, an perículum, an persecútio, an gládius? (sicut scriptum est : Quia propter te mortificámur tota die : aestimáti sumus sicut oves occisiónis.) Sed in his ómnibus superámus propter eum, qui diléxit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Ángeli, neque Principátus, neque Virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profúndum, neque creatúra ália póterit nos separáre a charitáte Dei, quae est in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia : * Et meruérunt habére corónas perpétuas. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.—Et meruérunt. Glória. Et meruérunt.

In secundo Nocturno.

Ańa. Dabo sanctis meis locum nominátum in regno Patris mei, dicit Dóminus.

Psalmus xiv.

DOMINE, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam :

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum glorificat :

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit :

Qui facit haec, * non movébitur in aetérnum.

Ańa. Dabo sanctis meis locum nominátum in regno Patris mei, dicit Dóminus.

Ańa. Sanctis, qui in terra sunt ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas inter illos.

Psalmus xv.

CONSERVA me, Dómine, quóniam sperávi in te. * Dixi Dño : Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátae sunt infirmitátes eórum : * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus : * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars haereditátis meae, et cálicis mei : * tu es, qui restítues haereditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in praecláris : * étenim haeréditas mea praeclára est mihi.

Benedícam Dñum, qui tríbuit mihi intelléctum : * ínsuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dñum in conspéctu meo semper : * quóniam a dextris est mihi ne commóvear.

Propter hoc laetátum est cor meum, et exultávit lingua mea : * ínsuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno : * nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitae, adimplébis me laetítia cum vultu tuo : * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Ána. Sanctis qui in terra sunt ejus, mirificávit omnes voluntátes meas inter illos.

Ána. Sancti qui sperant in Dño, * habébunt fortitúdinem, assúment pennas ut áquilae, volábunt, et non deficient.

Psalmus xxiii.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina praeparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus, et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dño : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Haec est generátio quaeréntium eum, * quaeréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles : * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae? * Dñus fortis et potens, Dóminus potens in praelio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles: * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae? * Dñus virtútum ipse est Rex glóriae.

Aña. Sancti qui sperant in Dómino, habébunt fortitúdinem, assúment pennas ut áquilae, volábunt, et non deficient.

℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in laetítia.

Pater noster. Absolutio. Ipsíus piétas. ℣. Jube, domne. Benedictio. Deus Pater omnípotens.

Sermo S. Augustíni Epísc. *Serm.* xlvii. *de Sanctis.*

Lectio iv.

QUOTIESCUMQUE, fratres charíssimi, sanctórum Mártyrum solémnia celebrámus, ita, ipsis intercedéntibus, expectémus a Dómino cónsequi temporália beneficia, ut ipsos Mártyres imitándo, accípere mereámur aetérna. Ab ipsis enim sanctórum Mártyrum in veritáte festivitátum gáudia celebrántur, qui ipsórum Mártyrum exémpla sequúntur. Solemnitátes enim Mártyrum exhortatiónes sunt martyriórum: ut imitári non pígeat, quod celebráre delectat.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes praecéptis tuis, ut inveniréntur illaesi in aquis válidis: * Terra appáruit árida, et in mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquae, et torréntes inundavérunt.—Terra appáruit. Benedictio. Christus perpétuae.

Lectio v.

SED nos vólumus gaudére cum Sanctis: et tribulatiónem mundi nólumus sustinére cum ipsis. Qui enim sanctos Mártyres, in quantum potúerit, imitári nolúerit, ad eórum beatitúdinem non póterit pervenire. Sed et Paulus Apóstolus praedicat, dicens: Si fuérimus sócii passiónum, érimus et consolatiónum. Et Dñus in Evangélio: Si mundus vos odit, scitóte quia me priórem vobis ódio hábuit. Recúsat esse in córpore, qui ódium non vult sustinére cum cápite.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut haerédes fierent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia.—Ut haerédes. Benedictio. Ignem sui amóris.

Lectio vi.

SED dicet áliquis: Et quis est, qui possit beatórum Mártyrum vestígia sequi? Huic ego respóndeo, quia non solum Mártyres, sed étiam ipsum Dñum cum ipsíus adjutório, si vólumus, póssumus imitári. Audi non me, sed ipsum Dñum géneri humáno clamántem: Díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde. Audi et Petrum Apóstolum admoniéntem: Christus passus est pro nobis, relínquens nobis exémplum, ut sequámur vestígia ejus.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dñus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos: et in témpore erit respéctus illórum: * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem: et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. — Quóniam. Glória. Quóniam.

In tertio Nocturno.

Aña. Justi autem * in perpétuum vivent, et apud Dñum est merces eórum.

Psalmus xxxii.

EXULTATE justi in Dño: * rectos decet collaudátio. Confitémini Dómino in cíthara: * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum: * bene psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dñi, * et ómnia ópera ejus in fide.

Díligit misericórdiam et judícium: * misericórdia Dómini plena est terra.

Verbo Dñi coeli firmáti sunt: * et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre aquas maris: * ponens in thesáuris abyssos.

Tímeat Dóminum omnis terra: * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem.

Quóniam ipse dixit, et facta sunt: * ipse mandávit, et creáta sunt.

Dñus díssipat consília géntium: * réprobat autem cogitatiónes populórum, et réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dñi in aetérnum manet: * cogitatiónes cordis ejus in generatióne et generatiónem.

Beáta gens, cujus est Dñus Deus ejus: * pópulus, quem elégit in haereditátem sibi.

De coelo respéxit Dñus: * vidit omnes fílios hóminum.

De praeparáto habitáculo suo * respéxit super omnes, qui hábitant terram.

Qui finxit singillátim corda eórum: * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex per multam virtútem : * et gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suae.

Fallax equus ad salútem : * in abundántia autem virtútis suae non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super metuéntes eum : * et in eis, qui sperant super misericórdia ejus.

Ut éruat a morte ánimas eórum : * et alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dñum : * quóniam adjútor et protéctor noster est.

Quia in eo laetábitur cor nostrum : * et in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua, Dñe, super nos : * quemádmodum sperávimus in te.

Aña. Justi autem in perpétuum vivent, et apud Dñum est merces eórum.

Aña. Tradidérunt * córpora sua in mortem, ne servírent idólis : ídeo coronáti póssident palmam.

Psalmus xxxiii.

BENEDICAM Dñum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo.

In Dño laudábitur ánima mea : * áudiant mansuéti, et laeténtur.

Magnificáte Dóminum mecum : * et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dñum, et exaudívit me : * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illuminámini : * et fácies vestrae non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dñus exaudívit eum : * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dñi in circúitu timéntium eum : * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus : * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dñum, omnes sancti ejus : * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt : * inquiréntes autem Dñum non minuéntur omni bono.

Veníte fílii, audíte me : * timórem Dñi docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam : * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam a malo : * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum : * inquíre pacem, et perséquere eam.

Oculi Dómini super justos : * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dñi super faciéntes mala : * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos : * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dñus iis, qui tribuláto sunt corde : * et húmiles spíritu salvábit.

Multae tribulatiónes justórum : * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum : * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima : * et qui odérunt justum delínquent.

Rédimet Dñus ánimas servórum suórum : * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Añа. Tradidérunt córpora sua in mortem, ne servírent idólis : ídeo coronáti póssident palmam.

Añа. Ecce merces Sanctórum copiósa est apud Deum : ipsi vero mórtui sunt pro Christo, et vivent in aetérnum.

Psalmus xlv.

DEUS noster refúgium, et virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quae invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus, dum turbábitur terra : * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátae sunt aquae eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus laetíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátae sunt Gentes, et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dñi, quae pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terrae.

Arcum cónteret, et confrínget arma : * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in Géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Añа. Ecce merces Sanctórum copiósa est apud Deum : ipsi vero mórtui sunt pro Christo, et vivent in aetérnum.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dñum est merces eórum.

Pater noster. Absol. A vínculis. ℣. Jube, domne. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xxi. *c.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Cum audiéritis praelia, et seditiónes, nolíte terréri :

opórtet primum haec fíeri, sed nondum statim finis. Et réliqua.

Homília Sancti Gregórii Papae.

Hom. xxxv. *in Evang.*

DOMINUS ac Redémptor noster perítúri mundi praecurréntia mala denúntiat, ut eo minus pertúrbent veniéntia, quo fúerint praescíta. Minus enim jácula fériunt quae praevidéntur: et nos tolerabílius mundi mala suscípimus, si contra haec per praesciéntiae clypeum munímur. Ecce enim dicit: Cum audiéritis praelia, et seditiónes, nolíte terréri: opórtet enim primum haec fíeri, sed nondum statim finis. Pensánda sunt verba Redemptóris nostri, per quae nos áliud intérius, áliud extérius, passúros esse denúntiat. Bella quippe ad hostes pértinent, seditiónes ad cives. Ut ergo nos índicet intérius exteriúsque turbári, áliud nos fatétur ab hóstibus, áliud a frátribus pérpeti.

℟. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas, Sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis: * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum!—Quia unus. Benedíctio. Quorum festum cólimus.

Lectio viii.

SED his malis praeveniéntibus, quia non statim finis sequátur, adjúngit: Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum: et terraemótus magni erunt per loca, et pestiléntiae, et fames, terrorésque de coelo, et signa magna erunt. Ultima tribulátio multis tribulatiónibus praevenítur: et, per crebra mala, quae praevéniunt, indicántur mala perpétua, quae subsequéntur. Et ídeo post bella et seditiónes non statim finis: quia multa debent mala praecúrrere, ut malum váleant sine fine nuntiáre.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis:* Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte benedícti Patris mei, percípite regnum.—Mercédem labóris. Glória Patri. Mercédem labóris. Benedíctio. Ad societátem.

Sequens Responsorium dicitur post viii. vel ii. Lectionem in Festo plurimorum Martyrum fratrum.

℟. Haec est vera fratérnitas, quae nunquam pótuit violári certámine: qui effúso sánguine secúti sunt Dóminum:* Contemnéntes aulam régiam, pervenérunt ad re-

gna coeléstia. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum! — Contemnéntes aulam. Glória Patri. Contemnéntes aulam.

Lectio ix.

SED cum tot signa perturbatiónis dicta sint, opórtet ut eórum consideratiónem bréviter per síngula perstringámus: quia necésse est, ut ália e coelo, ália e terra, ália ab eleméntis, ália ab homínibus patiámur. Ait enim: Surget gens contra gentem, ecce perturbátio hóminum: erunt terraemótus magni per loca, ecce respéctus irae désuper: erunt pestiléntiae, ecce inaequálitas córporum: erit fames, ecce sterílitas terrae: terrorésque de coelo et tempestátes, ecce inaequálitas áeris. Quia ergo ómnia consummánda sunt, ante consummatiónem ómnia perturbántur: et qui in cunctis delíquimus, in cunctis ferímur: ut impleátur quod dícitur: Et pugnábit pro eo orbis terrárum contra insensátos.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Omnes Sancti* quanta passi sunt torménta, ut secúri pervenírent ad palmam martyrii! Ps. Dñus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Cum palma* ad regna pervenérunt Sancti, corónas decóris meruérunt de manu Dei.

3. Córpora Sanctórum * in pace sepúlta sunt: et vivent nómina eórum in aetérnum.

4. Mártyres Dómini, * Dñum benedícite in aetérnum.

5. Mártyrum chorus, * laudáte Dóminum de coelis, allelúia.

Capitulum. *Sap.* iii.

JUSTORUM ánimae in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

Hymnus.

REX glorióse Mártyrum,
Coróna confiténtium,
Qui respuéntes térrea
Perdúcis ad coeléstia;
Aurem benígnam próti-
nus
Inténde nostris vócibus:
Trophaea sacra pángimus:
Ignósce quod delíquimus.
Tu vincis inter Mártyres,
Parcísque Confessóribus:
Tu vince nostra crímina,
Largítor indulgéntiae.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, et per omne saeculum. Amen.

℣. Exultábunt sancti in

glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Ad Bened. Aña. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos.

Pro plur. Martyribus Pontificibus,
Oratio.

BEATORUM Mártyrum, paritérque Pontíficum N. et N. nos, quaesumus Dómine, festa tuéntur: et eórum comméndet orátio veneránda. Per Dóminum.

Si non fuerint Pontifices:
Oratio.

DEUS, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum N. et N. natalítia cólere: da nobis in aetérna beatitúdine de córum societáte gaudére. Per Dóminum.

Alia Oratio.

DEUS, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum N. et N. solemnitáte laetíficas: concéde propítius; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Aña. Cum palma.

Capit. Justórum.

℟. br. Laetámini in Dómino, * Et exultáte, justi. Laetámini. ℣. Et gloriámini omnes recti corde. Et exultáte. Glória Patri. Laetámini.

℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in laetítia.

AD SEXTAM.

Aña. Córpora sanctórum.

Capitulum. *Sap.* x. *d.*

REDDIDIT Deus mercédem labórum Sanctórum suórum, et dedúxit illos in via mirábili: et fuit illis in velaménto diéi, et in luce stellárum nocte.

℟. br. Exúltent justi * In conspéctu Dei. Exúltent. ℣. Et delecténtur in laetítia. In conspéctu. Glória Patri. Exúltent.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dñum est merces eórum.

AD NONAM.

Aña. Martyrum chorus.

Capitulum. *Sap.* iii.

FULGEBUNT justi, et tamquam scintíllae in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis: et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

℟. br. Justi autem * In perpétuum vivent. Justi. ℣. Et apud Dñum est merces eórum. In perpétuum. Glória Patri. Justi.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

AD VESPERAS.

Añae. 1. Isti sunt Sancti,* qui pro testaménto Dei sua córpora tradidérunt, et in sánguine Agni lavérunt stolas suas. Psalm. Dixit Dóminus. ii.

2. Sancti per fidem * vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes. Psalm. Confitébor. iii.

3. Sanctórum* velut áquilae juvéntus renovábitur; florébunt sicut lílium in civitáte Dómini. Psalm. Beátus vir. iii.

4. Abstérget Deus * omnem lácrymam ab óculis Sanctórum, et jam non erit ámplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor: quóniam prióra transiérunt. Psalm. Laudáte. iv.

5. In coeléstibus regnis * Sanctórum habitátio est, et in aetérnum réquies eórum. Psalm. Crédidi. xvii.

Capitulum, et Hymnus ut in primis Vesperis. xliv.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Ad Magnif. Añа. Gaudent in coelis * ánimae Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti: et quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exúltant sine fine.

II. ALIAE LECT.
PRO PLUR. MARTYRIBUS.

In secundo Nocturno.
Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.
Serm. primo de Mart. t. 3.

Lectio iv.

QUEMO est qui nésciat, Mártyrum glórias ad hoc divíno consílio a Dei pópulis frequentári, ut et illis débitus honor dicétur et nobis virtútis exémpla, favénte Christo, monstréntur: ut, dum haec ita celebrári perspícimus, cognoscámus quanta eos glória máneat in coelis, quorum natalítia táliter celebrántur in terris: quo possímus étiam, ipsi tálibus provocári exémplis, virtúte pari, devotióne consímili ac fide: ut, Christo praestánte, dimicáre, et víncere hostem possímus: ut, parta victória, cum iísdem Sanctis in regnis coeléstibus triumphémus.

℟. Sancti tui. l.

Lectio v.

QUIS est enim, qui eórum volens mérito copulári, nisi prius constántiam eórum téneat, sectétur fidem, imitétur virtútem passiónis, eórum glóriam páribus vitae lineaméntis aut invéniat, aut exquírat? Qui etsi martyrio par esse non possit, tamen múneris

tanti dignitáte se quisque bonis áctibus dignum praebeat. Adest enim clementíssimus Deus, qui desiderántibus suis aut martyrium praebeat, aut sine martyrio cum sanctis praemia divína retríbuat.

℟. Vérbera. l.

Lectio vi.

UT enim infirmátur peccátor advérsis, ita justus tentatiónibus roborátur. Sic dimicárunt advérsus peccátum sancti: sic et laborándo fortióres et moriéndo victóres effécti sunt. Nullus athlétes sine certámine fórtior dici, nullus sine victória póterit coronári. Nemo miles sine praelio hostem subjécit: nemo sine bello imperatórem proméruit. Habes, Christiáne, competéntia arma, quibus hostem expúgnes: habes fortíssima tela, quibus inimícum debélles.

℟. Tamquam. li.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* vi. *c.*

IN illo témpore: Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judaea, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis. Et réliqua. Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 5. *in Lucae cap.* vi.

ADVERTE ómnia diligénter, quómodo et cum Apóstolis ascéndat, et descéndat ad turbas. Quómodo enim turba nisi in húmili Christum vidéret? Non séquitur ad excélsa, non ascéndit ad sublímia. Dénique ubi descéndit, invénit infírmos: in excélsis enim infírmi esse non possunt. Hinc étiam Matthaeus docet, in inferióribus débiles esse sanátos. Prius enim unusquísque sanándus est, ut paulátim virtútibus procedéntibus ascéndere possit ad montem. Et ídeo quemque in inferióribus sanat, hoc est, a libídine révocat, injúriam caecitátis avértit. Ad vúlnera nostra descéndit: ut usu quodam et cópia suae natúrae, compartícipes nos fáciat esse regni coeléstis.

℟. Propter. liv.

Lectio viii.

BEATI páuperes, quia vestrum est regnum Dei. Quátuor tantum beatitúdines sanctus Lucas Domínicas pósuit, octo vero sanctus Matthaeus: sed in illis octo istae quátuor sunt, et in quátuor istis illae octo. Hic enim quátuor velut virtútes amplexus

est cardináles : ille in illis octo mysticum número reserávit. Pro octáva enim multi inscribúntur Psalmi : et mandátum áccipis octo illis partem dare fortásse benedictiónibus. Sicut enim spei nostrae octáva perféctio est, ita octáva summa virtútum est.

℟. Sancti mei. liv.

Lectio ix.

SED prius quae sunt amplióra videámus. Beáti, inquit, páuperes, quóniam vestrum est regnum Dei. Primam benedictiónem hanc utérque Evangelísta pósuit. Ordine enim prima est, et parens quaedam generatióque virtútum: quia qui contémpserit saeculária, ipse merébitur sempitérna : nec potest quisquam méritum regni coeléstis adipísci, qui mundi cupiditáte pressus, emergéndi non habet facultátem.

Te Deum laudámus. 17.

III. ALIA HOMILIA.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xii.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Atténdite a ferménto Pharisaeórum, quod est hypócrisis. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedae Presbyteri.

Lib. 4. *in Lucam, C.* lii.

E hoc ferménto Apóstolus praecipit: Itaque epulémur, non in ferménto véteri, neque in ferménto malítiae et nequítiae, sed in ázymis sinceritátis et veritátis. Nam sicut módicum ferméntum totam farínae, cui injícitur, massam corrúmpit, universámque mox conspersiónē suo sapóre commáculat : sic nimírum simulátio, cujus semel ánimum imbúerit, tota virtútum sinceritáte et veritáte fraudábit. Est ergo sensus: Atténdite ne aemulémini simulatóres : quia véniet profécto tempus, in quo et vestra virtus ómnibus, et eórum revelétur hypócrisis.

℟. Propter. liv.

Lectio viii.

VERUM quod séquitur : Quóniam quae in ténebris dixístis, in lúmine dicéntur : non solum in futúro, quando cuncta córdium abscóndita proferéntur ad lucem, sed et in praesénti témpore potest congruénter áccipi : quóniam quae inter ténebras quondam pressurárum, carcerúmque umbras, vel locúti, vel passi sunt Apóstoli, nunc clarificáta

per orbem Ecclésia, lectis eórum áctibus, públice praedicántur. Ne terreámini ab his qui occídunt corpus. Si persecutóres Sanctórum, occísis corpóribus, non habent ámplius quid contra illos agant, ergo supervácua furunt insánia, qui mórtua Mártyrum membra feris avibúsque discerpénda projíciunt, cum nequáquam omnipoténtiae Dei, quin ea resuscitándo vivíficet, obsístere possint.

℟. Sancti mei. liv.

Lectio ix.

DUO autem sunt génera persecutórum : unum palam saeviéntium, álterum ficte fraudulentérque blandiéntium. Contra utrúmque nos munire atque instituere volens Salvátor, et supra ab hypócrisi Pharisaeórum atténdere, et hic a carnificum caede praecipit non timére : quia vidélicet post mortem nec horum crudélitas, nec illórum váleat simulátio duráre. Nonne quinque pásseres véneunt dipóndio? Si minutíssima, inquit, animália, et quae quólibet per áera feruntur volatília, Deus oblivísci non potest; vos qui ad imáginem facti estis Creatóris, non debétis terréri ab his qui occídunt corpus : quia qui irrationabília animália gubérnat, rationabília cura re non désinit.

Te Deum laudámus. 17.

Commune
CONFESSORIS PONTIFICIS.

AD VESPERAS.

Ańa. Ecce sacérdos, cum reliquis de Laud. lxxi. Ps. Dixit Dñus, cum reliq. ut in Communi Apostolorum. ii.

Capitulum. *Eccli.* xliv. *c*

ECCE sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus : et in témpore iracúndiae factus est reconciliátio.

Hymnus.

ISTE Conféssor Dñi, coléntes
Quem pie laudant pópuli per orbem,
Hac die laetus méruit beátas
Scándere sedes.

Si non est dies obitus, dicatur :

Hac die laetus méruit suprémos
Laudis honóres.

Qui pius, prudens, húmilis, pudícus,
Sóbriă duxit sine labe vitam,
Donec humános animávit aurae
Spíritus artus.

Cujus ob praestans méritum, frequénter
Ægra quae passim jacuére membra,
Víribus morbi dómitis, salúti
Restituúntur.

Noster hinc illi Chorus obsequéntem
Cóncinit laudem, celebrésque palmas ;
Ut piis ejus précibus juvémur
Omne per aevum.

Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super coeli sólio corúscans,
Totíus mundi sériem gubérnat,
Trinus, et unus.
Amen.

℣. Amávit eum Dñus, et ornávit eum. ℟. Stólam glóriae índuit eum.

Ad Magnif. Antiphona. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio.

DA, quaesumus omnípotens Deus : ut beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis veneránda soléminitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

Alia Oratio.

EXAUDI, quaesumus Dñe, preces nostras, quas in beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus : et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Pro Doctoribus, in utrisque Vesp. ad Magnif., Aña. O Doctor óptime, Ecclésiae sanctae lumen, beáte N. divínae legis amátor, deprecáre pro nobis fílium Dei.

Oratio.

DEUS, qui pópulo tuo aetérnae salútis beátum N. minístrum tribuísti: praesta quaesumus; ut, quem doctórem vitae habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in coelis. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitat. Regem Confessórum Dñum, * Veníte, adorémus. Ps. Veníte. 2.

Hymn. Iste Conféssor.

In primo Nocturno.

Aña. Beátus vir, * qui in lege Dómini meditátur : volúntas ejus pérmanet die ac nocte, et ómnia quaecúmque fáciet, semper prosperabúntur

Psalmus 1.

EATUS vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit,* et in cáthedra pestilentiae non sedit :

Sed in lege Dñi volúntas ejus,* et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quaecúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terrae.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Aña. Beátus vir, qui in

lege Dómini meditátur: volúntas ejus pérmanet die ac nocte, et ómnia quaecúmque fáciet, semper prosperabúntur.

Aña. Beátus iste sanctus, qui confísus est in Dómino, praedicávit praecéptum Dñi, constitútus est in monte sancto ejus.

Psalmus ii.

QUARE fremuérunt Gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terrae, et príncipes convenérunt in unum, * advérsus Dñum et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in coelis irridébit eos : * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * praedicans praecéptũ ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi Gentes haereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terrae.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas figuli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite : * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dño in timóre : * et exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínã, nequándo irascátur Dñus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Aña. Beátus iste sanctus, qui confísus est in Dómino, praedicávit praecéptum Dómini, constitútus est in monte sancto ejus.

Antiphona. Tu es glória mea, * tu es suscéptor meus, Dómine : tu exáltans caput meum, et exaudísti me de monte sancto tuo.

Psalmus iii.

DOMINE, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimae meae : * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dñe, suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum : * et exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : * exúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti

omnes adversántes mihi sine causa : * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ańa. Tu es glória mea, tu es suscéptor meus, Dñe : tu exáltans caput meum, et exaudísti me de monte sancto tuo.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriae índuit eum.

Pater noster. Absolutio. Exáudi, Dómine. ℣. Jube, domne. Benedíctio. Benedictióne perpétua.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio i. *Cap.* iii.

FIDELIS sermo : Si quis Episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Opórtet ergo Epíscopum irreprehensíbilem esse, uníus uxóris virum, sóbrium, prudéntem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem, non vinoléntum, non percussórem, sed modéstum ; non litigiósum, non cúpidum, sed suae dómui bene praepósitum, fílios habéntem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suae praeésse nescit, quómodo Ecclésiae Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum : ne in supérbiam elátus, in judícium incidat diáboli. Opórtet autem illum et testimónium habére bonum ab iis qui foris sunt, ut non in oppróbrium incidat, et in láqueum diáboli.

℟. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam : Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum.—Intra. Benedíctio. Unigénitus.

De Epístola ad Titum.

Lectio ii. *Cap.* i. *b.*

OPORTET enim Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem : non supérbum, non iracúndum, non vinoléntum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum ; sed hospitálem, benígnum, sóbrium, justum, sanctum, continéntem, amplecténtem eum, qui secúndum doctrínam est, fidélem sermónem : ut potens sit exhortári in doctrína sana, et eos, qui contradícunt, argúere. Sunt enim multi étiam inobediéntes, vaníloqui, et seductóres ; máxime qui de circumcisióne sunt, quos opórtet redárgui : qui univérsas domos subvértunt, docéntes quae non opórtet, turpis lucri grátia.

℟. Ecce sacérdos ma-

gnus, qui in diébus suis plácuit Deo : * Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. ℣. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. —Ideo. Bened. Spíritus sancti grátia.

Lectio iii. *Cap.* ii.

TU autem lóquere quae decent sanam doctrínam : Senes ut sóbrii sint, pudíci, prudéntes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntia : Anus simíliter in hábitu sancto, non criminatríces, non multo vino serviéntes, bene docéntes : ut prudéntiam dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, fílios suos díligant, prudéntes, castas, sóbrias, domus curam habéntes, benígnas, súbditas viris suis, ut non blasphemétur verbum Dei. Júvenes simíliter hortáre ut sóbrii sint. In ómnibus teípsum praebe exémplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum sanum, irreprehensíbile : ut is, qui ex advérso est, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

℟. Jurávit Dóminus, et non poenitébit eum : * Tu es sacérdos in aetérnum secúndum órdinem Melchísedech. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo: Sede a dextris meis.—Tu es sacérdos. Glória Patri. Tu es sacérdos.

In secundo Nocturno.

Aña. Invocántem * exaudívit Dñus sanctum suum, Dóminus exaudívit eum, et constítuit eum in pace.

Psalmus iv.

UM invocárem exaudívit me Deus justítiae meae : * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quaeritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : * Dóminus exáudiet me cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre : * quae dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiae, et speráte in Dño. * Multi dicunt : Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine: * dedísti laetítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam;

Quóniam tu, Dómine, singulariter in spe * constituísti me.

Ańa. Invocántem exaudívit Dóminus sanctum suum, Dñus exaudívit eum, et constítuit eum in pace.

Ańa. Laeténtur omnes, * qui sperant in te, Dómine : quóniam tu benedixísti justo, scuto bonae voluntátis tuae coronásti eum.

Psalmus v.

VERBA mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meae,* Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : * Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo : * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus : * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem : * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus : * ego autem in multitúdine misericórdiae tuae.

Introíbo in domum tuam: * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dñe, deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant, * júdica illos Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et laeténtur omnes, qui sperant in te, * in aetérnum exultábunt : et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum:* quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonae voluntátis tuae * coronásti nos.

Ańa. Laeténtur omnes, qui sperant in te, Dómine : quóniam tu benedixísti justo, scuto bonae voluntátis tuae coronásti eum.

Ańa. Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra ! quia glória et honóre coronásti Sanctum tuum, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Psalmus viii.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra !

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super coelos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos,* ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo coelos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quae tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus ? * aut filius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus,* oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres coeli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dñus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra !

Ańa. Dómine Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra ! quia glória et honóre coronásti Sanctum tuum, et constituísti eum super ópera manuum tuárum.

℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Pater noster. Absolutio. Ipsíus piétas. ℣. Jube, domne. Benedictio. Deus Pater omnípotens.

Sermo S. Máximi Epíscopi. *Hom.* lix. *de S. Euseb.* ii.

Lectio iv.

SD sancti ac beatíssimi Patris nostri N. cujus hódie festa celebrámus, laudes addidísse, áliquid decerpsísse est : síquidem virtútum ejus grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scriptúra : Glória Patris est filius sápiens : quantae hujus sunt glóriae, qui tantórum filiórum sapiéntia, et devotióne laetátur ? In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. —Manus. Benedictio. Christus perpétuae.

Lectio v.

QUIDQUID ígitur in hac sancta plebe potest esse virtútis et grátiae, de hoc quasi quodam fonte lucidíssimo, ómnium rivulórum púritas emanávit. Etenim quia castitátis pollébat vigóre, quia abstinéntiae gloriabátur angústiis, quia blandiméntis erat praeditus lenitátis, ómnium cívium in Deum

provocávit affléctum : quia Pontíficis administratióne fulgébat, plures e discípulis relíquit sui sacerdótii successóres.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus. Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi.

BENE et cóngrue in hac die, quam nobis beáti Patris nostri N. ad paradísum tránsitus exultábilem reddit, praeséntis Psalmi versículum decantávimus : In memória aetérna erit justus. Digne enim in memóriam vértitur hóminum, qui ad gáudium tránsiit Angelórum. Dicit sermo divínus : Ne laudes hóminem in vita sua : tamquam si díceret : Lauda post vitam, magnífica post consummatiónem. Dúplici enim ex causa utílius est hóminum magis memóriae laudem dare, quam vitae ; ut illo potíssimum témpore mérita sanctitátis extóllas, quando nec laudántem adulátio movet, nec laudátum tentat elátio.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tertio Nocturno.

Ant. Dómine, iste Sanctus * habitábit in tabernáculo tuo, operátus est justítiam, requiéscet in monte sancto tuo.

Psalmus xiv.

DOMINE, quis habitábit in tabernáculo tuo ? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo ?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam :

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum glorífical :

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super nnocéntem non accépit.

Qui facit haec, * non movébitur in aetérnum.

Ant. Dñe, iste Sanctus habitábit in tabernáculo tuo, operátus est justítiam,

requiéscet in monte sancto tuo.

Ańa. Vitam pétiit * a te, et tribuísti ei, Dómine : glóriam et magnum decórem imposuísti super eum : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Psalmus xx.

DOMINE, in virtúte tua laetábitur rex : * et super salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidériu cordis ejus tribuísti ei : * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te : * et tribuísti ei longitúdinem diérum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo : * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in saeculum saeculi : * laetificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino : * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui : * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala : * cogitavérunt consília, quae non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum : * in relíquiis tuis praeparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua : * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Ańa. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei, Dómine : glóriam et magnum decórem imposuísti super eum : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Ańa. Hic accípiet * benedictiónem a Dño, et misericórdiam a Deo salutári suo : quia haec est generátio quaeréntium Dóminum.

Psalmus xxiii.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina praeparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini ? * aut quis stabit in loco sancto ejus ?

Innocens mánibus, et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam

suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Haec est generátio quaeréntium eum, * quaeréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles : * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae ? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in praelio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles : * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriae.

Aña. Hic accípiet benedictiónem a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo : quia haec est generátio quaeréntium Dñum.

℣. Tu es sacérdos in aetérnum. ℟. Secúndum órdinem Melchísedech.

Pater noster. Absolutio. A vínculis. ℣. Jube, domne. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xxv.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homília S. Gregórii Papae.

Homil. ix. *in Evang.*

LECTIO sancti Evangélii, fratres charíssimi, solícite consideráre nos ádmonet, ne nos, qui plus caeteris in hoc mundo accepísse áliquid cérnimur, ab Auctóre mundi grávius inde judicémur. Cum enim augéntur dona, ratiónes étiam crescunt donórum. Tanto ergo esse humílior, atque ad serviéndum Deo prómptior quisque debet ex múnere, quanto se obligatiórem esse cónspicit in reddénda ratióne. Ecce homo, qui péregre proficíscitur, servos suos vocat, eísque ad negótium taléntа partítur. Post multum vero témporis posítúrus ratiónem revértitur. Bene operántes pro apportáto lucro remúnerat, servum vero a bono ópere torpéntem damnat.

℟. Amávit eum Dóminus et ornávit eum, stolam glóriae índuit eum : * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dñus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas. Bened. Cujus festum cólimus.

Lectio viii.

QUIS ítaque iste homo est, qui péregre proficíscitur, nisi Redémptor

noster, qui in ea carne quam assúmpserat, ábiit in coelum? Carnis enim locus próprius terra est: quae quasi ad peregrína dúcitur, dum per Redemptórem nostrum in coelo collocátur. Sed homo iste péregre proficíscens, servis suis bona sua trádidit, quia fidélibus suis spirituália dona concéssit. Et uni quidem quinque talénta, álii duo, álii vero commísit unum. Quinque étenim sunt córporis sensus, vidélicet: visus, audítus, gustus, odorátus, et tactus. Quinque ergo taléntis, donum quinque sénsuum, id est, exteriórum sciéntia exprímitur. Duóbus vero, intelléctus et operátio designátur. Uníus autem talénti nómine, intelléctus tantúmmodo designátur.

℟. Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dñus vester ventúrus sit.—Et vos símiles. Glória Patri. Et vos símiles. Benedíctio. Ad societátem.

Lectio ix.

SED is, qui quinque talénta accéperat, ália quinque lucrátus est: quia sunt nonnúlli, qui etsi intérna ac mystica penetráre nésciunt, pro intentióne tamen supérnae pátriae docent recta quos possunt, de ipsis exterióribus, quae accepérunt, duplum taléntum portant: dumque se a carnis petulántia, et a terrenárum rerum ámbitu, atque a visibílium voluptáte custódiunt, ab his étiam álios admonéndo compéscunt. Et sunt nonnúlli, qui quasi duóbus taléntis ditáti, intellectum atque operatiónem percípiunt, subtília de intérnis intélligunt, mira in exterióribus operántur. Cumque et intelligéndo et operándo áliis praedicant, quasi duplicátum de negótio lucrum repórtant.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES

et per Horas, Añae.

1. Ecce sacérdos magnus, * qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus. Psalm. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Non est invéntus * símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

3. Ideo jurejurándo * fecit illum Dóminus créscere in plebem suam.

4. Sacerdótes Dei, * benedícite Dóminum: servi Dómini, hymnum dícite Deo, allelúia.

5. Serve bone * et fidélis, intra in gáudium Dómini tui.

Capitulum. *Eccli.* xliv. *c.*

ECCE sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus: et in témpore iracúndiae factus est reconciliátio.

Hymnus.

JESU, Redémptor ómnium,
Perpes coróna Praesulum,
In hac die cleméntius
Indúlgeas precántibus.

Tui sacri qua nóminis
Confessor almus cláruit:
Hujus celébrat ánnua
Devóta plebs solémnia.

Qui rite mundi gáudia
Hujus cadúca réspuens,
Æternitátis praemio
Potítur inter Angelos.

Hujus benígnus ánnue
Nobis sequi vestígia,
Hujus precátu sérvulis
Dimítte noxam críminis.

Sit, Christe Rex piíssime,
Tibi, Patríque glória,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, et per omne saeculum. Amen.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Aña. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio.

DA, quaesumus omnípotens Deus: ut beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis, veneránda solémnitas et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Alia Oratio.

EXAUDI, quaesumus Dómine, preces nostras, quas in beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis, solemnitáte deférimus: et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dñum.

AD TERTIAM.

Aña. Non est invéntus.

Capit. Ecce sacérdos, ut supra.

℟. br. Amávit eum Dóminus, * Et ornávit eum. Amávit. ℣ Stolam glóriae índuit eum. Et ornávit. Glória Patri. Amávit.

℣ Elégit eum Dñus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

AD SEXTAM.

Aña. Ideo jurejurándo.

Capitulum. *Eccli.* xliv. *c.*

NON est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi: ídeo jurejurándo fecit illum Dñus créscere in plebem suam.

℟ br. Elégit eum Dóminus * Sacerdótem sibi.

Elégit. ℣. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis. Sacerdótem. Glória. Elégit.

℣. Tu es sacérdos in aetérnum. ℟. Secúndum órdinem Melchísedech.

AD NONAM.

Ańa. Serve bone.

Capitulum. *Eccli.* xlv. *c.*

FUNGI sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsíus, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

℟. br. Tu es sacérdos * In aetérnum. Tu es. ℣. Secúndum órdinem Melchísedech. In aetérnum. Glória Patri. Tu es.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

AD VESPERAS.

Ańa. Ecce sacérdos, cum reliquis de Laudibus. lxxi. Psalmus. Dixit Dóminus, cum reliquis de Commun Apost. ii. et loco últimi :

Psalmus cxxxi.

MEMENTO, Dómine, David, * et omnis mansuetúdinis ejus.

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob :

Si introíero in tabernáculum domus meae, * si ascéndero in lectum strati mei :

Si dédero somnum óculis meis, * et pálpebris meis dormitatiónem :

Et réquiem tempóribus meis : donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephrata : * invénimus eam in campis silvae.

Introíbimus in tabernáculum ejus : * adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus.

Surge, Dñe, in réquiem tuam, * tu et arca sanctificatiónis tuae.

Sacerdótes tui induántur justítiam : * et sancti tui exúltent.

Propter David servum tuum, * non avértas fáciem Christi tui.

Jurávit Dñus David veritátem, et non frustrábitur eam : * de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodíerint fílii tui testaméntum meum, * et testimónia mea haec, quae docébo eos :

Et fílii eórum usque in saeculum, * sedébunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion : * elégit eam in habitatiónem sibi.

Haec réquies mea in saeculum saeculi : * hic habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam : * páuperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam salutári : * et sancti ejus exultatióne exultábunt.

Illuc prodúcam cornu David, * parávi lucérnam Christo meo.

Inimícos ejus índuam confusióne : * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

Capit. et Hymnus, ut supra in primis Vesp. lxi.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. Ańa Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriae índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Sequens Ańa dicitur ad Magnif., in secundis Vesperis pro solis Summis Pont.

Ańa. Dum esset Summus Póntifex, * terréna non métuit, sed ad coeléstia regna gloriósus migrávit.

Si occurrat celebrari Festum plurim. Pont. et Conf. Officium fit ut supra : sed in Oratione et Sermone, quae ponuntur in singulari, dicantur in plurali ; et in primo Noct. legantur sequentes Lect. de Scriptura.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* xliv.

LAUDEMUS viros gloriósos, et paréntes nostros in generatióne sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua a saeculo. Dominántes in potestátibus suis, hómines magni virtúte, et prudéntia sua praediti, nuntiántes in Prophétis dignitátem Prophetárum, et imperántes in praesénti pópulo, et virtúte prudéntiae pópulis sanctíssima verba. In perítia sua requiréntes modos músicos, et narrántes cármina scripturárum.

℟. Euge, serve. lxiv

Lectio ii.

HOMINES dívites in virtúte, pulchritúdinis stúdium habéntes : pacificántes in dómibus suis. Omnes isti in generatiónibus gentis suae glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus. Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum : et sunt quorum non est memória : periérunt quasi qui non fúerint : et nati sunt, quasi non nati, et fílii ipsórum cum ipsis.

℟. Ecce sacérdos. lxiv.

Lectio iii.

SED illi viri misericórdiae sunt, quorum pietátes non defuérunt : cum sémine eórum pérmanent bona, haeréditas sancta nepótes eórum et in testaméntis stetit semen eórum : et fílii eórum propter illos usque in aetérnum manent : semen eórum et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in

pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

℟. Jurávit Dóminus. lxv.

II. ALIAE LECTIONES PRO PONT. ET CONF.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Máximi Epíscopi. *Ex Hom.* lix. *de S. Euseb.* 2.

Lectio iv.

BEATI Patris N. mérita jam in tuto pósita secúri magnificémus : qui gubernáculum fídei viríliter tenens, ánchoram spei tranquílla jam in statióne compósuit, et plenam coeléstibus divítiis et aetérnis mércibus navem optáto in líttore collocávit : qui contra omnes adversários scutum timóris Dei támdiu infatigabíliter ténuit, donec ad victóriam perveníret. Quid enim fuit totus vitae illíus cursus, nisi unus cum vígili hoste conflíctus ?

℟. Invéni David. lxvii.

Lectio v.

QUANTIS hic caecis a via veritátis errántibus, et de summa jam in profúndum rupe pendéntibus amíssum réddidit visum, et illum, quo Christus viderétur reparávit intúitum ? Quantórum áuribus surdis, et infidelitátis obturatióne damnátis, ad percipiéndam vocem coeléstium mandatórum, pretiósum infúdit audítum, ut vocánti Deo ad misericórdiam respondérent per obediéntiam ? Quantos intrínsecus vulnerátos, angélici oris arte et oratiónum, ab infirmitáte curávit ?

℟. Pósui. lxviii.

Lectio vi.

QUANTOS per longam incúriam peccáti labe resolútos, et quadam leprae contagióne perfúsos, castigatiónibus et exhortatiónibus expiándo, Deo in se operánte, mundávit ? Quantórum ánimas vivéntes in córpore jam defúnctas, et delictórum mole óbrutas ac sepúltas, ad emendatiónem tamquam ad lucem vocándo, Deo resuscitávit : ut Dómini sui admirándus imitátor, jam mórtuas Deo, e contrário mortíficet vitáli morte peccáto ?

℟. Iste est qui. lxviii.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xxiv. *d.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi.

Comm. in Matth. cap. xxvi.

T ignorántiam illam diéi ómnibus táciti, non sine útilis siléntii ratióne esse scirémus, vigiláre nos Dñus propter advéntum furis admónuit, et oratiónum assiduitáte deténtos, ómnibus praeceptórum suórum opéribus inhaerére. Furem enim esse osténdit zábulum, ad detrahénda ex nobis spólia pervígilem, et córporum nostrórum dómibus insidiántem ; ut ea incuriósis nobis, et somno déditis, consiliórum suórum atque illecebrárum jáculis perfódiat. Parátos ígitur esse nos cónvenit : quia diéi ignorátio inténtam sollicitúdinem suspénsae expectatiónis exágitet.

℟. Amávit eum. lxx.

Lectio viii. *Cap.* xxvii.

QUISNAM est fidélis servus et prudens, quem constítuit Dñus super famíliam suam? Quamquam in commúne nos ad indefessam vigilántiae curam adhortétur : speciálem tamen pópuli princípibus, id est Epíscopis, in expectatióne adventúque suo sollicitúdinem mandat. Hunc enim servum fidélem atque prudéntem, praepósitum famíliae significat, cómmoda atque utilitátes commíssi sibi pópuli curántem. Qui si dicto áudiens, et praecéptis obédiens erit, id est, si doctrínae opportunitáte et veritáte infirma confírmet, disrúpta consólidet, depraváta convértat, et verbum vitae in aeternitátis cibum aléndae famíliae dispéndat, atque haec agens, hisque ímmorans deprehendátur, glóriam a Dómino tamquam dispensátor fidélis, et víllicus útilis consequétur, et super ómnia bona constituétur ; id est, in Dei glória collocábitur, quia nihil sit ultra, quod mélius sit.

℟. Sint lumbi. lxxi.

Lectio ix.

QUOD si cóntuens longam Dei patiéntiam, quae in profectum humánae salútis exténditur, advérsum conservos insoléscet, et saeculi malis vitiísque se tradet, praeséntium tantum curam in cultu ventris exércens: desperáta die Dóminus advéniet, eúmque a bonis, quae spopónderat, dívidet, portionémque ejus cum hypócritis in poenae aeternitáte constítuet : quia advéntum desperáverit, quia mandátis non obtemperáverit, quia praeséntibus studúerit, quia vita Géntium víxerit, quia desperatióne judícii commíssam sibi fa-

míliam fame, siti, caede vexáverit.

Te Deum laudámus. 18.

PRO DOCTORIBUS.

Ad Magníficat in utrísque Vesperis.

Ant. O Doctor óptime, * Ecclésiae sanctae lumen, beáte N. divínae legis amator, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

Oratio.

DEUS, qui pópulo tuo aetérnae salútis beátum N. minístrum tribuísti: praesta, quaesumus: ut, quem Doctórem vitae habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in coelis. Per Dóminum.

Lectiones sequentes leguntur in Festis Doctorum. Officium autem in illis fit de Confessoribus Pontificibus, vel non Pontificibus, pro qualitate Festi.

In primo Nocturno.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* xxxix.

SAPIENTIAM ómnium antiquórum exquíret sápiens, et in prophétis vacábit. Narratiónē virórum nominatórum conservábit, et in versútias parabolárum simul introíbit. Occúlta proverbiórum exquíret, et in abscónditis parabolárum conversábitur. In médio magnatórum ministrábit, et in conspéctu praesídis apparébit. In terram alienigenárum géntium pertránsiet: bona enim et mala in homínibus tentábit.

℟. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: * Intra in gáudium Dñi tui. ℣. Dñe, quinque talénta tradidísti mihi: ecce ália quinque superlucrátus sum.—Intra in gáudium.

Lectio ii.

COR suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne, et pro delíctis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiae replébit illum: et ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiae suae, et in oratióne confitébitur Dómino: et ipse díriget consílium ejus, et disciplínam, et in abscónditis suis consiliábitur.

Pro Doctore Pontifice.

℟. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo: * Ideo jurejurándo fecit illum Dñus créscere in plebem suam. ℣. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super

caput ejus.—Ideo jurejurándo.

Pro Doctore non Pont.

℟. Justus germinábit sicut lílium : * Et florébit in aetérnum ante Dñum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. —Et florébit.

Lectio iii.

IPSE palam fáciet disciplínam doctrínae suae, et in lege testaménti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, et usque in saeculum non delébitur. Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, et laudem ejus enuntiábit Ecclésia.

Pro Doctore Pontifice.

℟. Jurávit Dóminus, et non poenitébit eum : * Tu es sacérdos in aetérnum secúndum órdinem Melchísedech. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo : Sede a dextris meis.—Tu es. Glória Patri. Tu es.

Pro Doctore non Pont.

℟. Iste cognóvit justítiam, et vidit mirabília magna, et exorávit Altíssimum : * Et invéntus est in número Sanctórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Et invéntus. Glória Patri. Et invéntus.

In secundo Nocturno.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papae.

Lectio iv. *Lib. 9. cap.* vi.

QUI post Oríonas Hyadum nómine, nisi Doctóres sanctae Ecclésiae designántur? Qui subdúctis Martyribus, eo jam témpore ad mundi notítiã venérunt, quo fides clárius elúcet : et représsa infidelitátis híeme, áltius per corda fidélium sol veritátis calet. Qui remóta tempestáte persecutiónis, explétis longis nóctibus infidelitátis, tunc sanctae Ecclésiae orti sunt, cum ei jam per credulitátis vernum lucídior annus aperítur.

Pro Doctore Pontifice.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum · * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus.

Pro Doctore non Pont.

℟. Honéstum fecit illum Dñus, et custodívit eum ab inimícis : et a seductóribus tutávit illum :* Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Et dedit.

Lectio v.

DEC immérito Doctóres sancti Hyadum nuncupatióne signántur.

Graeco quippe elóquio hyetos plúvia vocátur, et Hyades nomen a plúviis accepérunt : quia ortae procul dúbio imbres ferunt. Bene ergo Hyadum appellatióne exprássi sunt, qui ad statum universális Ecclésiae, quasi in coeli fáciem dedúcti, super aréntem terram humani péctoris sanctae praedicatiónis imbres fudérunt. Si enim praedicatiónis sermo plúvia non esset, Móyses mínime dixísset : Expectétur sicut plúvia elóquiu meum : et nequáquam per Isaíam Véritas díceret : Mandábo núbibus meis, ne pluant super eam imbrem: atque hoc, quod paulo ante protúlimus : Quámobrem prohíbitae sunt stillae pluviárum.

Pro Doctore Pontifice.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus.

Pro Doctore non Pont.

℟. Amávit eum Dñus, et ornávit eum, stolam glóriae índuit eum : * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Índuit eum Dñus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et.

Lectio vi.

DUM ergo Hyades cum plúviis véniunt, ad coeli spátia altióra sol dúcitur : quia apparénte Doctórum sciéntia, dum mens nostra imbre praedicatiónis infúnditur, fídei calor augétur. Et perfúsa terra ad fructum próficit, cum lumen aetheris ignéscit : quia ubérius frugem boni óperis réddimus, dum per sacrae eruditiónis flammam in corde clárius ardémus. Dumque per eos diébus síngulis magis magísque sciéntia coeléstis osténditur, quasi intérni nobis lúminis vernum tempus aperítur : ut novus sol nostris méntibus rútilet, et eórum verbis nobis cógnitus seípso quotídie clárior micet. Urgénte étenim mundi fine, supérna sciéntia próficit, et lárgius cum témpore excréscit.

Pro Doctore Pontifice.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna. — Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

Pro Doctore non Pont.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit

vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* v. *b.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vos estis sal terrae. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur ? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. i. *de Sermone Domini in monte. C.* vi. *tom.* 4.

OSTENDIT Dñus fátuos esse judicándos, qui temporálium bonórum, vel cópiam sectántes, vel inópiam metuéntes, amíttunt aetérna, quae nec dari possunt ab homínibus nec auférri. Itaque si sal infatuátum fúerit, in quo saliétur ? id est, si vos, per quos condiéndi sunt quodámmodo pópuli, metu persecutiónum temporálium amiséritis regna coelórum, qui erunt hómines, per quos a vobis error auferátur : cum vos elégerit Deus, per quos errórem auferat caeterórum ?

Pro Doctore Pontifice.

℟. Amávit eum Dñus et ornávit eum, stolam glóriae índuit eum : Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dñus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Pro Doctore non Pont.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dñum. * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua.—Ipse intercédat.

Lectio viii.

ERGO ad níhilum valet sal infatuátum, nisi ut mittátur foras, et calcétur ab homínibus. Non ítaque calcátur ab homínibus, qui pátitur persecutiónem : sed qui persecutiónem timéndo infatuátur. Calcári enim non potest nisi inférior : sed inférior non est, qui quamvis córpore multa in terra sustíneat, corde tamen fixus in coelo est.

℟. In médio Ecclésiae apéruit os ejus, * Et implévit eum Dñus spíritu sapiéntiae et intellectus. ℣. Jucunditatem et exultatiónem thesaurizávit super eum.—Et implévit. Glória Patri. Et implévit.

Lectio ix.

VOS estis lumen mundi. Quómodo dixit supérius sal terrae, sic nunc dicit lumen mundi. Nam neque supérius ista terra-

accipiénda est, quam pédibus corpóreis calcámus : sed hómines, qui in terra hábitant, vel étiam peccatóres, quorum condiéndis et extinguéndis putóribus apostólicum salem Dñus misit. Et hic mundum, non coelum et terram, sed hómines, qui sunt in mundo, vel díligunt mundum, opórtet intélligi, quibus illuminándis Apóstoli missi sunt: Non potest cívitas abscóndi super montem pósita : id est, fundáta super insígnem magnámque justítiam, quam significat étiam ipse mons, in quo dísputat Dóminus.

Te Deum laudámus. 18.

II. ALIA HOMILIA.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* v. *b.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vos estis sal terrae. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Episcopi.

Comm. in Matth. cap. v.

VOS estis sal terrae : quod si sal infatuátum fúerit, ad níhilum valet id quod saliétur. Sal, ut árbitror, terrae nullum est. Quómodo ergo Apóstolos sal terrae nuncupávit? Sed propríetas est quaerénda dictórum, quam et Apostolórum officium, et ipsíus salis natúra monstrábit. Sal est in se uno cóntinens aquae et ignis eleméntum, et hoc ex duóbus est unum.

℟. ut supra. lxxx.

Lectio viii.

HIC ígitur in omnem usum humáni géneris effectus, incorruptiónem corpóribus, quibus fúerit aspérsus, impértit, et ad omnem sensum cónditi sapóris aptíssimus est. Apóstoli autem sunt rerum coeléstium praedicatóres, et aeternitátis velut satóres, immortalitátem ómnibus corpóribus, quibus eórum sermo aspérsus fúerit, conferéntes. ¶ Mérito ígitur sal terrae nuncupáti sunt, per doctrínae virtútem saliéndi modo aeternitáti córpora reservántes.

℟. ut supra. lxxx.

Lectio ix.

SED natúra salis semper éadem est, nec immutári unquam potest. Verum quia conversióni homo súbjacet, et solus beátus, qui usque ad finem in ómnibus Dei opéribus permánserit : ídeo eos sal terrae nuncupátos monet in tráditae sibi potestátis virtúte persístere, ne infatuáti nihil sáliant, et ipsi, sensu accépti sapóris amísso, vivificáre corrúpta non

possint, et projécti de Eccl̃siae promptuáriis, cum his, quos salíerint, pédibus incedéntium proterántur.

Te Deum laudámus. 18.

III. ALIA HOMILIA.

Léctio sancti Evangélii secúndum Mattheum.

Lectio vii *Cap.* v. *b.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vos estis sal terrae. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. xv. *in Matth. sub. med.*

ATTENDITE quid díxerit, Vos estis sal terrae : per quod osténdit, quam necessário ista praecípiat. Non enim de vestra, inquit, tantúmmodo vita, sed de univérso orbe vobis rátio reddénda est. Non ad duas quippe urbes, aut decem, aut vigínti, neque ad unam gentem vos mitto, sicut mittébam Prophétas ; sed ad omnem terram prorsus ac mare, totúmque mundum, et hunc váriis crimínibus oppréssum.

℟. ut supra. lxxx.

Lectio viii.

DICENDO enim, Vos estis sal terrae, osténdit univérsam hóminum infatuátam esse natúram, et peccatórum vi corrúptam, et idcírco illas ab eis virtútes requírit, quae máxime ad multórũ salútem procurándam necessáriae sunt atque útiles. Nam qui mansuétus est ac modéstus, et miséricors et justus, non intra se tantúmmodo haec recte facta conclúdit, verum in alióram quoque utilitátẽ praecláros hos fáciet efflúere fontes. Igitur qui corde mundo est atque pacíficus, et persecutiónẽ pro veritáte pátitur, nihilóminus in commúne cómmodum vitam instítuit.

℟. ut supra. lxxx

Lectio ix.

DE ígitur putétis, inquit, ad lévia vos ducéndos esse certámina, neque exiguárum rerum vobis ineúndam esse ratiónem. Vos estis sal terrae. Quid ígitur? Ipsine putrefácta medicáti sunt? Nequáquam: neque enim fieri potest, ut ea, quae jam corrúpta sunt, salis perfricatióne reparéntur. Non ergo hoc fecérunt, sed ante renováta, sibíque trádita, atque ab illa jam putrédine liberáta, aspergébant sale, et in ea novitáte conservábant, quam a Dño suscéperant. Liberáre quippe a putrédine peccatórum, Christi virtútis est : ut autem ad illa íterum non revertántur, Apostolórum curae est ac labóris.

Te Deum laudámus. 18.

Commune
CONFESSORIS NON PONTIFICIS.

AD VESPERAS.

Ańa. Dñe, quinque, ut infra ad Laudes. xciii. Ps. Dixit Dñus, cum reliquis ut in Communi Apost. ii.

Capitulum. *Eccli.* xxxi.

BEATUS vir, qui invéntus est sine mácula : et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua.

Hymnus.

ISTE Conféssor Dñi, coléntes
Quem pie laudant pópuli per orbem,
Hac die laetus méruit beátas
Scándere sedes

Si non est dies obitus, dicatur :

Hac die laetus méruit suprémos
Laudis honóres.

Qui pius, prudens, húmilis, pudícus,
Sóbriam duxit sine labe vitam,
Donec humános animávit aurae
Spíritus artus.

Cujus ob praestans méritum, frequénter
Ægra quae passim jacuére membra,
Víribus morbi dómitis, salúti
Restituúntur.

Noster hinc illi chorus obsequéntem
Cóncinit laudem, celebrésque palmas ;
Ut piis ejus précibus juvémur
Omne per aevum.

Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super coeli sólio corúscans,
Totíus mundi sériem gubérnat
Trinus et unus.
Amen.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriae índuit eum.

Ad Magnificat. Ańa. Similábo eum * viro sapiénti, qui aedificávit domum suam supra petram.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti N. Confessóris tui ánnua solemnitáte laetificas : concéde propítius ; ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Alia Oratio.

ADESTO, Dñe, supplicatiónibus nostris, quas in beáti N. Confessóris

tui solemnitáte deférimus ; ut, qui nostrae justítiae fidúciam non habémus, ejus, qui tibi plácuit, précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Si fuerit Abbas,

Oratio.

INTERCESSIO nos, quaesumus Dómine, beáti N. Abbátis comméndet : ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitat. Regem Confessórum Dóminum, * Veníte, adorémus. Ps. Veníte. 2.

Hymnus. Iste Conféssor, ut supra. lxxxiii.

In primo Nocturno.

Ant. Beátus vir, * qui in lege Dómini meditátur : volúntas ejus pérmanet die ac nocte, et ómnia quaecúmque fáciet, semper prosperabúntur.

Psalmus i.

BEATUS vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiae non sedit :

Sed in lege Dñi volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quaecúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem própicit ventus a fácie terrae.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in consílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Ant. Beátus vir, qui in lege Dómini meditátur : volúntas ejus pérmanet die ac nocte, et ómnia quaecúmque fáciet, semper prosperabúntur.

Ant. Beátus * iste Sanctus, qui confísus est in Dómino, praedicávit praecéptum Dñi, constitútus est in monte sancto ejus.

Psalmus ii.

QUARE fremuérunt Gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia ?

Astitérunt reges terrae, et príncipes convenérunt in unum, * advérsus Dñum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in coelis irridébit eos ; * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in

ira sua : * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * praedicans praecéptũ ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi Gentes haereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terrae.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas figuli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite : * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dño in timóre : * et exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínã, nequándo irascátur Dñus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Ańa. Beátus iste Sanctus, qui confísus est in Dómino, praedicávit praecéptum Dñi, constitútus est in monte sancto ejus.

Ańa. Tu es glória * mea, tu es suscéptor meus, Dómine : tu exáltans caput meum, et exaudísti me de monte sancto tuo.

Psalmus iii.

DOMINE, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me ? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimae meae : * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dñe, suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum : * et exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : * exúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa : * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ańa. Tu es glória mea, tu es suscéptor meus, Dñe: tu exáltans caput meum, et exaudísti me de monte sancto tuo.

℣. Amávit eum Dñus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriae índuit eum.

Pater noster. Absolutio. Exáudi, Dómine. ℣. Jube, domne. Benedictio. Benedictióne perpétua.

De libro Sapiéntiae.

Lectio i. *Cap.* iv. *b. et* v.

JUSTUS si morte praeoccupátus fúerit, in refrigério erit. Senéctus enim venerábilis est, non

diutúrna, neque annórum número computáta : cani autem sunt sensus hóminis, et aetas senectútis vita immaculáta. Placens Deo factus est diléctus, et vivens inter peccatóres translátus est. Raptus est ne malítia mutáret intellectum ejus, aut ne fictio decíperet ánimam illíus. Fascinátio enim nugacitátis obscúrat bona, et inconstántia concupiscéntiae transvértit sensum sine malítia. Consummátus in brevi explévit témpora multa : plácita enim erat Deo ánima illíus : propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum.

℟. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Dñe, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. —Intra. Bened. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio ii.

POPULI autem vidéntes, et non intelligéntes, nec ponéntes in praecórdiis tália : quóniam grátia Dei et misericórdia est in sanctos ejus, et respéctus in eléctos illíus. Condémnat autem justus mórtuus vivos ímpios, et juvéntus celérius consummáta longam vitam injústi. Vidébunt enim finem sapiéntis, et non intélligent quid cogitáverit de illo Deus, et quare munierit illum Dñus. Vidébunt et contémnent eum : illos autem Dóminus irridébit. Et erunt post haec decidéntes sine honóre, et in contumélia inter mórtuos in perpétuum : quóniam disrúmpet illos inflátos sine voce, et commovébit illos a fundaméntis, et usque ad suprémum desolabúntur.

℟. Justus germinábit sicut lílium :* Et florébit in aetérnum ante Dñum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri.—Et florébit. Bened. Spíritus sancti grátia.

Lectio iii.

ET erunt geméntes, et memória illórum períbit. Vénient in cogitatióne peccatórum suórum tímidi, et tradúcent illos ex advérso iniquitátes ipsórum. Tunc stabunt justi in magna constántia advérsus eos qui se angustiavérunt, et qui abstulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timóre horríbili, et mirabúntur in subitatióne insperátae salútis, dicéntes intra se, poeniténtiam agéntes, et prae angústia spíritus geméntes : Hi sunt quos habúimus aliquándo in derísum, et in similitúdinem impropérii. Nos insensáti vitam illórum

aestimabámus insániam, et finem illórum sine honóre: ecce quómodo computáti sunt inter fílios Dei, et inter sanctos sors illórum est.

℟. Iste cognóvit justítiã, et vidit mirabília magna, et exorávit Altíssimum : * Et invéntus est in número Sanctórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.— Et invéntus. Glória. Et.

In secundo Nocturno.

Aña. Invocántem exaudívit * Dñus Sanctum suum; Dñus exaudívit eum, et constítuit eum in pace.

Psalmus iv.

CUM invocárem exaudívit me Deus justítiae meae : * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úsquequo gravi corde ? * ut quid dilígitis vanitátem, et quaeritis mendácium ?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum :* Dñus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascímini et nolíte peccáre : * quae dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiae, et speráte in Dómino. * Multi dicunt : Quis osténdit nobis bona ?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dñe : * dedísti laetítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui, * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam ;

Quóniam tu, Dómine, singulárite in spe * constituísti me.

Aña. Invocántem exaudívit Dóminus Sanctum suum, Dñus exaudívit eum, et constítuit eum in pace.

Aña. Laeténtur omnes, * qui sperant in te, Dñe : quóniam tu benedixísti justo, scuto bonae voluntátis tuae coronásti eum.

Psalmus v.

VERBA mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meae, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : * Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi, et vidébo : * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus : * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem : * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

*

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dñus:* ego autem in multitúdine misericórdiae tuae.

Introíbo in domum tuam :*adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dñe, deduc me in justítia tua:*propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas: * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant, * júdica illos Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos: * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et laeténtur omnes, qui sperant in te : * in aetérnum exultábunt : et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum : * quóniam tu benedíces justo.

Dñe, ut scuto bonae voluntátis tuae* coronásti nos.

Aña. Laeténtur omnes, qui sperant in te, Dómine : quóniam tu benedixísti justo, scuto bonae voluntátis tuae coronásti eum.

Aña. Dómine Dóminus noster,* quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra ! quia glória et honóre coronásti Sanctum tuum, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Psalmus viii.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra !

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super coelos.

Ex ore infántium, et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo coelos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas quae tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus ? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum ?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera manuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pedibus ejus, * oves et boves univérsas, ínsuper et pécora campi.

Vólucres coeli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dñus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra !

Aña. Dómine Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa

terra! quia glória et honóre coronásti Sanctum tuum, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Pater noster. Absolutio. Ipsius píetas. ℣. Jube, domne. Bened. Deus Pater omnípotens.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

In Orat. de S. Philog. t. 3.

Léctio iv.

BEATI N, dies, cujus festivitátem celebrámus, ad ipsíus recte factórum enarratiónem linguam nostram evocavit : síquidem hódie beátus iste ad tranquíllam, omnísque perturbatiónis expértem vitam tránsiit : eóque navígium áppulit, ubi deínceps non póterit metúere naufrágium, nec ullam ánimi perturbatiónem, aut dolórem. Et quid mirum est, si locus ille purus est ab omni moléstia ánimi, cum Paulus homínibus adhuc in hac vita degéntibus loquens, dicat : Semper gaudéte, sine intermissióne oráte ?

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.— Et dedit. Benedictio. Christus perpétuae.

Léctio v.

QUOD si hic, ubi morbi, ubi insectatiónes, ubi praematúrae mortes, ubi calúmniae, ubi invídiae, ubi perturbatiónes, ubi irae, ubi cupiditátes, ubi innumerábiles insídiae, ubi quotidiánae sollicitúdines, ubi perpétua sibique succedéntia mala sunt, innúmeros ex omni parte dolóres afferéntia, Paulus dixit fieri posse ut semper gaudeámus, si quis páululum ex rerum mundanárum flúctibus eréxerit caput, vitámque suam recte composúerit : multo magis, postquam hinc demigravérimus, fácile cómpotes érimus ejus boni, cum haec ómnia sublata fúerint, advérsa valetúdo, morbi, peccándi matéria, ubi non est meum ac tuum, frígidum illud verbum, et quidquid est malórum in vitam nostram ínvehens innuméraque gignens bella.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriae índuit eum: * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.— Et ad portas. Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi.

QUAMOBREM maximópere grátulor hujus Sancti felicitáti, quod quamquam translátus est, atque hanc, quae apud nos est, civitátem reliquit, tamen in álteram adscríptus est civitátem nempe Dei : et digréssus ab hac Ecclésia, ad illam pervénit, quae est primogenitórum descriptórum in coelis : ac relíctis hisce festis, tránsiit ad celebritátem Angelórum. Etenim quod et civitas sursum sit, et Ecclésia, et celébritas, audi Paulum dicéntem : Accessístis ad civitátem Dei vivéntis, Jerúsalem coeléstem, et Ecclésiam primitivórum, qui conscrípti sunt in coelis, et ad multórum míllium Angelórum frequéntiam.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno.

Aña. Dómine, iste Sanctus * habitábit in tabernáculo tuo, operátus est justítiam, requiéscet in monte sancto tuo.

Psalmus xiv.

DOMINE, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo ?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam:

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum glorificat :

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit haec, * non movébitur in aetérnum.

Aña. Dñe, iste Sanctus habitábit in tabernáculo tuo, operátus est justítiam, requiéscet in monte sancto suo.

Aña. Vitam pétiit * a te, et tribuísti ei, Dómine : glóriam et magnum decórem imposuísti super eum : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Psalmus xx.

DOMINE, in virtúte tua laetábitur rex : * et super salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei : * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te : * et tribuísti ei longitúdinem diérum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo : * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in saeculum saeculi : * laetificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino : * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui : * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala : * cogitavérunt consília, quae non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum : * in relíquiis tuis praeparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua : * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Ana. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei, Dne : glóriam et magnum decórem imposuísti super eum : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Ana. Hic accípiet benedictiónem a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo : quia haec est generátio quaeréntium Dóminum.

Psalmus xxiii.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus, * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina praeparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini ? * aut quis stabit in loco sancto ejus ?

Innocens mánibus, et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dño : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Haec est generátio quaeréntium eum, * quaeréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles : * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae? * Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in praelio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles : * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriae.

Añ. Hic accípiet benedictiónem a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo : quia haec est generátio quaeréntium Dóminum.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus. ℟. Et non supplantabúntur gressus ejus. Pater noster. Absolutio. A vínculis. ℣. Jube, domne. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xii. *e.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homília S. Gregórii Papae. *Hom.* xiii. *in Evang.*

SANCTI Evangélii, fratres charíssimi, apérta vobis est léctio recitáta. Sed ne alíquibus ipsa ejus planities alta fortásse videátur, eam sub brevitáte transcúrrimus, quátenus ejus expósitio ita nesciéntibus fiat cógnita, ut tamen sciéntibus non sit onerósa. Dóminus dicit : Sint lumbi vestri praecíncti. Lumbos enim praecíngimus, cum carnis luxúriam per continéntiam coarctámus. Sed quia minus est mala non ágere, nisi étiam quisque stúdeat et bonis opéribus insudáre, prótinus ádditur : Et lucérnae ardéntes in mánibus vestris. Lucérnas quippe ardéntes in mánibus tenémus, cum per bona ópera próximis nostris lucis exémpla monstrámus. De quibus profécto opéribus Dóminus dicit : Lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et glorífícent Patrem vestrum, qui in coelis est.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum. * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse intercédat. Bened. Cujus festum cólimus.

Lectio viii.

DUO autem sunt, quae jubéntur, et lumbos restríngere, et lucérnas tenére : ut et mundítia sit castitátis in córpore, et lumen

veritátis in operatióne. Redemptóri étenim nostro unum sine áltero placére nequáquam potest : si aut is, qui bona agit, adhuc luxúriae inquinaménta non déserit : aut is, qui castitáte praeéminet, necdum se per bona ópera exércet. Nec cástitas ergo magna est sine bono ópere, nec opus bonum est áliquod sine castitáte. Sed et si utrúmque ágitur, restat ut quisquis ille est, spe ad supérnam pátriam tendat, et nequáquam se a vítiis pro mundi hujus honestáte contíneat.

℟. Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris :* Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos. Glória Patri. Et vos. Benedíctio. Ad societátem.

Lectio ix.

ET vos símiles homínibus expectantibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis : ut, cum vénerit, et pulsáverit, confestim apériant ei. Venit quippe Dóminus, cum ad judícium próperat : pulsat vero, cum jam per aegritúdinis moléstias esse mortem vicínam designat. Cui confestim aperímus, si hunc cum amóre suscípimus. Aperíre enim júdici pulsánti non vult, qui exíre de córpore trépidat : et vidére eum, quem contempsísse se méminit, júdicem formídat. Qui autem de sua spe et operatióne secúrus est, pulsánti confestim áperit, quia laetus júdicem sústinet. Et cum tempus propínquae mortis advénerit, de glória retributiónis hilarescit.

Te Deum laudámus. 18.

AD LAUDES
et per Horas. Ánae.

1. Dómine, * quinque talénta tradidísti mihi : ecce ália quinque superlucrátus sum. Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 19.

2. Euge, serve bone, * in módico fidélis, intra in gáudium Dómini tui.

3. Fidélis servus * et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam.

4. Beátus ille servus, * quem cum vénerit Dóminus ejus, et pulsáverit jánuam, invénerit vigilántem.

5. Serve bone * et fidélis, intra in gáudium Dómini tui.

Capitulum. *Eccli.* xxxi.

BEATUS vir, qui inventus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum ?

fecit enim mirabília in vita sua.

Hymnus.

JESU, coróna célsior,
Et véritas sublímior,
Qui confiténti sérvulo
Reddis perénne praemium:
Da supplicánti coetui,
Hujus rogátu, nóxii
Remissiónem críminis,
Rumpéndo nexum vínculi.
Anni revérso témpore,
Dies refúlsit lúmine
Quo Sanctus hic de córpore
Migrávit inter sídera.
Hic vana terrae gáudia,
Et luculénta praedia,
Pollúta sorde députans,
Ovans tenet coeléstia.
Te, Christe, Rex piíssime,
Hic confiténdo júgiter,
Calcávit artes daemonum,
Saevúmque avérni príncipem.
Virtúte clarus, et fide,
Confessióne sédulus,
Jejúna membra déferens,
Dapes supérnas óbtinet.
Proínde te, piíssime,
Precámur omnes súpplices:
Nobis ut hujus grátia
Poenas remíttas débitas.
Patri perénnis glória,
Natóque Patris único,
Sanctóque sit Paráclito,
Per omne semper saeculum. Amen.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ańa. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti N. Confessóris tui ánnua solemnitáte laetíficas : concéde propítius ; ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Alia Oratio.

ADESTO, Dńe, supplicatiónibus nostris, quas in beáti N. Confessóris tui solemnitáte deférimus: ut qui nostrae justítiae fidúciam non habémus, ejus, qui tibi plácuit, précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Si fuerit Abbas, Oratio.

INTERCESSIO nos, quaesumus Dómine, beáti N. Abbátis commendet : ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Ańa. Euge serve bone. Capit. Beátus vir. xciii. ℟. br. Amávit eum Dóminus, * Et ornávit eum. Amávit. ℣. Stolam glóriae índuit eum. Et ornávit. Glória Patri. Amávit.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

AD SEXTAM.

Ańa. Fidélis servus.

Capitulum. *Eccli.* xxxix.

JUSTUS cor suum trádidit ad vigilándum dilúculo ad Dóminum qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur.

℟. br. Os justi * Meditábitur sapiéntiam. Os justi. ℣. Et lingua ejus loquétur judícium. Meditábitur. Glória Patri. Os justi.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus. ℟. Et non supplantabúntur gressus ejus.

AD NONAM.

Ańa. Serve bone.

Capitulum. *Sap.* x. *b.*

JUSTUM dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum : honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus.

℟. br. Lex Dei ejus * In corde ipsíus. Lex Dei. ℣. Et non supplantabúntur gressus ejus. In corde. Glória Patri. Lex Dei.

℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

AD VESPERAS.

Ańa. Dómine, quinque, cum reliq. de Laud. xciii. Psalmi, Capit. et Hymnus ut in primis Vesp. lxxxiii.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. Ańa. Hic vir despíciens mundum, * et terréna, triúmphans divítias coelo cóndidit ore, manu.

Si occurrat celebrari Festum plurim. Confess. non Pontif. Offic. fit ut supra ; sed in Oratione, et Sermone, quae habentur in singulari, dicantur in plurali.

II. ALIAE LECTIONES PRO CONF. NON PONT.

In primo Nocturno.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* xxxi.

BEATUS vir, qui invéntus est sine mácula : et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória aetérna : qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus : fácere mala, et non fecit : ídeo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis Ecclésia sanctórum.

℟. Euge, serve. lxxxvi.

Lectio ii.

Cap. xxxii *c. et* xxxiii.

QUI timet Dóminum, excípiet doctrínam ejus : et qui vigiláverint ad

illum, invénient benedictiónem. Qui quaerit legem, replébitur ab ea : et qui insidióse agit, scandalizábitur in ea. Qui timent Dñum, invénient judícium justum, et justítias quasi lumen accéndent. Qui credit Deo, atténdit mandátis : et qui confídit in illo, non minorábitur. Timénti Dóminum non occúrrent mala, sed in tentatióne Deus illum conservábit, et liberábit a malis. Sápiens non odit mandáta et justítias, et non illidétur quasi in procélla navis. Homo sensátus credit legi Dei, et lex illi fidélis.

℟. Justus. lxxxvi.

Lectio iii. *Cap.* xxxiv. *b.*

SPIRITUS timéntium Deum quaeritur, et in respéctu illíus benedicétur. Spes enim illórum in salvántem illos, et óculi Dei in diligéntes se. Qui timet Dóminum, nihil trepidábit, et non pavébit : quóniam ipse est spes ejus. Timéntis Dóminum beáta est ánima ejus. Ad quem réspicit, et quis est fortitúdo ejus ? Oculi Dómini super timéntes eum, protéctor poténtiae, firmaméntum virtútis, tégimen ardóris et umbráculum meridiáni, deprecátio offensiónis, et adjutórium casus, exáltans ánimam, et illúminans óculos, dans sanitátem, et vitam, et benedictiónem.

℟. Iste cognóvit. lxxxvii.

In secundo Nocturno.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papae.

L. 10. *cap.* xvi. *in cap.* xii. *Job.*

Lectio iv.

SERIDETUR justi simplícitas. Hujus mundi sapiéntia est, cor machinatiónibus tégere, sensum verbis veláre ; quae falsa sunt, vera osténdere ; quae vera sunt, falsa demonstráre. Haec nimírum prudéntia usu a juvénibus scitur, haec a púeris prétio discitur : hanc qui sciunt, caeteros despiciéndo supérbiunt : hanc qui nésciunt, subjécti et tímidi in áliis mirántur : quia ab eis haec éadem duplicitátis iníquitas nómine palliáta dilígitur, dum mentis pervérsitas urbánitas vocátur. Haec sibi obsequéntibus praecipit honórum cúlmina quaerere, adépta temporális glóriae vanitáte gaudére, irrogáta ab áliis mala multiplícius réddere : cum vires súppetunt, nullis resisténtibus cédere : cum virtútis possibílitas deest, quidquid explére per malítiam non valent, hoc in pacífica bonitáte simuláre.

℟. Honéstum. lxxxix.

Lectio v.

AT contra, sapiéntia justórum est: nil per ostensiónem fíngere, sensum verbis aperíre, vera ut sunt dilígere, falsa devitáre, bona gratis exhibére, mala libéntius toleráre, quam fácere: nullam injúriae ultiónem quaerere, pro veritáte contuméliam lucrum putáre. Sed haec justórum simplícitas derídetur: quia ab hujus mundi sapiéntibus, puritátis virtus fatúitas créditur. Omne enim quod innocénter ágitur, ab eis proculdúbio stultum putátur: et quidquid in ópere véritas ápprobat, carnáli sapiéntiae fátuum sonat. Quid namque stúltius vidétur mundo, quam mentem verbis osténdere, nil cállida machinatióne simuláre, nullas injúriis contumélias réddere, pro maledicéntibus oráre, paupertátem quaerere, posséssa relínquere, rapiénti non resístere, percutiénti álteram maxíllam praebére?

℟. Amávit eum. lxxxix.

Lectio vi.

Cap. xvii. *post initium.*

LAMPAS contémpta apud cogitatiónes dívitum. Saepe contíngit, ut eléctus quisque, qui ad aetérnam felicitátem dúcitur, contínua hic adversitáte deprimátur: non hunc rerum abundántia fúlciat, non dignitátum glória honorábilem osténdat, nulla ei obsequéntium frequéntia súppetat, nulla hunc humánis óculis véstium pompa compónat: a cunctis vero despicábilis cérnitur, et hujus mundi grátia indígnus aestimátur: sed tamen ante occúlti júdicis óculos virtútibus émicat, vitae méritis corúscat: honorári métuit, despici non réfugit: corpus continéntia áfficit, sola in ánimo dilectióne pingueścit: mentem semper ad patiéntiam praeparat, et eréctus pro justítia, de percéptis contuméliis exúltat: afflíctis ex corde compátitur, de bonórum prosperitátibus quasi de própriis laetátur, sacri verbi pábula in mente sollícitus rúminat, et inquisítus quódlibet éloqui dupliciter ignórat.

℟. Iste homo. xc.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xii. *d.*

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedae Presbyteri.

Lib. 4. *cap.* liv. *in Luc.* xii.

QUSILLUM gregem electórum, vel ob comparatiónem majóris númeri reprobórum, vel pótius ob humilitátis devotiónem nóminat : quia vidélicet Ecclésiam suam quantálibet numerositáte jam dilatátam, tamen usque ad finem mundi humilitáte vult créscere, et ad promíssum regnum humilitáte pervenire. Ideóque ejus labóres blande consolátus, quam regnum Dei tantum quaerere praecipit, eídem regnum a Patre dandum complácita benignitáte promittit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua.— Ipse intercédat. Bened. Cujus festum cólimus.

Lectio viii.

VENDITE quae possidétis, et date eleemósynam. Nolíte, inquit, timére, ne propter regnum Dei militántibus, hujus vitae necessária desint : quin étiam posséssa, propter eleemósynam véndite. Quod tunc digne fit, quando quis semel pro Dómino suis ómnibus spretis, nihilóminus post haec labóre mánuum, unde et victum transígere, et eleemósynam dare queat, operátur. Unde gloriátur Apóstolus, dicens : Argéntum et aurum, aut vestem nullíus concupívi : ipsi scitis, quóniam ad ea quae mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministravérunt manus istae. Omnia osténdi vobis, quóniam sic laborántes opórtet suscípere infírmos.

℟. Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris :* Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit.— Et vos. Glória Patri. Et vos. Benedíctio. Ad societátem.

Lectio ix.

FACITE vobis sáculos, qui non veteráscunt : eleemósynas vidélicet operándo, quarum merces in aetérnum máneat. Ubi non hoc praecéptum esse putándum est, ut nil pecúniae reservétur a sanctis, vel suis scílicet, vel páuperum úsibus suggeréndae ; cum et ipse Dó-

minus, cui ministrábant Angeli, tamen ad informándam Ecclésiam suam, lóculos habuísse legátur, et a fidélibus oblàta consérvans, et suórum necessitátibus, aliísque indigéntibus tríbuens ; sed ne Deo propter ista serviátur, et ob inópiae timórem justítia deserátur.

Te Deum laudámus. 18.

PRO ABBATIBUS.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xix. *d.*

IN illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te : quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía S. Hierónymi Presbyteri.

Lib. 3. *in Matth. cap.* xix.

GRANDIS fidúcia! Petrus piscátor erat, dives non fúerat, cibos manu et arte quaerébat : et tamen lóquitur confidénter : Relíquimus ómnia. Et quia non súfficit tantum relínquere, jungit quod perféctum est : Et secúti sumus te. Fécimus quod jussísti : quid ígitur nobis dabis praemii? Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suae, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Non dixit: Qui reliquístis ómnia; hoc enim et Crates fecit philósophus, et multi álii divítias contempsérunt, sed : Qui secúti estis me : quod próprie Apostolórum est, atque credéntium.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dñum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse intercédat.

Lectio viii.

IN regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suae (quando et mórtui de corruptióne resúrgent incorrúpti), sedébitis et vos in sóliis judicántium, condemnántes duódecim tribus Israël : quia vobis credéntibus, illi crédere noluérunt. Et omnis qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros propter nomen meum ; céntuplum accípiet, et vitam aetérnam

possidébit. Locus iste cum illa senténtia cóngruit, in qua Salvátor lóquitur: Non veni pacem míttere, sed gládium. Veni enim separáre hóminem a patre suo, et matrem a fília, et nurum a socru: et inimíci hóminis doméstici ejus. Qui ergo propter fidem Christi, et praedicatiónem Evangélii, omnes affléctus contémpserint, atque divítias et saeculi voluptátes: isti céntuplum recípient, et vitam aetérnam possidébunt.

℟. Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris:* Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dñus vester ventúrus sit. — Et vos símiles. Glória Patri. Et vos símiles.

Lectio ix.

EX occasióne hujus senténtiae quidam introdúcunt mille annos post resurrectiónem, dicéntes, tunc nobis céntuplum ómnium rerum quas dimísimus, et vitam aetérnam esse reddéndam: non intelligéntes, quod, si in caeteris digna sit repromíssio, in uxóribus appáreat turpitúdo: ut qui unam pro Dño dimíserit, centum recípiat in futúro. Sensus ergo iste est: Qui carnália pro Salvatóre dimíserit, spirituália recípiet: quae comparatióne et mérito sui ita erunt, quasi si parvo número centenárius número comparétur.

Te Deum laudámus. 18.

II. ALIA HOMILIA.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xi. *d.*

IN illo témpore: Respóndens Jesus dixit: Confíteor tibi, Pater, Dñe coeli et terrae, quia abscondísti haec a sapiéntibus, et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. x. *de Verb. Domini.*

VENITE ad me omnes qui laborátis. Quare enim omnes laborámus, nisi quia sumus hómines mortáles, frágiles, infírmi, lútea vasa portántes, quae fáciunt ínvicem angústias? Sed si angustiántur vasa carnis, dilaténtur spátia charitátis. Quid ergo dicit: Veníte ad me omnes qui laborátis, nisi ut non laborétis? Dénique promíssio ejus in promptu est, quóniam laborántes vocávit. Quaerent forte, qua

mercéde vocáti sunt. Et ego vos, inquit, refíciam. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, non mundum fabricáre, non cuncta visibília et invisibília creáre, non in ipso mundo mirabília fácere, et mórtuos suscitáre, sed : Quóniam mitis sum, et húmilis corde.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dñum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua.— Ipse intercédat.

Lectio viii.

QUAGNUS esse vis? a mínimo íncipe. Cógitas magnam fábricam construére celsitúdinis? de fundaménto prius cógita humilitátis. Et quantam quisque vult, et dispónit superimpónere molem aedifícii, quanto erit majus aedifícium, tanto áltius fodit fundaméntum. Et fábrica quidem, cum construítur, in supérna consúrgit ; qui autem fodit fundaméntum, ad ima deprímitur. Ergo et fábrica ante celsitúdinem humiliátur, et fastígium post humiliatiónem erígitur.

℟. Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris: Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit.—Et vos. Glória Patri. Et vos símiles.

Lectio ix.

QUOD est fastígium construéndae fábricae, quam molímur ? quo perventúrum est cacúmen aedifícii? Cito dico, usque ad conspéctum Dei. Vidétis quam excélsum est, quanta res est conspícere Deum. Qui desíderat, et quod dico, et quod audit, intélligit. Promíttitur nobis conspéctus Dei, veri Dei, summi Dei. Hoc enim bonum est, vidéntem vidére. Nam qui colunt falsos deos, fácile illos vident; sed eos vident, qui óculos habent, et non vident. Nobis autem promíttitur vísio Dei vivéntis, et vidéntis.

Te Deum laudámus. 18.

III. ALIA HOMILIA.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xix. *d.*

IN illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te : quid ergo erit nobis? Et réliqua.

De Homília venerábilis Bedae Presbyteri.

In Natali S. Benedicti.

DUO sunt órdines electórum in judício futúri : unus judicantium cum Domino de quibus hoc loco mémorat, qui reliquérunt ómnia, et secúti sunt illum ; álius judicandórum a Dño, qui non quidem ómnia sua páriter reliquérunt, sed de his tamen, quae habébant, quotidiánas dare eleemósynas Christi paupéribus curábant : unde et auditúri sunt in judício : Veníte, benedícti Patris mei, possidéte praeparátum vobis regnum a constitutióne mundi. Esurívi enim, et dedístis mihi manducáre : sitívi, et dedístis mihi bíbere.

℟. Iste est qui. ci.

Lectio viii.

SED et reprobórum duos ibi futúros órdines, Dómino narránte, comperímus : unum eórum, qui fídei Christiánae mystériis initiáti, ópera fídei exercére contémnunt, quibus in judício testátur : Discédite a me, maledícti, in ignem aetérnum, qui praeparátus est diábolo, et ángelis ejus : esurívi enim, et non dedístis mihi manducáre. Alterum eórum, qui fidem et mystéria Christi vel nunquam suscepére, vel susceptam per apostasíam deseruére : de quibus dicit : Qui autem non credit, jam judicátus est : quia non credit in nómine unigéniti Fílii Dei.

℟. Sint lumbi. ci.

Lectio ix.

VERUM his cum timóre et pavóre débito paulísper commemorátis, ad laetíssima pótius Dñi et Salvatóris nostri promíssa convertámus audítum. Videámus quae tantae grátia pietátis : non aetérnae tantúmmodo vitae praemia suis sequácibus, sed et praeséntis múnera poilicétur exímia. Et omnis, inquit, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam aetérnam possidébit. Qui enim terrénis afféctibus sive possessiónibus pro Christi discipulátu renuntiáverit, quo plus in ejus amórem profécerit, eo plures invéniet, qui se intérno suscípere afféctu, et suis gáudeant sustentáre substántiis.

Te Deum laudamus. 18.

Commune Virginum.

AD VESPERAS.

Ańa. Haec est virgo sápiens, * et una de número prudéntum.

Psalmus cix.

DIXIT Dñus Dño meo : * Sede a dextris meis : Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuae emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuae in splendóribus sanctórum : * ex útero ante luciferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non poenitébit eum : * Tu es sacérdos in aetérnum secúndum órdinĕ Melchísedech.

Dñus a dextris tuis, * confrégit in die irae suae reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Ańa. Haec est virgo sápiens, et una de número prudéntum.

Ańa. Haec est virgo sápiens, * quam Dóminus vigilántem invénit.

Psalmus cxii.

LAUDATE, púeri, Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in saeculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super coelos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in coelo et in terra ?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum laetántem.

Aña. Haec est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit.

Aña. Haec est quae nescívit * torum in delícto: habébit fructum in respectióne animárum sanctárum.

Psalmus cxxi.

LAETATUS sum in his, quae dicta sunt mihi : * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri, * in átriis tuis Jerúsalem.

Jerúsalem, quae aedificátur ut cívitas : * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini : * testimónium Israël ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quae ad pacem sunt Jerúsalem : * et abundántia diligéntibus te :

Fiat pax in virtúte tua : * et abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, et próximos meos, * loquébar pacem de te :

Propter domum Dñi Dei nostri, * quaesívi bona tibi.

Aña. Haec est quae nescívit torum in delícto : habébit fructum in respectióne animárum sanctárum.

Aña. Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum, allelúia.

Psalmus cxxvi.

NISI Dóminus aedificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui aedíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere : * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cum déderit dilectis suis somnum : * ecce haereditas Dómini, fílii : merces, fructus ventris.

Sicut sagíttae in manu poténtis : * ita fílii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis : * non confundétur cum loquétur inimícis suis in porta.

Aña. Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum, allelúia.

Aña. Ista est speciósa * inter fílias Jerúsalem.

Psalmus cxlvii.

LAUDA Jerúsalem Dóminum : * lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum : * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem : * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terrae :* velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : * nébulam sicut cinerem spargit,

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit ?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea : * flabit spíritus ejus, et fluent aquae.

Qui annúntiat verbum suum Jacob : * justítias, et judícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni : * et judícia sua non manifestávit eis.

Aña. Ista est speciósa inter fílias Jerúsalem.

Capitulum. 2. *Cor.* x. *d.*

FRATRES : Qui gloriátur, in Dño gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat ille probátus est ; sed quem Deus comméndat.

Hymnus.

JESU, coróna Vírginum,
Quem Mater illa cóncipit,
Quae sola Virgo párturit;
Haec vota clemens áccipe.

Qui pergis inter lília,
Septus choréis Vírginum,
Sponsus decórus glória,
Sponsísque reddens praemia.

Quocúmque tendis, Vírgines
Sequúntur, atque láudibus
Post te canéntes cúrsitant,
Hymnósque dulces pérsonant.

Te deprecámur súpplices,
Nostris ut addas sénsibus,
Nescíre prorsus ómnia
Corruptiónis vúlnera.

Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito
In saeculórum saecula.
Amen.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Ad Magnif. Aña. Veni, sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus praeparávit in aetérnum.

Oratio.

DEUS, qui inter caetera poténtiae tuae mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti : concéde propítius ; ut, qui beátae N. Vírginis et Mártyris tuae natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dñum.

Alia Oratio.

INDULGENTIAM nobis, quaesumus Dómine, beáta N. Virgo et

Martyr imploret : quae tibi grata semper éxtitit et mérito castitátis, et tuae professióne virtútis. Per Dñum.

Pro Virgine non Mart.

Oratio.

EXAUDI nos, Deus salutáris noster : ut, sicut de beátae N. Vírginis tuae festivitáte gaudémus; ita piae devotiónis erudiámur affécu. Per Dñum.

Si fuerint plures, in utrisque Vesp. ad Magnif., et in Laud. ad Bened., Añа. Prudéntes Vírgines * aptáte vestras lámpades : ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Adducéntur Regi vírgines post eam. ℟. Próximae ejus afferéntur tibi.

Oratio.

DA nobis, quaesumus Dómine Deus noster, sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum N. et N. palmas incessábili devotióne venerári : ut, quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitat. Regem Vírginum Dñum, * Veníte, adorémus. Ps. Veníte. 2.

Hymnus.

VIRGINIS Proles,
Opiféxque Matris,
Virgo quem gessit, peperítque Virgo ;
Vírginis partos cánimus decóra,
Morte triúmphos.
Haec enim palmae dúplicis beáta
Sorte, dum gestit frágilem domáre
Córporis sexum, dómuit cruéntum
Caede tyránnum.
Unde nec mortem, nec amíca mortis
Mille poenárum génera expavéscens,
Sánguine effúso méruit serénum
Scándere coelum.
Hujus orátu, Deus alme, nobis
Débitas poenas scélerum remítte ;
Ut tibi puro resonémus almum
Péctore carmen.
Sit decus Patri, genitaeque Proli,
Et tibi compar utriúsque virtus
Spíritus semper, Deus unus omni
Témporis aevo.
Amen.

Si Sancta fuerit Virgo tantum, et non Martyr, dicitur Hymnus ut sequitur.

VIRGINIS Proles,
Opiféxque Matris,
Virgo quem gessit, peperítque Virgo ;
Vírginis festum cánimus beátae,
Accipe votum.

Hujus orátu, Deus alme, nobis
Débitas poenas scélerum remítte ;
Ut tibi puro resonémus almum
Péctore carmen.
Sit decus Patri, genitaeque Proli,
Et tibi compar utriúsque virtus
Spíritus semper, Deus unus omni
Témporis aevo.
Amen.

In primo Nocturno.

Aña. O quam pulchra * est casta generátio cum claritáte !

Psalmus viii.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra !

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super coelos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo coelos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quae tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulóminus ab ángelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus. * oves et boves univérsas : insuper et pécora campi.

Vólucres coeli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dñus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra !

Aña. O quam pulchra est casta generátio cum claritáte !

Aña. Ante torum * hujus Vírginis frequentáte nobis dúlcia cántica drámatis.

Si non fuerit Virgo dicatur sequens Antiph. Laeva ejus * sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

Psalmus xviii.

COELI enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélae, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terrae verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo coelo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus :* nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas : * testimónium Dñi fidéle, sapiéntiam praestans párvulis.

Justítiae Dómini rectae, laetificántes corda : * praecéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in saeculum saeculi :* judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum : * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me : * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint dominàti, tunc immaculátus ero : * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei :* et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus,* et redémptor meus.

Antiphona. Ante torum hujus Vírginis frequentáte nobis dúlcia cántica drámatis.

Si non fuerit Virgo, Aña. Laeva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

Aña. Revértere, * revértere Sunamítis : revértere, revértere, ut intueámur te.

Psalmus xxiii.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus :* orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum :* et super flúmina praeparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dñi ? * aut quis stabit in loco sancto ejus ?

Innocens mánibus, et mundo corde,* qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Haec est generátio quaeréntium eum, * quaeréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles : * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae ? * Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in praelio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles : * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriae.

Ańa. Revértere, revértere Sunamítis · revértere, revértere, ut intueámur te.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Pater noster. Absolutio. Exáudi. ℣. Jube, domne. Bened. Benedictióne perpétua.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio i. *Cap.* vii. *c.*

DE virgínibus praecéptum Dómini non hábeo : consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri ? noli quaerere solutiónem. Solútus es ab uxóre ? noli quaerere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit. Tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres : Tempus breve est : réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint : et qui flent, tamquam non fientes : et qui gaudent. tamquam non gaudéntes : et qui emunt, tamquam non possidéntes : et qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur : praeterit enim figúra hujus mundi.

Pro Martyre, ℟. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus praeparávit in aetérnum : pro cujus amóre sánguinem tuum fudísti,* Et cum Angelis in paradísum introísti. ℣. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum, quia concupívit Rex spéciem tuam.—Et cum.

Si non fuerit Martyr, dicitur sequens ℟. **Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum :* Quia concupívit Rex spéciem tuam.** ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Quia concupívit. Benedictio. **Unigénitus Dei Fílius.**

Lectio ii.

VOLO autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quae Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quae sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est. Et múlier innúpta, et virgo cógitat quae Dómini sunt ; ut sit sancta córpore, et spíritu. Quae autem nupta est, cógitat

quae sunt mundi, quómodo pláceat viro. Porro hoc ad utilitátem vestram dico : non ut láqueum vobis injíciam, sed ad id quod honéstum est, et quod facultátem praebeat sine impedimento Dóminum obsecrándi.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis:* Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Proptérea. Benedictio. Spíritus sancti grátia.

Lectio iii.

SI quis autem turpem se vidéri exístimat super vírgine sua, quod sit superadúlta, et ita opórtet fieri, quod vult fáciat : non peccat, si nubat. Nam qui státuit in corde suo firmus, non habens necessitátem, potestátem autem habens suae voluntátis, et hoc judicávit in corde suo, serváre vírginem suam, bene facit. Igitur et qui matrimónio jungit vírginem suam, bene facit : et qui non jungit, mélius facit. Múlier alligáta est legi quanto témpore vir ejus vivit. Quod si dormíerit vir ejus, liberáta est : cui vult nubat, tantum in Dómino. Beátior autem erit si sic permánserit, secúndum meum consílium : puto autem quod et ego Spíritum Dei hábeam.

℟. Spécie tua et pulchritúdine tua : * Inténde, próspere procéde, et regna. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptérea benedíxit te Deus in aetérnum. — Inténde. Glória Patri. Inténde.

In secundo Nocturno.

Ant. Spécie tua,* et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

Psalmus xliv.

ERUCTAVIT cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribae.* velóciter scribéntis.

Speciósus forma prae fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis : * proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime,

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna,

Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttae tuae acútae, pópuli sub te cadent : * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi : * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * pro-

ptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae prae consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliae regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.

Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam : * et oblíviscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliae Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur : omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliae Regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam : * próximae ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in laetítia et exultatióne : * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in aetérnum : * et in saeculum saeculi.

Ańa. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

Antíphona. Adjuvábit eam * Deus vultu suo: Deus in médio ejus, non commovébitur.

Psalmus xlv.

DEUS noster refúgium, et virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quae invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra : * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátae sunt aquae eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus laetíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátae sunt Gentes, et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, quae pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terrae.

Arcum cónteret, et confrínget arma : * et scuta combúret igni :

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in Géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Antiph. Adjuvábit eam Deus vultu suo : Deus in médio ejus, non commovébitur.

Antiphona. Aquae multae * non potuérunt extínguere charitátem.

Psalmus xlvii.

MAGNUS Dóminus, et laudábilis nimis * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne univérsae terrae mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cum suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terrae congregáti sunt : * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt : * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis, * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri : * Deus fundávit eam in aetérnum.

Suscépimus Deus misericórdiam tuam, * in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terrae : * justítia plena est déxtera tua.

Laetétur mons Sion, et exúltent fíliae Judae, * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, et complectímini eam : * narráte in túrribus ejus.

Pónite córdea vestra in virtúte ejus : * et distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in aetérnum, et in saeculum saeculi : * ipse reget nos in saecula.

Ant. Aquae multae non potuérunt extínguere charitátem.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Pater noster. Absolutio. Ipsíus piétas. ℣. Jube, domne. Benedictio. Deus Pater omnípotens.

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. I. *de Virg. circa init.*

Lectio iv.

EQUONIAM hódie natális est Vírginis, invítat nunc integritátis amor, ut áliquid de virginitáte dicámus : ne véluti tránsitu quodam praestricta videá-

tur, quae principális est virtus. Non enim ídeo laudábilis virgínitas, quia in martyribus repéritur: sed quia ipsa mártyres fáciat. Quis autem humáno eam possit ingénio comprehéndere, quam nec natúra suis inclúsit légibus? aut quis naturáli voce complécti, quod supra usum natúrae sit? E coelo accersívit, quod imitarétur in terris. Nec immérito vivéndi sibi usum quaesívit e coelo, quae sponsum sibi invénit in coelo.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: *Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. —Et dedúcet te. Benedíctio. Christus perpétuae.

Lectio v.

HAEC, nubes, aera, Angelos, sideráque transgrédiens Verbum Dei in ipso sinu Patris invénit, et toto hausit pectore. Nam quis tantum, cum invénerit, relínquat boni? Unguéntum enim exinanítum est nomen tuum: proptérea adolescéntulae dilexérunt te, et attraxérunt te. Postrémo, non meum est illud, quóniam quae non nubunt, neque nubéntur, erunt sicut Angeli Dei in coelo. Nemo ergo mirétur, si Angelis comparéntur, quae Angelórum Dómino copulántur.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: *Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea. Benedíctio. Ignem sui amóris.

Lectio vi.

QUIS ígitur neget hanc vitam fluxísse de coelo, quam non fácile invenímus in terris, nisi postquam Deus in haec terréni córporis membra descéndit? Tunc in útero Virgo concépit, et Verbum caro factum est, ut caro fieret Deus. Dicet áliquis: Sed étiam Elías nullius corpórei cóitus fuísse permíxtus cupiditátibus invenítur. Ideo ergo curru raptus ad coelum: ídeo cum Dão appáret in glória, ídeo Domínici ventúrus est praecúrsor advéntus.

Pro Virgine, ℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximae ejus,* Afferéntur tibi in laetítia et exultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tertio Nocturno.

Ant. Nigra sum,* sed formósa, fíliae Jerúsalem: ídeo diléxit me Rex, et introdúxit me in cubículum suum.

Psalmus xcv.

CANTATE Dño cánticũ novum: * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dñus, et laudábilis nimis : * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii Géntium daemónia : * Dñus autem coelos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia, et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriae Géntium, afférte Dómino glóriam et honórem: * afférte Dño glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in Géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terrae, qui non commovébitur : * judicábit pópulos in aequitáte.

Laeténtur coeli, et exúltet terra, commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia, quae in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrae in aequitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Ańa. Nigra sum, sed formósa, fíliae Jerúsalem : ídeo diléxit me Rex, et introdúxit me in cubículum suum.

Ańa. Trahe me post te, * in odórem currémus unguentórum tuórum : óleum effúsum nomen tuum.

Psalmus xcvi.

DOMINUS regnávit, exúltet terra : * laeténtur ínsulae multae.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum praecédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terrae : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt coeli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, et laetáta est Sion.

Et exultavérunt fíliae Judae, * propter judícia tua, Dómine :

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde laetítia.

Laetámini justi in Dómino : * et confitémini memóriae sanctificatiónis ejus.

Ańa. Trahe me post te, in odórem currémus unguentórum tuórum : óleum effúsum nomen tuum.

Ańa. Veni sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus praeparávit in aetérnum.

Psalmus xcvii.

CANTATE Dómino cánticum novum : * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus : * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum :* in conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiae suae, * et veritátis suae dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terrae * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo omnis terra : * cantáte, et exultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara et voce psalmi : * in tubis ductílibus, et voce tubae córneae.

Jubiláte in conspéctu Regis Dñi : * moveátur mare, et plenitúdo ejus : orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt a conspéctu Dómini : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in aequitáte.

Ańa. Veni sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus praeparávit in aetérnum.

℣. Elégit eam Deus, et praeelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Pater noster. Absolutio. A vínculis. ℣. Jube, domne. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xxv.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum coelórum decem virgínibus : quae accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsae. Et réliqua.

Homilía S. Gregórii Papae. *Homil.* xii. *in Evang.*

SAEPE vos, fratres charíssimi, admóneo prava ópera fúgere, mundi hujus inquinaménta devitáre : sed hodiérna sancti Evangélii lectióne compéllor dícere, ut et bona quae ágitis, cum magna cautéla teneátis : ne per hoc, quod a vobis rectum gériture, favor aut grátia humána requirátur : ne appetítus laudis subrépat, et quod foris osténditur, intus a mercéde vacuétur. Ecce enim Redemptóris voce decem vírgines, et omnes dicúntur vírgines, et tamen intra beatitúdinis jánuam non omnes sunt recéptae : quia eárum quaedam, dum de virginitáte sua glóriam foris éxpetunt, in vasis suis óleum habére noluérunt.

℟. Haec est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quae accéptis lampádibus, sumpsit secum óleum : * Et veniénte Dño, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. — Et veniénte. Bened. Cujus, vel Quarum festum cólimus.

Lectio viii.

SED prius quaeréndum nobis est, quid sit regnum coelórum, aut cur decem virgínibus comparétur, quae étiam vírgines prudéntes et fátuae dicántur. Dum enim coelórum regnum constat, quia reprobórum nullus ingréditur, étiam fátuis virgínibus cur símile esse perhibétur ? Sed sciéndum nobis est, quod saepe in sacro elóquio regnum coelórum praeséntis témporis Ecclésia dícitur. De quo álio in loco Dóminus dicit : Mittet Fílius hóminis Angelos suos, et cólligent de regno ejus ómnia scándala. Neque enim in illo regno beatitúdinis, in quo pax summa est, inveníri scándala póterunt, quae colligántur.

℟. Média nocte clamor factus est : * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines aptáte vestras lámpades. — Ecce. Glória Patri. Ecce. Bened. Ad societátem.

Lectio ix.

IN quinque autem córporis sénsibus unusquísque subsístit. Geminátus autem quinárius denárium pérficit. Et quia ex utróque sexu fidélium multitúdo colligitur, sancta Ecclésia decem virgínibus símilis esse denuntiátur. In qua, quia mali cum bonis, et réprobi cum eléctis admíxti sunt, recte símilis virgínibus prudéntibus et fátuis esse per-

hibétur. Sunt namque pleríque continéntes, qui ab appetítu se exterióri custódiunt, et spe ad interióra rapiúntur, carnem máce-rant, et toto desidério ad supérnam pátriam anhélant, aetérna praemia éxpetunt, pro labóribus suis recípere laudes humánas nolunt. Hi nimírum glóriam suam non in ore hóminum ponunt, sed intra consciéntiam cóntegunt. Et sunt pleríque, qui corpus per abstinéntiam afflígunt: sed de ipsa sua abstinéntia humános favóres éxpetunt.

Te Deum laudámus. 18.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Haec est virgo sapiens, * et una de número prudéntum. Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 19.

2. Haec est virgo sápiens, * quam Dóminus vigilántem invénit.

3. Haec est quae nescívit * torum in delícto: habébit fructum in respectióne animárum sanctárum.

4. Veni, elécta mea, * et ponam in te thronum meum, allelúia.

5. Ista est speciósa * inter fílias Jerúsalem.

Capitulum. 2 *Cor.* x. *d.*

FRATRES: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est; sed quem Deus comméndat.

Hymnus.

JESU, coróna Vírginum,
Quem Mater illa cóncipit,
Quae sola Virgo párturit;
Haec vota clemens áccipe.

Qui pergis inter lília,
Septus choréis Virginum,
Sponsus decórus glória,
Sponsísque reddens praemia.

Quocúmque tendis, Vírgines
Sequúntur, atque láudibus
Post te canéntes cúrsitant,
Hymnósque dulces pérsonant.

Te deprecámur súpplices,
Nostris ut addas sénsibus,
Nescíre prorsus ómnia
Corruptiónis vúlnera.

Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In saeculórum saecula.
Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Ad Benedictus, Añae. Símile est regnum coelórum * hómini negotiatóri quaeránti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio.

DEUS, qui inter caetera poténtiae tuae mirácula, étiam in sexu frágili

victóriam martyrii contulísti : concéde propítius ; ut qui beátae N. Vírginis et Mártyris tuae natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Alia Oratio.

INDULGENTIAM nobis, quaesumus Dómine, beáta N. Virgo et Martyr implóret : quae tibi grata semper éxtitit et mérito castitátis, et tuae professióne virtútis. Per Dóminum nostrum.

Pro Virgine non Martyre, Oratio.

EXAUDI nos, Deus salutáris noster : ut, sicut de beátae N. Vírginis tuae festivitáte gaudémus, ita piae devotiónis erudiámur affféctu. Per Dñum.

Si fuerint plures, ad Benedíctus, Antiphona. Prudéntes vírgines * aptáte vestras lámpades : ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.

℣. Adducéntur Regi vírgines post eam. ℟. Próximae ejus afferéntur tibi.

Oratio.

DA nobis, quaesumus Dómine Deus noster, sanctárum Vírginũ et Mártyrum tuárum N. et N. palmas incessábili devotióne venerári : ut quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum nostrum.

AD TERTIAM.

Antiphona. Haec est virgo sápiens.

Capit. Fratres : Qui gloriátur. cxvii.

℟. br. Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et pulchritúdine. Glória Patri. Spécie. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

AD SEXTAM.

Antiph. Haec est quae nescívit.

Capitulum. 2 *Cor.* xi.

ZELO enim vos Dei aemulatióne. Despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

℟. br. Adjuvábit eam, * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvábit.

℣. Elégit eam Deus, et praeelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

AD NONAM.

Ańa. Ista est speciósa.

Capitulum. *Eccli.* li. *b.*

DOMINE Deus meus, exaltásti super terram habitatiónem meam,

et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meae, et in témpore superbórum sine adjutório.

℟. br. Elégit eam Deus,* Et praeelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et praeelégit. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Si fuerit Virgo, et non Martyr, dicitur sequens Capitulum. *Sap.* iv.

QUAM pulchra est casta generátio cum claritáte! immortális est enim memória illíus : quóniam apud Deum nota est, et apud hómines.

℟. br. Elégit, ut supra.

Ad Vesperas, Antiphonae, Psalmi, Capitulum et Hymnus, ut in primis Vesperis. ciii.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Ad Magnif. Añia. Veni, sponsa Christi, *áccipe corónam, quam tibi Dóminus praeparávit in aetérnum.

II. ALIAE LECTIONES PRO VIRGINIBUS.

Pro Virgine et Martyre, ac pro Martyre tantum, Lectiones primi Nocturni leguntur etiam ut infra.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* li.

CONFITEBOR tibi, Dómine Rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo : quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguae iníquae, et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiae nóminis tui a rugiéntibus praeparátis ad escam, de mánibus quaeréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum quae circumdedérunt me : a pressúra flammae, quae circúmdedit me, et in médio ignis non sum aestuáta : de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo, et a lingua injústa.

℟. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus praeparávit in aetérnum : pro cujus amóre sánguinem tuum fudísti, * Et cum Angelis in paradísum introísti. ℣. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum, quia concupívit Rex spéciem tuam.— Et cum Angelis.

Lectio ii.

LAUDABIT usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adjuváret. Respíciens eram ad adjutórium hóminum, et non erat. Memoráta sum misericórdiae tuae, Dómine, et operatiónis tuae, quae a saeculo sunt : quóniam éruis sustinéntes te, Dñe, et líberas eos de mánibus géntium.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: * Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.— Proptérea. Bened. Spíritus sancti grátia.

Lectio iii.

EXALTASTI super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum Patrem Dñi mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meae, et in témpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assídue, et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dñi.

℟. Spécie tua, et pulchritúdine tua : * Inténde, próspere procéde, et regna. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.— Inténde, próspere. Glória Patri. Inténde, próspere.

In secundo Nocturno.

Ex libro S. Cypriáni Epíscopi et Mártyris de disciplína et hábitu Vírginum.

Lectio iv. *Cap.* ii.

UNC nobis ad vírgines sermo est, quarum quo sublímior glória est, major et cura est. Flos est ille Ecclesiástici gérminis, decus atque ornaméntum grátiae spiritális, laeta índoles, laudis et honóris opus íntegrum atque incorrúptum, Dei imágo respóndens ad sanctimóniam Dñi, illústrior pórtio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis lárgiter floret Ecclésiae matris gloriósa foecúnditas: quantóque plus copiósa virgínitas número suo addit, tanto plus gáudium matris augéscit. Ad has lóquimur, has adhortámur affectióne pótius quam potestáte : non quod extrémi, et mínimi, et humilitátis nostrae ádmodum cónscii áliquid ad censúram licéntiae vindicémus; sed quod ad sollicitúdinem magis cauti, plus de diá-

boli infestatióne timeámus. ℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: *Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua intende, próspere procéde, et regna. — Et dedúcet te. Bened. Christus perpétuae

Lectio v.

NEQUE inánis haec cáutio est, et vana formído, quae ad salútis viam cónsulit, quae Domínica et vitália praecépta custódit, ut quae se Christo dicáverint, et a carnáli concupiscéntia recedéntes, tam carne, quam mente se Deo vóverint, consúmment opus suum magno praemio destinátum : nec ornári jam, aut placére cuíquam, nisi Dño suo stúdeant, a quo et mercédem virginitátis expéctant, dicénte ipso : Non omnes cápiunt verbum, sed illi quibus datum est. Sunt enim spadónes, qui ex útero matris sic nati sunt : et sunt spadónes, qui coácti sunt ab homínibus ; et sunt spadónes, qui seípsos castravérunt propter regnum coelórum. ℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : *Propterea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Propterea. Benedictio. Ignem sui amóris.

Lectio vi.

DENUO quoque per hanc Angeli vocem continéntiae munus ostenditur, virgínitas praedicátur. Hi sunt, qui cum muliéribus se non coinquinavérunt : vírgines enim permansérunt : hi sunt qui sequúntur Agnum quocúmque ferit. Neque enim tantum másculis continéntiae grátiam Dóminus repromíttit, et féminas praeterit : sed quóniam fémina viri pórtio est, et ex eo sumpta atque formáta est, in Scriptúris fere ómnibus ad protoplástum Deus lóquitur, quia sunt duo in carne una, et in másculo simul significátur et fémina. Quod si Christum continéntia séquitur, et regno Dei virgínitas destinátur : quid est illis cum terréno cultu, et cum ornaméntis, quibus dum homínibus placére géstiunt, Deum offéndunt ?

℟. Afferéntur Regi. cxiii.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xix.

IN illo témpore : Accessérunt ad Jesum Pharisaei tentántes eum, et dicéntes : Si licet hómini dimíttere uxórem suam, quacúmque ex causa ? Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi. *Homil.* lxiii. *in Matth. sub medium.*

DOMINUS noster, quia ad virginitátem hortári grave esse videbátur, a necessitáte legis de non solvéndo matrimónio, eos ad cupiditátem illíus tráhere studet. Deínde ut eam esse possíbilem osténdat, sic inquit : Sunt eunúchi qui ex ventre matris ita nati sunt, et sunt qui ab homínibus eunúchi facti sunt, et sunt qui seípsos castravérunt propter regnum coelórum. Quibus verbis laténter eos ad eligéndam virginitátem indúcit, dum eam virtútem esse possíbilem ástruit.

℟. Haec est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quae accéptis lampádibus, sumpsit secum óleum : * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. — Et veniénte. Bened. Cujus, vel Quarum festum cólimus.

Lectio viii.

ID autem hoc fere modo confírmat : Cógita tecum, si aut natúra talis esses, aut ab homínibus eam injúriam passus, quid fáceres, cum et ejúsmodi voluptáte caréres, et nullam caréndo mercédem conseqüeréris ? Grátias ígitur nunc Deo agas, quod cum mercéde atque corónis idem sústines, quod illi sine corónis ac praemio tólerant : imo vero non idem, sed multo lévius, tum quia spe erígeris, et consciéntia recte facti ; tum quia non ita ingéntibus concupiscéntiae flúctibus jactáris.

℟. Média nocte clamor factus est : * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines aptáte vestras lámpades. — Ecce. Glória Patri. Ecce. Bened. Ad societátem.

Lectio ix.

QUM ergo de illis eunúchis díxerit, qui nisi étiam ipsi mente se contíneant, frustra et inutíliter tales sunt ; ac de illis, qui ut regnum coelórum consequántur, se cóntinent, subjúnxit rursus, dicens : Qui potest cápere, cápiat : ut alacrióres effíciat eo ipso, quod grave esse opus osténdit, et ineffábili benignitáte sua nóluit eam rem intra necessitátem legis conclúdere : idque dicéndo, adhuc magis possíbilem esse demónstrat, ut voluntátis stúdium plus augeátur.

Te Deum laudámus. 17.

Commune
SANCTAE MARTYRIS TANTUM,
ET NEC VIRGINIS NEC MARTYRIS.

AD VESPERAS.

Aña. Dum esset Rex, cum reliquis de Laud. cxxviii. Ps. Dixit Dóminus, cum reliquis de Communi Virginum. ciii.

Pro Martyre tantum.

Capitulum. *Eccli.* li.

CONFITEBOR tibi, Dñe Rex, et collaudábo te Deum Salvatórẽ meum. Confitébor nómini tuo : quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne.

Pro nec Virg. nec Mart.

Capit. *Prov.* xxxi. *b.*

MULIEREM fortem quis invéniet? procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit.

Hymnus.

FORTEM viríli péctore
Laudémus omnes féminam,
Quae sanctitátis glória
Ubíque fulget ínclyta.

Haec sancto amóre sáucia,
Dum mundi amórẽ nóxium
Horréscit, ad coeléstia
Iter perégit árduum.

Carnem domans jejúniis,
Dulcíque mentem pábulo
Oratiónis nútriens,
Coeli potítur gáudiis.

Rex Christe, virtus fórtium,
Qui magna solus éfficis,
Hujus precátu quaesumus
Audi benígnus súpplices.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, et per omne saeculum. Amen.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Ad Magnif. Aña. Símile est regnum coelórum * hómini negotiatóri quaeránti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Pro una Martyre tantum, Oratio.

DEUS, qui inter caetera poténtiae tuae mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti : concéde propítius ; ut, qui beátae N. Mártyris tuae natalítia cólimus, per

ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Pro plur. Mart. tantum, Oratio.

DA nobis, quaesumus Dómine Deus noster, sanctárum Mártyrum tuárum N. et N. palmas incessábili devotióne venerári : ut quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Pro nec Virg. nec Mart. Oratio.

EXAUDI nos, Deus salutáris noster : ut, sicut de beátae N. festivitáte gaudémus, ita piae devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitat. Laudémus Deum nostrum, * In confessióne beátae N. Psalmus. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

HUJUS orátu, Deus alme, nobis
Débitas poenas scélerum remítte ;
Ut tibi puro resonémus almum
Péctore carmen.

Sit decus Patri, genitaequae Proli,
Et tibi compar utriúsque virtus
Spíritus semper, Deus unus omni
Témporis aevo. Amen.

Antiphonae, Psalmi et VV. Nocturnorum, dicuntur ut supra in Communi Virginum, excepta secunda Antiphona primi Nocturni, cujus loco dicitur sequens Ańa. Laeva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

Lectiones primi Noct. pro Mart. tantum leguntur ut supra. Confitébor. cxix. Pro nec Virgine, nec Martyre ut sequuntur.

De parábolis Salomónis.

Lectio i. *Cap.* xxxi. *b.*

MULIEREM fortem quis invéniet? procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum, ómnibus diébus vitae suae. Quaesívit lanam et linum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedítque praedam domésticiis suis, et cibária ancíllis suis. Considerávit agrum, et emit eum: de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum.

℟. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum: Quia concupívit Rex spéciem tuam. ℣. Spécie

tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. —Quia concupívit.

Lectio ii.

GUSTAVIT, et vidit quia bona est negotiátio ejus : non extinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suae a frigóribus nivis : omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi : byssus et púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terrae. Síndonem fecit, et véndidit, et cíngulum trádidit Chananaeo.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis : * Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Proptérea benedíxit.

Lectio iii.

FORTITUDO et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiae, et lex cleméntiae in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suae, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam praedicavérunt : vir ejus, et laudávit eam. Multae fíliae congregavérunt divítias, tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : múlier timens Dñum, ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum : et laudent eam in portis ópera ejus.

℟. Spécie tua, et pulchritúdine tua * Inténde, próspere procéde, et regna. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptérea benedíxit te Deus in aetérnum. —Inténde. Glória Patri. Inténde.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi de Víduis.

Lectio iv. *Prope fin.*

AGRUM hunc Eccléisiae fértilem cerno, nunc integritátis flore vernántem, nunc viduitátis gravitáte polléntem, nunc étiam conjúgii frúctibus redundántem. Nam etsi divérsi, uníus tamen agri fructus sunt: nec tanta hortórum lília, quantae arístae ségetum, méssium spicae : compluriúmque spátia campórum recipiéndis aptántur semínibus, quam rédditis novále frúctibus feriántur. Bona ergo vidúitas, quae tóties Apostólico judício praedicátur. Haec enim magístra fidei, magístra est castitátis.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justí-

tiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Et.

Lectio v.

UNDE et illi qui deórum suórum adultéria et probra venerántur, coelibátus et viduitátis statuére poenas, ut aemuli críminum mulctárent stúdia virtútũ, spécie quidem, qua foecunditátem quaererent, sed stúdio, quo propósitum castitátis abolérent. Nam confécti et miles stipéndiis arma depónit, et relícto offício quod gerébat, ad própria veteránus rura dimíttitur, ut et ipse exércitae labóribus vitae réquiem consequátur ; et álios spes futúrae quiétis subeúndis fáciat opéribus promptióres. Agrícola quoque matúrior torquéndam áliis stivam commíttit, et juvenáli gravátus ópere providéntiam curae senílis explórat : vitem facilius tóndere, quam prémere, ut juvenescéntem luxúriã réprimat, et adolescéntem lascíviam faice succídat, parcórum quamdam pártuum castitátem docens étiam in vítibus expeténdam.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: Propterea unxit te Deus Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam.—Propterea unxit.

Lectio vi.

SIMILIS huic vídua velut eméritis veterána stipéndiis castitátis, et si conjúgii arma depónat, domus tamen totíus pacem gubérnat : et si vehéndis onéribus otiósa, maritándis tamen junióribus próvida, ubi cultus utílior, ubi fructus ubérior sit, quarum cópulam aptiórem, seníli gravitáte dispónit. Itaque si maturióribus quam junióribus commíttitur ager, cur putes utiliórem nuptam esse quam víduam? Quod si persecutóres fídei fuérunt étiam viduitátis : útique fidem sequéntibus vidúitas non pro supplício fugiénda est, tenénda pro praemio.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.—Múlier timens. Glória Patri. Múlier timens.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xiii. *f.*

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile est regnum coelórum the-

sáuro abscóndito in agro. Et réliqua.

Homília S. Gregórii Papae. *Homil.* xi. *in Evang.*

OELORUM regnum, fratres charíssimi, idcírco terrénis rebus símile dícitur, ut ex his quae ánimus novit, surgat ad incógnita quae non novit: quátenus exémplo visibílium se ad invisibília rápiat, et per ea quae usu dídicit, quasi confricátus incaléscat: ut per hoc quod scit notum dilígere, discat et incógnita amáre. Ecce enim regnum coelórum thesáuro abscóndito in agro comparátur: quem qui ínvenit homo, abscóndit, et prae gáudio illíus vadit, et vendit univérsa quae habet, et emit agrum illum.

℟. Os suum apéruit sapiéntiae, et lex cleméntiae in lingua ejus: considerávit sémitas domus suae, * Et panem otiósa non comédit. ℣. Gustávit et vidit quia bona est negotiátio ejus: non extinguétur in nocte lucérna ejus.—Et panem.

Lectio viii.

QUA in re hoc quoque notándum est, quod invéntus thesáurus abscónditur, ut servétur: quia stúdium coeléstis desidérii a malígnis spirítibus custodíre non súfficit, qui hoc ab humánis láudibus non abscóndit. In praesénti étenim vita, quasi in via sumus, qua ad pátriam pérgimus. Malígni autem Spíritus iter nostrum quasi quidam latrúnculi óbsident. Depraedári ergo desíderat, qui thesáurum públice portat in via. Hoc autem dico, non ut próximi ópera nostra bona non vídeant, cum scriptum sit: Vídeant ópera vestra bona, et glorífícent Patrem vestrum, qui in coelis est: sed ut per hoc, quod ágimus, laudes extérius non quaerámus. Sic autem sit opus in público, quátenus inténtio máneat in occúlto: ut et de bono ópere próximis praebeámus exémplum, et tamen per intentiónem, qua Deo soli placére quaerimus, semper optémus secrétum.

℟. Regnum mundi, et omnem ornátum saeculi contémpsi, propter amórem Dómini mei Jesu Christi: * Quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi.—Quem. Glória Patri. Quem.

Lectio ix.

THESAURUS autem coeléste est desidérium: ager vero, in quo thesáurus abscónditur, disciplína stúdii coeléstis. Quem

profécto agrum, vénditis ómnibus, cómparat, qui voluptátibus carnis renúntians, cuncta sua terréna desidéria per disciplínae coeléstis custódiam calcat: ut nihil jam, quod caro blandítur, líbeat ; nihil, quod carnálem vitam trucídat, spíritus perhorréscat.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES

et per Horas, Añae.

1. Dum esset Rex * in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis.

Psal. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. In odórem * unguentórum tuórum cúrrimus, adolescéntulae dilexérunt te nimis.

3. Jam hiems tránsiit,* imber ábiit, et recéssit: surge amíca mea, et veni.

4. Veni elécta mea, * et ponam in te thronum meum, allelúia.

5. Ista est speciósa * inter fílias Jerúsalem.

Pro Martyre tantum.

Capitulum. *Eccli.* li.

CONFITEBOR tibi, Dñe Rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo : quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne.

Pro nec Virg. nec Mart.

Capitulum. *Prov.* xxxi. *b.*

QUIEREM fortem quis invéniet? procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit.

Hymnus.

FORTEM virfli péctore
Laudémus omnes féminam,
Quae sanctitátis glória
Ubíque fulget ínclyta.

Haec sancto amóre sáucia,
Dum mundi amórem nóxium
Horréscit, ad coeléstia
Iter perégit árduum.

Carnem domans jejúniis,
Dulcíque mentem pábulo
Oratiónis nútriens,
Coeli potítur gáudiis.

Rex Christe, virtus fórtium,
Qui magna solus éfficis,
Hujus precátu, quaesumus,
Audi benígnus súpplices.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, et per omne saeculum. Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Ad Bened. Añа. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

Pro una Mart. tantum, Oratio.

DEUS, qui inter caetera poténtiae tuae mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti : concéde propítius ; ut qui beátae N. Mártyris tuae natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Pro plur. Mart. tantum, Oratio.

DA nobis, quaesumus Dómine Deus noster, sanctárum Mártyrum tuárum N. et N. palmas incessábili devotióne venerári : ut quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Pro nec Virg. nec Mart. Oratio.

EXAUDI nos, Deus salutáris noster : ut, sicut de beátae N. festivitáte gaudémus, ita piae devotiónis erudiámur affféctu. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Aña. In odórem.

Pro Martyre tantum, Capit. Confitébor. cxxviii.

Pro nec Virg. nec Mart. Capit. Mulíerem. cxxviii.

℟. br. Spécie tua * Et pulchritúdine tua. Spécie. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et pulchritúdine. Glória. Spécie tua. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

AD SEXTAM.

Aña. Jam hiems tránsiit.

Pro una Mart. tantum, Capitulum. *Eccli.* li.

LIBERASTI me secúndum multitúdinem misericórdiae nóminis tui a rugiéntibus, praeparátis ad escam, de mánibus quaeréntium ánimam meam, et de multis tribulatiónibus quae circumdedérunt me.

Pro nec Virg. nec Mart. Capitulum. *Prov.* xxxi. *c.*

QUANUM suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suae a frigóribus nivis.

℟. br. Adjuvábit eam * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus vultu. Glória. Adjuvábit eam.

℣. Elégit eam Deus, et praeelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

AD NONAM.

Aña. Ista est speciósa.

Pro Martyre tantum, Capitulum. *Eccli.* li.

LAUDABIT usque ad mortem ánima mea Dóminum : quóniam éruit

sustinéntes te, et líberas eos de manu angústiae, Dómine Deus noster.

Pro nec Virg. nec Mart. Capitulum. *Prov.* xxxi. *d.*

QULTAE fíliae congregavérunt divítias; tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur.

℟. br. Elégit eam Deus, * Et praeelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et praeelégit. Glória Patri. Elégit. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

AD VESPERAS.

Antiphona. Dum esset Rex, et alia ut in primis Vesperis. cxxiii.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Ad Magnif. Ańa. Manum suam * apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem ótiósa non comédit.

Si fuerint plures non Virg. idem fit Offic. ut. cxxiii.

II. LECTIONES

Pro Martyre tantum.

In Secundo Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Serm. lxvii. *de diversis novi Testamenti locis.*

Lectio iv.

SIGO máxime commemoratiónes díligo Mártyrum, díligo, et amplector : atque omnes quidem, sed tum praecípue, cum mulíerum certámina proponúntur. Quanto enim infírmius est vas, tanto major est grátia, tanto illústrius est trophaeum, tanto insígnior est victória, non ob imbecillitátem sexus athletárum, sed quod per ea, quibus vícerat inimícus, nunc étiam vincátur.

℟. Propter. cxxv.

Lectio v.

PER mulíerem vicit, per mulíerem superátus est. Hoc illíus ántea telum erat ; hoc illíus nunc caedis factum est instruméntum, hoc vas appáruit insuperábile. Peccávit illa prior, et mórtua est: ista mórtua est, ne peccáret. Illa tum fútilis promíssi spe infláta, Dei leges violávit : haec vitam praeséntem contémpsit, ne fidem in suum benefactórem ejuráret. Quam ígitur deínceps speráre póterunt excusatiónem viri, si molles sint, et ignávi ; quam vero véniam, cum fórtiter ac viríliter se gerant mulíeres, cum ádeo se generóse ad certámina pietátis accíngant ?

℟. Dilexísti. cxxvi.

Lectio vi.

FUIT illi corpus imbecíllum, et obnóxius sexus injúriae ; verúmtamen ómnium horum imbecillitátem advéniens grátia occultávit. Nihil enim est, nihil plane poténtius est eo, qui magno cum stúdio Dei timórem hábeat in mente defíxum; sed quamvis ignes, quamvis ferrum, quamvis béstias, quamvis áliud quidvis miném̃tur hostes, ómnia nullo negótio contémnit ; quod útique Beáta ista étiam fecit.

℟. Fallax grátia. cxxvi.

Commune
DEDICATIONIS ECCLESIAE.

AD VESPERAS.

Ańa. Domum tuam, cum reliquis de Laudibus. cxlii. Ps. Dixit Dñus, cum reliquis de Dominica. 134. ; et loco ultimi, Ps. Lauda Jerúsalem. 156.

Capitulum. *Apoc.* xxi.

VIDI civitátem sanctam Jerúsalem novam descendéntem de coelo a Deo, parátam sicut sponsam ornátam viro suo.

Hymnus.

COELESTIS Urbs Jerúsalem,
Beáta pacis vísio,
Quae celsa de viventibus
Saxis ad astra tólleris,
Sponsaeque ritu cíngeris
Mille Angelórum míllibus.
O sorte nupta próspera,
Dotáta Patris glória,
Respérsa Sponsi grátia,
Regína formosíssima,
Christo jugáta Príncipi,
Coeli corúsca Cívitas.
Hic margarítis émicant,
Paténtque cunctis óstia :
Virtúte namque praevia
Mortális illuc dúcitur,
Amóre Christi pércitus
Torménta quisquis sústinet.
Scalpri salúbris íctibus,
Et tunsióne plúrima,
Fabri polita málleo
Hanc saxa molem cónstruunt,
Aptísque juncta néxibus
Locántur in fastígio.
Decus Parénti débitum
Sit usquequáque Altíssimo,
Natóque Patris único,
Et ínclyto Paráclito,
Cui laus, potéstas, glória
Ætérna sit per saecula.
Amen.

℣. Haec est domus Dómini fírmiter aedificáta.

℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

Ad Magníf. Añ. Sanctificávit Dñus tabernáculum suum: quia haec est domus Dei, in qua invocábitur nomen ejus, de quo scriptum est: Et erit nomen meum ibi, dicit Dóminus.

In ipso die Dedicationis Ecclesiae, et per Octavam, et quando varianda est Oratio ob concursum Dedicationis alterius Ecclesiae.

Oratio.

DEUS, qui invisibíliter ómnia cóntines, et tamen pro salúte géneris humáni signa tuae poténtiae visibíliter osténdis: templum hoc poténtia tuae inhabitatiónis illústra, et concéde; ut omnes, qui huc deprecatúri convéniunt, ex quacúmque tribulatióne ad te clamáverint, consolatiónis tuae benefícia consequántur. Per Dóminum.

In Anniversario Dedicationis Eccles. et per Octav.

Oratio.

DEUS, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repraeséntas incólumes: exáudi preces pópuli tui, et praesta; ut quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse laetétur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitat. Domum Dei decet sanctitúdo: * Sponsum ejus Christum adorémus in ea. Ps. Veníte. 2. Hymn. Coeléstis Urbs. cxxxi.

In primo Nocturno.

Añ. Tóllite * portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles.

Psalmus xxiii.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus:* orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * et super flúmina praeparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dño: * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Haec est generátio quaeréntium eum, * quaeréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles: * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae? * Dóminus fortis et potens: Dñus potens in praelio.

Attóllite portas, príncipes,

vestras, et elevámini portae aeternáles : * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriae.

Ańa. Tóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles.

Ańa. Erit mihi * Dñus in Deum, et lapis iste vocábitur domus Dei.

Psalmus xlv.

DEUS noster refúgium, et virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quae invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra: * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátae sunt aquae eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus laetíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátae sunt Gentes et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, quae pósuit prodígia super terram : * áufe-

rens bella usque ad finem terrae.

Arcum cónteret, et confrínget arma : * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in Géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Ańa. Erit mihi Dóminus in Deum, et lapis iste vocábitur domus Dei.

Ańa. Ædificávit * Móyses altáre Dómino Deo.

Psalmus xlvii.

MAGNUS Dóminus, et laudábilis nimis * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne univérsae terrae mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cum suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terrae congregáti sunt : * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt : * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis, * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei

nostri : * Deus fundávit eam in aetérnum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam,* in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terrae : * justítia plena est déxtera tua.

Laetétur mons Sion, et exúltent fíliae Judae, * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, et complectímini eam : * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus : * et distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in aetérnum, et in saeculum saeculi : * ipse reget nos in saecula.

Ant. Ædificávit Móyses altáre Dómino Deo.

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum.

Pater noster. Absolutio. Exáudi, Dómine. ℣. Jube, domne. Bened. Benedictióne perpétua.

De libro secúndo Paralipómenon.

Lectio i. *Cap.* vii.

CUM complésset Sálomon fundens preces, ignis descéndit de coelo, et devorávit holocáusta et víctimas : et majéstas Dómini implévit domum. Nec póterant Sacerdótes íngredi templum Dómini, eo quod implésset majéstas Dómini templum Dómini. Sed et omnes fílii Israël vidébant descendéntem ignem, et glóriam Dómini super domum: et corruéntes proni in terram super paviméntum stratum lápide, adoravérunt, et laudavérunt Dóminum : Quóniam bonus, quóniam in saeculum misericórdia ejus. Rex autem, et omnis pópulus immolábant víctimas coram Dómino. Mactávit ígitur rex Sálomon hóstias, boum vigínti duo míllia, aríetum centum vigínti míllia : et dedicávit domum Dei rex, et univérsus pópulus.

℟. In dedicatióne templi decantábat pópulus laudem : * Et in ore eórum dulcis resonábat sonus. ℣. Fundáta est domus Dómini supra vérticem móntium, et vénient ad eam omnes Gentes.—Et in ore. Benedíctio. Unigénitus Dei fílius.

Lectio ii.

SACERDOTES autem stabant in offíciis suis : et Levítae in órganis cárminum Dómini, quae fecit David rex ad laudándum Dóminum : Quóniam in aetérnum misericórdia ejus, hymnos David canéntes per manus suas. Porro

Sacerdótes canébant tubis ante eos, cunctúsque Israël stabat. Sanctificávit quoque Sálomon médium átrii ante templum Dómini : obtúlerat enim ibi holocáusta et ádipes pacificórum : quia altáre aeneum, quod féceràt, non póterat sustinére holocáusta et sacrifícia et ádipes. Fecit ergo Sálomon solemnitátem in témpore illo septem diébus, et omnis Israël cum eo, ecclésia magna valde, ab introítu Emath usque ad torréntem Ægypti. Fecítque die octávo collectam, eo quod dedicásset altáre septem diébus, et solemnitátem celebrásset diébus septem.

℟. Fundáta est domus Dómini supra vérticem móntium, et exaltáta est super omnes colles : * Et vénient ad eam omnes Gentes, et dicent : Glória tibi, Dómine. ℣. Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manípulos suos. —Et vénient. Benedíctio. Spíritus sancti grátia.

Lectio iii.

COMPLEVITQUE Sálomon domum Dómini, et domum regis, et ómnia quae disposúerat in corde suo, ut fáceret in domo Dómini, et in domo sua, et prosperátus est. Appáruit autem ei Dóminus nocte, et ait : Audívi oratiónem tuam, et elégi locum istum mihi in domum sacrifícii. Si cláusero coelum, et plúvia non flúxerit, et mandávero et praecépero locústae, ut dévoret terram, et mísero pestilentiam in pópulum meum : convérsus autem pópulus meus, super quos invocátum est nomen meum, deprecátus me fúerit, et exquisíerit fáciem meam, et égerit poeniténtiam a viis suis péssimis : et ego exáudiam de coelo, et propítius ero peccátis eorum, et sanábo terram eórum. Oculi quoque mei erunt apérti, et aures meae eréctae ad oratiónem ejus, qui in loco isto oráverit. Elégi enim, et sanctificávi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempitérnum, et permáneant óculi mei, et cor meum ibi cunctis diébus.

℟. Bénedic, Dómine, domum istam, quam aedificávi nómini tuo : veniéntium in loco isto, * Exáudi preces in excélso sólio glóriae tuae. ℣. Dómine, si convérsus fúerit pópulus tuus, et oráverit ad sanctuárium tuum.— Exáudi preces. Glória Patri. Exáudi preces.

In secundo Nocturno.

Ant. Non est hic áliud, * nisi domus Dei, et porta coeli.

Psalmus lxxxiii.

QUAM dilécta tabernácula tua, Dñe virtútum : * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum : * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum : * Rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua, Dómine : * in saecula saeculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te : * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum, in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protéctor noster áspice Deus : * et réspice in fáciem Christi tui :

Quia mélior est dies una in átriis tuis : * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei : * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam, et veritátem díligit Deus : * grátiam, et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia : * Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Ańa. Non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta coeli.

Ańa. Vidit Jacob scalam, * súmmitas ejus coelos tangébat, et descendéntes Angelos, et dixit: Vere locus iste sanctus est.

Psalmus lxxxvi.

FUNDAMENTA ejus in móntibus sanctis : * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenae, et Tyrus, et pópulus Æthíopum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea : * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et príncipum : * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut laetántium ómnium * habitátio est in te.

Ańa. Vidit Jacob scalam, súmmitas ejus coelos tangébat, et descendéntes Angelos, et dixit : Vere locus iste sanctus est.

Ańa. Eréxit Jacob lápidem in títulum, fundens óleum désuper.

Psalmus lxxxvii.

DOMINE Deus salútis meae : * in die clamávi, et nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea : * inclína aurem tuam ad precem meam :

Quia repléta est malis ánima mea : * et vita mea inférno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum : * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlchris, quorum non es memor ámplius : * et ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri : * in tenebrósis, et in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus : * et omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longe fecísti notos meos a me : * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, et non egrediébar : * óculi mei languérunt prae inópia.

Clamávi ad te, Dómine, tota die : * expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília : * aut médici suscitábunt, et confitebúntur tibi ?

Numquid narrábit áliquis in sepúlchro misericórdiam tuam, * et veritátem tuam in perditióne ?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua : * et justítia tua in terra oblivióni ?

Et ego ad te, Dómine, clamávi : * et mane orátio mea praevéniet te.

Ut quid, Dómine, repéllis oratiónem meam : * avértis fáciem tuam a me ?

Pauper sum ego, et in labóribus a juventúte mea : * exaltátus autem humiliátus sum et conturbátus.

In me transiérunt irae tuae : * et terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die : * circumdedérunt me simul.

Elongásti a me amícum et próximum : * et notos meos a miséria.

Ańa. Eréxit Jacob lápidem in títulum, fundens óleum désuper.

℣. Domus mea. ℟. Domus oratiónis vocábitur.

Pater noster. Absolutio. Ipsíus piétas. ℣. Jube, domne. Benedictio. Deus Pater omnípotens.

Sermo S. Augustíni Epísc. *Serm.* cclii. *de Temp.*

Lectio iv.

QUOTIESCUMQUE, fratres charíssimi, altáris vel templi festivitátem cólimus, si fidéliter ac diligénter atténdimus, et sancte ac juste vívimus, quidquid in templis manufáctis ágitur, totum in nobis spiritáli aedificatióne complétur. Non enim mentítus est ille, qui dixit: Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos: et íterum: Nescítis, quia córpora vestra templum sunt Spíritus Sancti, qui in vobis est? Et ídeo, fratres charíssimi, quia nullis praecedéntibus méritis per grátiam Dei merúimus fíeri templum Dei, quantum póssumus cum ipsíus adjutório laborémus, ne Dóminus noster in templo suo, hoc est, in nobis ipsis invéniat, quod óculos suae majestátis offéndat.

℟. Orántibus in loco isto, * Dimítte peccáta pópuli tui Deus, et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent, et da glóriam in loco isto. ℣. Qui regis Israël inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim.—Dimítte. Benedictio. Christus perpétuae.

Lectio v.

SED habitáculum cordis nostri evacuétur vítiis, et virtútibus repleátur: claudátur diábolo, et aperiátur Christo: et ita laborémus, ut nobis bonórum óperum clávibus jánuam regni coeléstis aperíre possímus. Sicut enim malis opéribus, quasi quibúsdam seris ac véctibus, vitae nobis jánua cláuditur: ita absque dúbio bonis opéribus aperítur. Et ídeo, fratres charíssimi, unusquísque consíderet consciéntiam suam, et quando se áliquo crímine vulnerátum esse cognóverit; prius oratiónibus, jejúniis, vel eleemósynis stúdeat mundáre consciéntiam suam, et sic Eucharistíam praesúmat accípere.

℟. O quam metuéndus est locus iste! * Vere non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta coeli. ℣. Haec est domus Dómini fírmiter aedificáta, bene fundáta est supra firmam petram.—Vere. Benedictio. Ignem sui amóris.

Lectio vi.

SI enim agnóscens reátum suum, ipse se a divíno altári subtráxerit, cito ad indulgéntiam divínae misericórdiae pervéniet. Quia sicut qui se exáltat, humiliábitur; ita e contrá-

rio, qui se humíliat, exaltábitur. Qui enim, sicut dixi, agnóscens reátum suum, ipse se humíliter ab altári Ecclésiae pro emendatióne vitae removére volúerit, ab aetérno illo et coelésti convívio excommunicári pénitus non timébit.

℟. Mane surgens Jacob erigébat lápidem in títulum, fundens óleum désuper, votum vovit Dómino : * Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam. ℣. Cumque evigilásset Jacob de somno, ait. — Vere locus. Glória Patri. Vere locus.

In tertio Nocturno.

Ant. Qui hábitat * in adjutório Altíssimi, in protectióne Dei coeli commorábitur.

Quando haec Antiphona dicitur integra, et illi non additur in fine Allelúia, tunc principium Psalmi est a secundo Versu, Dicet Dómino.

Psalmus xc.

QUI hábitat in adjutório Altíssimi, * in protectióne Dei coeli commorábitur.

DICET Dómino : Susceptor meus es tu, et refúgium meum : * Deus meus sperábo in eum.

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, * et a verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi : * et sub pennis ejus sperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus : * non timébis a timóre noctúrno,

A sagítta volánte in die, a negótio perambulánte in ténebris : * ab incúrsu, et daemónio meridiáno.

Cadent a látere tuo mille, et decem míllia a dextris tuis : * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis : * et retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam tu es, Dómine, spes mea : * altíssimum posuísti refúgium tuum.

Non accédet ad te malum : * et flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te: * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te : * ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem et basilíscum ambulábis : * et conculcábis leónem et dracónem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum : * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, et ego exáudiam eum : * cum ipso sum in tribulatióne: erípiam eum, et glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum : * et osténdam illi salutáre meum.

Aña. Qui hábitat in adjutorio Altíssimi, in protectióne Dei coeli commorábitur.

Aña. Templum Dómini * sanctum est, Dei structúra est, Dei aedificátio est.

Psalmus xcv.

CANTATE Dómino cánticum novum : * cantáte Dño omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii Géntium daemónia : * Dóminus autem coelos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriae Géntium, afférte Dómino glóriam et honórem : * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in Géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terrae qui non commovébitur : * judicábit pópulos in aequitáte.

Laeténtur coeli, et exúltet terra, commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia quae in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrae in aequitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Aña. Templum Dómini sanctum est, Dei structúra est, Dei aedificátio est.

Antiphona. Benedícta * glória Dñi de loco sancto suo, allelúia.

Psalmus xcviii.

DOMINUS regnávit, irascántur pópuli : * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus : * et excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno : quóniam terríbile, et sanctum est : * et honor regis judícium díligit.

Tu parásti directiónes : * judícium et justítiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte

scabéllum pedum ejus : * quóniam sanctum est.

Móyses, et Aaron in sacerdótibus ejus : * et Sámuel inter eos, qui ínvocant nomen ejus :

Invocábant Dóminum, et ipse exaudiébat eos : * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, * et praecéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster, tu exaudiébas eos : * Deus, tu propítius fuísti eis, et ulcíscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dñum Deum nostrum, et adoráte in monte sancto ejus : * quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

Añ. Benedícta glória Dómini de loco sancto suo, allelúia.

℣. Haec est domus Dñi firmiter aedificáta. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

Pater noster. Absolutio. A vínculis. ℣. Jube, domne. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xix.

IN illo témpore : Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachaeus : et hic princeps erat publicanórũ, et ipse dives. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 8. *in Luc. prope fin.*

ZACHAEUS statúra pusíllus, hoc est, nulla nobilitátis ingénitae dignitáte sublímis, exíguus méritis sicut pópulus natiónum, audíto Dñi Salvatóris advéntu, quem sui non recéperant, vidére cupiébat. Sed nemo fácile Jesum videt : nemo potest Jesum vidére constitútus in terra. Et quia non Prophétas, non legem habébat, tamquam formae grátiam naturális, ascéndit in sycómorum, vanitátem scílicet Judaeórum vestígio suo próterens, erráta quoque córrigens superióris aetátis: et ídeo Jesum in interióris domus recépit hospítio.

℟. Domus mea, domus oratiónis vocábitur, dicit Dóminus : in ea omnis qui petit, áccipit ; et qui quaerit, ínvenit : * Et pulsánti aperiétur. ℣. Pétite, et accipiétis : quaerite, et inveniétis.—Et pulsánti. Benedíctio. Divínum auxílium.

Lectio viii.

ET bene ascéndit in árborem, ut arbor bona bonos fructus fáceret : ac naturáli excísus oleástro, et contra natúram insértus in bonam olívam, fructum posset legis afférre. Radix

enim sancta, etsi rami inútiles : quorum infructuósam glóriam plebs Géntium fide resurrectiónis, quasi quadam córporis elevatióne transcéndit. Zachaeus ergo in sycómoro, caecus in via : quorum álterum Dñus miseratúrus expéctat, álterum mansiónis suae claritáte nobílitat, álterum sanatúrus intérrogat, apud álterum se non invitátus invítat. Sciébat enim úberem hospítii sui esse mercédem. Sed tamen, etsi nondum vocem invitántis audíerat, jam víderat affféctum.

℟. Lápides pretiósi omnes muri tui : * Et turres Jerúsalem gemmis aedificabúntur. ℣. Portae Jerúsalem ex sapphíro et smarágdo aedificabúntur, et ex lápide pretióso omnis circúitus muri ejus.—Et turres. Glória Patri. Et turres. Bened. Ad societátem.

Lectio ix.

VERUM ne caecum illum tamquam fastidiósi páuperum cito reliquisse videámur, et transísse ad dívitẽ, expectémus eum, quia expectávit et Dóminus: interrogémus eum, quia interrogávit et Christus. Nos interrogémus, quia nescímus: ille quia nóverat. Nos interrogémus, ut sciámus unde iste curátus sit : ille interrogávit, ut in uno plures discerémus, unde Dñum vidére mereámur. Interrogávit enim, ut crederémus, néminem nisi confiténtem posse salvári.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES

et per Horas Añae.

1. Domum tuam, Dñe, * decet sanctitúdo in longitúdinem diérum. Ps. Dñus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Domus mea, * domus oratiónis vocábitur.

3. Haec est domus Dñi * fírmiter aedificáta, bene fundáta est supra firmam petram.

4. Bene fundáta est * domus Dómini supra firmam petram.

5. Lápides pretiósi * omnes muri tui, et turres Jerúsalem gemmis aedificabúntur.

Capitulum. *Apoc.* xxi.

VIDI civitátem sanctam Jerúsalem novam descendéntem de coelo a Deo, parátam sicut sponsam ornátam viro suo.

Hymnus.

ALTO ex Olympi vértice
Summi Paréntis Fílius,
Ceu monte deséctus lapis
Terras in imas décidens,
Domus supérnae, et ínfimae,
Utrúmque junxit ángulum.
Sed illa sedes coelitum
Semper resúltat láudibus,

Deúmque Trinum et Unicum
Jugi canóre praedicat :
Illi canéntes júngimur
Almae Siónis aemuli.

Haec templa, Rex coeléstium,
Imple benígno lúmine :
Huc o rogátus ádveni,
Plebísque vota súscipe,
Et nostra corda júgiter
Perfúnde coeli grátia.

Hic ímpetrent fidélium
Voces precésque súpplicum
Domus beátae múnera,
Partísque donis gáudeant :
Donec solúti córpore
Sedes beátas ímpleant.

Decus Parénti débitum
Sit usquequáque Altíssimo,
Natóque Patris único,
Et ínclyto Paráclito,
Cui laus, potéstas, glória
Ætérna sit per saecula.
Amen.

℣. Haec est domus Dñi fírmiter aedificáta. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

Ad Benedictus, Aña. Zachaee * festínans descénde, quia hódie in domo tua opórtet me manére : at ille festínans descéndit, et suscépit illum gaudens in domum suam. Hódie huic dómui salus a Deo facta est, allelúia.

In ipso die Dedicationis Ecclesiae, et per Octavam, et quando varianda est Oratio ob concursum Dedicationis alterius Ecclesiae.

Oratio.

DEUS, qui invisibiliter ómnia cóntines, et tamen pro salúte géneris humáni signa tuae poténtiae visibiliter osténdis: templum hoc poténtia tuae inhabitatiónis illústra, et concéde ; ut omnes, qui huc deprecatúri convéniunt, ex quacúmque tribulatióne ad te clamáverint, consolatiónis tuae benefícia consequántur. Per Dóminum.

In Anniversario Dedicationis Ecclesiae, et per Oct.

Oratio.

DEUS, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repraeséntas incólumes : exáudi preces pópuli tui, et praesta ; ut quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse laetétur. Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Aña. Domus mea.

Capit. Vidi. cxlii.

℟. br. Domum tuam, Dñe, * Decet sanctitúdo. Domum. ℣. In longitúdinem diérum. Decet. Glória Patri. Domum.

℣. Locus iste sanctus est, in quo orat sacérdos. ℟. Pro delíctis et peccátis pópuli.

AD SEXTAM.

Antiphona. Haec est domus Dómini.

Capitulum. *Apoc.* xxi.

ET audívi vocem magnam de throno dicéntem : Ecce tabernáculũ Dei cum homínibus, et habitábit cum eis. Et ipsi pópulus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eórum Deus.

℟. br. Locus iste sanctus est, * In quo orat sacérdos. Locus. ℣. Pro delíctis et peccátis pópuli. In quo. Glória Patri. Locus.

℣. Haec est domus Dómini firmiter aedificáta. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

AD NONAM.

Aña. Lápides pretiósi.

Capitulum. *Apoc.* xxi. *b.*

ET abstérget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum : et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abiérunt. Et dixit qui sedébat in throno : Ecce nova fácio ómnia.

℟. br. Haec est domus Dñi * Fírmiter aedificáta. Haec est. ℣. Bene fundáta est supra firmam petram. Fírmiter. Glória Patri. Haec.

℣. Bene fundáta est domus Dómini. ℟. Supra firmam petram.

In secundis Vesperis, Añae, Psalmi, Capitulum et Hymnus ut in primis Vesperis. **cxxxi.**

℣. Domum tuam, Dñe, decet sanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum.

Ad Magníficat, Aña. O quam metuéndus est * locus iste ! vere non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta coeli.

SECUNDA DIE

Infra Octávam.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex Tractátu S. Augustíni Epíscopi super Psalmos.

Lectio iv. *In Ps.* cxxi.

ERUSALEM, quae aedificátur ut cívitas. Fratres, quando dicébat ista David, perfécta erat illa cívitas, non aedificabátur. Néscio quam ergo civitátem dicit, quae modo aedificátur, ad quam currunt in fide lápides vivi ; de quibus dicit Petrus : Et vos tamquam lápides vivi coaedificámini in domum spiritálem, id est, templum Dei sanctum. Quid est, Lápides vivi coaedificámini ? Vivis, si credis : si autem credis, efficiéris templum Dei ; quia dicit Apóstolus Paulus : Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.

℟. Orántibus. **cxxxviii.**

Lectio v.

IPSA ergo modo cívitas aedificátur. Praecidúntur de móntibus lápides per manus praedicántium veritátem, conquadrántur, ut intrent in structúram sempitérnam. Adhuc multi lápides in mánibus artíficis sunt : non cadant de mánibus artíficis, ut possint perfécti coaedificári in structúram templi. Est ergo ista Jerúsalem, quae aedificátur ut cívitas : fundaméntum ipsíus Christus est. Dicit Apóstolus Paulus : Fundaméntum áliud nemo potest pónere praeter id, quod pósitum est, quod est Christus Jesus.

℟. O quam. cxxxviii.

Lectio vi.

FUNDAMENTUM quando pónitur in terra, désuper aedificántur paríetes, et pondus paríetũ ad ima tendit, quia in imo pósitum est fundaméntum. Si autem fundaméntum nostrum in coelo est, ad coelum aedificémur. Córpora aedificavérunt istam structúrã, quam vidétis amplam surrexísse hujus Basílicae : et quia córpora aedificavérunt, fundaméntum in imo posuérunt. Quia vero spirituáliter aedificámur, fundaméntum nostrum in summo pósitum est. Illuc ergo currámus, ibi aedificémur ; quia de ipsa Jerúsalem dictum est : Stantes erant pedes nostri in átriis tuis Jerúsalem.

℟. Mane surgens. cxxxix.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xix.

IN illo témpore : Ingrédiens Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachaeus : et hic princeps erat publicanórũ, et ipse dives. Et réliqua.

De Homília S. Ambrósii Epíscopi.

Ex lib. 8. *in Luc. in fine.*

ET confestim, inquit, vidit, et sequebátur illum, magníficans Dóminum. Aliter enim non vidéret, nisi sequerétur Christum, nisi Dñum praedicáret, nisi saeculum praeteríret. Cum divítibus quoque in grátiam revertámur. Nólumus enim offéndere dívites, qui vólumus, si fíeri potest, sanáre omnes : ne in caméli comparatióne praestrícti, et in Zachaeo cítius quam opórtuit, derelícti, justae hábeant commotiónis offénsam.

℟. Domus. cxli.

Lectio viii.

DISCANT dívites, non in facultátibus crimen haerére, sed in iis, qui uti nésciant facultátibus.

Nam divítiae ut impedimenta ímprobis, ita bonis sunt adjumenta virtútis. Dives certe Zachaeus, et eléctus a Christo: sed dimídium bonórum suórum paupéribus largiéndo, reddéndo étiam in quádruplum, quae fraude sustúlerat (álterum non enim sat est, nec habet grátiam liberálitas, si injúria persevérat, quia non spólia, sed dona quaerúntur) uberiórem mercédem quam conferébat accépit.

℟. Lápides. cxlii.

Lectio ix.

ET bene princeps indúcitur publicanórum. Quis jam de se despéret, quando et iste, cui census ex fraude, ad salútem pervénit? Et ipse, inquit, dives. Ut scias non omnes dívites, avaros. Quia statúra pusíllus erat. Quid sibi vult, quod nullíus altérius statúram Scriptúra, nisi hujus expréssit? Vide ne forte malítia pusíllus, aut adhuc pusíllus fide. Nondum enim réddere promíserat: nondum víderat Christum: mérito adhuc pusíllus. Joánnes autem magnus, quia et Christum vidit, et Spíritum sicut colúmbam super Christum manéntem, sicut ipse ait: Vidi Spíritum descendéntem sicut colúmbam, et manéntem super eum.

Te Deum laudámus. 17.

TERTIA DIE
infra Octavam.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Augustíni Epísc. *Serm.* cclvi. *de Temp.*

Lectio iv.

CELEBRITAS hujus congregatiónis, dedicátio est domus oratiónis. Domus ergo nostrárum oratiónum ista, domus autem Dei nos ipsi. Si domus Dei nos ipsi, nos in hoc saeculo aedificámur, ut in fine saeculi dedicémur. Ædifícium, immo aedificátio habet labórem; dedicátio exultatiónem. Quod hic fiébat, quando ista surgébant; hoc fit modo, cum congregántur credéntes in Christum. Credéndo enim, quasi de silvis et móntibus ligna et lápides praecidúntur; cum vero catechizántur, baptizántur, formántur, tamquam inter manus fabrórum et opíficum dolántur, collineántur, complanántur. Verúmtamen domum Dómini non fáciunt, nisi quando charitáte compaginántur.

℟. Orántibus. cxxxviii.

Lectio v.

LIGNA ista et lápides si non sibi certo órdine cohaerérent, si non se pacífice innécterent, si

non se ínvicem, cohaeréndo sibi, quodámmodo amárent, nemo huc intráret. Dénique quando vides in áliqua fábrica lápides et ligna bene sibi cohaerére, secúrus intras, ruínam non times. Volens ergo Dñus Christus intráre, et in nobis habitáre, tamquam aedificándo dicébat: Mandátum novum do vobis: Ut vos ínvicem diligátis. Mandátum, inquit, novum do vobis. Véteres enim erátis, domum mihi nondum faciebátis, in vestra ruína jacebátis. Ergo ut eruámini a vestrae ruínae vetustáte, vos ínvicẽ amáte.

℟. O quam. cxxxviii.

Lectio vi.

CONSIDERET ergo cháritas vestra, aedificári adhuc istam domum toto, sicut praedíctum est et promíssum, orbe terrárum. Cum enim aedificátur domus post captivitátem, sicut habet álius Psalmus, dícitur: Cantáte Dño cánticum novum: cantáte Dño omnis terra. Quod ibi dixit, cánticum novum; hoc Dóminus dixit, mandátum novum. Quid enim habet cánticum novum, nisi amórem novum? Cantáre amántis est. Vox hujus cantóris, fervor est sancti amóris. Amémus, gratis amémus: Dñum enim amámus, quo nihil mélius invenímus: ipsum amémus propter ipsum, et nos in ipso, tamen propter ipsum.

℟. Mane surgens. cxxxix.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xix.

IN illo témpore: Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachaeus: et hic princeps erat publicanórum, et ipse dives. Et réliqua.

De Homilía S. Ambrósii Epíscopi.

Ex. lib. 8. in Luc. prope fin.

QUAE autem turba, nisi imperítae confúsio multitúdinis, quae vértice nequit vidére sapiéntiae? Ergo Zachaeus quámdiu in turba est, non videt Christum: supra turbam ascéndit, et vidit: hoc est, plebis jam transgréssus inscítiam, méruit quem desiderábat, aspícere. Pulchre autem áddidit: Quia illa parte erat transitúrus Dñus: vel ubi sycómorus, vel ubi creditúrus: ut et mystérium serváret, et grátiam semináret. Sic enim vénerat, ut per Judaeos transíret ad Gentes.

℟. Domus mea. cxli.

Lectio viii.

QUIDIT ítaque Zachaeum sursum. Jam enim sublimitáte fídei inter fructus novórum óperum,

velut foecúndae altitúdine árboris eminébat. Et quóniam de typo ad morália defléximus, inter tot credéntium voluptátes Domínica die relaxáre ánimum, festivitátem admiscére deléctat. Zachaeus in sycómoro, novum vidélicet novi témporis pomum, ut in hoc quoque complerétur illud : Arbor fici prodúxit grossos suos.

℟. Lápides. cxlii.

Lectio ix.

AD hoc enim Christus advénit, ut ex lignis non poma, sed hómines nascerémtur. Légimus álibi: Cum esses sub árbore fici, vidi te. Ergo Nathánaël sub árbore, hoc est, supra radícem, quia justus. Radix enim sancta. Sub árbore tamen Nathánael, quia sub lege : Zachaeus supra árborem, quia supra legem. Ille Dómini occúltus defénsor, hic públicus praedicátor. Ille adhuc Christum ex lege quaerébat : iste jam supra legem relinquébat sua, et Dóminum sequebátur.

Te Deum laudámus. 17.

QUARTA DIE

infra Octavam.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermóne S. Augustíni Epíscopi.

Ex Serm. cclvi. *de Temp.*

Lectio iv.

ATTENDITE in Psalmo dedicatiónis, quem modo cantávimus ex ruína aedificiórum. Conscidísti saccum meum : hoc pértinet ad ruínam. Quid ergo ad aedifícium ? Et accinxísti me laetítia. Vox dedicatiónis : Ut cantet tibi glória mea, et non compúngar. Quis est, qui lóquitur? In verbis ejus agnóscite. Si expóno, obscúrum est. Ergo verba ejus dicam, contínuo agnoscétis loquéntem, ut amétis alloquéntem. Quis est, qui dícere pótuit : Eruísti, Dómine, ab ínferis ánimam meam ?

℟. Orántibus. cxxxviii.

Lectio v.

QUJUS ánima jam ab ínferis éruta est, nisi de qua dictum est álio loco : Non derelínques ánimam meam in inférno ? Propónitur dedicátio, et cantátur liberátio, cánticum dedicatiónis domus, et dícitur : Exaltábo te, Dñe, quóniam suscepísti me : et non jucundásti inimícos meos super me. Atténdite Judaeos inimícos, qui se putábant occidísse Christum, vicísse tamquam inimícum, perdidísse quasi hóminẽ caeteris símilem atque mortálem.

℟. O quam. cxxxviii.

Lectio vi.

RESURREXIT tértia die, et ejus vox est : Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me. Atténdite Apóstolum dicéntem : Propter quod eum exaltávit. Et non jucundásti inimícos meos super me. Ipsi quidem in Christi morte jucundabántur, sed in ejus resurrectióne, ascensióne, praedicatióne áliqui compungebántur. In ejus ergo praedicatióne, et per Apostolórum constántiae diffamatiónem áliqui compungebántur, et convertebántur : áliqui obdurabántur, et confundebántur, nulli tamen jucundabántur.

℟. Mane surgens. cxxxix.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xix.

IN illo témpore : Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachaeus : et hic princeps erat publicanórũ, et ipse dives. Et réliqua. Homília S. Gregórii Papae. *Lib.* 27. *Moral. cap.* xxvii. *post medium.*

SI veráciter sapiéntes esse, atque ipsam sapiéntiam contemplári appétimus, stultos nos húmíliter cognoscámus. Relinquámus nóxiam sapiéntiam, discámus laudábilem fatuitátem. Hinc quippe scriptum est : Stulta mundi elégit Deus, ut confúndat sapiéntes. Hinc rursum dícitur : Si quis vidétur inter vos sápiens esse in hoc saeculo, stultus fiat, ut sit sápiens. Hinc Evangélicae históriae verba testántur : quia Zachaeus cum vidére prae turba nihil posset, sycómori árborem ascéndit, ut transeúntem Dñum cérneret. Sycómorus quippe ficus fátua dícitur.

℟. Domus mea. cxli.

Lectio viii.

PUSILLUS ítaque Zachaeus sycómorum súbiit, et Dóminum vidit : quia qui mundi stultítiam humíliter éligunt, ipsi Dei sapiéntiam subtíliter contemplántur. Pusillitátem namque nostram ad vidéndum Dóminum turba praepedit : quia infirmitátem humánae mentis, ne lucem veritátis inténdat, curárum saeculárium tumúltus premit. Sed prudénter sycómorum ascéndimus, si próvide eam, quae divínitus praecípitur, stultítiam mente tenémus. Quid enim in hoc mundo stúltius, quam amíssa non quaerere, posséssa rapiéntibus relaxáre, nullam pro accéptis injúriis injúriam réddere, immo

adjúnctis áliis patiéntiam praebére ?

℟. Lápides. cxlii.

Lectio ix.

QUASI enim sycómorum nos ascéndere Dóminus praecipit cum dicit : Qui aufert quae tua sunt, ne répetas. Et rursum : Si quis te percússerit in déxteram maxíllam, praebe illi et álteram. Per sycómorum Dóminus tránsiens cérnitur : quia per hanc sapiéntem stultítiam, etsi necdum, ut est, sólide, jam tamen per contemplatiónis lumen Dei sapiéntia quasi in tránsitu vidétur, quam vidére néqueunt qui sibi sapiéntes esse vidéntur : quia ad conspiciéndum Dóminum, in eláta cogitatiónum suárum turba deprehénsi, adhuc sycómori árborem non invenérunt. Te Deum laudámus. 17.

QUINTA DIE

infra Octávam.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermóne S. Augustíni Epíscopi.

Ex Serm. ccivi. *de Temp.*

Lectio iv.

ODO, quando impléntur Ecclésiae, putámus jucundári Judaeos? Ecclesiae aedificántur, dedicántur, impléntur : quómodo illi jucundántur? Non solum non jucundántur, sed étiam confundúntur, et implétur vox exultántis : Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me : et non jucundásti inimícos meos super me. Non jucundásti super me : si mihi credant, jucundábis in me. Ne multa dicámus, ad illa, quae cantávimus, aliquándo veniámus. Quómodo dicit Christus : Conscidísti saccum meum, et accinxísti me laetítia? Saccus ejus erat similitúdo carnis peccáti.

℟. Orántibus. cxxxviii.

Lectio v.

NON tibi viléscat, quod ait, Saccum meum : ibi erat inclúsum prétium tuum. Conscidísti saccum meum. Evásimus ad saccum istum. Conscidísti saccum meum. In passióne conscíssus est. Quómodo ergo Deo Patri dícitur : Conscidísti saccum meum? Quómodo Patri dicátur, vis audíre : Conscidísti saccum meum? Quia próprio Fílio non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum. Fecit enim per Judaeos nesciéntes, unde redimeréntur sciéntes, et confunderéntur negántes. Nésciunt enim quid boni nobis operáti sunt malo suo.

Suspénsus est saccus, et quasi laetátus est ímpius. Conscídit saccum láncea persecútor, et fudit prétium nostrum Redémptor.

℟. O quam. cxxxviii.

Lectio vi.

CANTET Christus Redémptor, gemat Judas vénditor, erubéscat Judaeus emptor. Ecce Judas véndidit, Judaeus emit, malum negótium egérunt, ambo damnáti sunt, seípsos perdidérunt vénditor et emptor. Dicat ergo caput nostrum, dicat pro córpore occíso, pro córpore dedicáto. Dicat, audiámus : Conscidísti saccum meum, et accinxísti me laetítia : id est, conscidísti mortalitátem meam, et accinxísti me immortalitáte et incorruptióne. Ut cantet tibi glória mea, et non compúngar. Quid est, Non compúngar? Jam contra me non ferat lánceam persecútor, ut non compúngar. Christus enim surgens a mórtuis, jam non móritur, et mors illi ultra non dominábitur.

℟. Mane surgens. cxxxix.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xix.

IN illo témpore : Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachaeus: et hic princeps erat publicanórum, et ipse dives. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedae Presbyteri.

L. 5. *cap.* lxxvii. *in Lucae* xix.

QUAE impossibília sunt apud hómines, possibília sunt apud Deum. Ecce enim camélus, depósita gibbi sárcina per foráamen acus transit ; hoc est, dives et publicánus, relícto ónere divitiárum, contémpto censu fraudum, angústam portam, arctámque viam, quae ad vitam ducit, ascéndit. Qui mira devotióne fídei ad vidéndum Salvatórem quod natúra minus habúerat, ascénsu supplet árboris : atque ídeo juste, quamvis ipse rogáre non áudeat, benedictiónem Domínicae susceptiónis, quam desiderábat, accépit.

℟. Domus mea. cxli.

Lectio viii.

QVSTICE autem Zachaeus, qui interpretátur justificátus, credéntem ex Géntibus pópulum significat. Qui quanto curis saeculáribus occupátior, tanto flagítiis depriméntibus erat factus humílior. Sed ablútus est, sed sanctificátus, sed justificátus in nómine Dómini nostri Jesu Christi

et in spíritu Dei nostri. Qui intrántem Jéricho Salvatórem vidére quaerébat, sed prae turba non póterat : quia grátiae fídei, quam mundo Salvátor áttulit, participáre cupiébat : sed inólita vitiórum consuetúdo, ne ad votum perveníret, obstíterat.

℟. Lápides. cxlii.

Lectio ix.

EADEM namque turba nóxiae consuetúdinis quae supra caecum clamántem, ne lumen péteret, increpábat, étiam suspiciéntem publicánum, ne Jesum vídeat, tardat. Sed sicut caecus turbárum voces magis ac magis clamándo devícit : ita pusíllus necésse est turbae nocéntis obstáculum altióra peténdo transcéndat, terréna relínquat árborem crucis ascéndat. Sycómorus namque (quae est arbor fóliis moro símilis, sed altitúdine praestans, unde et a Latínis celsa nuncupátur) ficus fátua dícitur. Et éadem Domínica crux, quae credéntes alit ut ficus, ab incrédulis irridétur ut fátua.

Te Deum laudámus. 17.

SEXTA DIE

infra Octavam.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermóne S. Augustíni Epíscopi.

Ex Serm. cclvi. *de Temp.*

Lectio iv.

ERGO, dum novam constructiónem sanctae hujus Ecclésiae libénter atténdimus, quam divíno nómini hódie dedicámus, invenímus a nobis debéri et Deo nostro máximam laudem, et sanctitáti vestrae cóngruum de divínae domus aedificatióne sermónem. Tunc autem sermo noster cóngruus erit, si in se áliquid aedificatiónis hábeat, quod utilitáti animárum vestrárum, Deo vos intérius aedificánte, profíciat. Quod hic factum corporáliter vidémus in pariétibus, spiritáliter fiat in méntibus : et quod hic perféctum cérnimus in lapídibus et lignis, hoc, aedificánte grátia Dei, perficiátur in corpóribus vestris.

℟. Orántibus. cxxxviii.

Lectio v.

PRINCIPALITER ergo grátias agámus Dómino Deo nostro, a quo est omne datum óptimum, et omne donum perféctum : et ejus bonitátem tota cordis alacritáte laudémus, quóniam ad construéndam istam do-

mum oratiónis, fidélium suórum visitávit ánimum, excitávit affféctum, surrogávit auxílium, inspirávit necdum voléntibus ut vellent, adjúvit bonae voluntátis conátus ut fácerent : ac per hoc Deus, qui operátur in suis et velle et perfícere pro bona voluntáte, haec ómnia ipse coepit, ipse perfécit.

℟. O quam. cxxxviii.

Lectio vi.

ET quia ópera bona in conspéctu suo nunquam esse permíttit inánia, fidélibus suis, quibus operántibus praebuit virtútis suae favórem, tríbuet condígnam pro tanta operatióne mercédem. Adhuc ámplius agéndae sunt grátiae Deo nostro. Hanc enim Ecclésiam, quam fecit nómini suo cónstrui, fecit étiam sanctórum Mártyrum relíquiis ámplius honorári.

℟. Mane surgens. cxxxix.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xix.

IN illo témpore : Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachaeus : et hic princeps erat publicanórum, et ipse dives. Et réliqua.

De Homilía venerábilis Bedae Presbyteri.

Lib. 5. *C.* lxxvii. *in Luc.* xix.

ET cum venísset ad locum, suspíciens Jesus vidit illum. Perámbulans Jéricho Salvátor venit ad locum, ubi praecúrrens Zachaeus sycómorum conscénderat : quia missis per mundum sui verbi praecónibus, in quibus ipse nimírum et loquebátur et ibat, venit ad pópulũ natiónum, qui passiónis ejus fide jam sublímis exístens, étiam divinitátis ejus ardébat ágnita fácie beári. Suspíciens vidit illum, quia per grátiam fídei a terrénis cupiditátibus elevátum, turbísque infidélibus praeeminéntem elégit. Vidére enim Dei, elígere vel amáre est. Unde est illud : Oculi Dómini super justos. Nam et nos quae amámus, vidére ; ab his, quae execrámur, intúitum festinámus avértere.

℟. Domus mea. cxli.

Lectio viii.

VIDIT ergo Jesus vidéntem se, quia elégit eligéntem se, et amávit amántem. Hunc sane órdinem proficiéndi, hoc est, per fidem Domínicae Incarnatiónis ad cognitiónem divinitátis perveniéndi, quasi per sycómorum Jesu fáciem speculándi Doctor

egrégius osténdit, cum ait: Non enim judicávi scire me áliquid inter vos, nisi Christum Jesum, et hunc crucifíxum. Itémque et áliis éxprobrans: Facti estis, inquit, quibus lacte opus sit, non sólido cibo. Lac infírma temporáriae dispensatiónis sólidum cibum árdua perpétuae majestátis appéllans.

℟. Lápides. cxlii.

Lectio ix.

ET dixit ad eum: Zachaee, festínans descende, quia hódie in domo tua opórtet me manére. Et festínans descéndit, et excépit illum gaudens. Manébat aliquándo Dñus in domo príncipis Pharisaeórum, hoc est, in Judaeórum synagóga docébat: sed quia non baptizátum ante prándium, sábbato curántem, publicános et peccatóres recipiéntem, contra avarítiam disputántem, et caetera digna Deo geréntem, lingua venenáta carpébant: pertaesus eórum facínora, discéssit et aufúgit, dicens: Relinquétur vobis domus vestra desérta. Hódie autem in domo pusílli Zachaei opórtet illum manére: hoc est, novae lucis grátia coruscánte, in húmili credéntium natiónum corde quiéscere.

Te Deum laudámus. 17.

SEPTIMA DIE
infra Octavam.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex Homilia xxxiii. *in capite* ix. *Matthaei.*

Lectio iv.

COMMUNIS ómnium domus est Ecclésia, in quam, vobis prius ingréssis, nos intrámus, discipulórum formam retinéntes: ideóque commúniter ómnibus statim atque ingréssi fuérimus, ut illis datam legem sequámur, pacem offérimus. Nemo ígitur socórdia tórpeat: nemo saeculáribus rebus suspénsum ánimum hábeat, cum jam ad praedicándum sacerdótes intráverint. Non enim parva huic rei ímminet poena. Equidem míllies pótius malim in domum alicújus vestrum ingréssus destítui, quam hic praedicans non audíri. Hoc mihi moléstius esset quam illud, quandóquidem magis própria haec est, quam illa.

℟. Orántibus. cxxxviii.

Lectio v.

NAM hic magnae illae nostrae opes pósitae sunt, hic spes nostra om-

nis. Quid enim hoc loco non magnum est et admirándum? Nam haec mensa longe pretiósior est atque jucúndior; et lucérna haec, quam illa, ut norunt qui cum fide óleo perúncti, a morbis liberáti sunt. Arca étiam haec multo mélior, magísque necessária. Non enim vestes, sed misericórdiam inclúsam cóntinet: quamvis pauci sint qui eam possídeant. Hic et léctulus est valde illo praestántior: divinárum enim Scripturárum réquies quovis lecto suávior est.

℟. O quam. cxxxviii.

Lectio vi.

ET quidem si concórdia perfécte servarétur a nobis, nullam áliam domum praeter hanc haberémus. Hoc autem quod dixi, non esse durum, testántur illa tria míllia, et quinque míllia hóminum, quibus et domus una, et mensa una, et ánima una erat. Multitúdinis enim credéntium, inquit, unum erat cor, et ánima una. Sed quia longe ab illórum virtúte ábsumus, et per domos disjúncti sumus, saltem quando huc convenímus, id omni stúdio faciámus. Nam etsi in áliis rebus páuperes, et ínopes sumus, hoc loco saltem cum huc ad vos intrámus, cum charitáte nos suscípite: cumque, Pax vobis, dico: Et cum spíritu tuo, non voce solum, sed ánimo quoque respondéte.

℟. Mane surgens. cxxxix.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xix.

IN illo témpore: Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachaeus: et hic princeps erat publicanórum, et ipse dives. Et réliqua.

De Homília venerábilis Bedae Presbyteri.

Paulo post praedicta.

T cum vidérent omnes, murmurábant, dicéntes quod ad hóminem peccatórem divertísset. Maniféstum est, Judaeos semper Géntium odísse salútem. Scriptum est enim: Sequénti vero sábbato pene univérsa cívitas convénit audíre verbum Dei. Vidéntes autem turbas, Judaei repléti sunt zelo, et contradicébant iis, quae a Paulo dicebántur. Et álibi, fidéles étiam fratres advérsus Apostolórum príncipem disceptábant, dicéntes: Quare introísti ad viros praepútium habéntes, et manducásti cum illis?

℟. Domus mea. cxli.

Lectio viii.

STANS autem Zachaeus, dixit ad Dñum : Ecce dimídium bonórum meórum, Dñe, do paupéribus : et si quid áliquem defraudávi, reddo quádruplum. Aliis calumniántibus hóminem peccatórem, ipse Zachaeus stans, id est, in ea quam coeperat fídei veritáte persístens, non solum se ex peccatóre convérsum, sed étiam inter perféctos probat esse conversátum. Dicénte enim Dño : Si vis perféctus esse, vade, vende ómnia quae habes, et da paupéribus : quisquis ante conversiónem innocénter vixit, ómnia convérsus potest dare paupéribus.

℟. Lápides. cxlii.

Lectio ix.

AT qui áliqua fraude sústulit, primo haec juxta legem réddere, deínde quod sibi remánserit, debet dare paupéribus. Ac sic et ipse, quia sibi nil rétinet, ómnia sua dispérgit, dat paupéribus, justítia ejus manet in saeculum saeculi. Et haec est sápiens illa stultítia, quam de sycómoro publicánus quasi fructum vitae légerat : rapta vidélicet réddere, própria relínquere, visibília contémnere, pro invisibílibus étiam mori desideráre, seípsum abnegáre, et ejus, qui necdum videátur, Dómini vestígia sequi concupíscere.

Te Deum laudámus. 17.

IN OCTAVA DEDICATIONIS ECCLESIAE.

Duplex.

Omnia ut in die, praeter Lect. secundi Nocturni.

Ex Epístola prima Sancti Felícis Papae Quarti.

De Consecr. dist. 1. *cap.* ii.

Lectio iv.

ABERNACULUM Móysen, Dño praecipiénte, fecísse et sacrásse, cum mensa et altári ejus, et caeteris vasis et utensílibus ad divínum cultum expléndum, légimus : et non solum divínis précibus ea sacrásse, sed étiam sancti ólei unctióne, Dño jubénte, perlinísse nóvimus. Quáliter autem haec facta sint, et quómodo ipsa sacra non álii quam sacerdótes sacra unctióne delibúti, Dominóque cum véstibus sanctis sacráti, et Levítae tractábant, ferébant, erigébant et deponébant : in ipsis institutiónibus, quae jubénte Dño conscríptae sunt per Móysen, in lege Dómini reperítur.

℟. Orántibus. cxxxviii.

Lectio v.

QUALITER ergo David regum piíssimus amplificáverit cultum Dei, et

templum Dño aedificáre volúerit, sed propter multum sánguinem quem effúderat, prohíbitus est, et ipse collégerat expénsas : Sálomon quoque fílius ejus, idípsum quod ipse fácere optáverat, jubénte et auxiliánte Deo perfécit, et templum cum altári, et réliqua ad divínum cultum peragéndum consecrávit : in libro Regum légitur. Fecit ergo Sálomon in témpore illo festivitátem célebrem, et omnis Israël cum eo, multitúdo magna ab intróitu Emath usque ad rivum Ægypti, coram Dómino Deo nostro septem diébus, et septem diébus, id est, quatuórdecim diébus, et in die octáva dimísit pópulos.

℟. O quam. cxxxviii.

De Consecr. dist. 1. *cap.* xvii.

Lectio vi.

SOLEMNITATES dedicatiónum Ecclesiárum et sacerdótum, per síngulos annos solémniter sunt celebrándae, ipso Dómino exémplum dante, qui ad festum dedicatiónis templi, ómnibus id faciéndi dans formam, cum réliquis pópulis eámdem festivitátem celebratúrus venit, sicut scriptum est : Facta sunt encaenia in Jerosólymis, et hiems erat, et ambulábat Jesus in templo in pórticu Salomónis. Quod autem octo diébus encaenia sint celebránda, in libro Regum, perácta dedicatióne templi, reperiétis.

℟. Mane surgens. cxxxix.

In festis B. Mariae Virginis
PER ANNUM.

AD VESPERAS.

Ańa. Dum esset Rex * in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis.

Psalmus cix.

DIXIT Dñus Dño meo : * Sede a dextris meis : Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuae emíttet Dñus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuae in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dñus, et non poenitébit eum: * Tu es sacérdos in aetérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die irae suae reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptérea exaltábit caput.

Ańa. Dum esset Rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis.

Ańa. Laeva ejus * sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

Psalmus cxii.

LAUDATE púeri Dñum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in saeculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super coelos glória ejus.

Quis sicut Dñus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in coelo et in terra ?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum laetántem.

Ańa. Laeva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

Ańa. Nigra sum, * sed formósa, fíliae Jerúsalem : ídeo diléxit me Rex, et introdúxit me in cubículum suum.

Psalmus cxxi.

LAETATUS sum in his, quae dicta sunt mihi : * In domum Dómini ibimus.

Stantes erant pedes nostri * in átriis tuis Jerúsalem.

Jerúsalem, quae aedificátur ut cívitas : * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini : * testimónium Israël ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quae ad pacem sunt Jerúsalem : * et abundántia diligéntibus te :

Fiat pax in virtúte tua : * et abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, et próximos meos, * loquébar pacem de te :

Propter domum Dñi Dei nostri, * quaesívi bona tibi.

Ańa. Nigra sum, sed formósa, fíliae Jerúsalem : ídeo diléxit me Rex, et introdúxit me in cubículum suum.

Ańa. Jam hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit : surge amíca mea, et veni.

Psalmus cxxvi.

NISI Dñus aedificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui aedíficant eam.

Nisi Dñus custodíerit civitátem, * frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere : * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cum déderit diléctis suis somnum : * ecce haeréditas Dómini fílii : merces, fructus ventris.

Sicut sagíttae in manu poténtis : * ita fílii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis : * non confundétur cum loquétur inimícis suis in porta.

Ańa. Jam hiems tránsiit, imber ábiit et recéssit : surge amíca mea, et veni.

Ańa. Speciósa facta es, * et suávis in delíciis tuis, sancta Dei Génitrix.

Psalmus cxlvii.

LAUDA Jerúsalem Dóminum : * lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum : * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem : * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terrae : * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : * nébulam sicut cínerem spargit,

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit ?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea : * flabit spíritus ejus, et fluent aquae.

Qui annúntiat verbum suum Jacob : * justítias, et judícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni : * et judícia sua non manifestávit eis.

Ána. Speciósa facta es, et suávis in delíciis tuis, sancta Dei Génitrix.

Capit. *Eccli.* xxiv. *b.*

EGo inítio, et ante saecula creáta sum, et usque ad futúrũ saeculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

Hymnus.

AVE maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix coeli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevae nomen.

Solve vincla reis,
Profer lumen caecis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos,
Mites fac et castos.

Vitam praesta puram,
Iter para tutum,
Ut vidéntes Jesum,
Semper collaetémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Ad Magnif. Ána. Sancta María, * succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam festivitátem.

Oratio.

CONCEDE nos fámulos tuos, quaesumus Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére: et gloriósa beátae Maríae semper Vírginis intercessióne, a praesénti liberári tristítia, et aetérna pérfrui laetítia. Per Dóminum.

Ad Completorium et Horas, in fine Hymnorum dicitur :

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,

Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna saecula.
Amen.

AD MATUTINUM.

Invitator. Sancta María Dei Génitrix Virgo,* Intercéde pro nobis.

Ps. Veníte. 2.

Hymnus.

QUEM terra, pontus, sídera
Colunt, adórant, praedicant,
Trinam regéntem máchinam,
Claustrum Maríae bájulat.

Cui luna, sol, et ómnia
Desérviunt per témpora,
Perfúsa coeli grátia,
Gestant puéllae víscera.

Beáta Mater múnere,
Cujus supérnus Artifex,
Mundum pugíllo cóntinens,
Ventris sub arca clausus est.

Beáta coeli núntio,
Foecúnda sancto Spíritu,
Desideratus Géntibus,
Cujus per alvum fusus est.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et almo Spíritu,
In sempitérna saecula.
Amen.

In primo Nocturno.

Ant. Benedícta tu* in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

Psalmus viii.

DOMINE Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua,* super coelos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo coelos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quae tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulóminus ab ángelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres coeli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

Ant. Sicut myrrha *

eléc̃ta, odórem dedísti suavitátis, sanc̃ta Dei Génitrix.

Psalmus xviii.

COELI enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúc̃tat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélae, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terrae verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo coelo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta convértens ánimas : * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam praestans párvulis.

Justítiae Dómini rec̃tae, laetificántes corda : * praecéptum Dómini lúcidum ; illúminans óculos.

Timor Dómini sanc̃tus, pérmanens in saeculum saeculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum : * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delíc̃ta quis intélligit? ab occúltis meis munda me : * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero : * et emundábor a delíc̃to máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : * et meditátio cordis mei in conspéc̃tu tuo semper.

Dómine adjútor meus, * et redémptor meus.

Ańa. Sicut myrrha eléc̃ta, odórem dedísti suavitátis, sanc̃ta Dei Génitrix.

Antiphona. Ante torum * hujus Vírginis frequentáte nobis dúlcia cántica drámatis.

Psalmus xxiii.

DOMINI est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina praeparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sanc̃to ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam

suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Haec est generátio quaeréntium eum, * quaeréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles : * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae ? * Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in praelio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles : * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriae.

Ant. Ante torum hujus Vírginis frequentáte nobis dúlcia cántica drámatis.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Intende, próspere procéde, et regna.

Pater noster. Absolutio. Exáudi. ℣. Jube, domne. Bened. Benedictióne perpétua.

De Parábolis Salomónis.

Lectio i. *Cap.* viii. *b. et* ix.

EGO sapiéntia hábito in consílio, et erudítis intérsum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum : arrogántiam, et supérbiam, et viam pravam, et os bilíngue detéstor. Meum est consílium et aequitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo. Per me reges regnant, et legum conditóres justa decérnunt. Per me príncipes ímperant, et poténtes decérnunt justítiam. Ego diligéntes me díligo, et qui mane vígilant ad me, invénient me.

℟. Sancta et immaculáta virgínitas, quibus te láudibus éfferam néscio : * Quia quem coeli cápere non póterant, tuo grémio contulísti. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. — Quia. Benedíctio. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio ii.

QECUM sunt divítiae et glória, opes supérbae et justítia. Mélior est enim fructus meus auro et lápide pretióso, et genímina mea argénto elécto. In viis justítiae ámbulo, in médio semitárum judícii, ut ditem diligéntes me, et thesáuros eórum répleam. Dóminus possédit me in initio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab aetérno ordináta sum, et ex antíquis ántequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego

jam concépta eram: necdum fontes aquárum erúperant: necdum montes gravi mole constíterant: ante colles ego parturiébar.

℟. Congratulámini mihi omnes qui dilígitis Dñum, quia cum essem párvula, plácui Altíssimo : * Et de meis viscéribus génui Deum et hóminem. ℣. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus. — Et de meis viscéribus. Benedíctio. Spíritus sancti grátia.

Lectio iii.

BEATUS homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino: qui autem in me peccáverit, laedet ánimam suam. Omnes, qui me odérunt, díligunt mortem. Sapiéntia aedificávit sibi domum, excídit colúmnas septem. Immolávit víctimas suas, míscuit vinum, et propósuit mensam suam. Misit ancíllas suas, ut vocárent, ad arcem et ad moenia civitátis : Si quis est párvulus, véniat ad me. Et insipiéntibus locúta est : Veníte, comédite panem meum, et bíbite vinum quod míscui vobis.

℟. Beáta es, virgo María, quae Dóminum portásti, Creatórem mundi : * Genuísti qui te fecit, et in aetérnum pérmanes virgo. ℣. Ave María, grátia plena : Dóminus tecum. — Genuísti. Glória Patri. Genuísti.

In secundo Nocturno.

Ant. Spécie tua, * et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

Psalmus xliv.



RUCTAVIT cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribae, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma prae fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis : * propterea benedíxit te Deus in aetérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime,

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna,

Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttae tuae acútae, pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi : * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * propterea unxit te Deus, Deus

tuus óleo laetítiae prae consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliae regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.

Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam : * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliae Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur : omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliae Regis ab intus,* in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam : * próximae ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in laetítia et exultatióne : * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in aetérnum : * et in saeculum saeculi.

Antiphona. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

Antiphona. Adjuvábit eam* Deus vultu suo: Deus in médio ejus, non commovébitur.

Psalmus xlv.

DEUS noster refúgium, et virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quae invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra : * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátae sunt aquae eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus laetíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátae sunt Gentes, et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dñi, quae pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terrae.

Arcum cónteret, et confrínget arma : * et scuta combúret igni :

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in Géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Ańa. Adjuvábit eam Deus vultu suo : Deus in médio ejus, non commovébitur.

Ańa. Sicut laetántium * ómnium nostrum habitátio est in te, sancta Dei Génitrix.

Psalmus lxxxvi.

FUNDAMENTA ejus in móntibus sanctis : * díligit Dñus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenae, et Tyrus, et pópulus Æthíopũ, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet * Homo, et homo natus est in ea: * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et príncipum: * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut laetántium ómnium * habitátio est in te.

Ańa. Sicut laetántium ómnium nostrum habitátio est in te, sancta Dei Génitrix.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Pater noster. Absolutio. Ipsíus píetas. ℣. Jube, domne. Benedictio. Deus, Pater omnípotens.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Lectio iv. *Apud Metaph.*

DEI Fílius non dívitem, aut locúpletem áliquam féminam sibi matrem elégit, sed beátam Vírginẽ illam, cujus ánima virtútibus ornáta erat. Cum enim beáta María supra omnem humánam natúram castitátem serváret, proptérea Christum Dóminum in ventre concépit. Ad hanc ígitur sanctíssimam Vírginẽ et Dei Matrem accurréntes, ejus patrocínii utilitátem assequámur. Itaque, quaecúmque estis vírgines, ad Matrem Dómini confúgite. Illa enim pulchérrimam, pretiosíssimam, et incorruptíbilem possessiónem patrocínio suo vobis conservábit.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. — Dedi suavitátem. Bened. Christus perpétuae.

Lectio v.

MAGNUM revéra miráculum, fratres dilectíssimi, fuit beáta semper Virgo María. Quid namque illa majus aut illústrius ullo unquam témpore invéntum est, seu aliquándo inveníri póterit? Haec sola coelum ac terram amplitúdine superávit. Quidnam illa sánctius? Non Prophétae, non Apóstoli, non Mártyres, non Patriárchae, non Angeli, non Throni, non Dominatiónes, non Séraphim, non Chérubim: non dénique áliud quídpiam inter creátas res, visíbiles aut invisíbiles, majus aut excelléntius invenírí potest. Eadem ancílla Dei est et mater: éadem virgo et génitrix.

℟. Quae est ista, quae procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliae Sion, et beátam dixérunt, et Regínae laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállíũ. — Vidérunt. Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi.

HAEC ejus mater est, qui a Patre ante omne princípiũ génitus fuit, quem Angeli et hómines agnóscunt Dñum rerum ómnium. Visne cognóscere quanto Virgo haec praestántior sit coeléstibus Poténtiis? Illae cum timóre et tremóre assístunt, fáciem velántes suam: haec humánum genus illi offert, quem génuit. Per hanc et peccatórum véniam conséquimur. Ave ígitur mater, coelum, puélla, virgo, thronus, Ecclésiae nostrae decus, glória et firmaméntũ, assídue pro nobis precáre Jesum Fílium tuum, et Dóminum nostrum: ut per te misericórdiam invenire. in die judícii, et quae repósita sunt iis, qui díligunt Deum, bona cónsequi possímus, grátia et benignitáte Dñi nostri Jesu Christi: cum quo Patri et sancto Spirítui glória et honor et impérium nunc et semper in saecula saeculórum. Amen.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dñus concupívit: * Et vidéntes eam fíliae Sion, beatíssimã praedicavérunt, dicéntes: * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit Regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte.—Et. Glória. Unguéntũ.

In tertio Nocturno.

Aña. Gaude, María virgo,* cunctas haereses sola interemísti in univérso mundo.

Psalmus xcv.

CANTATE Dómino canticum novum: * cantáte Dño omnis terra. Cantáte Dómino, et be-

nedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii Géntium daemónia : * Dóminus autem coelos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia, et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriae Géntium, afférte Dño glóriam et honórem : * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in Géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terrae qui non commovébitur : * judicábit pópulos in aequitáte.

Laeténtur coeli, et exúltet terra, commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia quae in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrae in aequitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Ańa. Gaude, María virgo, cunctas haereses sola interemísti in univérso mundo.

Ańa. Dignáre me * laudáre te, Virgo sacráta : da mihi virtútem contra hostes tuos.

Psalmus xcvi.

DOMINUS regnávit, exúltet terra : * laeténtur ínsulae multae.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum praecédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terrae : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt coeli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus : * audívit, et laetáta est Sion.

Et exultavérunt fíliae Judae, * propter judícia tua, Dómine :

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde laetítia.

Laetámini justi in Dómino : * et confitémini memóriae sanctificatiónis ejus.

Antiphona. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta : da mihi virtútem contra hostes tuos.

Ańa. Post partum * Virgo invioláta permansísti, Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

Psalmus xcvii.

CANTATE Dómino cánticum novum : * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus: * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum: * in conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiae suae, * et veritátis suae dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terrae * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo omnis terra : * cantáte, et exultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara et voce psalmi : * in tubis ductílibus, et voce tubae córneae.

Jubiláte in conspéctu Regis Dómini : * moveátur mare, et plenitúdo ejus : orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt a conspéctu Dómini : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in aequitáte.

Ańa. Post partum Virgo invioláta permansísti, Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

℣. Elégit eam Deus, et praeelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Pater noster. Absolutio. A vínculis. ℣. Jube, domne. Benedictio. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* xi. *d.*

IN illo témpore : Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quaedam múlier de turba dixit illi : Beátus venter, qui te portávit. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedae Presbyteri.

Lib. 4. *cap.* xlix. *in Luc.* ix.

MAGNAE devotiónis et fidei haec múlier osténditur, quae Scribis et Pharisaeis Dóminum

tentántibus, simul et blasphemántibus, tanta ejus incarnatiónem prae ómnibus sinceritáte cognóscit, tanta fidúcia confitétur, ut et praeséntium prócerum calúmniam, et futurórum confúndat haereticórum perfídiam. Nam sicut tunc Judaei, sancti Spíritus ópera blasphemándo, verum consubstantialémque Patri Dei Fílium negábant : sic haerétici póstea negándo Maríam semper Vírginem, sancti Spíritus operánte virtúte, nascitúro cum humánis membris Unigénito Dei, carnis suae matériam ministrásse, verum consubstantialémque matri fílium hóminis fatéri non debére dixérunt.

℟. Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima : * Quia ex te ortus est sol justítiae, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Festivitátem.—Quia. Benedíctio. Cujus festum.

Lectio viii.

SED si caro Verbi Dei secúndum carnem nascéntis a carne Vírginis matris pronuntiátur extránea, sine causa venter qui eam portásset, úbera quae lactássent, beatificántur. Dicit autem Apóstolus : Quia misit Deus Fílium suum factum ex muliere, factum sub lege. Neque audiéndi sunt qui legéndum putant : Natum ex muliere, factum sub lege ; sed : Factum ex mulíere : quia concéptus ex útero virgináli, carnem non de níhilo, non aliúnde, sed matérna traxit ex carne : alióquin nec vere Fílius hóminis dicerétur, qui oríginẽ non habéret ex hómine. Et nos ígitur his contra Eutychen dictis, extollámus vocem cum Ecclésia Cathólica, cujus haec múlier typum gessit, extollámus et mentem de médio turbárum, dicamúsque Salvatóri : Beátus venter qui te portávit, et úbera quae suxísti. Vere enim beáta parens, quae sicut quidam ait : Enixa est puérpera Regem, qui coelum terrámque tenet per saecula.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes : *Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum.—Quia. Glória Patri. Quia. Bened. Ad societátem.

Lectio ix.

QUINIMMO beáti qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt. Pulchre

Salvátor attestatióni mulíeris ánnuit, non eam tantúmmodo quae Verbum Dei corporáliter generáre merúerat, sed et omnes qui idem Verbum spiritáliter audítu fídei concípere, et boni óperis custódia, vel in suo, vel in proximórum corde párere, et quasi álere studúerint, asséverans esse beátos : quia et éadem Dei Génitrix, et inde quidem beáta, quia Verbi incarnándi minístra facta est temporális : sed inde multo beátior, quia ejúsdem semper amándi custos manébat aetérna.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas. Añae.

1. Dum esset Rex * in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis. Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Laeva ejus * sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

3. Nigra sum, * sed formósa, fíliae Jerúsalem : ídeo diléxit me Rex, et introdúxit me in cubículum suum.

4. Jam hiems tránsiit, * imber ábiit et recéssit : surge, amíca mea, et veni.

5. Speciósa facta es * et suávis in delíciis tuis, sancta Dei Génitrix.

Capitulum. *Eccli.* xxiv. *b.*

AB inítio, et ante saecula creáta sum, et usque ad futúrum saeculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi

Hymnus.

O GLORIOSA vírginum,
Sublímis inter sídera,
Qui te creávit, párvulum
Lacténte nutris úbere.
Quod Heva tristis ábstulit,
Tu reddis almo gérmine :
Intrent ut astra flébiles,
Coeli reclúdis cárdines.
Tu Regis alti jánua,
Et aula lucis fúlgida :
Vitam datam per Vírginem,
Gentes redémptae pláudite,
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna saecula.
Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Ad Benedictus, Antiphona. Beáta es, * María, quae credidísti : perficiéntur in te quae dicta sunt tibi a Dómino.

Oratio.

CONCEDE nos fámulos tuos, quaesumus Dñe Deus, perpétua mentis

et córporis sanitáte gaudére : et gloriósa beátae Maríae semper Vírginis intercessióne, a praesénti liberári tristítia, et aetérna pérfrui laetítia. Per Dñum. Ad Primam. In ℟. br. ℣. Qui natus es de María Virgine, etiam in Festis infra Oct. B. Mariae Virginis.

AD TERTIAM.

Aña. Laeva ejus.

Capit. Ab inítio, ut supra.

℟. br. Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et. Glória Patri. Spécie.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

AD SEXTAM.

Aña. Nigra sum.

Capitulum. *Eccli.* xxiv. *b.*

ET sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei haeréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. br. Adjuvábit eam * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvábit.

℣. Elégit eam Deus, et praeelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

AD NONAM.

Aña. Speciósa.

Capitulum. *Eccli.* xxiv. *b.*

IN platéis sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. br. Elégit eam Deus, * Et praeelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et praeelégit Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

In secundis Vesperis omnia dicuntur ut in primis praeter ℣. Dignáre me laudáre te Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Ad Magnif. Aña. Beátam me dicent * omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus.

Officium Beatae Mariae
IN SABBATO.

OMNIBUS Sabbatis per annum, praeterquam in Quatuor Temporibus et Vigiliis; et nisi Officium fieri debeat de Feria, propter Officium alicujus Dominicae infra Hebdomadã ponendum, ut dicitur in Rubrica de Dominicis; ac nisi Festum novem Lectionum occurrat, fit Officium de S. Maria, modo infrascripto.

In Vesp. Feriae vi. dic. Psalmi feriales in Psalt. positi, nisi fuerit Festum ix. Lect.: quia tunc de S. Maria fit tantum commemoratio in dictis Vesp. cum Aña, ℣. et Oratione, ut infra. Quae commem. omittitur, quando Feria vi. occurrit aliud ejusdem Beatae Mariae Officium:

Capitulum. Ab initio, et Hymnus. Ave maris stella, ut in Festis B. M. clx.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Ad Magnif. Aña. Beáta Mater * et intácta Virgo, gloriósa Regína mundi, intercéde pro nobis ad Dóminum.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

CONCEDE nos fámulos tuos, quaesumus Dñe Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére: et gloriósa beátae Maríae semper Vírginis intercessióne, a praesénti liberári tristítia, et aetérna pérfrui laetítia. Per Dñum.

Post Orationem fiunt comm. consuetae de Apostolis, de S. Joseph, et de Pace, ut supra.

Si autem occurrat Festum Simplex, de eo fit commemoratio ante ipsa Suffragia.

Completorium ut in Psalterio. Et in fine Hymni Te lucis ante términum, dicitur Jesu, tibi sit glória, Qui natus es de Vírgine, etiam si in Vesperis facta sit tantum commem. de B. Maria, nisi Hymni illius Festi, quod Feria vi. celebratum est, aliter concludendi sint, ut in Transfiguratione Domini.

AD MATUTINUM.

Invitat. Ave María, grátia plena, * Dóminus tecum. Ps. Veníte. 2.

Hymnus. Quem terra, ut in Festis B. Mariae.

Nocturnum Sabbati ut in Psalterio. 117. Et in fine ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum. Pater noster.

Absolutio.

PRECIBUS et méritis beátae Maríae semper Vírginis, et ómnium Sanctórum, perdúcat nos Dóminus ad regna coelórum. ℟. Amen.

℣. Jube, domne, benedícere.

Pro prima Lectione Benedictio. Nos cum prole pia benedícat Virgo María. ℟. Amen.

Primae duae Lectiones de Scriptura libri currentis : tertia, una ex inferius positis per ordinem, ut infra.

℟. i. Sancta et immaculáta virgínitas, quibus te láudibus éfferam, néscio : * Quia quem coeli cápere non póterant, tuo grémio contulísti. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.—Quia quem coeli.

Pro secunda Lectione, Benedictio. Ipsa Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum. ℟. Amen.

℟. ii. Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima : * Quia ex te ortus est sol justítiae, * Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam commemoratiónem. Quia ex te. Glória Patri. Christus.

Pro tertia Lectione, Bened. Per Vírginem matrem concédat nobis Dóminus salútem et pacem. ℟. Amen.

Post tertiam Lectionem dicitur Te Deum laudámus. 17.

Ad Laudes et per Horas, omnia ut in Festis B. M. V. clxxi. praeter sequentia.

℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Ad Benedictus, Antiphona. Beáta Dei Génitrix María, * virgo perpétua, templum Dómini, sacrárium Spíritus sancti, sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo : ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu.

Oratio. Concéde nos fámulos tuos, ut supra. clxxi.

Deinde fiunt comm. ut supra. clxxiii.

Ad Horas, Hymni et Psalmi ut in Psalt. sed in fine Hymnorum dicitur : Jesu, tibi sit glória, qui natus es de Vírgine.

Ad Primam in R7. brevi V. **Qui natus es de María Vírgine.**

Ad Vesperas, Antiphonae et Psalmi feriales, Capitulum et reliqua omnia, si non occurrat Festum Duplex, de Dominica.

In fine commemorationes consuetae, ut in Psalterio.

Lectiones sequentes dicuntur singulis Mensibus in Officio Beatae Mariae in Sabbato, ordine subscripto.

MENSE SEPTEMBRI.

Ex Epístola S. Leónis Papae ad Pulchériam Augústam.

Epist. xiii. *ante medium.*

Lectio iii.

SACRAMENTUM reconciliatiónis nostrae ante témpora aetérna dispósitum, nullae implébant figúrae : quia nondum supervénerat Spíritus sanctus in Vírginem, nec virtus Altíssimi obumbráverat ei, ut et intra intemeráta víscera, aedificánte sibi Sapiéntia domum, Verbum caro fíeret, et forma Dei ac forma servi in unam conveniénte persónam, creátor témporum nascerétur in témpore, et per quem facta sunt ómnia, ipse inter ómnia gignerétur. Nisi enim novus hómo, factus in similitúdinem carnis peccáti, nostram suscíperet vetustátem ; et consubstantiális Patri consubstantiális esse dignarétur et matri, naturámque sibi nostram solus a peccáto liber uniret: sub jugo diáboli generáliter tenerétur humána captívitas.

Te Deum laudámus. 17.

MENSE OCTOBRI.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Ex Serm. in cap. xii. *Apoc. ante medium.*

Lectio iii.

AMPLECTAMUR Maríae vestígia, fratres mei, et devotíssima supplicatióne beátis illíus pédibus provolvámur. Teneámus eam, nec dimittámus, donec benedíxerit nobis : potens est enim. Nempe vellus est médium inter rorem et áream : múlier inter solem et lunam ; María inter Christum et Ecclésiam constitúta. Sed forte miráris, non tam vellus opértum rore, quam amíctam sole mulíerem. Magna síquidem familiáritas, sed mira omníno vicínitas solis, et mulíeris. Quómodo enim in tam veheménti fervóre, tam frágilis natúra subsístit? Mérito quidem admiráris Móyses sancte, et curiósius desíderas intuéri. Verúmtamen solve calceaménta de

pédibus tuis, et invólucra pone carnálium cogitatiónum, si accédere concupíscis.

Te Deum laudámus. 17.

MENSE NOVEMBRI.

De Expositióne sancti Basílii Epíscopi in Isaíam Prophétam.

In cap. viii. *post initium.*

Lectio iii.

ACCESSI, inquit, ad Prophetíssam, et in útero accépit, et péperit fílium. Quod María Prophetíssa fúerit, ad quam próxime accéssit Isaías per praenotiónem spíritus, nemo contradíxerit, qui sit memor verbórum Maríae, quae prophético afflâta spíritu elocúta est. Quid enim ait? Magníficat ánima mea Dóminum : et exultávit spíritus meus in Deo salutári meo : quia respéxit humilitátem ancíllae suae : ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Quod si ánimum accommodáveris univérsis ejus verbis, non útique per dissídium negáveris eam fuísse Prophetíssam, quod Dómini Spíritus in eam supervénerit, et virtus Altíssimi obumbráverit ei.

Te Deum laudámus. 17.

MENSE DECEMBRI.

Ante Adventum.

Ex libro Officiórum sancti Ambrósii Epíscopi.

Liber i. *Cap.* xviii.

Lectio iii.

BONUS regéndae castitátis pudor est comes qui primus in ipso cognitiónis ingréssu Dñi matrem comméndat legéntibus, et tamquam testis lócuples, dignam, quae ad tale munus eligerétur, ástruit ; quod in cubículo, quod sola, quod salutáta ab Angelo tacet, et mota est in introítu ejus : quod ad virílis sexus spéciem peregrínam turbátur aspéctus Vírginis. Itaque quamvis esset húmilis, prae verecúndia tamen non resalutávit, nec ullum respónsum rétulit, nisi ubi de suscipiénda Dómini generatióne cognóvit : ut qualitátem afféctus dísceret, non ut sermónem refélleret.

Te Deum laudámus. 17.

Ad Laudes et per Horas, omnia ut supra. clxxiv.

Officium Parvum

Beatae Mariae.

NON dicitur, quando fit Officium ix. Lectionum, nec in Sabbatis, quando fit Officium de Sancta Maria. Quibus diebus omittitur a primis Vesperis. Cum dicitur in Choro, in Matutinis, et in Vesperis praeponitur Officio diei. In aliis Horis postponitur. Prima dicitur post **Benedicámus Dómino,** antequam legatur Martyrologium. Extra chorum potest dici pro temporis opportunitate.

OFFICIUM B. M. EXTRA ADVENTUM

AD VESPERAS.

Ave María secreto, quae dicitur semper in principio omnium Horarum B. Mariae, quando non conjunguntur cum Officio diei.

DEUS, in adjutórium meum intende. ℟. Dñe, ad adjuvándum me festína. Glória Patri. Sicut erat.

In fine Allelúia, ad omnes Horas.

Antiphonae, Psalmi, Capitulum et Hymnus ut in Festis B. Mariae. clviii.

℣. Diffúsa est grátia in lábiistuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Ad Magnif. Ána. Beáta Mater, * et intácta Virgo, gloriósa Regina mundi, intercéde pro nobis ad Dñum.

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

CONCEDE nos fámulos tuos, quaesumus Dñe Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére : et gloriósa beátae Maríae semper Vírginis intercessióne, a praesénti liberári tristítia, et aetérna pérfrui laetítia. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Sequens commemoratio pro Sanctis fit tantum ad Vesperas et Laudes in Officio S. Mariae.

Ána. Sancti Dei omnes, intercédere dignémini pro nostra omniúmque salúte.

℣. Laetámini in Dño, et exultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio.

PROTEGE, Dñe, pópulum tuum, et Apostolórum tuórum Petri et Pauli, et aliórum Apostolórum patrocínio confidéntem, perpétua defensióne conserva.

OMNES Sancti tui, quaesumus Dñe, nos ubíque ádjuvent : ut dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus : et pacem tuam nostris concéde tempóribus, et ab Ecclésia tua cunctam repélle nequítiam : iter, actus, et voluntátes nostras, et ómnium famulórum tuórum, in salútis tuae prosperitáte dispóne : benefactóribus nostris sempitérna bona retríbue ; et ómnibus fidélibus defúnctis réquiem aetérnam concéde. Per Dóminum

AD COMPLETORIUM

Ave María, ut supra.

℣. Convérte nos Deus salutáris noster. ℟. Et avérte iram tuam a nobis.

℣. Deus, in adjutórium. Glória Patri. Sicut. Allelúia.

Psalmi : Saepe expugnavérunt. De profúndis, et Dómine, non est exaltátum, ut in Vesperis Feriae iv. 144.

Hymnus.

MEMENTO, rerum Cónditor,
Nostri quod olim córporis,
Sacráta ab alvo Vírginis
Nascéndo, formam súmpseris.

María Mater grátiae,
Dulcis Parens cleméntiae,
Tu nos ab hoste prótege,
Et mortis hora súscipe.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna saecula.
Amen.

Capitulum. *Eccli.* xxiv. *c.*

EGO mater pulchrae dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctae spei. ℟. Deo grátias.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi

Ad Nunc dimittis, Ańa. Sub tuum praesídium * confúgimus, sancta Dei Génitrix : nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus ; sed a perículis cunctis líbera nos semper, Virgo gloriósa et benedícta.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

BEATAE et gloriósae semper Vírginis Maríae, quaesumus Dñe, intercéssio gloriósa nos prótegat, et ad vitam perdúcat aetérnam. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Ave María, ut supra.

℣. Dómine, lábia mea

apéries. ℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam. ℣. Deus, in adjutórium. Glória Patri. Sicut erat. Allelúia.

Invitatorium. Ave María, grátia plena: * Dóminus tecum. Psal. Veníte, exultémus. 2.

Hymn. **Quem terra. clxi.**

In Nocturno, Antiphonae et Psalmi dicuntur ut in Festis B. M. V. scilicet:

Feria ii. et v. ut in primo Nocturno. **clxi.**

Feria iii. et vi. ut in secundo Nocturno. **clxiv.**

Feria iv. et Sabbato ut in tertio Nocturno. **clxvii.**

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Propterea benedíxit te Deus in aetérnum.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Absolutio.

PRECIBUS et méritis beátae Maríae semper Vírginis, et ómnium Sanctórum, perdúcat nos Dñus ad regna coelórum. ℟. Amen.

℣. Jube, domne, benedícere. Bened. Nos cum prole pia benedícat Virgo María. ℟. Amen.

Lectio i. *Eccli.* xxiv.

IN ómnibus réquiem quaesívi, et in haereditáte Dómini morábor. Tunc praecépit, et dixit mihi Creátor ómnium: et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhábita, et in Israël haereditáre, et in eléctis meis mitte radíces. ¶ Tu autem, Dómine, miserére nobis.

℟. Deo grátias.

℟. Sancta et immaculáta virgínitas, quibus te láudibus éfferam, néscio: * Quia quem coeli cápere non póterant, tuo grémio contulísti. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.—Quia. ℣. Jube, domne, benedícere. Bened. Ipsa Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum.

℟. Amen.

Lectio ii.

ET sic in Sion firmáta sum, et civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei haeréditas illíus, et in plenitúdine Sanctórum deténtio mea. ¶ Tu autem.

℟. Beáta es Virgo María, quae Dóminum portásti Creatórem mundi: * Genuísti qui te fecit, et in aetérnum pérmanes Virgo. ℣. Ave María, grátia plena: Dñus tecum. — Genuísti. ℣. Jube, domne, benedícere. Bened. Per Vírginem Matrem concédat nobis

Dóminus salútem et pacem. ℟. Amen.

Lectio iii.

QUASI cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion : quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosae in Jéricho. Quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum, et bálzamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. ¶ Tu autem, Dómine. ℟. Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima : * Quia ex te ortus est sol justítiae, * Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam commemoratiónē.— Quia. Glória. Christus.

AD LAUDES.

Añae. 1. Assúmpta est * María in coelum, gaudent Angeli ; laudántes benedícunt Dóminum. Ps. Dóminus regnávit, cum reliquis de Dominica. 18.

2. María Virgo * assúmpta est ad aethéreum thálamum, in quo Rex regum stelláto sedet sólio.

3. In odórem * unguentórum tuórum cúrrimus : adolescéntulae dilexérunt te nimis.

4. Benedícta * fília tu a Dño : quia per te fructum vitae communicávimus.

5. Pulchra es, * et decóra, fília Jerúsalem : terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

Capitulum. *Cant.* vi. *c.*

VIDERUNT eam filiae Sion, et beatíssimam praedicavérunt, et regínae laudavérunt eam. ℟. Deo grátias.

Hymnus. O gloriósa vírginum. clxxi.

℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Ad Benedictus, Añae. Beáta Dei Génitrix María, * Virgo perpétua, templum Dñi, sacrárium Spíritus sancti : sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo : ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

DEUS, qui de beátae Maríae Vírginis útero, Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti : praesta supplícibus tuis : ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per

eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Pro Sanctis, Añia. Sancti Dei, ut supra. clxxvii.

AD PRIMAM.

Ave María, etc. ℣. Deus, in adjutórium.

Hymn. Meménto.clxxviii.

Añia. Assúmpta est.

Ps. Deus in nómine. 24. Benedixísti. 107. Laudáte Dñum, omnes Gentes. 138.

Añia. Assúmpta est María in coelum, gaudent Angeli; laudántes benedícunt Dóminum.

Capitulum. *Cant.* vi.

QUAE est ista, quae progréditur ... quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

℟. Deo grátias.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

DEUS, qui virgináles aulam beátae Maríae, in qua habitáres, elígere dignátus es: da quaesumus: ut sua nos defensióne munítos, jucúndos fácias suae interésse commemoratióni: Qui vivis et regnas.

AD TERTIAM.

Ave María, etc. ℣. Deus, in adjutórium.

Hymn. Meménto.clxxviii.

Añia. María Virgo.

Psalmi. Ad Dñum. 138. Levávi óculos. 139. Laetátus sum. 141.

Añia. María Virgo assúmpta est ad aethéreum thálamum, in quo Rex regum stelláto sedet sólio.

Capitulum. *Eccli.* xxiv. *b.*

ET sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. ℟. Deo grátias.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

DEUS, qui salútis aetérnae, beátae Maríae virginitáte foecúnda, humáno géneri praemia praestitísti: tríbue quaesumus; ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitae suscípere, Dñum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit.

AD SEXTAM.

Ave María, etc. ℣. Deus, in adjutórium.

Hymn. Meménto.clxxviii.
Aña. In odórem.
Ps. Ad te levávi. 142. Nisi quia Dóminus. 142. Qui confídunt. 142.
Aña. In odórem unguentórum tuórum cúrrimus : adolescéntulae dilexérunt te nimis.

Capitulum. *Eccli.* xxiv. *b.*

ET radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei haeréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea. ℟. Deo grátias.

℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

CONCEDE, miséricors Deus, fragilitáti nostrae praesídium : ut qui sanctae Dei Genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio a nostris iniquitátibus resurgámus. Per eúmdem Dóminum.

AD NONAM.

Ave María, etc. ℣. Deus, in adjutórium.

Hymn. Meménto, rerum Cónditor. clxxviii.
Aña. Pulchra es.
Ps. In converténdo. 143. Nisi Dóminus. 144. Beáti omnes. 144.
Aña. Pulchra es et decóra, fília Jerúsalem : terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

Capitulum. *Eccli.* xxiv. *b.*

IN platéis sicut cinnámomum et bálsamum aromatízans odórem dedi, quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. ℟. Deo grátias.

℣. Post partum virgo inviolàta permansísti. ℟. Dei Génitrix, intereéde pro nobis.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

FAMULORUM tuórum, quaesumus Dómine, delíctis ignósce : ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur: Qui tecum vivit.

Officium Defunctorum.



Exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis. (Mat. xiii 49)

Officium Defunctorum.

DICITUR extra tempus Paschale prima cujusque mensis die, non impedita Festo novem Lectionum, alioquin alia sequenti die similiter non impedita. In Choro dicitur post Officium diei, id est, Vesperae post Vesperas, et Matutinum post Laudes diei, nisi alia sit consuetudo Ecclesiarum : extra Chorum vero pro opportunitate temporis.

AD VESPERAS

Absolute incipitur ab Aña. Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Psalmus cxiv

DILEXI, quóniam exáudiet Dóminus * vocem oratiónis meae.

Quia inclinávit aurem suam mihi : * et in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis : * et perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem et dolórem invéni : * et nomen Dómini invocávi.

O Dñe, líbera ánimam meam : * miséricors Dñus, et justus, et Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus : * humiliátus sum, et liberávit me.

Convértere ánima mea in réquiem tuam : * quia Dóminus benefécit tibi.

Quia erípuit ánimam meam de morte : * óculos meos a lácrymis, pedes meos a lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

In fine omnium Psalmorum dicitur :

Réquiem aetérnam * dona eis, Dómine.

Et lux perpétua * lúceat eis.

Aña. Placébo Dómino in regióne vivórum.

Aña. Hei mihi, Dñe, * quia incolátus meus prolongátus est.

Psalmus cxix.

AD Dóminum cum tribulárer clamávi : * et exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam a lábiis iníquis, * et a lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam ?

Sagíttae poténtis acútae, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est : habitávi cum habitántibus Cedar : * multum íncola fuit ánima mea.

Cum his, qui odérunt pacem, eram pacíficus : * cum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Réquiem aetérnam, etc.

Ańa. Hei mihi, Dómine, quia incolátus meus prolongátus est.

Ańa. Dóminus custódit te * ab omni malo : custódiat ánimam tuam Dóminus.

Psalmus cxx.

LEVAVI óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum a Dómino, * qui fecit coelum et terram.

Non det in commotiónem pedem tuum : * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet, * qui custódit Israël.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua, * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te : * neque luna per nóctem.

Dóminus custódit te ab omni malo : * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intróitum tuum, et éxitum tuum : * ex hoc nunc, et usque in saeculum.

Réquiem aetérnam.

Antiphona. Dóminus custódit te ab omni malo : custódiat ánimam tuam Dóminus.

Ańa. Si iniquitátes * observáveris, Dómine : Dñe, quis sustinébit ?

Psalmus cxxix.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine : * Dómine, exáudi vocem meam :

Fiant aures tuae intendéntes, * in vocem deprecatiónis meae.

Si iniquitátes observáveris, Dómine : * Dómine, quis sustinébit ?

Quia apud te propitiátio est : * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad nóctem : * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia : * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Réquiem aetérnam.

Ańa. Si iniquitátes observáveris, Dómine : Dómine, quis sustinébit ?

Ańa. Opera * mánuum tuárum, Dómine, ne despícias.

Psalmus cxxxvii.

CONFITEBOR tibi, Dómine, in toto corde meo : * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi : * adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, et veritáte tua : * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exaúdi me : * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dómine. omnes reges terrae : * quia audiérunt ómnia verba oris tui :

Et cantent in viis Dómini : * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, et humília réspicit : * et alta a longe cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me : * et super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me : * Dómine, misericórdia tua in saeculum : ópera mánuum tuárum ne despícias.

Réquiem aetérnam.

Antiph. Opera mánuum tuárum, Dómine, ne despícias.

℣. Audívi vocem de coelo dicéntem mihi. ℟. Beáti mórtui, qui in Dómino moriúntur.

Ańa. Omne, * quod dat mihi Pater, ad me véniet : et eum qui venit ad me, non ejíciam foras.

Canticum
Beatae Mariae Virginis.

Lucae i. *e.*

MAGNIFICAT * ánima mea Dóminum : Et exultávit spíritus meus * in Deo salutári meo.

Quia respéxit humilitátem ancíllae suae : * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

Quia fecit mihi magna qui potens est : * et sanctum nomen ejus.

Et misericórdia ejus a progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo : * dispérsit supérbos mente cordis sui.

Depósuit poténtes de sede, * et exaltávit húmiles.

Esuriéntes implévit bonis . * et dívites dimísit ináines.

Suscépit Israël púerum suum, * recordátus misericórdiae suae.

Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham, et sémini ejus in saecula.

Réquiem aetérnam.

Ańa. Omne, quod dat mihi Pater, ad me véniet : et

eum qui venit ad me, non ejíciam foras.

Preces infrascriptae dicuntur flexis genibus, similiter et ad Laudes.

Pater noster, secreto. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Psalmus cxiv.

AUDA ánima mea Dñum, laudábo Dñum in vita mea : * psallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus: * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, et revertétur in terram suam : * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus, cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsíus : * qui fecit coelum et terram, mare, et ómnia, quae in eis sunt.

Qui custódit veritátem in saeculum, facit judícium injúriam patiéntibus : * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos: * Dñus illúminat caecos.

Dóminus érigit elísos, * Dóminus díligit justos.

Dñus custódit ádvenas, pupíllum et víduam suscípiet : * et vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dñus in saecula, Deus tuus Sion, * in generatiónem et generatiónem.

Cujus loco ad Laudes dicitur Psalmus **De profúndis,** ut supra. clxxxiv.

Qui Psalmi non dic. in die omnium Fidelium Defunctorum, neque in die obitus seu depositionis defuncti. Alias semper dicuntur.

In fine Psalmi **Réquiem aetérnam * dona eis, Dñe.**

Et lux perpétua * lúceat eis.

Deinde ℣. A porta ínferi. ℟. Erue, Dómine, ánimas eórum.

℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

DEUS, qui inter apostólicos sacerdótes, fámulos tuos pontificáli, seu sacerdotáli fecísti dignitáte vigére : praesta quaesumus; ut eórum quoque perpétuo aggregéntur consórtio.

DEUS, véniae largítor, et humánae salútis amátor : quaesumus cleméntiam tuam : ut nostrae congregatiónis fratres, propínquos, et benefactóres, qui ex hoc saeculo transiérunt, beáta María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuae beatitúdinis consórtium pervenire concédas.

FIDELIUM Deus ómnium Cónditor et Redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum: ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur: Qui vivis et regnas in saecula saeculórum. ℟. Amen.

In die vero Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, quando dicitur haec ultima tantum Oratio, dicitur: **Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia saecula saeculórum.** ℟. **Amen.**

In die depositionis Defuncti, Oratio.

ABSOLVE, quaesumus Dñe, ánimam fámuli tui N. ut defúnctus saeculo tibi vivat: et quae per fragilitátem carnis humána conversatióne commísit, tu vénia misericordíssimae pietátis abstérge. Per Dóminum.

Si fuerit femina, dicatur ánimam fámulae tuae N. ut defúncta.

In anniversario die. Oratio.

DEUS indulgentiárum Dñe: da animábus famulórum famularúmque tuárum, quorum anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, et lúminis claritátem. Per Dóminum.

Si pro uno tantum fit Anniversarium, dicatur in singulari numero.

Pro uno Episc. defuncto, Oratio.

DEUS, qui inter apostólicos sacerdótes fámulum tuum N. pontificáli fecísti dignitáte vigére: praesta quaesumus; ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio. Per Dóminum nostrum.

Si fuerit Sacerdos, dicitur **sacerdotáli fecísti,** etc.

Pro fratribus vero, et familiaribus, vel benefactóribus, dicitur Oratio **Deus, véniae.**

Pro patre et matre, Oratio.

DEUS, qui nos patrem et matrem honoráre praecepísti: miserére cleménter animábus patris ac matris meae, eorúmque peccáta dimítte: meque eos in aetérnae claritátis gáudio fac vidére. Per Dóminum.

Si fit pro pluribus dicatur **animábus paréntum nostrórum,** et ubi dicitur **meque,** dicatur **nosque.**

Si pro patre tantum, dicatur **ánimae patris mei** vel **nostri.**

Si pro matre tantum, dicatur **ánimae matris meae,** vel **nostrae.**

Pro uno Defuncto, Oratio.

INCLINA, Dñe, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur ; ut ánimam fámuli tui, quam de hoc saeculo migráre jussísti, in pacis ac lucis regióne constítuas, et Sanctórum tuórum júbeas esse consórtem. Per Dñum.

Pro una Defuncta, Oratio.

QUAESUMUS Dñe, pro tua pietáte miserére ánimae fámulae tuae : et a contágiis mortalitátis exútam, in aetérnae salvatiónis partem restítue. Per Dóminum.

℣. Réquiem aetérnam dona eis, Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

AD MATUTINUM.

Invit. Regem, cui ómnia vivunt, * Veníte adorémus.

Repet. Regem, cui ómnia vivunt, veníte adorémus.

Psalmus xciv.

VENITE, exultémus Dño, jubilémus Deo salutári nostro : praeoccupémus fáciem ejus in confessióne, et in psalmis jubilémus ei.

Regem, cui ómnia vivunt, veníte adorémus.

Quóniam Deus magnus Dóminus, et Rex magnus super omnes deos : quóniam non repéllet Dóminus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terrae, et altitúdines móntium ipse cónspicit.

Veníte adorémus.

Quóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud, et áridam fundavérunt manus ejus : veníte, adorémus, et procidámus ante Deum : plorémus coram Dómino qui fecit nos, quia ipse est Dóminus Deus noster : nos autem pópulus ejus, et oves páscuae ejus.

Regem, cui ómnia vivunt, veníte adorémus.

Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne secúndum diem tentatiónis in desérto : ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt, et vidérunt ópera mea.

Veníte adorémus.

Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, et dixi : Semper hi errant corde : ipsi vero non cognovérunt vias meas, quibus jurávi in ira mea, si introíbunt in réquiem meam.

Regem, cui ómnia vivunt, veníte adorémus.

Réquiem aetérnam dona eis, Dómine : et lux perpétua lúceat eis.

Veníte adorémus.

Regem, cui ómnia vivunt, veníte adorémus.

Hoc Invitatorium dicitur tantum in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, et in die depositionis Defuncti, quibus diebus dicuntur tres infrascripti Nocturni, et Añae duplicantur. Aliis temporibus dicitur tantum unum Nocturnum cum Laudibus, hoc ordine : Feria ii. et v. primum Nocturnum : Feria iii. et vi. secundum Nocturnum : Feria iv. et Sabbato tertium Nocturnum.

In primo Nocturno.
Pro Feria ii. et v.

Aña. Dírige, * Dñe Deus meus, in conspéctu tuo viam meam.

Psalmus v.

VERBA mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meae, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : * Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo : * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus : * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem : * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus : * ego autem in multitúdine misericórdiae tuae.

Introíbo in domum tuam : * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum, línguis suis dolóse agébant, * júdica illos Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos : * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et laeténtur omnes, qui sperant in te, * in aetérnum exultábunt . et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum · * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonae voluntátis tuae * coronásti nos.

Réquiem aetérnam.

Aña. Dírige, Dñe Deus meus, in conspéctu tuo viam meam.

Aña. Convértere, Dñe, * et éripe ánimam meam :

quóniam non est in morte qui memor sit tui.

Psalmus vi.

DOMINE, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei, Dómine, quóniam infírmus sum : * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde : * sed tu, Dñe, úsquequo?

Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam : * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui : * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum : * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre óculus meus : * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite a me omnes, qui operámini iniquitátē : * quóniam exaudívit Dñus vocem fletus mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam, * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant, et conturbéntur veheménter omnes inimíci mei : * convertántur, et erubéscant valde veló-citer.

Réquiem aetérnam.

Ana. Convértere, Dñe, et éripe ánimam meam : quóniam non est in morte qui memor sit tui.

Aña. Nequándo * rápiat ut leo ánimam meam, dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Psalmus vii.

DOMINE Deus meus, in te sperávi : * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, et líbera me.

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, * dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine Deus meus, si feci istud, * si est iníquitas in mánibus meis :

Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * décidam mérito ab inimícis meis inánis.

Persequátur inimícus ánimam meam, et comprehéndat, et concúlcet in terra vitam meam, * et glóriam meam in púlverē dedúcat.

Exúrge, Dómine, in ira tua : * et exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exúrge, Dómine Deus meus, in praecépto quod mandásti : * et synagóga populórum circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere : * Dóminus júdicat pópulos.

Júdica me, Dómine, secúndum justítiam meam, * et secúndum innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum, et díriges justum, * scrutans corda et renes Deus.

Justum adjutórium meum a Dómino, * qui salvos facit rectos corde.

Deus judex justus, fortis, et pátiens : * numquid irascitur per síngulos dies?

Nisi convérsi fuéritis, gládium suum vibrábit : * arcum suum teténdit, et parávit illum.

Et in eo parávit vasa mortis, * sagíttas suas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injustítiam : * concépit dolórem, et péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, et effódit eum : * et íncidit in fóveam, quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus : * et in vérticem ipsíus iniquitas ejus descéndet.

Confitébor Dómino secúndum justítiam ejus : * et psallam nómini Dómini altíssimi.

Réquiem aetérnam.

Ańa. Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue, Dñe, ánimas eórum.

Pater noster, totum secreto.

Lectiones leguntur sine Absolutione, Benedictionibus et Titulo.

Lectio i. *Job.* vii. *b.*

PARCE mihi, Dñe: nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magníficas eum? aut quid appónis erga eum cor tuum? Vísitas eum dilúculo, et súbito probas illum. Usquequo non parcis mihi, nec dimíttis me, ut glútiam salívam meam? Peccávi: quid fáciam tibi, o custos hóminum? Quare posuísti me contrárium tibi, et factus sum mihimetípsi gravis? Cur non tollis peccátum meum, et quare non aufers iniquitátem meam? Ecce nunc in púlvere dórmiam, et si mane me quaesíeris, non subsístam.

Lectiones terminantur sine **Tu autem,** vel alia conclusione.

℟. Credo quod Redémptor meus vivit · et in novíssimo die de terra surrecturus sum : * Et in carne mea vidébo Deum Salvatórem meum. ℣. Quem visúrus sum ego ipse, et non álius, et óculi mei conspectúri sunt.— Et in carne.

Lectio ii. *Job.* x.

TAEDET ánimam meam vitae meae : dimíttam advérsum me elóquium meum : loquar in amaritúdine ánimae meae. Dicam Deo : Noli me condemnáre : Indica mihi cur

me ita júdices. Numquid bonum tibi vidétur, si calumniéris me, et ópprimas me opus mánuum tuárum, et consílium impiórum ádjuves? Numquid óculi cárnei tibi sunt: aut sicut videt homo, et tu vidébis? Numquid sicut dies hóminis dies tui, et anni tui sicut humána sunt témpora, ut quaeras iniquitátem meam, et peccátum meum scrutéris? Et scias quia nihil ímpium fécerim, cum sit nemo qui de manu tua possit erúere.

℟. Qui Lázarum resuscitásti a monuménto foetidum: * Tu eis, Dñe, dona réquiem, et locum indulgéntiae. ℣. Qui ventúrus es judicáre vivos et mórtuos, et saeculum per ignem. — Tu eis.

Lectio iii. *Job.* x. *b.*

MANUS tuae fecérunt me, et plasmavérunt me totum in circúitu, et sic repénte praecípitas me? Meménto, quaeso, quod sicut lutum féceris me, et in púlverem redúces me. Nonne sicut lac mulsísti me, et sicut cáseum me coagulásti? Pelle et cárnibus vestísti me: óssibus et nervis compegísti me: vitam et misericórdiam tribuísti mihi, et visitátio tua custodívit spíritum meum.

℟. Dñe, quando véneris judicáre terram, ubi me abscóndam a vultu irae tuae? * Quia peccávi nimis in vita mea. ℣. Commíssa mea pavésco, et ante te erubésco: dum véneris judicáre, noli me condemnáre. — Quia peccávi. ℣. Réquiem aetérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. Quia peccávi.

Postea ad Laudes, ut infra. cc quando dicitur unum tantum Nocturnum.

In secundo Nocturno.
Pro Feria iii. et vi.

Ant. In loco páscuae * ibi me collocávit.

Psalmus xxii.

DOMINUS regit me, et nihil mihi déerit: * in loco páscuae ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me: * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiae, * propter nomen suum.

Nam, et si ambulávero in médio umbrae mortis, non timébo mala: * quóniam tu mecum es.

Virga tua, et báculus tuus: * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsus eos, qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum: * et calix meus inébrians quam praeclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitae meae :

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Réquiem aetérnam.

Afia. In loco páscuae ibi me collocávit.

Antiphona. Delícta * juventútis meae, et ignorántias meas ne memíneris, Dómine.

Psalmus xxiv.

AD te, Dómine, levávi ánimam meam : * Deus meus, in te confído, non erubéscam.

Neque irrídeant me inimíci mei : * étenim univérsi, qui sústinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes * supervácue.

Vias tuas, Dómine, demónstra mihi : * et sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, et doce me : * quia tu es Deus salvátor meus, et te sustínui tota die.

Reminíscere miserationum tuárum, Dómine, * et misericordiárum tuárum, quae a saeculo sunt.

Delícta juventútis meae, * et ignorántias meas ne memíneris.

Secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu : * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis et rectus Dóminus : * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in judício : * docébit mites vias suas.

Univérsae viae Dómini, misericórdia et véritas, * requiréntibus testaméntum ejus et testimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dñe, propitiáberis peccáto meo : * multum est enim.

Quis est homo qui timet Dóminum ? * legem státuit ei in via, quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur : * et semen ejus haereditábit terram.

Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum : * et testaméntum ipsíus ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum : * quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, et miserére mei : * quia únicus et pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátae sunt: * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam, et labórem meum : * et dimítte univérsa delícta mea.

Réspice inimícos meos quóniam multiplicáti sunt: * et ódio iníquo oderunt me.

Custódi ánimam meam, et érue me : * non erubéscam, quóniam sperávi in te.

Innocéntes et recti adhaesérunt mihi : * quia sustínui te.

Líbera, Deus, Israël, * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

Réquiem aetérnam.

Ańa. Delícta juventútis meae, et ignorántias meas ne memíneris, Dómine.

Ańa. Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium.

Psalmus xxvi.

DOMINUS illuminátio mea, et salus mea, * quem timébo?

Dóminus protéctor vitae meae : * a quo trepidábo?

Dum approp̃iant super me nocéntes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt, et cecidérunt.

Si consístant advérsum me castra, * non timébit cor meum.

Si exúrgat advérsum me praelium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii a Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dñi ómnibus diébus vitae meae :

Ut vídeam voluptátem Dómini, * et vísitem templum ejus.

Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo : * in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me : * et nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi, et immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis : * cantábo, et psalmum dicam Dómino.

Exaúdi, Dómine, vocem meam, qua clamávi ad te : * miserére mei, et exáudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea : * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avértas fáciem tuam a me : * ne declínes in ira a servo tuo.

Adjútor meus esto : * ne derelínquas me, neque despícias me, Deus salutáris meus.

Quóniam pater meus, et mater mea dereliquérunt me : * Dóminus autem assúmpsit me.

Legem pone mihi, Dñe, in via tua : * et dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me : * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, et mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dñi * in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age : * et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum.

Réquiem aetérnam.

Ańa. Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium.

℣. Cóllocet eos Dóminus cum princípibus. ℟. Cum princípibus pópuli sui.

Pater noster, totum secreto.

Lectio iv. *Job.* xiii. *d.*

RESPONDE mihi: quantas hábeo iniquitátes et peccáta, scélera mea et delícta osténde mihi. Cur fáciem tuam abscóndis, et arbitráris me inimícum tuum? Contra fólium, quod vento rápitur, osténdis poténtiam tuam, et stípulam siccam perséqueris. Scribis enim contra me amaritúdines, et consúmere me vis peccátis adolescéntiae meae. Posuísti in nervo pedem meum, et observásti omnes sémitas meas, et vestígia pedum meórum considerásti. Qui quasi putrédo consuméndus sum, et quasi vestiméntum, quod coméditur a tínea.

℟. Meménto mei, Deus, quia ventus est vita mea, * Nec aspíciat me visus hóminis. ℣. De profúndis clamávi ad te, Dñe, Dómine, exáudi vocem meam.— Nec aspíciat.

Lectio v. *Job.* xiv.

HOMO natus de muliere, brevi vivens témpore, replétur multis misériis. Qui quasi flos egréditur et contéritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eódem statu pérmanet. Et dignum ducis super hujuscémodi aperíre óculos tuos, et addúcere eum tecum in judícium? Quis potest fácere mundum de immúndo concéptum sémine? nonne tu qui solus es? Breves dies hóminis sunt, númerus ménsium ejus apud te est: constituísti términos ejus, qui praeteríri non póterunt. Recéde páululum ab eo, ut quiéscat, donec optáta véniat, sicut mercenárii dies ejus.

℟. Hei mihi, Dñe, quia peccávi nimis in vita mea. Quid fáciam miser? ubi fúgiam, nisi ad te, Deus meus? * Miserére mei, dum véneris in novíssimo die. ℣. Anima mea turbáta est valde, sed tu, Dómine, succúrre ei.—Miserére.

Lectio vi. *Job.* xiv. *c.*

QUIS mihi hoc tríbuat, ut in inférno prótegas me, et abscóndas me, donec pertránseat furor tuus, et constítuas mihi tempus, in quo recordéris mei? Putásne mórtuus homo rursum vivat? cunctis diébus, quibus nunc míllito, expécto donec véniat immutátio mea. Vocábis me, et ego respondébo tibi: óperi mánuum tuárum pórriges déxteram. Tu quidem gressus meos dinumerásti, sed parce peccátis meis.

℟. Ne recordéris peccáta mea, Dómine, * Dum véneris judicáre saeculum per ignem. ℣. Dírige, Dómine Deus meus, in conspéctu tuo viam meam.—Dum. ℣. Réquiem aetérnam. Dum.

Postea ad Laudes, ut infra. cc. quando dicitur unum tantum Nocturnum.

In tertio Nocturno.
Pro Feria iv. et Sabbato.

Ant. Compláceat * tibi, Dñe, ut erípias me : Dñe, ad adjuvándum me réspice.

Psalmus xxxix.

EXPECTANS expectávi Dóminum, * et inténdit mihi.

Et exaudívit preces meas : * et edúxit me de lacu misériae, et de luto faecis.

Et státuit super petram pedes meos : * et diréxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum, * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi et timébunt : * et sperábunt in Dño.

Beátus vir, cujus est nomen Dómini spes ejus : * et non respéxit in vanitátes et insánias falsas.

Multa fecísti tu, Dómine Deus meus, mirabília tua : * et cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi et locútus sum : * multiplicáti sunt super número.

Sacrifícium et oblatiónem noluísti : * aures autem perfecísti mihi.

Holocáustum et pro peccáto non postulásti : * tunc dixi : Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me ut fácerem voluntátem tuam : * Deus meus vólui, et legem tuam in médio cordis mei.

Annuntiávi justítiã tuam in ecclésia magna, * ecce lábia mea non prohibébo : Dómine, tu scisti.

Justítiam tuam non abscóndi in corde meo : * veritátem tuam et salutáre tuum dixi.

Non abscóndi misericórdiam tuam et veritátem tuam * a concílio multo.

Tu autem, Dñe, ne longe fácias miseratiónes tuas a me : * misericórdia tua et véritas tua semper suscepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est número : * comprehendérunt me iniquitátes meae, et non pótui ut vidérem.

Multiplicátae sunt super capíllos cápitis mei : * et cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me : * Dómine, ad adjuvándum me réspice.

Confundántur et revereántur simul, qui quaerunt ánimam meam, * ut áuferant eam.

Convertántur retrórsum, et revereántur, * qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusiónem suam, * qui dicunt mihi : Euge, euge.

Exúltent, et laeténtur super te omnes quaeréntes te : * et dicant semper : Magnificétur Dóminus : qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem mendícus sum, et pauper : * Dóminus sollícitus est mei.

Adjútor meus, et protéctor meus tu es : * Deus meus, ne tardáveris.

Réquiem aetérnam.

Ańa. Compláceat tibi, Dómine, ut erípias me : Dómine, ad adjuvándum me réspice.

Ańa. Sana, Dómine, ✠ ánimam meam, quia peccávi tibi.

Psalmus xl.

BEATUS, qui intélligit super egénum et páuperem : * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terra : * et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus : * univérsum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi : Dómine, miserére mei : * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi : * quando moriétur, et períbit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur, * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foras, * et loquebátur in idípsum.

Advérsum me susurrábant omnes inimíci mei : * advérsum me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advérsum me : * Numquid qui dormit, non adjíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meae, in quo sperávi : * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miserére mei, et resúscita me : * et retríbuam eis.

In hoc cognóvi, quóniam voluísti me : * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti : * et confirmásti me in conspéctu tuo in aetérnum.

Benedíctus Dñus Deus Israël a saeculo, et usque in saeculum : * fiat, fiat.

Réquiem aetérnam.

Ańa. Sana, Dñe, ánimam meam, quia peccávi tibi.

Ańa. Sitívit ✠ ánima mea ad Deum vivum : quando véniam et apparébo ante fáciem Dómini?

Psalmus xli.

QUEMADMODUM desíderat cervus ad fontes aquárum:* ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum : * quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymae meae panes die ac nocte : * dum dícitur mihi quotídie: Ubi est Deus tuus?

Haec recordátus sum, et effúdi in me ánimam meam : * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis et confessiónis : * sonus epulántis.

Quare tristis es, ánima mea? * et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est : * proptérea memor ero tui de terra Jordánis, et Hermóniim a monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, et fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dñus misericórdiam suam : * et nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitae meae, * dicam Deo : Suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei * et quare contristátus incédo, dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies : Ubi est Deus tuus? * quare tristis es, ánima mea, et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Réquiem aetérnam.

Añа. Sitívit ánima mea ad Deum vivum : quando véniam, et apparébo ante fáciem Dómini?

℣. Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi. ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Pater noster, totum secreto.

Lectio vii. *Job.* xvii.

SPIRITUS meus attenuábitur, dies mei breviabúntur, et solum mihi súperest sepúlchrum. Non peccávi, et in amaritudínibus morátur óculus meus. Líbera me, Dómine, et pone me juxta te; et cujúsvis manus pugnet contra me. Dies mei transiérunt, cogitatiónes meae

dissipátae sunt, torquéntes cor meum. Noctem vertérunt in diem, et rursum post ténebras spero lucem. Si sustinúero, inférnus domus mea est, et in ténebris stravi léctulum meum. Putrédini dixi : Pater meus es, mater mea, et soror mea, vérmibus. Ubi est ergo nunc praestolátio mea, et patiéntiam meam quis consíderat ?

℟. Peccántem me quotídie, et non me poeniténtem, timor mortis contúrbat me : * Quia in inférno nulla est redémptio, miserére mei, Deus, et salva me. ℣. Deus, in nómine tuo salvum me fac, et in virtúte tua líbera me.—Quia.

Lectio viii. *Job.* xix. *c.*

QUELLI meae, consúmptis cárnibus, adhaesit os meum, et derelícta sunt tantúmmodo lábia circa dentes meos. Miserémini mei, miserémini mei, saltem vos amíci mei, quia manus Dómini tétigit me. Quare persequímini me sicut Deus, et cárnibus meis saturámini ? Quis mihi tríbuat, ut scribántur sermónes mei ? Quis mihi det, ut exaréntur in libro stylo férreo, et plumbi lámina, vel celte sculpántur in sílice? Scio enim quod Redémptor meus vivit, et in novíssimo die de terra surrectúrus sum : Et rursum circúmdabor pelle mea, et in carne mea vidébo Deum meum. Quem visúrus sum ego ipse, et óculi mei conspectúri sunt, et non álius : repósita est haec spes mea in sinu meo.

℟. Dómine, secúndum actum meum noli me iudicáre : nihil dignum in conspéctu tuo egi : ídeo déprecor majestátem tuam, * Ut tu, Deus, déleas iniquitátem meam. ℣. Amplius lava me, Dómine, ab injustítia mea, et a delícto meo munda me.—Ut tu.

Lectio ix. *Job.* x. *d.*

QUARE de vulva eduxísti me? qui útinam consúmptus essem, ne óculus me vidéret. Fuíssem quasi non essem, de útero translátus ad túmulum. Numquid non páucitas diérum meórum finiétur brevi ? Dimítte ergo me, ut plangam páululum dolórem meum : ántequam vadam, et non revértar, ad terram tenebrósam, et opértam mortis calígine : terram miséríae et tenebrárum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempitérnus horror inhábitat.

℟. Líbera me, Dómine, de viis inférni, qui portas aereas confregísti : et visitásti inférnum, et dedísti eis lumen, ut vidérent te : * Qui erant in poenis tenebrárum. ℣. Clamántes et

dicéntes: Advenísti, Redémptor noster.—Qui. ℣. Réquiem aetérnam. Qui.

Sequens ℟. dicitur solummodo in die Commem. omnium Defunctorum, et quandocumque pro Defunctis dicuntur ix. Lectiones.

℟. Líbera me, Dómine, de morte aetérna, in die illa treménda : * Quando coeli movéndi sunt et terra : * Dum véneris judicáre saeculum per ignem. ℣. Tremens factus sum ego, et timeo ; dum discússio vénerit, atque ventúra ira.— Quando. ℣. Dies illa, dies irae, calamitátis et misériae, dies magna et amára valde.— Dum véneris. ℣. Réquiem aetérnam.

Líbera, usque ad i. ℣.

AD LAUDES

Absolute incipitur Aña. Exultábunt * Dómino ossa humiliáta.

Psalmus l.

MISERERE mei Deus, *secúndum magnam misericórdiam tuam :

Et secúndum multitúdinem miseratiónū tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea : * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci : * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum : * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti : * incérta et occúlta sapiéntiae tuae manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor : * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et laetítiam : * et exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis : * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus : * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua : * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi laetítiam salutáris tui : * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas : * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus Deus, Deus salútis meae : * et exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries : * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifíciū, dedíssem útique : * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum, et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dñe, in bona voluntáte tua Sion: * ut aedificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiae, oblatiónes, et holocáusta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Réquiem aetérnam.

Aña. Exultábunt Dómino ossa humiliáta.

Aña. Exáudi, Dómine, * oratiónem meam : ad te omnis caro véniet.

Psalmus lxiv.

TE decet hymnus, Deus, in Sion : * et tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exáudi oratiónem meam: * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum praevaluérunt super nos : * et impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus, quem elegísti, et assumpsísti : * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domus tuae : * sanctum est templum tuum, mirábile in aequitáte.

Exáudi nos, Deus, salutáris noster, * spes ómnium fínium terrae, et in mari longe.

Praeparans montes in virtúte tua, accínctus poténtia : * qui contúrbas profúndum maris sonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, et timébunt qui hábitant términos a signis tuis: * éxitus matutíni, et véspere delectábis.

Visitásti terram et inebriásti eam : * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis, parásti cibum illórum : * quóniam ita est praeparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus : * in stillicídiis ejus laetábitur gérminans.

Benedíces corónae anni benignitátis tuae: * et campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti: * et exultatióne colles accingéntur.

Indúti sunt aríetes óvium, et valles abundábunt fruménto : * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Réquiem aetérnam.

Aña. Exáudi, Dómine, oratiónem meam : ad te omnis caro véniet.

Aña. Me suscépit * déxtera tua, Dómine.

Psalmus lxii.

DEUS Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, * quam multipliciter tibi caro mea.

In terra desérta, et ínvia, et inaquósa : * sic in sancto appárui tibi, ut vidérem virtútem tuam, et glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas : * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea : * et in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea : * et lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutínis meditábor in te : * quia fuísti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exultábo, adhaesit ánima mea post te : * me suscépit déxtera tua.

Ipsi vero in vanum quaesiérunt ánimam meam, introíbunt in inferióra terrae : * tradéntur in manus gládii, partes súlpium erunt.

Rex vero laetábitur in Deo, laudabúntur omnes qui jurant in eo : * quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

Hic non dic. **Réquiem.**

Psalmus lxvi.

DEUS misereátur nostri, et benedícat nobis : * illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri.

℣. Ut cognoscámus in terra viam tuam : * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus : * confiteántur tibi **pópuli omnes.**

Laeténtur et exúltent gentes : * quóniam júdicas pópulos in aequitáte, et gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus : confiteántur tibi pópuli omnes : * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus : * et métuant eum omnes fines terrae.

Réquiem aetérnam.

Ant. Me suscépit déxtera tua, Dómine.

Ant. A porta ínferi érue, Dñe, ánimam meam.

Canticum Ezechiae.

Isaiae xxxviii. *b.*

EGO dixi : In dimídio diérum meórum * vadam ad portas ínferi.

Quaesívi resíduum annórum meórum : * dixi : Non vidébo Dñum Deum in terra vivéntium.

Non aspíciam hóminem ultra, * et habitatórem quiétis.

Generátio mea ablàta est et convolúta est a me, * quasi tabernáculum pastórum.

Praecísa est velut a texénte, vita mea: dum adhuc ordírer, succídit me : * de mane usque ad vésperam fínies me.

Sperábam usque ad mane, * quasi leo sic contrívit ómnia ossa mea :

De mane usque ad vésperam fínies me : * Sicut pullus

hirúndinis sic clamábo, meditábor ut colúmba :

Attenuáti sunt óculi mei, * suspiciéntes in excélsum :

Dómine, vim pátior, respónde pro me. * Quid dicam, aut quid respondébit mihi, cum ipse fécerit.

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimae meae.

Dómine, si sic vívitur, et in tálibus vita spíritus mei, corrípies me, et vivificábis me. * Ecce in pace amaritúdo mea amarríssima :

Tu autem eruísti ánimam meam ut non períret : * projecísti post tergum tuum ómnia peccáta mea.

Quia non infernus confitébitur tibi, neque mors laudábit te : * non expectábunt qui descéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens vivens ipse confitébitur tibi, sicut et ego hódie : * pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine, salvum me fac, * et psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitae nostrae in domo Dómini.

Réquiem aetérnam.

Aña. A porta inferi érue, Dómine, ánimam meam.

Aña. Omnis spíritus * laudet Dóminum.

Psalmus cxlviii.

LAUDATE Dóminum de coelis : * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum omnes Angeli ejus : * laudáte eum omnes virtútes ejus.

Laudáte eum sol et luna : * laudáte eum omnes stellae, et lumen.

Laudáte eum coeli coelórum : * et aquae omnes, quae super coelos sunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.

Státuit ea in aetérnum, et in saeculum saeculi : * praecéptum pósuit, et non praeteríbit.

Laudáte Dóminum de terra, * dracónes, et omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum : * quae fáciunt verbum ejus.

Montes, et omnes colles : * ligna fructífera, et omnes cedri.

Béstiae, et univérsa pécora : * serpéntes, et vólucres pennátae :

Reges terrae, et omnes pópuli : * príncipes, et omnes júdices terrae.

Júvenes, et vírgines : senes cum junióribus laudent nomen Dñi : * quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Confessio ejus super coelum et terram : * et exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus : * fíliis Israël, pópulo appropinquánti sibi.

Hic non dic. **Réquiem.**

Psalmus cxlix.

CANTATE Dño cánticum novum : * laus ejus in Ecclésia sanctórum.

Laetétur Israël in eo, qui fecit eum : * et fílii Sion exúltent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro : * in tympano, et psaltério psallant ei.

Quia beneplácitum est Dño in pópulo suo : * et exaltábit mansuétos in salútem.

Exultábunt sancti in glória : * laetabúntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gúttur e eórum : * et gládii ancípites in mánibus eórum :

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus : * increpatiónes in pópulis.

Ad alligándos reges eórum in compédibus : * et nóbiles eórum in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis judícium conscríptum : * glória haec est ómnibus sanctis ejus.

Hic non dic. Réquiem.

Psalmus cl.

LAUDATE Dóminum in sanctis ejus : * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtúti bus ejus : * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubae : * laudáte eum in psaltério, et cíthara.

Laudáte eum in tympano, et choro : * laudáte eum in chordis, et órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus : laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

Réquiem aetérnam.

Ańa. Omnis spíritus laudet Dóminum.

℣. Audívi vocem de coelo dicéntem mihi. ℟. Beáti mórtui qui in Dómino moriúntur.

Ad Benedict. Ańa. Ego sum * resurréctio, et vita : qui credit in me, étiam si mórtuus fúerit, vivet : et omnis qui vivit, et credit in me, non moriétur in aetérnum.

Canticum Zachariae.

Lucae i. *g.*

BENEDICTUS Dóminus Deus Israël, * quia visitávit, et fecit redemptiónem plebis suae :

Et eréxit cornu salútis nobis : * in domo David púeri sui.

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui a saeculo sunt, prophetárum ejus :

Salútem ex inimícis nostris, et de manu ómnium, qui odérunt nos :

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris : * et memorári testaménti sui sancti.

Jusjurándum, quod jurávit ad Abraham patrem

nostrum, * datúrum se nobis :

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi.

In sanctitáte, et justítia coram ipso, * ómnibus diébus nostris.

Et tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis: * praeíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus.

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus : * in remissiónem peccatórum eórum :

Per víscera misericórdiae Dei nostri : * in quibus visitávit nos, óriens ex alto:

Illumináre his, qui in ténebris, et in umbra mortis sedent : * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

Réquiem aetérnam.

Añ. Ego sum resurréctio et vita : qui credit in me, étiam si mórtuus fúerit, vivet : et omnis qui vivit, et credit in me, non moriétur in aetérnum.

Deinde Pater noster. Ps. De profúndis. clxxxiv ; cum Precibus et Orationibus, ut supra in Vesperis. clxxxvi.

Psalmi Graduales.

DICUNTUR in Quadragesima Feria quarta cujuslíbet Hebdomadae, non impedita aliquo Festo ix. Lectionum, in Choro ante Matutinum diei : extra Chorum pro opportunitate temporis.

Primi quinque Psalmi dicuntur sine Glória Patri, sed in fine ultimi dicitur : Réquiem aetérnam.

Incipiuntur absolute sine Añ Psalmi : Ad Dñum cum tribulárer. 138. Levávi. 139. Laetátus sum. 141. Ad te levávi. 142. Nisi quia. 142.

Réquiem aetérnam * dona eis, Dómine.

Et lux perpétua * lúceat eis.

Deinde dicitur flexis genibus : Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue, Dñe, ánimas eórum.

℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

ABSOLVE, quaesumus Dñe, ánimas famulórum famularúmque

tuárum, et ómnium fidélium defunctórum, ab omni vínculo delictórum : ut in resurrectiónis glória inter sanctos et eléctos tuos resuscitáti respírent. Per Christum Dñum nostrum. ℟. Amen.

Post Orationem statim dicuntur alii Psalmi Graduales, qui sequuntur ; et in fine cujuslibet Psalmi dicitur Glória Patri.

Psalmi : Qui confídunt. 142. In converténdo. 143. Nisi Dóminus. 144. Beáti omnes. 144. Saepe expugnavérunt. 144.

Postea dicitur flexis genibus : Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Meménto congregatiónis tuae. ℟. Quam possedísti ab inítio.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟ Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DEUS, cui próprium est miseréri semper et párcere, súscipe deprecatiónem nostram : ut nos, et omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuae pietátis cleménter absólvat. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Post Orationem statim dicuntur alii Psalmi Graduales qui sequuntur ; et in fine cujuslibet Psalmi dicitur Glória Patri.

Psalmi : De profúndis. 145. Dómine, non est. 145. Meménto, Dñe, David. 146. Ecce quam bonum. 147. Ecce nunc benedícite. 161.

Deinde dicitur flexis genibus : Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus, sperántes in te.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟ Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

PRAETENDE, Dñe, fámulis et famulábus tuis déxteram coeléstis auxílii : ut te toto corde perquírant et quae digne póstulant, cónsequi mereántur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Septem Psalmi Poenitentiales

CUM LITANIIS.

DICUNTUR flexis genibus in omnibus sextis Feriis Quadragesimae quando Officium fit de Feria. Litaniae autem, omissis septem Psalmis, dicuntur in Litaniis majoribus in Festo S. Marci, et in tribus diebus Rogationum.

Dicuntur autem in Quadrag. in Choro post Matutinum et Laudes diei, dicto **Benedicámus Dómino** : extra Chorum pro opportunitate temporis.

Ańa. **Ne reminiscáris.**

Psalmus vi.

DOMINE, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei, Dómine, quóniam infírmus sum : * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde : * sed tu, Dómine, úsquequo ?

Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam : * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui : * in inférno autem quis confitébitur tibi ?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum : * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre óculus meus : * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite a me omnes, qui operámini iniquitátem : * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletus mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam, * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant, et conturbéntur veheménter omnes inimíci mei : * convertántur et erubéscant valde velóciter.

Glória Patri, etc.

Psalmus xxxi.

BEATI, quorum remíssae sunt iniquitátes : * et quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem tota die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus

tua : * convérsus sum in aerúmna mea, dum confígitur spina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci, * et injustítiam meam non abscóndi.

Dixi : Confitébor advérsum me injustítiam meam Dómino : * et tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus, * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum a tribulatióne, quae circúmdedit me : * exultátio mea érue me a circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, et ínstruam te in via hac, qua gradiéris : * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fíeri sicut equus et mulus, * quibus non est intelléctus.

In camo et fraeno maxíllas eórum constrínge, * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris, * sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Laetámini in Dómino, et exultáte justi : * et gloriámini omnes recti corde.

Glória Patri, etc.

Psalmus xxxvii.

DOMINE, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Quóniam sagíttae tuae infíxae sunt mihi : * et confirmásti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea a fácie irae tuae : * non est pax óssibus meis a fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meae supergréssae sunt caput meum : * et sicut onus grave gravátae sunt super me.

Putruérunt, et corrúptae sunt cicatríces meae, * a fácie insipiéntiae meae.

Miser factus sum, et curvátus sum usque in finem : * tota die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus : * et non est sánitas in carne mea.

Afflíctus sum, et humiliátus sum nimis : * rugiébam a gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum : * et gémitus meus a te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea : * et lumen oculórum meórum, et ipsum non est mecum.

Amíci mei, et próximi mei * advérsum me appropinquavérunt, et stetérunt.

Et qui juxta me erant, de longe stetérunt : * et vim faciébant qui quaerébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitá-

tes : * et dolos tota die meditabántur.

Ego autem tamquam surdus non audiébam : * et sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens:*et non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi : * tu exáudies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi : Nequándo supergáudeant mihi inimíci mei : * et dum commovéntur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagélla parátus sum:*et dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo : * et cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, et confirmáti sunt super me : * et multiplicáti sunt qui odérunt me iníque.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi : * quóniam sequébar bonitátẽ.

Ne derelínquas me, Dómine Deus meus : * ne discésseris a me.

Inténde in adjutórium meum, * Dómine Deus salútis meae.

Glória Patri, etc.

Psalmus l.

MISERERE mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónũ tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea : * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci : * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum : * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti : * incérta et occúlta sapiéntiae tuae manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor : * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et laetítiam:* et exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis : * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus : * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua : * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi laetítiam salutáris tui : * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas : * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus Deus, Deus salútis meae: * et exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries: * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium dedíssem útique: * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dñe, in bona voluntáte tua Sion: * ut aedificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiae, oblatiónes, et holocáusta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Glória Patri, etc.

Psalmus ci.

DOMINE, exáudi oratiónem meam: * et clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam a me: * in quacúmque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te, * velóciter exáudi me.

Quia defecérunt sicut fumus dies mei: * et ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percússus sum ut foenum, et áruit cor meum: * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitus mei * adhaesit os meum carni meae.

Símilis factus sum pellicáno solitúdinis: * factus sum sicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi, * et factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Tota die exprobrábant mihi inimíci mei: * et qui laudábant me, advérsum me jurábant.

Quia cinerem tamquam panem manducábam, * et potum meum cum fletu miscébam.

A fácie irae et indignatiónis tuae: * quia élevans allisísti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt: * et ego sicut foenum árui.

Tu autem, Dómine, in aetérnum pérmanes: * et memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

Tu exúrgens miseréberis Sion: * quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus: * et terrae ejus miserebúntur.

Et timébunt Gentes nomen tuum, Dñe, * et omnes reges terrae glóriam tuam.

Quia aedificávit Dñus Sion: * et vidébitur in glória sua.

Respéxit in oratiónem humílium: * et non sprevit precem eórum.

Scribántur haec in generatióne áltera : * et pópulus, qui creábitur, laudábit Dóminum :

Quia prospéxit de excélso sancto suo : * Dóminus de coelo in terram aspéxit :

Ut audíret gémitus compeditórum : * ut sólveret fílios interemptórum :

Ut annúntient in Sion nomen Dómini : * et laudem ejus in Jerúsalem.

In conveniéndo pópulos in unum, * et reges ut sérviant Dómino.

Respóndit ei in via virtútis suae : * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum : * in generatiónem et generatiónem anni tui.

Inítio tu, Dómine, terram fundásti : * et ópera mánuum tuárum sunt coeli.

Ipsi períbunt, tu autem pérmanes : * et omnes sicut vestiméntum veteráscent.

Et sicut opertórium mutábis eos, et mutabúntur : * tu autem idem ipse es, et anni tui non defícient.

Fílii servórum tuórum habitábunt : * et semen eórum in saeculum dirigétur.

Glória Patri, etc.

Psalmus cxxix.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine : * Dómine, exáudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendéntes, * in vocem deprecatiónis meae.

Si iniquitátes observáveris, Dómine : * Dómine, quis sustinébit ?

Quia apud te propitiátio est : * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia : * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Glória Patri, etc.

Psalmus cxlii.

DOMINE, exáudi oratiónem meam : áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua : * exáudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo : * quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam : * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos saeculi : * et anxiátus est super me spíritus meus, in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, meditátus sum in ómnibus opéribus tuis : * in

factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te : * ánima mea sicut terra sine aqua tibi :

Velóciter exáudi me, Dómine : * defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam a me : * et símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi mane misericórdiam tuam : * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem : * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dñe, ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in aequitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam : * et in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes, qui tríbulant ánimam meam : * quóniam ego servus tuus sum.

Glória Patri, etc.

Añ. Ne reminiscáris, Dómine, delícta nostra, vel paréntum nostrórum, neque vindíctam sumas de peccátis nostris.

Litaniae.

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Christe audi nos. Christe exáudi nos.

Pater de coelis Deus, miserére nobis.

Fili Redémptor mundi Deus, miserére nobis.

Spíritus sancte Deus, miserére nobis.

Sancta Trínitas unus Deus, miserére nobis.

Sancta María, ora pro nobis.

Sancta Dei Génitrix, ora.

Sancta Virgo vírginum, ora.

Sancte Míchaël, ora.

Sancte Gábriel, ora.

Sancte Ráphaël, ora.

Omnes sancti Angeli et Archángeli, oráte.

Omnes sancti beatórum Spirítuum órdines, oráte pro nobis.

Sancte Joánnes Baptísta, ora pro nobis.

Sancte Joseph, ora.

Omnes sancti Patriárchae et Prophétae, oráte pro nobis.

Sancte Petre, ora.

Sancte Paule, ora.

Sancte Andréa, ora.

Sancte Jacóbe, ora.

Sancte Joánnes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Philíppe, ora.
Sancte Bartholomaee, ora.
Sancte Matthaee, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddaee, ora.
Sancte Mathía, ora.
Sancte Bárnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apóstoli et Evangelístae, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte pro nobis.
Omnes sancti Innocéntes, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Laurénti, ora.
Sancte Vincénti, ora.
Sancti Fabiáne et Sebastiáne, oráte pro nobis.
Sancti Joánnes et Paule, oráte pro nobis.
Sancti Cosma et Damiáne, oráte pro nobis.
Sancti Gervási et Protási, oráte pro nobis.
Omnes sancti Mártyres, oráte pro nobis.
Sancte Silvéster, ora.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Ambrósi, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Omnes sancti Pontífices et Confessóres, oráte.
Omnes sancti Doctóres, oráte pro nobis.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Bernárde, ora.
Sancte Domínice, ora.
Sancte Francísce, ora.
Omnes sancti Sacerdótes et Levítae, oráte.
Omnes sancti Mónachi et Eremítae, oráte.
Sancta María Magdaléna, ora pro nobis.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Caecília, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Anastásia, ora.
Omnes sanctae Vírgines et Víduae, oráte pro nobis.
Omnes Sancti et Sanctae Dei, intercédite pro nobis.
Propítius esto, parce nobis, Dómine.
Propítius esto, exáudi nos, Dómine.
Ab omni malo, líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, líbera.
Ab ira tua, líbera.
A subitánea et improvísa morte, líbera.
Ab insídiis diáboli, líbera.
Ab ira, et ódio, et omni mala voluntáte, líbera.
A spíritu fornicatiónis, líbera nos, Dómine.
A fulgúre et tempestáte, líbera nos, Dómine.
A flagéllo terraemótus, líbera nos, Dómine,
A peste, fame et bello, líbera nos, Dómine,
A morte perpétua, líbera.

Per mystérium sanctae incarnatiónis tuae, líbera nos, Dómine.
Per advéntum tuum, líbera.
Per nativitátem tuam, líbera nos, Dómine.
Per baptísmum et sanctum jejúnium tuum, líbera.
Per crucem et passiónem tuam, líbera.
Per mortem et sepultúram tuam, líbera.
Per sanctam resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem ascensiónem tuam, líbera.
Per advéntum Spíritus sancti Paráclíti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, te rogámus, audi nos.
Ut nobis parcas, te rogámus, audi nos.
Ut nobis indúlgeas, te rogámus, audi nos.
Ut ad veram poeniténtiam nos perdúcere dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut Ecclésiam tuam sanctam régere et conserváre dignéris, te rogámus.
Ut domnum Apostólicum et omnes Ecclesiásticos órdines in sancta religióne conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut inimícos sanctae Ecclésiae humiliáre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut régibus et princípibus christiánis pacem et veram concórdiam donáre dignéris, te rogámus.
Ut cuncto pópulo christiáno pacem et unitátem largíri dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut nosmetípsos in tuo sancto servítio confortáre et conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut mentes nostras ad coeléstia desidéria érigas, te rogámus, audi nos.
Ut ómnibus benefactóribus nostris sempitérna bona retríbuas, te rogámus.
Ut ánimas nostras, fratrum, propinquórum, et benefactórum nostrórum ab aetérna damnatióne erípias, te rogámus.
Ut fructus terrae dare et conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut ómnibus fidélibus defúnctis réquiem aetérnam donáre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut nos exaudíre dignéris, te rogámus, audi nos.
Fili Dei, te rogámus.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.
Christe audi nos. Christe exáudi nos. Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.
Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Psalmus lxix.

EUS, in adjutórium meum inténde: * Dómine, ad adjuvándum me festína.

Confundántur, et revereántur, * qui quaerunt ánimam meam:

Avertántur retrórsum, et erubéscant, * qui volunt mihi mala:

Avertántur statim erubescéntes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exúltent et laeténtur in te omnes qui quaerunt te, * et dicant semper: Magnificétur Dóminus: qui díligunt salutáre tuum.

Ego vero egénus et pauper sum: * Deus, ádjuva me.

Adjútor meus, et liberátor meus es tu: * Dómine, ne moréris.

Glória Patri. Sicut erat.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus, sperántes in te.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci.

℣. Nihil proficiat inimícus in nobis. ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis.

℣. Dómine, non secúndum peccáta nostra fácias nobis. ℟. Neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis.

℣. Orémus pro Pontífice nostro N. ℟. Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terra, et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

℣. Orémus pro benefactóribus nostris. ℟. Retribúere dignáre, Dñe, ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum vitam aetérnam. Amen.

℣. Orémus pro fidélibus defúnctis. ℟. Réquiem aetérnam dona eis, Dñe, et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

℣. Pro frátribus nostris abséntibus. ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperántes in te.

℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eos.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DEUS, cui próprium est miseréri semper, et párcere: súscipe deprecatiónem nostram; ut nos, et omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuae pietátis cleménter absólvat.

EXAUDI, quaesumus Dñe, súpplicum preces, et confiténtium tibi parce peccátis : ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus et pacem.

INEFFABILEM nobis, Dómine, misericórdiam tuam cleménter osténde : ut simul nos et a peccátis ómnibus éxuas, et a poenis, quas pro his merémur, erípias.

DEUS, qui culpa offénderis, poeniténtia placáris : preces pópuli tui supplicántis propítius réspice ; et flagélla tuae iracúndiae, quae pro peccátis nostris merémur, avérte.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, miserére fámulo tuo Pontífici nostro N. et dírige eum secúndum tuam cleméntiã in viam salútis aetérnae : ut te donánte, tibi plácita cúpiat, et tota virtúte perfíciat.

DEUS, a quo sancta desidéria, recta consília, et justa sunt ópera : da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem ; ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium subláta formídine, témpora sint tua protectióne tranquílla.

URE igne sancti Spíritus renes nostros, et cor hostrum, Dñe : ut tibi casto córpore serviámus, et mundo corde placeámus.

FIDELIUM Deus ómnium Cónditor et Redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum, remissiónem cunctórum tríbue peccatórum : ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur.

ACTIONES nostras, quaesumus Dómine, aspirándo praeveni, et adjuvándo proséquere : ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, et per te coepta finiátur.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui vivórum domináris simul et mortuórum, omniúmque miseréris, quos tuos fide et ópere futúros esse praenóscis : te súpplices exorámus : ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore suscépit, intercedéntibus ómnibus sanctis tuis, pietátis tuae cleméntia, ómnium delictórum suórum véniam consequántur. Per Dóminum.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Exáudiat nos omnípotens et miséricors Dóminus. ℟. Amen.
℣. Et fidélium ánimae per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Ordo Commendationis Animae.

Primum dicuntur Litaniae breves in hunc modum.

YRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Sancta María, ora pro eo
Omnes sancti Angeli et Archángeli, oráte pro eo.
Sancte Abel, ora pro eo.
Omnis chorus Justórum, ora pro eo.
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joánnes Baptísta, ora pro eo.
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriárchae et Prophétae, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Joánnes, ora.
Omnes sancti Apóstoli et Evangelístae, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte pro eo.
Omnes sancti Innocéntes, oráte pro eo.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Laurénti, ora.
Omnes sancti Mártyres, oráte pro eo.
Sancte Silvéster, ora.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Omnes sancti Pontífices et Confessóres, oráte.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Francísce, ora.
Omnes sancti Mónachi et Eremítae, oráte.
Sancta María Magdaléna, ora pro eo.
Sancta Lúcia, ora.
Omnes sanctae Vírgines et Víduae, oráte pro eo.
Omnes Sancti et Sanctae Dei, intercédite pro eo.
Propítius esto, parce ei, Dómine.
Propítius esto, líbera eum, Dómine.
Propítius esto, líbera.
Ab ira tua, líbera.
A perículo mortis, líbera.
A mala morte, líbera.
A poenis inférni, líbera.
Ab omni malo, líbera.
A potestáte diáboli, líbera.
Per nativitátem tuam, líbera eum, Dómine.
Per crucem et passiónem tuam, líbera.
Per mortem et sepultúram tuam, líbera.
Per gloriósam resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem ascensiónem tuam, líbera.
Per grátiam Spíritus sancti Paráclíti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, te rogámus, audi nos.
Ut ei parcas, te rogámus, audi nos.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Deinde cum in agone sui exitus anima anxiatur, dicantur sequentes Orationes :

Oratio.

PROFICISCERE, ánima christiána, de hoc mundo, in nómine Dei Patris omnipoténtis, qui te creávit : in nómine Jesu Christi Fílii Dei vivi, qui pro te passus est : in nómine Spíritus sancti, qui in te effúsus est : in nómine Angelórum et Archangelórum : in nómine Thronórum et Dominatiónum : in nómine Principátuum et Potestátum : in nómine Chérubim et Séraphim : in nómine Patriarchárum et Prophetárum : in nómine sanctórum Apostolórum et Evangelistárum : in nómine sanctórum Mártyrum et Confessórum : in nómine sanctórum Monachórum et Eremitárum : in nómine sanctárum Vírginum, et ómnium Sanctórum et Sanctárum Dei : hódie sit in pace locus tuus, et habitátio tua in sancta Sion. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Oratio.

DEUS miséricors, Deus clemens, Deus, qui secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum peccáta poeniténtium deles, et praeteritórum críminum culpas vénia remissiónis evácuas : respice propítius super hunc fámulum tuum N. et remissiónem ómnium peccatórum suórum tota cordis confessióne poscéntē deprecátus exáudi. Rénova in eo, piíssime Pater, quidquid terréna fragilitáte corrúptum, vel quidquid diabólica fraude violátum est : et unitáti córporis Ecclésiae membrum redemptiónis annécte. Miserére, Dómine, gemítuum, miserére lacrymárum ejus : et non habéntem fidúciam, nisi in tua misericórdia, ad tuae sacraméntum reconciliatiónis admítte. Per Christum Dñum nostrum. ℟. Amen.

COMMENDO te omnipoténti Deo, cariíssime frater, et ei, cujus es creatúra, commítto : ut cum humanitátis débitum morte interveniénte persólveris, ad auctórem tuum, qui te de limo terrae formáverat, revertáris. Egrediénti ítaque ánimae tuae de córpore spléndidus Angelórum coetus occúrrat : judex Apostolórum tibi senátus advéniat : candidatórum tibi Mártyrum triumphátor exércitus óbviet : liliáta rutilántium te Confessórum turma circúmdet : jubilántium te Vírginum chorus excípiat : et beátae

quiétis in sinu Patriarchárum te compléxus astríngat : mitis atque festívus Christi Jesu tibi aspéctus appáreat, qui te inter assisténtes sibi júgiter interésse decérnat. Ignóres omne quod horret in ténebris, quod stridet in flammis, quod crúciat in torméntis. Cedat tibi tetérrimus sátanas cum satellítibus suis : in advéntu tuo te, comitántibus Angelis, contremíscat, atque in aetérnae noctis chaos immáne diffúgiat. Exúrgat Deus, et dissipéntur inimíci ejus : et fúgiant, qui odérunt eum a fácie ejus. Sicut déficit fumus defíciant : sicut fluit cera a fácie ignis, sic péreant peccatóres a fácie Dei : et justi epuléntur, et exúltent in conspéctu Dei. Confundántur ígitur et erubéscant omnes tartáreae legiónes, et minístri sátanae iter tuum impedíre non áudeant. Líberet te a cruciátu Christus, qui pro te crucifíxus est. Líberet te ab aetérna morte Christus, qui pro te mori dignátus est. Constítuat te Christus Fílius Dei vivi intra paradísi sui semper amoena viréntia, et inter oves suas te verus ille Pastor agnóscat. Ille ab ómnibus peccátis tuis te absólvat, atque ad déxteram suam in electórum suórum te sorte constítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas, et praesens semper assístens, manifestíssimam beátis óculis aspícias veritátem. Constítutus ígitur inter ágmina beatórum, contemplatiónis divínae dulcédine potiáris in saecula saeculórum. ℟. Amen.

Oratio.

SUSCIPE, Dómine, servum tuum in locum sperándae sibi salvatiónis a misericórdia tua. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui ex ómnibus perículis inférni, et de láqueis poenárum, et ex ómnibus tribulatiónibus. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti Henoch et Elíam de commúni morte mundi. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti Noë de dilúvio. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti Abraham de Ur Chaldaeórum. ℟. Amen.

Líbera, Dñe, ánimam servi tui, sicut liberásti Job de passiónibus suis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti Isaac de hóstia, et de manu patris sui Abrahae. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti Lot

de Sódomis, et de flamma ignis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti Móysen de manu Pharaónis regis Ægyptiórum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti Daniélem de lacu leónum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti tres púeros de camíno ignis ardéntis, et de manu regis iníqui. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti Susánnam de falso crímine. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti David de manu regis Saul, et de manu Goliae. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui, sicut liberásti Petrum et Paulum de carcéribus. ℟. Amen.

Et sicut beatíssimam Theclam Vírginem et Mártyrem tuam de tribus atrocíssimis torméntis liberásti, sic liberáre dignéris ánimam hujus servi tui, et tecum fácias in bonis congaudére coeléstibus. ℟. Amen.

Oratio.

COMMENDAMUS tibi, Dñe, ánimam fámuli tui N. precamúrque te, Dómine, Jesu Christe, Salvátor mundi ut propter quam ad terram misericórditer descendísti, Patriarchárum tuórum sínibus insinuáre non rénuas. Agnósce, Dómine, creatúram tuam, non a diis aliénis creátam, sed a te solo Deo vivo et vero: quia non est álius Deus praeter te, et non est secúndum ópera tua. Laetífica, Dómine, ánimam ejus in conspéctu tuo, et ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum, et ebrietátum, quas suscitávit furor, sive fervor mali desidérii. Licet enim peccáverit, tamen Patrem, et Fílium, et Spíritum sanctum non negávit, sed crédidit, et zelum Dei in se hábuit, et Deum, qui fecit ómnia fidéliter adorávit.

Oratio.

DELICTA juventútis, et ignorántias ejus, quaesumus, ne memíneris, Dñe: sed secúndum magnam misericórdiam tuam memor esto illíus in glória claritátis tuae. Aperiántur ei coeli, collaeténtur illi Angeli. In regnum tuum, Dómine, servum tuum súscipe. Suscípiat eum sanctus Míchaël Archángelus Dei, qui milítiae coeléstis méruit principátum. Véniant illi óbviam sancti Angeli Dei, et perdúcant eum

in civitátem coeléstem Jerúsalem. Suscípiat eum beátus Petrus Apóstolus, cui a Deo claves regni coeléstis tráditae sunt. Adjuvet eum sanctus Paulus Apóstolus, qui dignus fuit esse vas electiónis. Intercédat pro eo sanctus Joánnes eléctus Dei Apóstolus, cui revelata sunt secréta coeléstia. Orent pro eo omnes sancti Apóstoli, quibus a Dómino data est potéstas ligándi atque solvéndi. Intercédant pro eo omnes sancti et elécti Dei, qui pro Christi nómine torménta in hoc saeculo sustinuérunt : ut vínculis carnis exútus, perveníre mereátur ad glóriam regni coeléstis, praestánte Dómino nostro Jesu Christo : Qui cum Patre et Spíritu sancto vivit et regnat in saecula saeculórum. ℟. Amen.

Si anxiatur adhuc anima, dicuntur hi Psalmi, videlicet. Confitémini Dño. 24. et totus Ps. Beáti immaculáti, per Horas distributus. 26.

Egressa autem anima, dicitur hoc ℟. Subveníte, Sancti Dei, occúrrite, Angeli Dómini : * Suscipiéntes ánimam ejus : * Offeréntes eam in conspéctu Altíssimi. ℣. Suscípiat te Christus qui vocávit te, et in sinum Abrahae Angeli dedúcant te.—Suscipiéntes.

℣. Réquiem aetérnam dona ei, Dñe : et lux perpétua lúceat ei.—Offeréntes.

Deinde Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Postea Pater noster, secreto. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Réquiem aetérnam dona ei, Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat ei.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue, Dñe, ánimam ejus.

℣. Requiéscat in pace. ℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

TIBI, Dómine, commendámus ánimam fámuli tui N. ut defúnctus saeculo tibi vivat : et quae per fragilitátem humánae conversatiónis peccáta commísit, tu vénia misericordíssimae pietátis abstérge. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Benedíctio mensae.

ANTE PRANDIUM.

Sacerdos benedícturus mensam incipit :

ENEDICITE, et alii repetunt, Benedícite. Deinde dicit ℣. Oculi ómnium, et alii prosequuntur : In te sperant, Dómine, et tu das escam illórum in témpore opportúno. Aperis tu manum tuam, et imples omne ánimal benedictióne.

Glória Patri. Sicut erat. Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Postea Sacerdos dicit :

Orémus.

BENEDIC, Dñe nos, et haec tua dona, quae de tua largitáte sumus sumptúri. Per Christum Dñum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Lector Jube, domne, benedícere. Benedictio. Mensae coeléstis partícipes fáciat nos Rex aetérnae glóriae. ℟. Amen.

POST PRANDIUM.

Aguntur gratiae hoc modo : Dicto a Lectore Tu autem, Dñe, miserére nobis. ℟. Deo grátias, omnes surgunt.

Sacerdos incipit : ℣. Confiteántur tibi, Dñe, ómnia ópera tua. ℟. Et Sancti tui benedícant tibi.

℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat.

Postea Sacerdos absolute dicat :

AGIMUS tibi grátias, omnípotens Deus, pro univérsis benefíciis tuis : Qui vivis et regnas in saecula saeculórum. ℟. Amen.

Deinde alternatim dicitur Psalm. Miserére mei. 6o. vel Psalmus cxvi.

AUDATE Dñum omnes Gentes : * laudáte eum, omnes pópuli :

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus : * et véritas Dómini manet in aetérnum.

Glória Patri. Sicut erat.

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Sacerdos dicit Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Dispérsit, dedit paupéribus. ℟. Justítia ejus

manet in saeculum saeculi.

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore. ℟. Semper laus ejus in ore meo.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea. ℟. Audiant mansuéti, et laeténtur.

℣. Magnificáte Dóminum mecum. ℟. Et exaltémus nomen ejus in idípsum.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc, et usque in saeculum.

Deinde sine Orémus.

BETRIBUERE dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum vitam aetérnam. ℟. Amen.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias

℣. Fidélium ánimae per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Pater noster, secreto.

Quo finito, dicit Sacerdos: Deus det nobis suam pacem. ℟. Amen.

ANTE COENAM

Sacerdos benedícturus mensam incipit Benedícite, et alii repetunt Benedícite.

Deinde Sacerdos incipit ℣. et alii prosequuntur:

EDENT páuperes, et saturabúntur, et laudábunt Dóminum, qui requírunt eum: vivent corda eórum in saeculum saeculi.

Glória Patri. Sicut erat.

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Orémus. Bénedic, Dómine, ut supra in prandio. Jube, domne, benedícere. Benedíctio. Ad coenam vitae aetérnae perdúcat nos Rex aetérnae glóriae. ℟. Amen.

IN FINE COENAE.

Dicitur ℣. Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors et miserátor Dóminus: escam dedit timéntibus se.

Glória Patri. Sicut erat.

Sacerdos dicat:

BENEDICTUS Deus in donis suis, et sanctus in ómnibus opéribus suis: Qui vivit et regnat in saecula saeculórum. ℟. Amen.

Deinde alternatim dicitur Ps. Laudáte Dóminum, et reliqua ut supra. ccxxii.

Quando semel comeditur, omnia dicantur ut in coena.

Praedíctus modus benedicendi mensam, et agendi gratias, servatur omni tempore hujus Partis Autumn.

Itinerarium.

CLERICUS in ipso itineris ingressu, si solus fuerit, dicat quae sequuntur in singulari : si cum sociis, in plurali.

Ant. In viam pacis.

Canticum. Benedíctus Dóminus Deus Israël. 23.

In fine Glória Patri.

Ant. In viam pacis et prosperitátis dírigat nos omnípotens et miséricors Dóminus : et Angelus Ráphaël comitétur nobíscum in via, ut cum pace, salúte, et gáudio revertámur ad própria.

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus, sperántes in te.

℣. Mitte nobis, Dómine, auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére nos.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci.

℣. Nihil proficiat inimícus in nobis. ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis.

℣. Benedíctus Dóminus die quotídie. ℟. Prósperum iter fáciat nobis Deus salutárium nostrórum.

℣. Vias tuas, Dómine, demónstra nobis. ℟. Et sémitas tuas édoce nos.

℣. Utinam dirigántur viae nostrae. ℟. Ad custodiéndas justificatiónes tuas.

℣. Erunt prava in dirécta. ℟. Et áspera in vias planas.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te. ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

DEUS, qui fílios Israël per maris médium sicco vestígio ire fecísti, quique tribus Magis iter ad te, stella duce, pandísti : tríbue nobis, quaesumus, iter prósperum, tempúsque tranquíllum : ut, Angelo tuo sancto cómite, ad eum quo pérgimus locum, ac demum ad aetérnae salútis portum prevenire felíciter valeámus.

DEUS, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldaeórum edúctum, per omnes suae peregrinatiónis

vias illaesum custodísti : quaesumus, ut nos fámulos tuos custodíre dignéris : esto nobis, Dómine, in procínctu suffrágium, in via solátium, in aestu umbráculum, in plúvia et frígore teguméntum, in lassitúdine vehículum, in adversitáte praesídium, in lúbrico báculus, in naufrágio portus : ut, te duce, quo téndimus, próspere perveniámus, et demum incólumes ad própria redeámus.

ADESTO, quaesumus Dñe, supplicatiónibus nostris : et viam famulórum tuórum in salútis tuae prosperitáte dispóne ; ut inter omnes viae et vitae hujus varietátes tuo semper protegámur auxílio.

PRAESTA, quaesumus omnípotens Deus, ut família tua per viam salútis incédat : et beáti Joánnis Praecursóris hortaménta sectándo, ad eum quem praedíxit, secúra pervéniat, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia saecula saeculórum. ℟. Amen.

℣. Procedámus in pace.
℟. In nómine Dñi. Amen.

Lectori monitum.

Quae adnotantur Officia, utpote universalem non respiciant Ecclesiam, sed pro aliquibus tantum indulta sint locis, extra ordinem aliorum hic in fine posita sunt pro majori Psallentium commoditate.

DOMINICA PRIMA

non impedita
post Octavam SS. Apostolorum Petri et Pauli,
(quae non raro occurrit
in parte autumnali.)

Commem. omnium SS.
S. R. E. Summorum Pontif.
Duplex.

Pro Clero Urbis et alibi.

AD VESPERAS.

Aña. Sancti tui Dómine, cum reliq. de Laud. ccxxx. Psalm. Dixit Dóminus, cum reliq. de Comm. Apost. ii.

Capitulum. *Hebr. c.* xiii.

FRATRES, Mementóte praepositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei : quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Hymnus.

REX glorióse Praesulum,
Coróna confiténtium,
Qui respuéntes térrea
Perdúcis ad coeléstia;
Aurem benígnam prótinus
Appóne nostris vócibus :
Trophaea sacra pángimus,
Ignósce quod delíquimus.
Tu vincis in Martyribus,
Parcéndo Confessóribus:
Tu vince nostra crímina,
Donándo indulgéntiam.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

℣. Exáltent eos in Ecclésia plebis. ℟. Et in cáthedra seniórum laudent eos.

Ad Magnif. Aña. Sacerdótes Dei benedícite Dóminum, servi Dómini hymnum dícite Deo, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui pópulis tuis indulgéntia cónsulis, et amóre domináris : da spíritum sapiéntiae, suffragántibus méritis Antístitum Ecclésiae tuae, quibus dedísti régimen disciplínae, ut de profectu sanctárum óvium, fiant gáudia aetérna pastórum. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitator. Christum Príncipem Pastórum : * Veníte adorémus.

Hymnus.

ÆTERNA Christi múnera,
Et glóriam Pontíficum,
Laudes canéntes débitas,
Laetis canámus méntibus.

Ecclesiárum Príncipes,
Belli triumpháles duces ;
Coeléstis aulae mílites,
Et vera mundi lúmina.

Devóta Sanctórum fides,
Invícta spes credéntium,
Perfécta Christi cháritas,
Mundi triúmphat príncipe.

In his Patérna glória,
In his volúntas Spíritus,
Exúltat in his Fílius,
Coelum replétur gáudio.

Te nunc Redémptor, quaesumus,
Ut ipsórum consórtio
Jungas precántes sérvulos,
In sempitérna saecula.
Amen.

Añae, Psalmi, et VV. Nocturnorum dicuntur de Communi Apostolorum. v.

In primo Nocturno.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* xliv.

LAUDEMUS viros gloriósos et paréntes nostros in generatióne sua : Multam glóriam fecit Dóminus, magnificéntia sua a saeculo. Dominántes in potestátibus suis, hómines magni virtúte, et prudéntia sua praediti, nuntiántes in Prophétis dignitátem Prophetárum, et imperántes in praesénti pópulo, et virtúte prudéntiae pópulis sanctíssima verba. In perítia sua requiréntes modos músicos, et narrántes cármina scripturárum.

℟. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus : * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbae. ℣. Dum lucem habétis, crédite in lucem, ut fílii lucis sitis.— Estóte.

Lectio ii.

HOMINES dívites in virtúte, pulchritúdinis stúdium habéntes, pacificántes in dómibus suis. Omnes isti in generatiónibus gentis suae glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus. Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum ; et sunt quorum non est memória ; periérunt quasi qui non fúerint ; et nati sunt quasi non nati, et fílii ipsórum cum ipsis.

℟. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde : * Jugum enim meum suáve

est, et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris.—Jugum.

Lectio iii.

SED illi viri misericórdiae sunt, quorum pietátes non defuérunt : cum sémine eórum pérmanent bona, haeréditas sancta nepótes eórum : et in testaméntis stetit semen eórum, et fílii eórum, propter illos usque in aetérnum manent ; semen eórum et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

℟. Dum stetéritis ante reges et praesides, nolíte cogitáre quómodo aut quid loquámini : * Dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquímini : sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis.—Dábitur. Glória Patri. Dábitur.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Bernárdi Abbátis. *In festo S. Malachiae Episc.*

Lectio iv.

CONGRATULEMUR, fratres, congratulémur, ut dignum est, Pontificibus nostris ; quia et pium est defúnctos plángere, et pium magis congaudére vivéntibus. Numquid non vivunt ? Et beáte. Nimírum visi sunt óculis insipiéntium mori, illi autem sunt in pace. Dénique jam concíves Sanctórum, et doméstici Dei psallunt páriter, et grátias agunt, dicéntes : Transívimus per ignem, et aquam, et induxísti nos in refrigérium. Transiérunt plane viríliter, et felíciter pertransiérunt. Transiérunt per ignem, et aquam, quos neque tristítia frángere, nec detinére móllia potuérunt.

℟. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me dicens : * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium coelum, voce magna clamántem, et dicéntem.—Isti sunt viri.

Lectio v.

LAETEMUR, quod Pontífices nostri ascendérunt ad cives suos, pro fíliis captivitátis legatióne fungéntes, corda nobis conciliántes Beatórum, vota illis intimántes miserórum. Laetémur, inquam, et exultémus, quia coeléstis illa cúria ex nobis habet, quibus sit cura nostri, qui suis nos prótegant méritis,

quos informavérunt exémplis, miráculis confirmavérunt. Sancti Pontífices, qui in spíritu humilitátis hóstias pacíficas coelis frequénter invéxerant, per semetípsos introivérunt ad altáre Dei, ipsi hóstiae, et Sacerdótes.

℟. Beáti estis cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me : * Gaudéte et exultáte, quóniam merces vestra copiósa est in coelis. ℣. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis.—Gaudéte.

Lectio vi.

BENEDICTUS Dñus Deus, qui tantórum Pontíficum ministério visitávit plebem suam. Et nunc assúmptis iis in sanctam civitátē, tantae recordatióne suavitátis nostram non désinunt consolári captivitátem. Exúltent in Dómino eórum spíritus, quod leváti póndere corpóreae molis, nulla jam faeculénta, vel terréna matéria praegravántur, quo minus tota alacritáte, ac vivacitáte, corpóream omnem, et incorpóream transeúntes creatúram, pergant toti in Deum, et adhaeréntes illi, unus sint cum eo spíritus in aetérnum. Domum istam decet sanctitúdo, in qua tantae frequentátur memória sanctitátis.

℟. Isti sunt triumphatóres et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt praemia aetérna : * Modo coronántur et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.—Modo. Glória Patri. Modo.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xvi.

IN illo témpore : Venit Jesus in partes Caesaréae Philíppi, et interrogábat discípulos suos, dicens : Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? Et réliqua.

Homilía sancti Leónis Papae.

Serm. ii. *in Anniv. Assum. suae, ante medium.*

QUUM, sicut evangélica lectióne reserátum est, interrogásset Dñus discípulos, quem ipsum, (multis divérsa opinántibus) créderent ; respondissétque beátus Petrus, dicens : Tu es Christus Fílius Dei vivi : Dóminus ait : Beátus es

Simon Bar-Jona, quia caro, et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est : et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificábo Ecclésiam meam, et portae ínferi non praevalébunt advérsus eam, et tibi dabo claves regni coelórum, et quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in coelis : et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in coelis. Manet ergo dispositio veritátis, et beátus Petrus in accépta fortitúdine petrae persevérans, suscépta Ecclésiae gubernácula non relíquit.

℟. Amávit eos Dóminus, et ornávit eos : stolam glóriae índuit eos, * Et ad portas paradísi coronávit eos. ℣. Induit eos Dóminus lorícam fídei, et ornávit eos.—Et ad portas.

Lectio viii.

IN univérsa namque Ecclésia, tu es Christus Fílius Dei vivi, quotídie Petrus dicit : et omnis lingua, quae confitétur Dóminum, magistério hujus vocis imbúitur. Haec fides diábolum vincit, et captivórum ejus víncula dissólvit. Haec érutos mundo, ínserit coelo, et portae ínferi advérsus eam praevalére non possunt. Tanta enim divínitus soliditáte munita est, ut eam neque haerética unquam corrúmpere právitas, nec pagána potuerit superáre perfídia. His itaque modis, dilectíssimi, rationábili obséquio celebrátur hodiérna festívitas, ut in persóna humilitátis meae, ille intelligátur, ille honorétur, in quo et ómnium pastórum sollicitúdo, cum commendatárum sibi óvium custódia persevérat, et cujus étiam dignitas in indígno haeréde non déficit.

℟. Isti sunt qui ante Deum magnas virtútes operáti sunt, et omnis terra doctrína eórum repléta est : * Ipsi intercédant pro peccátis ómnium populórum. ℣. Isti sunt qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad coeléstia regna.—Ipsi. Glória Patri. Ipsi.

Lectio ix. de Homilia Dominicae occurrentis.

Postea Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES

et per Horas, Añae.

1. Sancti tui, * Dómine, florébunt sicut lílium, et sicut odor bálsami erunt ante te. Psalm. Dóminus regnávit, cum reliq. de Laudibus. 18.

2. In coeléstibus regnis * sanctórum habitátio est, et in aetérnum réquies eórum.

3. Córpora sanctórum * in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in aetérnum.

4. Spíritus, et ánimae justórum hymnum dícite Deo nostro, allelúia.

5. Fulgébunt justi * sicut sol in conspéctu Dei.

Capitulum. *Hebr. c.* xiii.

FRATRES, Mementóte praepositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei, quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Hymnus.

REX glorióse Praesulum,
Coróna confiténtium,
Qui respuéntes térrea
Perdúcis ad coeléstia;
Aurem benígnam prótinus
Appóne nostris vócibus :
Trophaea sacra pángimus,
Ignósce quod delíquimus.
Tu vincis in Martyribus,
Parcéndo Confessóribus :
Tu vince nostra crímina,
Donándo indulgéntiam.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

℣. Justos dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illis regnum Dei.

Ad Benedictus, Aña. Vos estis lux mundi : non potest cívitas abscóndi supra montem pósita ; neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum ut lúceat ómnibus, qui in domo sunt.

Oratio.

DEUS, qui pópulis tuis indulgéntia cónsulis, et amóre domináris : da spíritum sapiéntiae, suffragántibus méritis Antístitum Ecclésiae tuae, quibus dedísti régimen disciplínae ; ut de profectu sanctárum óvium, fiant gáudia aetérna pastórum. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Dominicae occurrentis.

AD TERTIAM.

Aña. In coeléstibus regnis.

Capit. Fratres, Mementóte.

℟. br. Laetámini in Dómino, * Et exultáte justi. Laetámini. ℣. Et gloriámini omnes recti corde. Et exultáte. Glória Patri. Laetámini.

℣. Exúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in laetítia.

AD SEXTAM.

Aña. Córpora sanctórum.

Capitulum. *Act. c.* xx.

ATTENDITE vobis, et univérso gregi, in quo vos Spíritus sanctus pósuit Epíscopos régere

Ecclésiam Dei, quam acquisívit sánguine suo.

℟. br. Exúltent justi, * In conspéctu Dei. Exúltent. ℣. Et delecténtur in laetítia. In conspéctu. Glória Patri. Exúltent.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dñum est merces eórum.

AD NONAM.

Ana. Fulgébunt justi.

Capitulum. *Hebr. c.* xiii.

OBEDITE praepósitis vestris, et subjacéte eis : ipsi enim pervígilant, quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri.

℟. br. Justi autem * In perpétuum vivent. Justi. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. In perpétuum. Glória Patri. Justi.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

IN II. VESPERIS.

Antiphonae, Psalmi, Capitulum et Hymnus, ut in primis Vesp. ccxxvi. et loco ultimi, Psalm. Meménto Dñe David, et omnis. lxxiii.

℣. Elégit eos Dóminus Sacerdótes sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Ad Magnif. Ana. Dum essent summi Pontífices, terréna non metuérunt, sed ad coeléstia regna gloriósi migrárunt.

Et fit Commemoratio Dominicae occurrentis.

DIE IV. SEPTEMBRIS.

In festo
S. Rosae Viterbiensis,
Virginis. Duplex.

Pro Statu Eccles. et alibi.

Omnia de Communi Virginum. ciii. praeter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui beátam Rosam sanctárum tuárum Vírginum collégio aggregáre dignátus es : tríbue nobis quaesumus; ut ejus précibus et méritis, a culpis ómnibus expiémur, et tuae majestátis consórtio perfruámur aetérno. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ROSA Vitérbii piis paréntibus nata, ab ipsa infántia omni virtúte enítuit, facta perfectiónis magístra, cum vix loqui didícisset. Mundi exósa vanitátes, rudi amíctu, pedum nuditáte, cilício, jejúniis, aliísque austeritátibus corpúsculum afflígens, divínae contemplatióni júgiter vacábat. Hanc vero exímiam sanctitátem insígni miráculo Deus testátam vóluit;

nam adhuc puélla avúnculam defúnctam ad vitam revocávit. Ad virginitátem, quam perpétuo cóluit, solo aspéctu intuéntium ánimos excitábat. Charitátis erga páuperes studiosíssima, cum aliquándo hibérno témpore subtráctum sibi panem clam illis deférret, patre imperánte, ut próderet, quid grémio abscónditum ferret, panis in rosas convérsus est.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Et dedúcet.

Lectio v.

CUM séptimum explésset annum, solitúdinis desidério flagrans, domus suae angústam céllulam elégit, cui se tamquam voluntário cárceri inclúsit, et oratióni corporísque castigatióni ardénter incúmbens, Dei cleméntiam deprecabátur pro sanctae Ecclésiae tranquillitáte, quam Frideríci secúndi imperatóris impíetas acérrime divexábat. Ex diútina autem maceratióne in morbum lethálem íncidit, in quo beátae Vírginis visitatióne recreáta, hábitum tértii Ordinis sancti Francísci indúere jussa est. Decénnis a Deo inspiráta, piis adhortatiónibus validísque argumémtis multos haeréticos ad fidem et obediéntiam Románi Pontíficis redúxit. Qua de causa cum tota cognatióne sua in exílium ejécta, ad vicína óppida venit, ubi Frideríci mortem, et Ecclésiae pacem prophético spíritu praedíxit. Mulíerem caecam a nativitáte illuminávit, et ad fídei veritátem astruéndam, succénsum rogum ingréssa, ac tribus horis in eo illaesa pérmanens, cujúsdam haeréticae mulíeris pervicáciam vicit, eámque cum áliis ad fidem convértit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi.

TANDEM Vitérbium summa cívium gratulatióne revérsa, in consórtium sanctimoniálium sanctae Maríae de Rosis admítti pétiit, sed illis ingréssum ob puéllae inópiam denegántibus, se mórtuam in eo coenóbio commoratúrã praedíxit. Mox ad prístinum domus suae cárcerem regréssa, cum in ea duóbus annis permansísset, morbo

corrépta, et ad beátam pátriam suspírans, méritis plena migrávit ad sponsum, décimo octávo suae vitae anno nondum exácto. Corpus ejus miro splendóre illustrátum, suavíque odóre perfúsum, in templo sanctae Maríae de Pódio effóssa humo, ac désuper ingésta, tumulátum fuit, donec post trigínta círciter menses ab Alexándro quarto, tunc Vitérbii sedénte, et in somnis ter ab ea admónito refóssum et incorrúptum repértum, prídie Nonas Septémbris ad praefátu monastérium, quod póstea sanctae Rosae nuncupátum est, solémniter translátum fuit, ubi usque ad hodiérnam diem íntegrum, et flexíbile summa totíus orbis admiratióne asservátur, et novis semper miráculis corúscat.

℣. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximae ejus, * Afferéntur tibi in laetítia et exultatióne. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evang. Símile erit regnum coelórum decem virgínibus, ut in Communi. CXV.

EADEM DIE IV. SEPT.

In festo S. Rosaliae, Virg. Panormitanae. Semidupl.

Pro aliquibus locis.

Omnia de Communi Virginum primo loco CIII. praeter ea quae sequuntur.

Oratio.

EXAUDI nos Deus salutáris noster: ut sicut de béatae Rosáliae Vírginis tuae festivitáte gaudémus; ita piae devotiónis erudiámur affécto, et ejus intercessióne ab iracúndiae tuae flagéllis misericórditer liberémur. Per Dóminum.

Pro regno Siciliae alia Oratio.

DEUS, qui beátam Rosáliam Vírginem e regálibus mundi delíciis in móntium solitúdinem transtulísti: concéde propítius; ut ejus méritis et patrocínio a saeculi voluptátibus in coeléstium amórem transferámur, et ab iracúndiae tuae flagéllis misericórditer liberémur. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ROSALIA virgo, orta Panórmi, ex nóbili génere suam orîginem trahens a Cárolo Magno, in

Quísquinae montem quadragínta círciter mille pássibus distántem sola secédens, patérnae domus opes, delícias, ac spem majóris amplitúdinis ob propinquitátem et benevoléntiam regum Sicíliae contémnens, cum tétricae rupis horróre et asperitáte commutávit : inque antrum, cui tunc únicus, et quidem angústus áditus e superióri loco patébat, intrépide descéndit ea mente, quam charactéribus saxo inscúlptis adhuc paténtibus exprés-sit : Ego Rosália Sinibáldi Quísquinae et Rosárum dómini fília, amóre Dómini mei Jesu Christi in hoc antro habitáre decrévi. Qua inscriptióne óculis obversánte, suscéptæ vitae propósitum áltius cordi infígere, ac divínae benevoléntiae signa ad castíssimae mentis blandiménta vicíssim provocáre consuévit.

℟. Propter. ccxxxiii.

Lectio v.

IN hac specu subterránea sibi et mundo emórtua, consepúltaque Jesu Christo, ut soli Deo víveret, diu noctúque látuit, cavens praecípue in móntibus patérni principátus, ne forte ágnita in domum urbémque pátriam abducerétur invíta. Cállidas daemonum insídias, quae ásperae vitae taedium, et solitúdinis horrórem ánimo ingerébant, ácriter saeviéndo in se férrea caténa, vigíliis et humi cubatióne forti ánimo superásse antíquae icónes significant : cumque humánis destitúta praesídiis, nihil solátii aliúnde hauríret, quam e coelo ; Dóminus, qui consolátur et corónat Sanctos suos, angélicis delíciis illam saepius recreábat.

℟. Dilexísti. ccxxxiii.

Lectio vi.

COELESTI deínde consílio ex antro Quisquinénsi in horridiórem spelúncam Peregríni montis tribus fere mille pássibus procul Panórmo Rosália se tránstulit, ut quo difficiliórem pugnam secum ipsa commítteret e conspectu domus patérnae, eo laudabílius de contémptis mundi illécebris triumpháret. Latébat ibi ad partem laevam angústus cóncavus, quem éadem post repértas ejus relíquias illuc venánti, cui se vidéndam praebuit, dixit esse suam cellam peregrínam, ubi multum aetátis exegísset. Hic tamquam colúmba in foramínibus petrae gemens, in coeléstium rerum contemplatióne defíxa, ad perfectíssimam divíni amóris normam in solitúdine vitam tradúxit,

et sanctíssime perénnibus charitátis rosis, et virginitátis líliis coronáta depósuit prídie Nonas Septémbris. Cujus corpus Urbáno octávo Pontífice máximo, divínitus anno jubilaei totíus Sicíliae plausu repértum, illam a peste liberávit.

℟. Afferéntur. ccxxxiv.

In tertio Nocturno, de Homilia in Evang. Símile erit regnum coelórum decem virgínibus, de Communi. cxv.

DIE IX. SEPTEMBR.

In festo sancti Sergii I., Papae Confessoris. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi. Omnia de Communi Confessoris Pontificis. lxi. praeter sequentia.

Oratio. Da quaesumus.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

SERGIUS Antiochénus génere, Tibério patre, Panórmi in Sicília natus, Conóne vita functo, anno Christi sexcentésimo octogésimo séptimo, annuénte Deo, et suffragántibus ómnium votis in sacro Lateranénsi paiátio assúmptus, foedíssimum schisma, quod exárchi imperatóris avarítia, et Paschális Archidiáconi ambítio excitárant, in ipso ortu extínxit. Adeódato Pontífice, Romam véniens, in Ecclésiae Románae clerum ab eódem adscítus, et a Leóne hujus nóminis secúndo Présbyter títuli sanctae Susánnae ordinátus, ímpigre suo múnere defúnctus est.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus.

Lectio v.

CANONES a Graecis sextae synodo deinc afflictos, instánte licet, et dira minánte imperatóre, admíttere nóluit, sed ut spúrios non sine vitae perículo, constánter abjécit. Magnam Domínicae crucis portiónem, revelánte Deo a se invéntam, in basílica Constantiniána pópulo adorándam collocávit. Corpus sancti Leónis in obscúro cónditum ángulo, Dei nutu inde amóvit, et ornatióri loco, ómnibus colléndum expósuit. Basílicam demum Vaticánam innúmeris donis ornávit, egrégiis certe amóris sui erga príncipem Apostolórum monuméntis.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi

eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus.

Lectio vi.

HILIANUM, et sócios martyrio deínde afféctos, in Germániam, Villebrórdum, et Svibértum, cum sóciis in Frísiam, aliásque circumjéctas regiónes misit, in quibus máximum Paganórum númerum ad Christi fidem convertérunt. Coadvállum Britónum regem Romam veniéntem excépit, et sacro baptísmate tinxit. Ravennátibus, Damiánum ; Legionénsibus, Ubértum ; Británnis, Berectuáldum Epíscopos ordinávit. Státuit, ut liturgíae sacrae pius versus : Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis, adderétur. Méritis dénique plenus, postquam sedísset trésdecim annis, ménsibus octo, sancto fine quiévit, ac sepúltus est in Vaticáno.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Nocturno, Homilia super Evangelium : **Homo péregre.** lxx. cum nona Lectione S. Gorgonii Martyris.

In Laudibus fit Comm. Octavae Nativ. ac ejusdem S. Martyris.

DIE X. SEPTEMBR.

In festo S. Hilari, Papae Confess. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. lxi. praeter sequentia.

Oratio. **Exáudi.**

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

HILARUS natióne Sardus, patre Crispíno génitus, post sancti Leónis tránsitum, Románae Ecclésiae Póntifex factus est. Eum adhuc Diáconum, idem Leo legátum destinávit, pro Ephesína synodo celebránda. Sed cum Dióscori Alexandríni Epíscopi furóre per vim, et metum Ephesi patraréntur indígna, Hilarus vix effúgiens per ínvia loca, et multa perícula, divína ope liberátus, ad Leónem revérsus est. Póntifex autem renuntiátus, nihil antíquius hábuit, quam quae contra haeré-

ticos constitúta fúerant, suo decréto firmáre. Quamóbrem encyclicam epístolam scripsit de damnatióne Nestórii, et Euthychétis, ac trium praecipuórum confirmatióne conciliórum.

℟. Invéni David servum meum. ccxxxvi.

Lectio v.

AB eo invitátus Victorínus, natióne Aquitánus, Paschálem cursum cautíssima indagatióne compósuit. Ecclesiásticae disciplínae retinentíssimus, nullum vóluit Epíscopum per Ecclésias consecrári, praeter Metropolitáni consénsum, nec Epíscopum quémpiam relícta própria Ecclésia, ad áliam transférri, neque transcéndi términos a Pátribus constitútos. Leóntium Arelaténsem Epíscopum suae sedis vicárium constítuit per Gállias, cui sollicitúdinem in congregándis quotánnis Epíscopis delegávit. Ecclésiae praedia, quae neque desérta, neque inutília essent, quibus plurimórum necessitátibus subvenirétur, alienári, nisi prius apud concílium alienatiónis causa dicta, prohíbuit ; áliaque complúra sancte decrévit in ea synodo, quam apud sanctam Maríam Majórem coégit.

℟. Pósui. ccxxxvi.

Lectio vi.

ANTHEMIUM imperatórem, cum Philótheus Macedoniánus ejus familiaritáte suffúltus, nova diversárum conciliábula sectárum in Urbem conarétur indúcere; apud beátum Petrum Apóstolum, palam ne id fíeret objurgándo cohíbuit : in tantum ut ea non fore introducénda promíserit imperátor, interpósito étiam juraménto. Fecit in Constantiniánae basílicae baptistério oratória quátuor, nempe sanctae crucis, sancti Joánnis Baptístae, sancti Joánnis Evangelístae, et sancti Stéphani, ac ínsuper bibliothécas duas. Monastérium construxit una cum bálneo, et praetório, ad sanctum Laurentium foris, alterúmque in Urbe ad Lunam. Plura, atque magnífica tumália ornaménta ex auro, argénto, lapidibúsque pretiósis, sacris locis cóntulit. Constítuit in Urbe ministeriáles, qui praefíxas obírent statiónes. Pro commúni Sacerdótum Dómini concórdia sollícite procurávit, ne sua audérent quaerere, sed quae essent Christi studérent obtinére. Demum ipse córpore solútus, ábiit in coelum regnatúrus cum Christo, quarto Idus Septembris, sub imperatóribus

Leóne, et Anthémio ; ejúsque corpus sepúltum fuit ad sanctum Lauréntium in Crypta juxta corpus beáti Xysti. Una ordinatióne mense Decémbri, creávit Presbyteros vigínti quinque, Diáconos sex, Epíscopos per divérsa loca vigínti duos. Apostólicae sedis régimen ténuit annos sex, menses novem, dies vigínti et octo.

℟. Iste est qui ante Deum. ccxxxvii.

In tertio Nocturno, Homilia super Evang. Vigiláte, de Communi. lxxv.

In Laudibus fit Comm. Octavae Nativit. B. M. V.

DIE XX. SEPTEMBR.

In festo S. Agapiti I., Papae Confess. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. lxi. praeter sequentia.

Oratio. Da, quaesumus.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In Quatuor Temporibus : Fidélis sermo. lxiv.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

IOANNE, hujus nóminis secúndo e vivis subláto, Agapítus Románus génere, patre Gordiáno, sanctae Románae Ecclésiae Archidiáconus, propter singulárem eruditiónem, qua probe, et appríme instrúctus erat, et compósitos castigatíssimae vitae mores quibus praeteris eminébat, commúnibus totíus cleri suffrágiis, et ómnium bonórum gratulatióne, ad sanctam Petri sedem promótus est ; et sublímem illam provínciam perínde administrávit, ac si non ab homínibus, sed ab ipso Deo eléctus fuísset.

℟. Invéni David servum meum. ccxxxvi.

Lectio v.

EGREGIIS laudum títulis ab antíquis pátribus decorátus est, dictúsque ab iis praeco justítiae, Evangélii tuba, vas cathólicum, vir pietáte, et miráculis celebérrimus, quibus heróicas illíus virtútes, et apostólicae vitae sanctimóniam Deus illustrávit. Aliquot hujus sanctíssimi Praesulis decretáles extant, in quibus cathólicae fídei dógmata sarta, tectáque servántur, ecclesiásticae disciplínae forma, et régula tráditur, sacrórum cánonum, et antiquárum traditiónum indemnitáti consúlitur, ac demum omnes, et síngulae pastorális sollicitúdinis partes impléntur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem. ccxxxvi.

Lectio vi.

CONSTANTINOPOLIM profectus est, álio prorsus, quam ad quem hómines illum destinárant, consílio, divíno scílicet instínctu, et nutu, ut Anthimum haeréticum Patriárcham Constantinopolitánũ, Theodórae imperatrícis malis ártibus intrúsum exauctoráret, atque damnáret, et in ejus locum Mennam substitúeret : patriarcháles item sedes Alexandrínam, et Antiochénam, extrúsis haeréticis, cathólicis pastóribus restitúeret. Sed tandem biénnio pontificátus nondum expléto, vir sanctíssimus, in quo nihil, nisi longiórem vitam cathólici desiderássent, Constantinópoli pie óbiit anno Christi quingentésimo trigésimo sexto. Ejus corpus Romam translátum, in Vaticáno cónditum est.

℟. Iste est. ccxxxvii.

In tertio Nocturno, Homilia super Evang. Homo péregre proficíscens. lxx. cum nona Lectione Vigiliae nisi venerit in Feria Quatuor Temporum.

DIE XXVI. SEPTEMB.

In festo S. Eusebii, Papae Confess. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Comm. Confess. Pontif. lxi. praeter seq.

Oratio. Da, quaesumus omnípotens Deus.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

EUSEBIUS natióne Graecus, patre médico, post sanctum Marcéllum Románae Ecclésiae est constitútus Epíscopus. Is haeréticos invénit in Urbe ; quos resipiscéntes, sola mánuum impositióne, Ecclésiae reconciliávit. Cui et e Sardínia accédens nóbilis foemina Restitúta, fílium suum erudiéndum trádidit, quem egrégie fide christiána imbútum baptizávit, suóque nómine insignívit, atque Eusébium nominávit. Dignum plane tanti Pontíficis germen, quo Vercellénsi póstea Epíscopo, fides cathólica in Oriénte propémodum extíncta, laetióre propágine revivísceret. Cum autem Eusébius, una ordinatióne mense Decémbri, Presbyteros trésdecim, Diáconos tres, Epíscopos quatuórdecim per divérsa loca creásset, beáta fine quiévit, sepultúsque est in coemetério Callísti via Appia, sexto Nonas Octobris, sub Constantíno imperatóre. Rexit Ecclésiam annos duos, menses octo, dies séxdecim.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus.

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi.
De S. Eusebio lxx. vi. *edit. Romanae.*

Lectio v.

DEPOSITIONEM sancti Eusébii hódie celebrámus. Quid est depósitio? Non illa útique, quae, sepeliéndis in terra membrórum relíquiis, clericórum mánibus procurátur, sed illa, qua homo vínculis carnálibus absolútus, liber itúrus ad coelum, terrénum corpus expónit. Ipsa plane est depósitio, in qua concupíscere abjícimus, cessámus delínquere, peccáre desínimus, et totum quidquid salúti est grave, quasi abjécta sárcina óneris expónimus. Nam ídeo haec dies pro celebritáte máxima procurátur, quia vere est summa festívitas, mórtuum esse vítiis, soli vigére justítiae.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus enim.

Lectio vi.

UNDE et depositiónis ipsa dies natális dícitur, quod delictórum cárcere liberáti, libertáti náscimur Salvatóris. Sed videámus, sanctus Eusébius cum qua glória ad hanc diem depositiónis advénerit. Voláre non potest, nisi quod purum, leve, atque subtíle est, cujus nec sincéritas intemperántia retardátur, nec alácritas, nec velócitas mole gravátur : gravári autem volátum dico, non tam mole membrórum, quam póndere delictórum. Unde puto étiam in ipsis ávibus ídeo velócius colúmbam pene prae ómnibus volitáre, quod alacritátem, et innocéntiam comitétur. Volávit ergo hac die sanctus Eusébius : aestimémus jam ejus innocéntiam de volátu, et puritátem ejus de ipsa elatióne judicémus. Tamquam colúmba enim in domo Dei degens, assúmpsit spirituáles pennas, et requiévit in monte.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Homilia super Evang. **Homo péregre,** de Communi. lxx. Nona Lectio ex duabus SS. Cypriani, et soc. Mart. et eorum Comm. in Laud.

FESTA OCTOBRIS.

DIE I. OCTOBRIS.

In festo S. Gregorii, Episcopi majoris Armeniae et Martyris. Duplex.

Omnia de Communi unius Martyris. xxvii. praeter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui per beátum Gregórium Pontíficē et Mártyrem tuum Arméniae gentis pópulum, regémque verae fídei lucem recípere tribuísti : da Eccclésiae tuae de tantis gaudére triúmphis, et apud te méritis ejúsdem, et précibus adiuvári. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

GREGORIUS Arméniae régibus cretus, qui primus post sanctum Bartholomaeum Apóstolum in illam provínciam Christi fidem invéxerat, dictus proptérea pátria voce illuminátor, infans clam eréptus ad declinándam necem, qua ejus família petebátur, Caesaraeae Cappadóciae pie est educátus, legémque Christi edóctus baptísmum suscépit. Secésserat illuc Teridátes fílius Cusarónis Armenórum regis ab Anach Gregórii patre dolóse interémpti, a Persis regno spoliátus, cui Gregórius patérni scéleris bene cónscius se in servitútem trádidit, et cum eo, qui jam a Románis regnum recuperáverat, deínde in Arméniam rédiit, ubi a Teridáte saepius tentátus ut idólis sacrificáre vellet, quum constantíssime renuísset, innúmera pene, et incredibília tormentórum génera subíre coáctus est.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : ℣. Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum.—Et dedit.

Lectio v.

ARCTA primum custódia Gregórium inclúsit Teridátes ; tunc manus ejus latéribus sic alligári jussit, ut extárent cúbiti, et camum ori ejus ínseri, massásque excísi salis dorso ejus impóni, constrictúmque loro circa pectus fórtiter stringénte suspéndi celsíssime

loco. Mansit autem sic suspénsus septem diébus, post quos, quum in sua senténtia permanéret, ex uno pede suspénsus coáctus est fumum haurire excitátum ex fimo graveolénte, dum intérea fórtiter caedebátur báculis húmidis. Inter haec enixis Deum précibus exorávit pro salúte ómnium, praesértim gentis Arméniae, atque ut sibi constántiam pro fide tribúeret. Hanc rex demirátus quidem, crudélius tamen desaeviit, mandavítque afférri lignórum truncos, et compóni tábulas super anterióres partes pedum ejus, eásque fúnibus nodósis vehemén-ter constríngi donec deflúeret sanguis per summitátes digitórum. Cólaphis ínsuper contúsus fuit, et caput ejus artificiósae cóchleae impósitum, et admóta nari ejus fístula effúsa sunt sal, nitrum et acétum simul commixta. Multa simília et pejóra crudelitátis génera perpéssus est, ádeo ut rex ipse veheménter mirarétur mansísse vivum, et níhili fecísse dolóres intensos.

℟. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, Dñe, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam praeveníst eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.— Et.

Lectio vi.

QUUM autem quidam ex sátrapis regem allocútus illi manifestásset Gregórium fíliũ esse Anach interfectóris patris ejus Cusarónis, jussit illum mánibus, pedibúsque et collo vinctum perdúci in provínciam Ararat, trudíque in vérticem castri Artáxat, demittíque in ínfimum hiátum donec ibídem morerétur. Deus vero, qui e tantis torméntis vivum illum eripúerat, ex hoc páriter servávit incólumen, et post longum tempus Teridátem ipsum velut álterum Nabuchodónosor tentatióne probátũ ad fídei lumen addúxit, quem Gregórius jejúnio purgátum Deo per baptísmum reconciliávit. Itaque facta potestáte públice praedicándi Christi Evangéliũ, majóris Arméniae gentem in fide erudívit, et sacro fonte lustrávit, Ecclesiásque undequáque eréxit destrúctis superstitiónis simulácris, templísque eórum evérsis. Caesaraeae ordinátus suae gentis Archiepíscopus, impénsius Arménos divína doctrína instrúxit, atque in fide suscépta confirmávit. Quiétis tandem ac divíni ótii cupidíssimus in solitúdinem se recépit, ubi jejúnio et contemplatióni déditus, méritis cumulátus in

bona senectúte obdormívit in Dño Constantíno magno imperatóre. Corpus illíus Christiáni ex Arménia fugiéntes in Itáliam transtulérunt ; caput cum caténis quibus vinctus fúerat Neápoli, Bráchium vero in cathedráli Neritonénsi collocátum fuit.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitae et intellléctus : et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum.—Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In tertio Nocturno, Homilia in Evang. Si quis venit, de Commúni Pontificis Martyris primo loco. xxxiv.

DIE V. OCTOBRIS.

In festo S. Gallae, Viduae. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Communi nec Virginis nec Martyr. cxxiii. praeter sequentia.

Oratio.

OMNIPOTENS, et miséricors Deus, qui beátam Gallam exímia in páuperes dilectiónis virtúte decorásti ; ejus méritis, et précibus concéde, ut charitátis ópera exercéntes, misericórdiam tuam cónsequi mereámur. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex libro IV. Dialogórum S. Gregórii Papae.

Lectio iv.

GOTHORUM tempóribus, Galla hujus Urbis nobilíssima puélla, Symmachi cónsulis, ac patrítii fília, intra adolescéntiae témpora maríto trádita, in uníus anni spátio ejus est morte viduáta. Quam dum fervénte mundi cópia ad iterándum thálamum et opes, et aetas vocárent, elégit magis spirituálibus núptiis populári Deo, in quibus a luctu incípitur, sed ad gáudia aetérna pervenítur, quam carnálibus núptiis súbjici, quae a laetítia semper incípiunt, et ad finem cum luctu tendunt.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et dedúcet te mirabíliter.

Lectio v.

NOX ergo ut ejus marítus defúnctus est, abjécto saeculári hábitu, ad omnipoténtis Dei servítium sese apud beáti Petri Apóstoli ecclésiam monastério

trádidit; ibíque multis annis simplicitáti cordis, atque oratióni dédita, larga indigéntibus ópera eleemosynárum impéndit. Cumque omnípotens Deus perénnĕ jam mercédem réddere ejus labóribus decrevísset, cancri úlcere in mamílla percússa est. Noctúrno autem témpore ante lectum ejus duo candelábra lucére consuéverant, quia vidélicet amíca lucis, non solum spirituáles, sed étiam corporáles ténebras ódio habébat. Quae dum nocte quadam ex hac eádem jacéret infirmitáte fatigáta, vidit beátum Petrum Apóstolum inter útraque candelábra ante suum lectum consisténtem, nec pertérrita tímuit, sed ex amóre sumens audáciam exultávit, eíque dixit: quid est, Dómine mi, dimíssa sunt mihi peccáta mea? cui ille, benignissimi, ut est, vultus, inclináto cápite, ánnuit, dicens: dimíssa, veni.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam.—Proptérea.

Lectio vi.

SED quia quamdam sanctimoniálĕ foeminam in eódem monastério prae caeteris diligébat, íllico Galla subjúnxit: rogo, ut soror Benedícta mecum véniat. Cui ille respóndit: non, sed illa talis véniat tecum; haec vero, quam petis, die erit trigésimo secutúra. His ítaque explétis, vísio Apóstoli assisténtis, et colloquéntis ei abláta est. At illa prótinus cunctae congregatiónis accívit matrem, eíque quid víderit, quidve audíerit, indicávit. Tértio autem die cum ea, quae jussa fúerat, soróre defúncta est, illa vero, quam ipsa popóscerat, die est trigésimo subsecúta. Quod factum nunc usque in eódem monastério manet memorábile, sicque hoc a praecedéntibus mátribus tráditum narráre illic solent subtíliter junióres, quae nunc sunt sanctimoniáles vírgines, ac si illo in témpore huic tam grandi miráculo et ipsae adfuíssent.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: * Múlier timens Deum ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.—Múlier timens Deum. Glória Patri. Múlier timens Deum.

In tertio Nocturno, Homilia sancti Gregorii in Evang. Símile est regnum coelórum thesáuro, de Communi. cxxvi.

Nona Lectio SS. Placidi et sociorum Martyrum, cum eorum Commem. in Laudibus.

DIE VII. OCTOBRIS.

In festo S. Marci, Papae Confess. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Comm. Conf. Pontificis. lxi. praeter seq.

Oratio.

EXAUDI Dñe preces nostras, et interveniénte beáto Marco Confessóre tuo, atque Pontífice, indulgéntiam nobis tríbue placátus et pacem. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

MARCUS Románus, Constantíno magno imperatóre Póntifex, instítuit, ut Epíscopus Ostiénsis, a quo Románus Póntifex consecrátur, pállio uterétur. Duas Romae basílicas aedificávit, álteram in Urbe, álteram via Ardeatína : quas Constantínus auctas, magnis munéribus exornávit. Vixit in pontificátu menses octo, sepultúsque est in coemetério Balbínae.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus.

Sermo S. Gregórii Papae.

2. *part. past. c.* 1.

Lectio v.

TANTUM debet actiónem pópuli áctio transcéndere Praesulis, quantum distáre solet a grege vita pastóris. Opórtet namque, ut metíri se sollícite stúdeat, quanta teténdae rectitúdinis necessitáte constríngitur, sub cujus aestimatióne pópulus grex vocátur. Sit ergo (necésse est) cogitatióne mundus, actióne praecípuus, discrétus in siléntio, útilis in verbo, síngulis compassióne próximus, prae cunctis contemplatióne suspénsus, bene agéntibus per humilitátem sócius, contra delinquéntiũ vítia per zelum justítiae eréctus, internórum curam in exteriórum occupatióne non mínuens, exteriórum providéntiam in interiórum sollicitúdine non relínquens.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea :* Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus enim mea.

Lectio vi.

CONSIDERANDUM quoque est, quia cum curam pópuli eléctus Praesul súscipit quasi ad aegrum médicus accédit. Si ergo adhuc in ejus córpore passiónes vivunt, qua praesumptióne percússum medéri próperat, qui in fácie vulnus portat? Ille ígitur modis ómnibus debet ad exémplum bene vivéndi pértrahi, qui cunctis carnis passiónibus móriens jam spirituáliter vivit; qui próspera mundi postpónit; qui nulla advérsa pertiméscit; qui sola intérna desíderat. Cujus intentióni bene cóngruens, nec omníno per imbecillitátem corpus, nec valde per contumáciam repúgnat spíritus, qui ad aliéna cupiénda non dúcitur, sed própria largítur.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Homilia super Evang. Vigiláte, ut in Communi. lxxv.

In Laudibus fit Comm. SS. Sergii et soc., Mart.

DOMINICA II.

Octobris.

Maternitatis B. M. V.

Duplex majus.

Pro aliquibus locis.

AD VESPERAS.

Ant. Beáta es Virgo María, cum reliquis de Laudibus ut infra. cclii. Psalmi ut in festis B. M. V. clviii.

Capitulum. *Eccli. c.* xxiv.

QUI creávit me, requiévit in tabernáculo meo: et dixit mihi: In Jacob inhábita, et in eléctis meis mitte radíces.

Hymnus. Ave maris stella. clx.

℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Ad Magnificat, Antiphona. Cum jucunditáte Maternitátem beátae Maríae semper Vírginis celebrémus.

Oratio.

DEUS, qui de beátae Maríae Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte carnem suscípere voluísti: praesta supplícibus tuis, ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio Dominicae occurrentis.

In fine Hymnorum ad Laudes, et per Horas dicitur :

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna saecula.
Amen.

AD MATUTINUM.

Invitator. Maternitátem beátae Maríae Vírginis celebrémus :* Christum ejus Fílium adorémus Dñum.

Ps. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

COELO Redémptor praetulit
Felícis alvum Vírginis,
Ubi cadúca membra
Mortále corpus índuit.

Haec Virgo nobis édidit
Nostrae salútis áuspicem,
Qui nos redémit sánguine,
Poenas, crucémque pértulit.

Spes laeta nostro e péctore
Pellat timóres ánxios :
Haec quippe nostras lácrymas,
Precésque defert Fílio.

Voces Paréntis éxcipit,
Votísque natus ánnuit,
Hanc quisque semper díligat,
Rebúsque in arctis ínvocet.

Sit Trinitáti glória,
Quae Matris intáctum sinum
Ditávit almo gérmine,
Laus sit per omne saeculum. Amen.

Añae et Psalmi Nocturn. ut in festis B. M. V. clxi.

In primo Nocturno.

De libro Ecclesiástici.

Lectio i. *Cap.* xxiv.

EGO ex ore Altíssimi prodívi primogénita ante omnem creatúram. Ego feci in coelis, ut orirétur lumen indéficiens, et sicut nébula texi omnem terram. Ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis. Gyrum coeli circuívi sola, et profúndum abyssi penetrávi : in flúctibus maris ambulávi, et in omni terra steti, et in omni pópulo, et in omni gente primátum hábui ; et ómnium excelléntium et humílium corda virtúte calcávi : et in his ómnibus réquiem quaesívi, et in haereditáte Dómini morábor.

℟. Felix es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima :* Ex qua ortus est sol justítiae Christus Deus noster, per quem salváti et redémpti sumus. ℣. Maternitátem beátae Maríae Vírginis cum gáudio celebrémus.—Ex qua ortus est.

Lectio ii.

TUNC praecépit, et dixit mihi Creátor ómnium : et qui creávit

me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi : In Jacob inhábita, et in Israël haereditáre, et in eléctis meis mitte radíces. Ab inítio, et ante saecula creáta sum, et usque ad futúrum saeculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso minístrávi. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei haeréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. Sine tactu pudóris invénta es Mater Salvatóris :* Qui coelum, terrámque regit, in tua se clausit víscera factus homo. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.—Qui coelum.

Lectio iii.

QUASI cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion. Quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosae in Jéricho. Quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans odórem dedi, quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris, et quasi storax, et gálbanus, et úngula, et gutta et quasi Líbanus non incísus vaporávi habitatiónem meam, et quasi bálsamum non mixtum odor meus. Ego quasi terebínthus exténdi ramos meos, et rami mei honóris, et grátiae. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris.

℟. Multae fíliae congregavérunt divítias, tu supergréssa es univérsas :* Speciósa facta es, et suávis in delíciis tuis, sancta Dei Génitrix. ℣. Séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Maternitátem. — Speciósa. Glória Patri. Speciósa.

In secundo Nocturno.

Ex Sermóne sancti Leónis Papae.

Serm. 1 *de Nativ. Domini.*

Lectio iv.

VIRGO régia Davídicae stirpis elígitur, quae sacro gravidánda foetu, divínam, húmanámque prolem prius concíperet mente, quam córpore : et ne supérni ignára consílii ad inusitátos pavéret affátus, quod in ea operándum erat a Spíritu sancto, collóquio dídicit Angélico, nec damnum crédidit pudóris Dei Génitrix mox futúra. Cur enim de conceptiónis novitáte despéret,

cui efficéntia de Altíssimi virtúte promíttitur? Confirmátur credéntis fides étiam praeeúntis attestatióne miráculi. Donátur Elísabeth inopináta foecúnditas, ut qui concéptum déderat stérili, datúrus non dubitarétur et Vírgini. Verbum ígitur Dei Fílius, qui in princípio erat apud Deum, per quem facta sunt ómnia, et sine quo factum est nihil, propter liberándum hóminem ab aetérna morte, factus est homo.

℟. Gloriósae Vírginis Maríae Maternitátem digníssimam recolámus : * Cujus Dóminus humilitátē respéxit, quae, Angelo nuntiánte, concépit Salvatórem mundi. ℣. Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte mirábilis Genitrícis Dei.—Cujus.

Serm. 2. de Nativ. Domini.

Lectio v.

INGREDITUR haec ínfima Jesus Christus Dóminus noster de coeli sede descéndens, et a patérna glória non recédens, novo órdine, nova nativitáte generátus. Novo órdine, quia invisíbilis in suis, visíbilis factus est in nostris : incomprehensíbilis vóluit comprehéndi, ante témpora manens, esse coepit in témpore. Nova autem nativitáte génitus est : concéptus a Vírgine, natus ex Vírgine, sine patérnae carnis concupiscéntia, sine matérnae integritátis injúria, quia futúrum hóminum Salvatórem talis ortus decébat, qui et in se habéret humánae substántiae natúram, et humánae carnis inquinaménta nescíret. Orígo dissímilis, sed natúra consímilis : humáno usu, et consuetúdine, quod crédimus, caret ; sed divína potestáte subníxum est, quod Virgo concéperit, Virgo pepérerit, Virgo permansérit.

℟. Benedícta fília tu a Dómino, quia per te fructum vitae communicávimus. * Sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo. ℣. Nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus nostris, et a perículis cunctis líbera nos sancta Dei Génitrix.—Sola.

Lectio vi.

OPORTUIT, ut primam Genítricis integritátem Nascéntis incorrúptio custodíret, et complácitum sibi claustrum pudóris, et sanctitátis hospítium divíni Spíritus virtus infúsa serváret, quae statúerat dejécta erígere, confrácta solidáre, et superándis carnis illécebris multiplicátam pudicítiae donáre virtútem ; ut virgínitas,

quae in áliis non póterat salva esse generándo, fíeret áliis imitábilis renascéndo. Hoc ipsum autem, quod Christus nasci éligit ex Vírgine, nonne appáret altíssimae fuísse ratiónis ? ut scílicet humáno géneri natam salútem diábolus ignoráret, et spirituáli laténte concéptu, quem non álium vidéret, quam álios, non áliter créderet natum esse, quam caeteros. Quod ut fíeret, éditus est Christus ex Vírgine, quam Spíritus sanctus foecundávit, et cum in ómnibus mátribus non fiat sine peccáti sorde concéptio, haec inde purgatiónem traxit, unde concépit.

℟. Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui : * Unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me? ℣. Respéxit humilitátem ancíllae suae, et fecit mihi magna, qui potens est. — Unde. Glória Patri. Unde.

In tertio Nocturno.

℣. Fecit mihi magna, qui potens est. ℟. Misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* iii.

IN illo témpore : Cum redírent, remánsit puer Jesus in Jerúsalem, et non cognovérunt paréntes ejus. Et réliqua.

Homília sancti Bernárdi Abbatis.

Homilia i. *de Laudibus Virginis Matris.*



EUM et Dóminum Angelórum María suum fílium appéllat, dicens : Fili, quid fecísti nobis sic ? Quis hoc áudeat Angelórum ? Súfficit eis, et pro magno habent, quod cum sint spíritus ex conditióne, ex grátia facti sint et vocáti Angeli, testánte David : qui facit Angelos suos spíritus. María vero Matrem se agnóscens, majestátem illam, cui illi cum reveréntia sérviunt, cum fidúcia suum núncupat fílium : nec dedignátur nuncupári Deus, quod esse dignátus est. Nam paulo post subdit Evangelísta : Et erat súbditus illis. Quis? quibus? Deus homínibus. Deus, inquam cui Angeli súbditi sunt, cui principátus, et potestátes obédiunt, súbditus erat Maríae.

℟. Beáta es, Virgo María Dei Génitrix, quae credidísti Dómino, perfécta sunt in te, quae dicta sunt tibi : * Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis : intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum.—Proptérea. Bened.

Cujus festum cólimus ipsa Virgo vírginu

Lectio viii.

QUIRARE utrúmlibet, et élige quod ámplius miréris, sive Fílii benignissimam dignatiónem, sive Matris excellentíssimã dignitátem. Utrínque stupor, utrínque miráculum. Et quod Deus foeminae obtémperet, humílitas absque exémplo : et quod Deo foemina principétur, sublímitas sine sócio. In láudibus Vírginũ singulariter cánitur quod sequúntur Agnum quocúmque íerit. Quibus ergo láudibus, júdicas dignam, quae étiam praeit ? Disce homo obedíre, disce terra subdi, disce, pulvis obtemperáre. De Auctóre tuo loquens Evangelísta : Et erat, inquit, súbditus illis. Erubésce, supérbe cinis : Deus se humíliat, et tu te exáltas : Deus se homínibus subdit, et tu dominári géstiens homínibus, tuo te praepónis Auctóri ? ¶ Felix María, cui nec humílitas défuit, nec virgínitas, et quidem singuláris virgínitas, quam non temerávit, sed honorávit foecúnditas. Et nihilóminus speciális humílitas, quam non ábstulit, sed éxtulit foecúnda virgínitas : et incomparábilis prorsus foecúnditas, quam virgínitas simul comitátur et humílitas. Quid horum non mirábile ? quid non incomparábile ? Quid non singuláre ? Mirum vero si non haesitas in horum ponderatióne, quid tua júdices dígnius admiratióne, utrum vidélicet pótius stupénda sit foecúnditas in Vírgine, an in Matre intégritas : sublímitas in prole, an cum tanta sublimitáte humílitas. Nisi quod indubitánter horum síngulis praeferénda sunt simul cuncta, et incomparabíliter excelléntius est atque félicius ómnia percepísse, quam áliqua. Et quid mirum, si Deus, qui mirábilis cérnitur, et légitur in Sanctis suis, mirábilem se exhíbuit in Matre sua ? Venerámini ergo, cónjuges, in carne corruptíbili carnis integritátem : Vos sacrae vírgines in Vírgine foecunditátem. Imitámini, omnes hómines, Dei Matris humilitátem.

℣. Congratulámini mihi omnes, qui dilígitis Dóminum, quia, cum essem párvula, plácui Altíssimo : ℟. Et de meis viscéribus génui Deum et hóminem. ℣. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus.— ℟. Et de meis. Glória Patri. ℟. Et de meis.

Nona Lectio de Homilia Dominicae occurrentis.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Antiphonae.

1. Beáta es Virgo María, * quae ómnium portásti creatórem. Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis de Dominica. 18.

2. Genuísti, qui te fecit, * et in aetérnum pérmanes Virgo.

3. Beátam me dicent * omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Dóminus.

4. Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

5. Vidérunt eam * fíliae Sion, et beátam dixérunt, et regínae laudavérunt eam.

Capitulum. *Eccli.* xxiv.

QUI creávit me, requiévit in tabernáculo meo: et dixit mihi: In Jacob inhábita, et in eléctis meis mitte radíces.

Hymnus.

TE Mater alma Núminis
Orámus omnes súpplices,
A fraude nos ut daemonis
Tua sub umbra prótegas.

Ob pérditum nostrum genus,
Primi paréntis crímine,
Ad ínclytum Matris decus
Te Rex suprémus éxtulit.

Cleménter ergo próspice
Lapsis Adámi pósteris:
A te rogátus Fílius
Depónat iram víndicem.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna saecula.
Amen.

℣. Germinavit radix Jesse, orta est stella ex Jacob.
℟. Virgo péperit Salvatórem, te laudámus Deus noster.

Ad Bened. Ant. Sancta María succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto foemíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam admirábilem Maternitátem.

Oratio.

DEUS, qui de beátae Maríae Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte carnem suscípere voluísti: praesta supplícibus tuis, ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commem. Dominicae occurrentis.

AD PRIMAM.

Ant. Beáta es Virgo Maria.

In ℟. br. Qui natus es de María Vírgine.

AD TERTIAM.

Ant. Genuísti, qui te fecit.

Capitulum. Qui creávit me, ut supra.

℟. br. Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie tua. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et pulchritúdine. Glória Patri. Spécie.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

AD SEXTAM.

Aña. Beátam me dicent.

Capitulum. *Eccli.* xxiv. *b.*

ET sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei haeréditas illíus, et in plenitúdine Sanctórum deténtio mea.

℟. br. Adjuvábit eam, * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvábit.

℣. Elégit eam Deus, et praeelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

AD NONAM.

Aña. Vidérunt eam.

Capitulum. *Eccli.* xxiv. *b.*

IN platéis sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi, quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. br. Elégit eam Deus, * Et praeelégit eam. Elégit.

℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

In secundis Vesperis omnia ut in primis. ccxlvii.

Ad Magnif. Aña. Matérnitas tua, Dei Génitrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo ; ex te enim ortus est sol justítiae, Christus Deus noster,

Et fit Commemoratio Dominicae occurrentis.

DOMINICA III.

Octobris.

In festo Puritatis B. M. V. Duplex.

Pro aliquibus locis.

AD VESPERAS.

Aña. Sicut lílium inter spinas, cum reliquis de Laudibus ut infra. cclx. Psalmi ut in festis B. M. V. clviii.

Capitulum. *Sap. c.* iv.

QUAM pulchra est casta generátio cum claritáte ! immortális est enim memória illíus, quóniam et apud Deum nota est, et apud hómines.

Hymnus.

PRAECLARA custos vírginum
Intácta Mater Núminis,

Cœléstis aulae jánua,
Spes nostra, coeli gáudium.
Inter rubéta lílium
Colúmba formosíssima,
Virga e radíce gérminans
Nostro medélam vúlneri.
Turris dracóni impérvia,
Amíca stella náufragis,
Tuére nos a fráudibus,
Tuáque luce dírige.
Erróris umbras díscute,
Syrtes dolósas ámove,
Fluctus tot inter, déviis
Tutam reclúde sémitam.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus est de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna saecula.
Amen.

Haec conclusio dicitur in fine omnium Hymnorum.

℣. Cum jucunditáte virginitátem beátae Maríae semper Vírginis celebrémus. ℟. Ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

Ad Magnif. Aña. Nihil inquinátum in eam incúrrit: candor est lucis aetérnae, et spéculum sine mácula.

Oratio.

DA quaesumus, omnípotens aetérne Deus, ut puríssimae Vírginis Maríae integérrimam Virginitátem festíva celebritáte veneránte, ejus intercessióne, puritátem mentis, et córporis consequámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Dominicae occurrentis.

AD MATUTINUM

Invitator. Virginitátem Deíparae celebrémus: * Christum ejus Fílium adorémus Dóminum. Psalmus. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

O STELLA Jacob fúlgida,
O solis instar spléndida
Auróra, qua nil púrius
Refúlget inter sídera.
Stolis amíctae cándidis
Tibi catérvae coelitum
Plaudunt, sacraeque Vírgines
Laudes perénnes cóncinunt.
Quin obsequéntes ófferunt
Ligústra, et alba lília:
Candor sed horum víncitur
Candóre casti péctoris.
Nostra Angelórum láudibus
Abjécta tellus ássonans
Ad astra voces éfferat,
Et Vírginis praecónia.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna saecula.
Amen.

Añae et Psalmi Nocturnorum ut in festis B. Mariae Virginis. clxi.

In primo Nocturno.

℣. Venérunt mihi ómnia bona páriter cum illa. ℟. Et innumerábilis honéstas per manus illíus.

De Cánticis Canticórum.

Lectio i. *Cap.* ii.

EGO flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi, et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me charitátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis, quia amóre lángueo. Laeva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos fíliae Jerúsalem, per cápreas, cervósque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, quoadúsque ipsa velit. Vox dilécti mei, ecce iste venit sáliens in móntibus, transíliens colles: símilis est diléctus meus cápreae, hinnulóque cervórum. En ipse stat post paríetem nostrum, respíciens per fenéstras, prospíciens per cancéllos. En diléctus meus lóquitur mihi. Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni.

℣. Diléctus meus mihi, et ego illi, qui páscitur inter lília: * Pulchra es, amíca mea, suávis, et decóra sicut Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta. ℣. Una es colúmba mea, perfécta mea. Vidérunt eam fíliae Sion, et beatíssimam praedicavérunt.—Pulchra.

Lectio ii. *Cant.* iv.

QUAM pulchra es amíca mea, quam pulchra es! óculi tui columbárum, absque eo, quod intrínsecus latet. Capílli tui sicut greges caprárum, quae ascendérunt de monte Gálaad, dentes tui sicut greges tonsárum, quae ascendérunt de lavácro, omnes geméllis foetibus, et stérilis non est inter eas. Sicut vitta coccínea lábia tua, et elóquium tuum dulce. Sicut fragmen mali púnici, ita genae tuae. Sicut turris David collum tuum, quae aedificáta est cum propugnáculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. Duo úbera tua sicut duo hínnuli cápreae gemélli, qui pascúntur in líliis; donec aspíret dies, et inclinéntur umbrae. Vadam ad montem myrrhae, et ad collem thuris. Tota pulchra es, amíca mea, et mácula non est in te.

℣. Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni: * Jam hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit: flores apparuérunt in terra nostra. ℣. Surgam, et circuíbo civitátem,

per vicos, et platéas quaeram, quem díligit ánima mea.—Jam hiems.

Léctio iii. *Eod. c.* iv.

VENI de Líbano sponsa mea, veni de Líbano, veni : coronáberis de cápite Amana, de vértice Sanir, et Hermon, de cubílibus leónum, de móntibus pardórum. Vulnerásti cor meum, soror mea sponsa, vulnerásti cor meum in uno oculórum tuórum, in uno crine colli tui. Quam pulchrae sunt mammae tuae, soror mea sponsa ! Pulchrióra sunt úbera tua vino, et odor unguentórum tuórum super ómnia arómata. Favus distíllans lábia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua : et odor vestimentórũ tuórum, sicut odor thuris. Hortus conclúsus, soror mea sponsa, hortus conclúsus, fons signátus.

℟. Adjúro vos, fíliae Jerúsalem, si invenéritis diléctum meum, ut nuntiétis ei, quia amóre lángueo. * Qualis est diléctus tuus, o pulchérrima mulíerum ? ℣. Diléctus meus cándidus, et rubicúndus, eléctus ex míllibus. Talis est diléctus meus, ipse est amícus meus, fíliae Jerúsalem. — Qualis. Glória Patri. Qualis.

In secundo Nocturno.

℣. Post partum Virgo invioláta permansísti. ℟. Dei Génitrix intercéde pro nobis.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi de Virgínibus.

Léctio iv. *Lib.* ii. *post init.*

SIT vobis tamquam in imágine descrípta Virgínitas, vítaque beátae Maríae, de qua, velut in spéculo, refúlget spécies castitátis, et forma virtútis. Hinc sumátis licet exémpla viréndi : ubi, tamquam in exemplári, magistéria exprássa probitátis, quid corrígere, quid effúgere, quid tenére debeátis, osténdunt. Primus discéndi ardor nobílitas est magístri. Quid nobílius Dei Matre? Quid splendídius ea, quam splendor elégit? Quid cástius ea, quae corpus sine córporis contagióne generávit?

℟. Beatíssima Virgo María, hortus conclúsus, fons signátus, Regína Angelórum, Dómina mundi, * Per quam Deus descéndit in terras, ut hómines ascéndere merereántur ad coelos. ℣. Ad te clamámus éxules fílii Hevae : recordáre nostri sanctíssima Virgo.— Per quam.

Léctio v.

DE caeteris ejus virtútibus quid loquar ? Virgo erat non solum córpore, sed étiam mente, quae nullo doli ámbitu sincérum

adulteráret affféctum. Corde húmilis, verbis gravis, ánimo prudens, loquéndi párcior, legéndi studiósior, non in incérto divitiárum, sed in prece páuperis spem repónens; inténta óperi, verecúnda sermóne, árbitrum mentis sólita non hóminem, sed Deum quaerere: nullum laedere, bene velle ómnibus, fúgere jactántiam, ratiónem sequi, amáre virtútem.

℟. Beáta María tantae éxtitit puritátis; ut Mater Dómini esse mererétur: * Deus, quam elégerat, creávit, de qua crearétur, elégit. ℣. Ipsa est stella ex Jacob, cujus rádius univérsum orbem illúminat.—Deus.

Ex S. Petro Chrysólogo.

Sermone cxliii. Lectio vi.

HAEC dedit coelis glóriam, terris Deum, fidem géntibus, finem vítiis, vitae órdinem, móribus disciplínam. Grátiam, quam détulit Angelus, accépit Virgo, salútem saeculis redditúra. Vere benedícta Virgo, quae et virginitátis póssidet decus, et Matris dignitátem: vere benedícta, quae et supérni concéptus méruit grátiam, et servávit integritátis corónam. Vere benedícta, quae et divíni gérminis suscépit glóriam, et Regína éxtitit totíus castitátis.

℟. Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Spíritus sanctus supervéniet in te: * Et virtus Altíssimi obumbrábit tibi, ideóque * Quod nascétur ex te sanctum, vocábitur Fílius Dei. ℣. Dixit autem María: Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum. — Et virtus. Glória Patri. Quod.

In tertio Nocturno.

℣. Invenísti grátiam apud Deum. ℟. Sancta Dei Génitrix, Virgo immaculáta.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* i. *c.*

IN illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilaeae, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro. Et réliqua.

Homília sancti Bernárdi Abbátis.

Homil. ii. *super Missus est.*

NOVUM cánticum illud, quod solis dábitur in regno Dei cantáre virgínibus, ipsam vírginum Regínam, imo primam inter caeteras esse cantatúram, nemo est, qui ámbigat. Puto autem illam, praeter illud, quod solis licet, cum ómnibus tamen virgínibus ei, ut dixi, commúne erit, dulcióri quodam, atque elegantióri

cármine laetificatúram esse civitátem Dei. Hujus ítaque dulcísonos deprómere vel exprímere módulos ne ipsárum quidem vírginum ulla digna inveniétur, quia mérito decantándum servábitur illi, quae sola de partu, et partu divíno gloriátur. Gloriátur, dixi, de partu, non in se, sed in ipso, quem péperit. Deus síquidem, Deus enim est, quem péperit, Matrem suam in coelestibus donatúrus glória singulári, in terris praevenire curávit et grátia, quia vidélicet ineffabíliter, et intácta concíperet, et páreret incorrúpta.

℣. Egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet : * Ecce Virgo concípiet, et páriet Fílium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel. ℣. Joseph fili David noli timére accípere Maríam cónjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spíritu sancto est. — Ecce.

Lectio viii.

DEUM hujúsmodi decébat natívitas, qua nonnísi de Vírgine nascerétur. Talis congruébat et Vírgini partus, ut non páreret, nisi Deum. Proínde Factor hóminum, ut homo fíeret nascitúrus de hómine, talem sibi ex ómnibus débuit delígere, imo cóndere Matrem, qualem et se decére sciébat, et sibi nóverat placitúram. Vóluit ítaque esse Vírginem, de qua immaculáta immaculátus procéderet, ómnium máculas purgatúrus. Vóluit et húmilem, de qua mitis, et húmilis corde prodíret, harum in se virtútum necessárium ómnibus, saluberrimúmque exémplū ostensúrus. Dedit Vírgini partum, qui ei jam ante et virginitátis inspiráverat votum, et humilitátis praerogáverat méritum. Ut igitur, quae Sanctum Sanctórum conceptúra erat páriter, et paritúra, sancta esset córpore, accépit donum virginitátis ; ut esset et mente, accépit donum humilitátis. ¶ O admirábilem, et omni honóre digníssimam Vírginem ! O foeminam singuláriter venerándam, super omnes foeminas admirábilem, paréntum reparatrícem, posterórum vivificatrícem ! Missus est Angelus ad Vírginem, Vírginem carne, Vírginem mente, Virginem professióne, Vírginem dénique, qualem descríbit Apóstolus, mente, et córpore sanctam ; nec nóviter, nec fortúito invéntam, sed a saeculo eléctam, ab Altíssimo praecógnitam, et sibi praeparátam, ab Angelis servátam, a Pátribus praefigurátam, a Prophétis promíssam.

℟. Beáta Dei Génitrix María, templum Dómini, sacrárium Spíritus sancti : * Sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo. ℣. Genuísti qui te fecit, et in aetérnum pérmanes Virgo. — Sola sine exémplo. Glória Patri. Sola sine exémplo.

Nona Lectio de Homilia Dominicae occurrentis.

Si vero transferri contingat, Lectio nona incipit a signo ¶.

AD LAUDES

et per Horas, Aña.

1. Sicut lílium * inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Psalm. Dóminus regnávit, cum reliquis de Dominica. 18.

2. Diléctus meus mihi, * et ego illi, qui páscitur inter lília.

3. Quam pulchra es, * amíca mea, quam pulchra es.

4. Una est colúmba mea, perfécta mea.

5. Vidérunt eam * fíliae Sion, et beatíssimam praedicavérunt.

Capitulum. *Sap. c.* 4.

O QUAM pulchra est casta generátio cum claritáte ! immortális est enim memória illíus, quóniam et apud Deum nota est, et apud hómines.

Hymnus. O gloriósa Vírginum. clxxi.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Ad Bened. Aña Sancta et immaculáta Maríae Virgínitas, quibus te láudibus éfferam néscio, quia per te Redemptórem nostrum suscépimus Dóminum nostrum Jesum Christum.

Oratio.

OA quaesumus omnípotens aetérne Deus, ut puríssimae Vírginis Maríae integérrimam Virginitátem festíva celebritáte veneránte, ejus intercessióne, puritátem mentis et córporis consequámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commem. Dominicae occurrentis.

AD PRIMAM.

Aña. Sicut lílium.

In ℟. br. Qui natus est de María Vírgine.

AD TERTIAM.

Aña. Diléctus meus mihi.

Capit. O quam pulchra, ut supra.

℟. br. Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et pulchritúdine. Glória Patri. Spécie.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

AD SEXTAM.

Aña. Quam pulchra es.

Capitulum. *Eccli.* xxiv. *b.*

ET sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta similiter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei haeréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. br. Adjuvábit eam * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvábit.

℣. Elégit eam Deus, et praeelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

AD NONAM.

Ańa. Vidérunt eam.

Capitulum. *Eccli.* xxiv. *b.*

IN platéis sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans odórem dedi, quasi myrrha eléćta dedi suavitátem odóris.

℟. br. Elégit eam Deus, * Et praeelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et praeelégit. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

In secundis Vesp. omnia ut in primis. ccliv.

Ad Magnif. Ańa. Beáta Dei Génitrix María, Virgo perpétua, sacrárium Spíritus sancti, sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo.

Et fit Commemoratio Dominicae occurrentis.

DIE XXI. OCTOBRIS.

In festo SS. Ursulae et soc., Virg. et Mart. Duplex.

Omnia de Communi Virginum. ciii. praeter sequentia.

In utrisque Vesperis, et in Laudibus ad Bened. Ańa. Prudéntes Vírgines. ℣. Adducéntur. Oratio. Da nobis, quaesumus, de Communi. cvi.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

GRATIANO imperatóre, Flávius Clemens Máximus, román exército in Británnia dux, arrépta tyránnide, imperátor a milítibus acclamátur. Inde cópias in Gállias transmíttens, ab infénsis Gratiáno legiónibus excéptus, impérium sibi corróborat. Cumque Armoricórum úberem regiónem, ejéctis antíquis habitatóribus, Británnicis milítibus, quos secum dúxerat, divisísset, quo novas colónias propagáret in pósteros, Connáni Británnici

réguli, quem Britannórum ducem habébat in exércitu, consílio, missa legatióne in Británniam, síngulis milítibus novis colónis síngulas vírgines conjúgio foederándas póstulat.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Et dedúcet.

Lectio v.

HAUD visa Británniae régulis absúrda petítio. Unde in grátiam novi imperatóris, et quod fílias suas nonnísi gentílibus suis, iísque donátis nova província praedivítibus, honestíssime collocándas scirent, pro número mílitum tótidem deléctae sunt vírgines, quarum princeps erat Ursula, Dionóci Cornúbiae regis fília, desponsáta Connáno duci Britannórum mílitum in exércitu Máximi. Cunctae ígitur Londíni colléctae, impósitae sunt invítae navígiis. Solvéntes nautae, dum Armoricórum regiónem cógitant, a saeva procélla in Germánicum littus dejiciúntur.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Propterea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio iv.

CONTIGIT adésse tunc ibi Hunnórum cópias, quas a Gratiáno imperatóre advérsus Máximum evocátas ferunt. Nacti ígitur Bárbari praeclárum illud vírginum agmen, impoténti libídinis aestu furéntes, in eas írruunt. Sed cum, hortánte Ursula, mortem pótius oppétere, quam virgínei pudóris jacturam pati, invícto ánimi vigóre decrevíssent, Hunni in rábiem immanitátis convérsi, ad unam omnes trucídant. Sicque Ursula super comitárum suárum, velut coeléstiũ margaritárum pretiósum acérvum, gloriósa víctima procúmbens, púrpura pro Christo fusi sánguinis decoráta, triumphatórem tot vírginum exércitum géminis nempe virginitátis et martyrii láureis insígnem ducens, coelum victrix intrávit. Quarum córpora Coloniénses summo honóre condidérunt, earúmque illústrem agónem christiánus orbis florénti semper memória célebrat.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximae ejus, * Afferéntur tibi in laetítia et exultatióne. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere pro-

céde, et regna.—Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tértio Nocturno, Homilia: Saepe vos, fratres, de Communi primo loco. cxvi.

DIE XXII. OCTOBRIS.

In festo S. Pulcheriae Imperatricis, Virginis. Duplex.

Pro aliquibus locis.

Omnia de Communi Virginum. ciii. praeter sequent.

Oratio.

DEUS, qui beátam Pulchériam Vírginem tuam singulári castitátis praerogatíva decorásti, quique illi ad defendéndam Ecclésiam tuam summum fídei amórem tribúere voluísti: concéde, ut ejus intercessióne tibi puris méntibus inhaeréntes, ab ómnium hóstium insídiis misericórditer liberémur. Per Dóminum nostrum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

AELIA Pulchéria Augústa patre, avo, fratre, atque viro Romanórum imperatóribus máxime nóbilis, profligátis sua praesértim ópera haereticórum erróribus, et cathólico dógmate circa Incarnatiónis mystérum, et divínam Maternitátem constitúto multo nobílior, ab ipsa puerítia tanta sapiéntia divínitus praedita fuit, ut ii, quibus post Arcádii patris óbitum impérii procurátio, dum Theodósius adolésceret, commíssa fúerat, ejus arbitrátu ómnia fácerent; essétque constans opínio, uníus puéllulae virtúte ac sapiéntia, quae instáre atque ingrúere videbántur, perícula discússa, et felicitátem império constitútam. Domi assídua disciplínae exáctrix eam vivéndi formam indúxit, ut illa jam non aula imperatórum, sed ascetérium vulgo dicerétur. Theodósium fratrem, Eudóxiam, quam illi matrimónio conjungéndam curávit, Flacíllam, Arcádiam, Marínam soróres ita imbuébat bonis móribus, exercebátque ad virtútem, ut, quibus aetáte non multum praestábat, eórum moderátrix, ac propémodum mater esse viderétur. Qua institutióne soróres quantum profécerint, vel ex hoc uno intélligi potest, quod Pulchériam imitátae, se suámque virginitátem Deo devovérunt: utque Augústa virgo ea, quae decréverat, ámplius confirmáret, omnésque voluntátis suae testes habéret, ex auro et pretiósis lapídibus sacram mensam in eccléSia Constantinopolitána

pro virginitáte sua, et fratris império dedicávit, et in fronte ipsíus mensae haec éadem inscrípsit.

℟. Propter. cclxii.

Lectio v.

POTIOR autem ejus in Theodósio instituéndo elúxit cura; eúmque ubi opus esset, mira quadam dexteritáte corrigébat; qui quidem talis est efféctus, ut absolutíssimum óptimi veréque christiáni príncipis exémplar fúerit, dum Pulchériae consíliis est obsequútus. Post diutúrnam cum fratre concórdiam, turbis malevolórum fraude atque obtrectatióne in aula excitátis, tempus nacta, quo sibi jam uni, Deóque vacáre posset, secéssit in Hebdómum, locum Byzántio suburbánum, ibíque vitam agens pene monásticam aliquámdiu se contínuit; cum vero felícitas impérii una cum ea exuláret, a fratre accersíta, ubi deésse vidit, qui praelia Dómini pugnáret, Debóram imitáta, fide ac religióne armáta procéssit, et missis in omnem partem epístolis hortándo, monéndo, minitándo, non pecúniae, non labóribus parcens digna effécta est, quam patres concílii Chalcedonénsis una ómnium voce atque praecónio custódem fídei, pacis conciliatrícem, expultrícem haereticórum, piam, orthodóxam, novam Hélenam (sicut Marciánum tunc imperatórem novum Constantínum) consalutárent; cuíque sanctus Leo totíus Románae Ecclésiae nómine plúrimum gratularétur, ejúsque causa exultáre se díceret, ac digna Deo vota persólvere, quod de Nestoriána primum impietáte, mox de nefário Eutychétis erróre perémpto, dúplicem illi et palmam contúlerat et corónam.

℟. Dilexísti. cclxii.

Lectio vi.

ATQUE hae tantae curárum moles, quas praesértim in Ephesíno ac Chalcedonénsi concíliis Románorum Pontíficum auctoritáte convocátis necessário suscéperat, níhilo illam ad caetera christiánae pietátis offícia obeúnda fecére segniórem. Assídue coeléstium rerum contemplatióne, sacrórum librórum lectióne, córporis afflictatiónibus sponte susceptis se exercébat, Psalmos de nocte surgens una cum régiae famíliae princípibus decantábat, Dei, ac Sanctórum (quorum et colló quio non semel dignáta est) cultrix exímia; quae étiam summópere semper conténdit, ut erga eórum

relíquias cultus augerétur. Deíparam in primis cóluit, cui hanc ipsam Deíparae appellatiónem contra Nestorianórum blasphémias asséruit ; vóluit namque summa sapiéntiae suae dispositióne divína providéntia, ut per Vírginem summa Vírginis dígnitas inoffénsa pénitus servarétur, quam étiam est imitáta servándo perpétuam in ipso conjúgio virginitátem : cujus dénique cúltui amplificándo complúra templa regáli plane magnificéntia excitávit, donáriis auxit, redítibus locupletávit. In placánda divína justítia mira pietáte enítuit. Fuit erga páuperes misericórdia plane singulári : quos et matérna quadam charitáte compléxa est quoad vixit, et móriens eórum, quae assídua effusíssimaque liberálitas réliqua fécerat, scripsit haerédes. Quod cautum ab ipsa testaménto fuit, diligénter curávit Marciánus, quem pari religiónis stúdio, rebúsque ómnibus império dignissimum ipsa evéxerat ad impérium, sibíque hanc ipsam ob causam, salva quam Deo vóverat virginitáte, cónjugem delégerat. Obiit anno quadringentésimo quinquagésimo tértio, magno ómnium luctu, maximísque sanctórum patrum, caeterorúmque ejus aevi scriptórum láudibus celebráta.

℟. Afferéntur. cclxii.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* xvii. iii.

IN illo témpore : Dixit Jesus, Haec est autem vita aetérna, ut cognóscant te solum Deum verum, et quem misísti Jesum Christum. Et réliqua.

Homilía sancti Cyrílli Alexandríni.

De Fide ad Pulcheriam, et Sorores Reginas.

SANE vos sacras castissimásque Christi ómnium nostrum Salvatóris sponsas, religiosíssimae ac Deo dilectíssimae imperatríces, orbis terrárum ornaméntum, sanctissimarúmque Ecclesiárum decus óptimo jure quisquis appelláverit, in quibus nimírum omne virtútum genus, omnísque ornátus divínae Majestátis óculis gratus, acceptúsque miríce splendet. Neque his ópibus conténtae omnem quoque curam, ómneque stúdium adhibétis, quo fide recta, nullámque in partem vacillánte, excellátis. Neque Christi regnum capéssere, et ea, quae illi grata sunt, fácere, et sentíre omíttitis, partim quidem praecláris

actiónibus; partim rursum cum vestras, tum príncipum quoque vestrórum aulas virginitátis glória condecoránte, partim déniquesumptuosíssima templa Christo Dómino excitántes; nam et hoc quoque pietátis stúdium inter caetera ille sanctis vestris ánimis impertítus est.

℟. Haec est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quae accéptis lampádibus, sumpsit secum óleum:* Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.—Et veniénte.

Lectio viii.

IGITUR ex sacris líteris vobis vere sanctis Christi sponsis (quamquam ad quodvis opus bonum abúnde instrúctae videámini) áliquid deprómam. Hinc étenim et Emmanuélem verum, ac naturálem Deum, et Vírginem Matrem, quae eum péperit, veram ipsam Deíparam esse planum fiet. Ait Christus, haec est vita aetérna, ut cognóscant te solum Deum verum, et quem misísti Jesum Christum. Si cum solíus veríque Dei cognitióne Jesu Christi cognitiónem necessáriam, consociatámque esse opórtet, et hoc ipsum aetérnam vitam concíliat; cui obscúrum esse potest Christum verum esse Deum? Verbum sane caro factum est, sed mansit ínterim Verbum.

℟. Média nocte clamor factus est : * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines aptáte vestras lámpades. Ecce sponsus. Glória Patri. — Ecce sponsus.

Lectio ix.

ET ego claritátem, quam dedísti mihi, dedi eis ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Qualem ítaque glóriam Fílius a Patre accepísse se narrat, quam nobis deínde commúnem fécerit? Sane ipse ab hac quaestióne nos líberat, dum ait, Ut unum sint, sicut et nos unum sumus. Nam etsi Dei Patris Verbum secúndum própriam hypóstasim álius a Patre esse dignoscátur, naturáli tamen identitáte unum plane et idem est cum illo. At quo pacto Verbum illud, unum quoque nobíscum factum est? Ad eúmdem omníno modum, puta, secúndum essentiálem et naturálem identitátem. At cum divína natúra tanto a creatúra distet intervállo, ut secúndum esséntiam cum ea coíre nequáquam váleat, ecquo, inquis, modo secúndum natúram

unum ille factus est nobíscum, qui omnem omníno creatúram excéllit? Verbum factus est homo, ut quemádmodum in Deitáte unum et idem est cum Patre, ita secúndum natúrae humánae habitúdinem sit unum quoque nobíscum.

Te Deum laudámus. 17.

DIE XXIII. OCTOBRIS.

In festo SS. Redemptoris. Duplex.

Pro aliquibus locis.

AD VESPERAS.

Ant. 1. Virgam virtútis suae emíttet Dñus ex Sion, et regnábit in saeculum saeculi. Psalm. Dixit Dóminus Dómino meo. 134.

2. Redemptiónem misit Dóminus pópulo suo: mandávit in aetérnum testaméntum suum. Psalmus. Confitébor. . . . . in concílio. 134.

3. Misericórdia mea, et refúgium meum Dóminus: suscéptor meus, et liberátor meus. Psalmus. Crédidi. 138.

4. Apud Dóminum misericórdia, et copiósa apud eum redémptio. Psalmus. De profúndis. 146.

5. In quacúmque die invocávero te, exáudies me: multiplicábis in ánima mea virtútem. Psalmus. Confitébor. . . . quóniam. 150.

Capitulum. *Tob.* iii.

BENEDICTUM nomen tuum, Deus Patrum nostrórum, qui cum irátus fúeris, misericórdiam fácies, et in témpore tribulatiónis peccáta dimíttis his, qui ínvocant te.

Hymnus.

CREATOR alme síderum,
Ætérna lux credéntium,
Jesu Redémptor ómnium,
Inténde votis súpplicum.

Commúne qui mundi nefas
Ut expiáres, ad crucem
E Vírginis sacrário
Intácta prodis víctima.

Cujus potéstas glóriae,
Noménque cum primum sonat;
Et coelites et ínferi
Treménte curvántur genu.

Qui daemonis ne fráudibus
Períret orbis, ímpetu
Amóris actus, lánguidi
Mundi medéla factus es.

Te deprecámur últimae
Magnum diéi Júdicem,
Armis supérnae grátiae
Defénde nos ab hóstibus.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna saecula.
Amen.

Sic terminantur Hymni ad omnes Horas.

℣. Redemísti nos, Dómine, in sánguine tuo. ℟. Et fecísti nos Deo nostro regnum.

Ad Magnif. Aña. Salus autem mea in sempitérnum erit, et justítia mea in generatiónes generatiónum, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui Unigénitum tuum mundi Redemptórem constituísti, et per eum, devícta morte, nos misericórditer ad vitam reparásti: concéde, ut haec beneficia recoléntes, tibi perpétua charitáte adhaerére, et ejúsdem redemptiónis fructum percípere mereámur. Per eúmdem Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitator. Redemptórem saeculórum, ipsum Regem Angelórum, * Adorémus Dóminum. Psalmus. Veníte, exultémus. 2

Hymnus.

BERUM Creátor óptime,
Rectórque noster áspice:
Nos a quiéte nóxia
Mersos sopóre líbera.

Mentes, manúsque tóllimus,
Prophéta sicut nóctibus
Nobis geréndum praecipit,
Paulúsque gestis cénsuit.

Te, sancte Christe, póscimus,
Ignósce culpis ómnibus:
Ad confiténdum súrgimus,
Morásque noctis rúmpimus.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna saecula.
Amen.

In primo Nocturno.

Aña. Voce mea ad Dóminum clamávi, et exaudívit me de monte sancto suo. Psalm. Dómine, quid multiplicáti sunt. 5.

Aña. Dómine Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra. Psalm. Dómine, Dóminus noster. 6.

Aña. Dóminus in templo sancto suo: Dóminus in coelo sedes ejus. Psalmus. In Dómino confído. 8.

℣. Rédime me Dómine, et miserére mei. ℟. In Ecclésiis benedícam te Dómine.

De Isaía Prophéta.

Lectio i. *Cap.* li.

AUDITE me, qui sequímini, quod justum est, et quaeritis Dóminum, atténdite ad petram, unde excísi estis, et ad cavérnam laci, de qua praecísi estis. Consolábitur ergo Dóminus Sion, et consolábitur omnes ruínas ejus, et ponet desértum ejus qua-

si delícias, et solitúdinem ejus quasi hortum Dómini. Gáudium, et laetítia inveniétur in ea, gratiárum áctio, et vox laudis. Atténdite ad me pópule meus, et tribus mea me audíte: quia lex a me éxiet, et judícium meum in lucem populórum requiéscet. Prope est Justus meus, egréssus est Salvátor meus, et bráchia mea pópulos judicábunt: me ínsulae expectábunt, et bráchium meum sustinébunt.

℟. Vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum, et elevátum: et plena erat omnis terra majestáte ejus: * Et ea, quae sub ipso erant, replébant templum. ℣. Séraphim stabant super illud: sex alae uni, et sex alae álteri.—Et ea.

Lectio ii

LEVATE in coelum óculos vestros, et vidéte sub terra deórsum: quia coeli sicut fumus liquéscent, et terra sicut vestiméntum atterétur, et habitatóres ejus sicut haec interíbunt: salus autem mea in sempitérnum erit, et justítia mea non defíciet. Audíte me, qui scitis justum; pópulus meus, lex mea in corde eórum: nolíte timére oppróbrium hóminum, et blasphémias eórum ne metuátis. Sicut enim vestiméntum, sic cómedet eos vermis: et sicut lanam, sic devorábit eos tínea: salus autem mea in sempitérnum erit, et justítia mea in generatiónes generatiónum.

℟. Aspice Dómine de sede sancta tua, et cógita de nobis: inclína Deus meus aurem tuam et audi.* Aperi óculos tuos, et vide tribulatiónem nostram. ℣. Qui regis Israël, inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph.—Aperi.

Lectio iii.

CONSURGE, consúrge, indúere fortitúdinem bráchium Dómini: consúrge sicut in diébus antíquis, in generatiónibus saeculórum. Numquid non tu percussísti supérbum, vulnerásti draconem? Numquid non tu siccásti mare, aquam abyssi veheméntis: qui posuísti profúndum maris viam, ut transírent liberáti? Et nunc qui redempti sunt a Dómino, reverténtur, et vénient in Sion laudántes, et laetítia sempitérna super cápita eórum, gáudium, et laetítiam tenébunt, fúgiet dolor, et gémitus. Ego, ego ipse consolábor vos. Quis tu, ut timéres ab hómine mortáli, et a fílio hóminis, qui quasi foenum ita aréscet? Et oblítus es Dómini factóris tui, qui teténdit coelos,

et fundávit terram ; et formidásti júgiter tota die a fácie furóris ejus, qui te tribulábat, et paráverat ad perdéndum : ubi nunc est furor tribulántis? Cito véniet grádiens ad aperiéndum, et non interfíciet usque ad interneciónem, nec defíciet panis ejus. Ego autem sum Dóminus Deus tuus.

℟. Deus, qui sedes super thronum, et júdicas aequitátem, esto refúgium páuperum in tribulatióne.* Quia tu solus labórem, et dolórem consíderas. ℣. Tibi enim derelíctus est pauper, pupíllo tu eris adjútor.— Quia tu. Glória Patri. Quia tu.

In secundo Nocturno.

Ańa. Suscépimus Deus misericórdiam tuam in médio templi tui. Psalm. Exáudiat te Dóminus. 16.

Ańa. Tu es ipse Rex meus, qui mandas salútes in Jacob. Psalmus. Dómini est terra. 32.

Ańa. Immola Deo sacrifícium laudis, et redde Altíssimo vota tua. Psalmus. Deus noster refúgium. 70.

℣. Meménto nostri, Dómine, in beneplácito pópuli tui. ℟. Vísita nos in salutári tuo.

Sermo S. Leónis Papae.
Serm. 1. *de jejunio* x. *mensis et collectis.*

Lectio iv.

Si fidéliter, dilectíssimi, atque sapiénter creatiónis nostrae intelligámus exórdium, inveniémus hóminem ídeo ad imáginem Dei cónditum, ut imitátor sui esset auctóris : et hanc esse naturálem nostri géneris dignitátem, si in nobis quasi in quodam spéculo, divínae benignitátis forma resplándeat. Ad quam quotídie nos útique réparat grátia Salvatóris, dum quod cécidit in Adam primo, erígitur in secúndo. Causa autem reparatiónis nostrae non est, nisi misericórdia Dei ; quem non diligerémus, nisi prius nos ipse dilígeret, et ténebras ignorántiae nostrae, suae veritátis luce discúteret.

℟. A dextris est mihi Dóminus, ne commóvear.* Propter hoc dilatátum est cor meum, et exultávit lingua mea. ℣. Dóminus pars haereditátis meae, et cálicis mei.—Propter.

Lectio v.

Diligendo ítaque nos Deus, ad imáginem suam nos réparat : et ut in nobis formam suae bonitátis invéniat, dat unde ipsi quoque, quod operátur, operémur, accéndens scílicet méntium nostrárum lucérnas, et igne nos suae

charitátis inflámmans, ut non solum ipsum, sed étiam quidquid díligit, diligámus. Nam si inter hómines ea demum firma amicítia est, quam morum similitúdo sociárit, cum tamen parílitas voluntátum saepe in réprobos tendat affléctus : quantum nobis optándum, atque niténdum est, ut in nullo ab iis, quae Deo sunt plácita, discrepémus? De quo dicit Prophéta : Quóniam ira in indignatióne ejus ; et vita in voluntáte ejus : quia non áliter nobis erit dignitas divínae majestátis, nisi imitátio fuérit voluntátis.

℟. Apud Dóminum misericórdia, * Et copiósa apud eum redémptio. ℣. Húmiles spíritu salvábit.— Et copiósa.

Léctio vi.

DICENTE ítaque Dómino : Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua ; et díliges próximum tuum sicut teípsum, suscípiat fidélis ánima auctóris sui, atque rectóris immarcescíbilem charitátem, totámque se étiam ejus subjíciat voluntáti, in cujus opéribus, atque judíciis nihil vacat a veritáte justítiae, nihil a miseratióne cleméntiae. Quóniam etsi magnis quis labóribus, et multis fatigétur incómmodis, bona est illi causa tolerándi, qui se advérsis vel córrigi intélligit, vel probári.

℟. Rememoráti sunt, quia Deus adjútor est eórum. * Et Deus excélsus Redémptor eórum est. ℣. Et pavit eos in innocéntia cordis sui.— Et Deus excélsus. Glória Patri. Et Deus excélsus.

In tertio Nocturno.

Antiph. Ego autem ad Deum clamávi, et Dóminus salvábit me. Psalmus. Exáudi, Deus, deprecatiónem meam. 81.

Aña. Deus meus, Salvátor meus, salutáre meum, et spes mea in aetérnum. Psalmus. Confitébimur tibi Deus. 74.

Aña. Protéctor noster áspice Deus, et réspice in fáciem Christi tui. Psalmus. Quam dilécta. 106.

℣. Notam fecísti in Géntibus virtútem tuam. ℟. Redemísti in bráchio tuo pópulum tuum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Léctio vii. *Cap.* iii.

IN illo témpore : Dixit Jesus Nicodémo : Nemo ascéndit in coelum, nisi qui descéndit de coelo, fílius hóminis, qui est in coelo. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.
Ex Tractatu in cap. iii. Joannis.

NEMO ascéndit in coelum, nisi qui de coelo descéndit. Descéndit enim, et mórtuus est, et ipsa morte liberávit nos a morte. Morte occísus, mortem occídit. Et nostis, fratres, quia mors ista per diáboli invídiam intrávit in mundum. Deus mortem non fecit, Scriptúra lóquitur : Nec laetátur, inquit, in perditióne vivórum ; creávit enim, ut essent ómnia. Sed quid ibi ait ? invídia autem diáboli mors intrávit in orbem terrárum. Ad mortem a diábolo propinátam non veníret homo vi adáctus ; non enim cogéndi poténtiam diábolus habébat, sed persuadéndi versútiam. Si non consentíres, nihil invéxerat diábolus ; consénsio tua, o homo, te perdúxit ad mortem. A mortáli mortáles nati, et ex immortálibus mortáles facti. Ab Adam omnes hómines mortáles ; Jesus autem Fílius Dei, Verbum Dei, per quod facta sunt ómnia, únicus, aequális Patri, mortális factus est, quia Verbum caro factum est, et habitávit in nobis. Si ergo mortem suscépit, et mortem suspéndit in cruce, de ipsa morte liberántur mortáles. Quod in figúra factum est apud antíquos, commemorávit illud Dóminus.

℟. Laudábilis pópulus, * Quem Dñus exercítuum benedíxit dicens : Opus mánuum meárum tu es : haeréditas mea Israël. ℣. Beáta gens, cujus est Dñus Deus, pópulus eléctus in haereditátem. —Quem.

Lectio viii.

ET sicut, inquit, Móyses exaltávit serpéntem in erémo, ita exaltári opórtet Fílium hóminis : Quis est serpens exaltátus ? Mors Dñi in cruce. Quia enim a serpénte mors, per serpéntis effígiem figuráta est mors. Morsus serpéntum lethális, mors Dómini vitális. Atténditur serpens, ut nihil váleat serpens. Quid est hoc ? Atténditur mors, ut nihil váleat mors. Sed cujus mors ? mors vitae. Nonne vita Christus ? et tamen mórtuus est Christus.

℟. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth : * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt, qui testimónium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spíritus sanctus : et hi tres unum sunt.—Sanctus. Glória Patri. Plena.

Lectio ix.

INTERIM modo, fratres, ut a peccáto sanémur, Christum crucifíxum intueámur : quia sicut Móyses, inquit, exaltávit serpéntem in erémo, ita exaltári opórtet Fílium hóminis ; ut omnis, qui credit in eum, non péreat, sed hábeat vitam aetérnam. Quómodo, qui intuebántur illum serpéntem, non períbant mórsibus serpéntum : sic, qui intuéntur fide mortem Christi, sanántur a mórsibus peccatórum. Sed illi sanabántur a morte ad vitam temporálem : hic autem ait, ut hábeant vitam aetérnam. Hoc enim ínterest inter figurátam imáginem, et rem ipsam : figúra praestábat vitam temporálem ; res ipsa, cujus illa figúra erat, praestat vitam aetérnam.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES

et per Horas, Añae.

1. Cantáte Dómino, * quóniam magnífice fecit : annuntiáte hoc in univérsa terra. Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis de Dominica. 18.

2. Ecce Deus * Salvátor meus, fiduciáliter agam : quia factus est mihi in salútem, allelúia.

3. Hauriétis aquas * in gáudio de fóntibus Salvatóris, et dicétis, Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus.

4. Facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potéstas Christi ejus.

5. Exúlta, et lauda * habitátio Sion : quia magnus in médio tui Sanctus Israël.

Capitulum. *Tob.* iii.

BENEDICTUM nomen tuum, Deus Patrum nostrórum : qui cum irátus fuéris, misericórdiam fácies, et in témpore tribulatiónis peccáta dimíttis his, qui ínvocant te.

Hymnus.

SALUTIS humánae Sator,
Jesu volúptas córdium,
Orbis redémpti Cónditor,
Et casta lux amántium.

Qua victus es cleméntia,
Ut nostra ferres crímina ?
Mortem subíres ínnocens,
A morte nos ut tólleres ?

Te cogat indulgéntia,
Ut damna nostra sárcias,
Tuíque vultus cómpotes
Dites beáto lúmine.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna saecula.
Amen.

℣. Dómine refúgium factus es nobis. ℟. A generatióne, et progénie.

Ad Bened. Añia. Ecce Deus noster iste, expectávimus eum, et salvábit nos:

sustinúimus eum ; exultábimus, et laetábimur in salutári ejus, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui Unigénitum tuum mundi Redemptórem constituísti, et per eum, devícta morte, nos misericórditer ad vitam reparásti : concéde, ut haec benefícia recoléntes, tibi perpétua charitáte adhaerére, et ejúsdem redemptiónis fructum percípere mereámur. Per eúmdem.

AD PRIMAM.

℟. br. Christe Fili.

℣. Qui redemísti mundum.

AD TERTIAM.

Aña. Ecce Deus.

Capitulum. Benedíctum nomen.

℟. br. Rédime me, Dñe, * Et miserére mei. Rédime. ℣. In Ecclésiis benedícam te, Dómine. Et miserére mei. Glória Patri. Rédime.

℣. Meménto nostri, Dómine, in beneplácito pópuli tui. ℟. Vísita nos in salutári tuo.

AD SEXTAM.

Aña. Hauriétis aquas.

Capitulum. 1. *Cor.* i.

EX ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapiéntia a Deo, et justítia, et sanctificátio, et redémptio.

℟. br. Meménto nostri Dómine, * In beneplácito pópuli tui. Meménto. ℣. Vísita nos in salutári tuo. In beneplácito. Glória Patri. Meménto.

℣. Redemísti nos, Dñe, in sánguine tuo. ℟. Et fecísti nos Deo nostro regnum.

AD NONAM.

Aña. Exúlta, et lauda.

Capitulum. *Apoc.* iv.

DIGNUS es Dómine Deus noster accípere glóriam, et honórem, et virtútem quóniam occísus es, et redemísti nos Deo in sánguine tuo, ex omni tribu, et lingua, et pópulo, et natióne, et fecísti nos Deo nostro regnum.

℟. br. Notam fecísti in pópulis, * Virtútem tuam. Notam. ℣. Redemísti in bráchio tuo pópulum tuum. Virtútem. Glória Patri. Notam.

℣. Dñe refúgium factus es nobis. ℟. A generatióne, et progénie.

In secundis Vesp. omnia ut in primis. cclxvii.

Ad Magnificat., Antiphona. Regnum tuum, regnum ómnium saeculórum, et dominátio tua in omni generatióne, et generatiónem, allelúia.

Oratio. Deus, qui Unigénitum, ut supra.

DIE XXIV. OCTOBRIS.

In festo S. Raphaelis Arch. Duplex.

Pro aliquibus locis.

AD VESPERAS.

Ańa. Missus est Angelus Ráphael, cum reliquis de Laudibus, infra. cclxxxi. Psalmus. Dixit Dñus, cum reliquis de Dominica, 134. et loco ultimi, Psalm. Laudáte Dóminum omnes Gentes. 138.

Capitulum. *Tob.* xii.

QUANDO orábas cum lácrymis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, et mórtuos abscondébas per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino.

Hymnus.

TIBI Christe splendor Patris,
Vita, virtus córdium :
In conspéctu Angelórum
Votis, voce, psállimus :
Alternántes concrepándo
Melos damus vócibus.

Collaudámus veneántes,
Omnes coeli príncipes,
Sed praecípue fidélem
Médicum, et cómitem
Raphaélem, in virtúte
Alligántem daemonem.

Quo custóde procul pelle,
Rex Christe piíssime,
Omne nefas inimíci,
Mundo corde, et córpore :
Paradíso redde tuo
Nos sola cleméntia.

Glóriam Patri melódis
Personémus vócibus :
Glóriam Christo canámus,
Glóriam Paráclito :
Qui trinus, et unus Deus
Extat ante saecula. Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi. ℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

Ad Magnif. Ańa. Ego sum Ráphael Angelus, qui asto ante Dñum: vos autem benedícite Deum, et narráte ómnia mirabília ejus.

Oratio.

DEUS, qui beátum Raphaélem Archángelum Tobíae fámulo tuo cómitem dedísti in via : concéde nobis fámulis tuis ; ut ejúsdem semper protegámur custódia, et muniámur auxílio. Per Dñum.

AD MATUTINUM.

Invitat. Regem Archangelórum Dñum, * Veníte adorémus. Psalmus. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus. Tibi Christe, ut supra in Vesperis.

In primo Nocturno.

Ańa. Ingréssus Tobías invénit júvenem praecínctum, et quasi parátum ad ambulándum, et ignórans quod Angelus esset, salutávit eum. Psalm. Dómine

Dñus noster, cum reliquis Psalmis secundum ordinem Nocturnorum, ut in festo Dedicationis sancti Michaelis. 430.

Ańa. Angelus Ráphael seípsum occúltans, ait: Ego sum Azaríasmagni Ananíae fílius. Psalmus. In Dómino confído. 431.

Ańa. Sanum ducam fílium tuum in regiónem Medórum, et sanum tibi redúcam, allelúia. Psalm. Dómine quishabitábit. 431.

℣. Data sunt Angelo incénsa multa. ℟. Ut adoléret ea ante altáre áureum, quod est ante óculos Dñi.

De libro Tobíae.

Lectio i. *Cap.* xii.

VOCAVIT ad se Tobías fílium suum, dixítque ei: Quid póssumus dare viro isti sancto, qui venit tecum? Et respóndens Tobías, dixit patri suo: Pater quam mercédem dábimus ei? aut quid dignum póterit esse benefíciis ejus? Me duxit, et redúxit sanum, pécuniam a Gabélo ipse recépit, uxórem ipse me habére fecit, et daemónium ab ea ipse compéscuit, gáudium parentíbus ejus fecit, me ipsum a devoratióne piscis erípuit, te quoque vidére fecit lumen coeli, et bonis ómnibus per eum repléti sumus. Quid illi ad haec potérimus dignum dare? Sed peto te pater mi, ut roges eum, si forte dignábitur medietátem de ómnibus, quae alláta sunt, sibi assúmere.

℟. In illo témpore exaudítae sunt preces ambórum in conspéctu glóriae summi Dei: * Et missus est Angelus Dómini sanctus Ráphael, ut curáret eos ambos quorum uno témpore sunt oratiónes in conspéctu Dñi recitátae. ℣. Tobías, et Sara in tribulatióne pósiti, cum lácrymis oráre coepérunt.—Et missus.

Lectio ii.

ET vocántes eum, pater scílicet et fílius, tulérunt eum in partem: et rogáre coepérunt, ut dignarétur dimídiam partem ómnium, quae attúlerant, accéptam habére. Tunc dixit eis occúlte: Benedícite Deum coeli, et coram ómnibus vivéntibus confitémini ei, quia fecit vobíscum misericórdiam suam. Etenim sacraméntum regis abscóndere, bonum est: ópera autem Dei reveláre et confitéri, honorífícum est. Bona est orátio cum jejúnio, et eleemósyna magis quam thesáuros auri recóndere: quóniam eleemósyna a morte líberat, et ipsa est quae purgat peccáta, et facit invenire misericórdiam et

vitam aetérnam. Qui autem fáciunt peccátum et iniquitátem, hostes sunt ánimae suae. Manifésto ergo vobis veritáte, et non abscóndam a vobis occúltum sermónem. Quando orábas cum lácrymis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, et mórtuos abscondébas per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino. Et quia accéptus eras Deo, necésse fuit ut tentátio probáret te.

℟. Egréssus Tobías invénit júvenem spléndidum stantem praecínctum, et quasi parátum ad ambulándum, et salutávit eum, et dixit: * Unde te habémus bone júvenis? ℣. Et ignórans, quod Dñi Angelus esset, salutávit eum, et dixit.—Unde.

Lectio iii.

ET nunc misit me Dóminus ut curárem te, et Saram uxórem fílii tui a daemónio liberárem. Ego enim sum Ráphael Angelus unus ex septem, qui astámus ante Dóminum. Cumque haec audíssent, turbáti sunt, et treméntes cecidérunt super terram in fáciem suam. Dixítque eis Angelus: Pax vobis, nolíte timére. Etenim cum essem vobíscum, per voluntátem Dei eram: ipsum benedícite, et cantáte illi. Vidébar quidem vobíscum manducáre, et bíbere: sed ego cibo invisíbili, et potu, qui ab homínibus vidéri non potest, utor. Tempus est ergo ut revértar ad eum, qui me misit: vos autem benedícite Deum, et narráte ómnia mirabília ejus. Et cum haec dixísset, ab aspéctu eórum ablátus est, et ultra eum vidére non potuérunt. Tunc prostráti per horas tres in fáciem, benedixérunt Deum, et exurgéntes narravérunt ómnia mirabília ejus.

℟. Ingréssus Angelus ad Tobíam, salutávit eum, et dixit: Gáudium sit tibi semper: * Forti ánimo esto, in próximo enim est, ut a Deo curéris. ℣. Et respóndens Tobías, ait: Quale gáudium mihi erit, qui in ténebris sédeo, et lumen coeli non vídeo?—Forti ánimo esto. Glória Patri. Forti ánimo esto.

In secundo Nocturno.

Ańa. Dixit autem Angelus: Apprehénde bránchiam piscis, et trahe eum extra aquas. Psalm. Coeli enárrant. 433.

Ańa. Obsecro te Azaría frater, ut dicas mihi, quod remédium habébunt ista, quae de pisce serváre jussísti. Psalmus. Dómini est terra. 434.

Ańa. Lúmina fel sanat, sed virtus cordis et jécoris diáboli expéllit potestátem. Psalmus. Benedícam Dóminum. 435.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dñi. ℟. De manu Angeli.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. i. *in Dominica* xv. *de beato Tobia, qui est* ccxxvi. *de Tempore.*

Lectio iv.

BEATUS Tobías, qui panem suum nóverat frángere esuriénti, mercédem célerem mercenário praeparat laboránti. Patiénter lectióne percépta, quae nuper est recitáta, admirabámur patris, filiíque tractátum, quemádmodum Angelus monet, quem aestimábant terrénu sub coelésti glória mercenárium. Ad hoc enim caecitátis incúrrit exítium, ut Angelum suscíperet médicum, qui divínis fácibus incénsus sic anhelávit. Honésta est orátio cum jejúnio, et eleemósyna. Orátio justi clavis est coeli. Ascéndit precátio, et descéndit Dei miserátio. Licet alta sit terra, altum coelum, audit tamen Deus hóminis linguam, si mundam habet consciéntiam. Cum sénsibus lóquitur, si sit solus noster gémitus. Súfficit áuribus imber oculórum: fletus célitius audit, quam voces. Orátio ínvidi solet de áuribus propulsári. Erat patris et fílii ánima una, dum esset propríetas membrórum, erat illis singuláris germánitas animórum. Fili, inquit, dimittámus istum hóminem, adjiciéntes ad mercédem plácitam, quia nobis multa ópere suo cóntulit bona: et rogáre coepit mercenárium, ut mercédis suae sumat efféctum. Frater, inquit, áccipe quod tuum est, et tunc vade salvus. Récipe mercédem tuam, quia mihi, et fílio meo bonam praebuísti misericórdiam. Tolle, ut dixi, substántiam quam cum fílio meo reportásti; nam grátia, quam tibi debémus, non potest ponderári.

℟. Interrogávit Tobías Angelum: De qua domo, aut de qua tribu es tu? Qui respóndens, ait: * Ego sum Azaríae Ananíae magni fílius. ℣. Genus quaeris mercenárii, an ipsum mercenárium, qui cum fílio tuo eat? Sed ne forte sollícitus sis.—Ego sum.

Lectio v.

CONTINUO Angelus gaudet de cogitáta mercéde, qui missus fúerat gratis fácere pietátem. Tobis, inquit, vel Tobías, quid

de mea mercéde satis supérflue cogitátis? Habéte quod vóbis donávit Pater ille coeléstis. Ego miníster sum curatiónis, ille est auctor sanitátis. Nescítis cujus mercenárii ope pérfrui meruístis. Defúnctos captivitátis sepelíre non timuísti : Tobis, ascendérunt ad Dóminum ópera tua, quia relícto prándio reddidísti mórtuum sepultúrae. Ego Dño medulláta íntuli sacrifícia pro venerábili sepultúra. Ego diréctus sum operárius fori coeléstis. Mórtuum sepelístis, et mortis acúleum non timuístis. Ipse sepúltus pro vobis voce tácita proclamávit. Probatiónis fúerat caecitas oculórum, unde patiéntia tua clárius meruísset de coeléstibus ornaméntum. Ego sum Ráphael, unus ex septem Angelis, qui astámus ante claritátem Dei. Non indígeo fructu humánae mercédis : dívitem me facit conversátio Majestátis. Dives est ille, qui me misit ; gratis jussit impéndi, quod gratis ipse concéssit. Nec ipsum honórem gratiárum mihi deputétis, quia nihil meis víribus percepístis. Deum benedícite, et illi confitémini, et ipsum glorificáte, quia vobíscum fecit bona.

℟. Exívit Tobías, ut laváret pedes suos, et ecce piscis immánis exívit ad devorándum eum ; qui expavéscens, clamávit voce magna, dicens : Dómine, invádit me. Et dixit ei Angelus : Apprehénde bránchiam ejus, et trahe eum ad te : * Exéntera hunc piscem, et cor ejus, et fel, et jecur repóne tibi; sunt enim necessária ad medicaménta utíliter. ℣. Attráxit autem Tobías piscem in siccum, et palpitáre coepit ante pedes ejus, et ait Angelus ei.—Exéntera.

Lectio vi.

SUBITO patefácto mystérii coeléstis honóre, voce Raphaélis Archángeli attóniti Tobis et Tobías, collápsi in terram proruérunt, vocem trémulam pénitus occultavérunt, quia vocem insólitam audiérunt. Quid metuístis pater Tobis, filiúsque Tobías? Mercenárium habére coeléstem, et tamquam operárium locáre terréstrem? Celávit vobis Angelus nomen, Azarías sum, inquit, Ananíae magni fílius ; et cum dixit : Ego sum Ráphael Angelus, celávit in primo nómine dignitátem, ne fáceret locatóri terrórem. Si enim diceret : Ego sum Angelus; non esset Tobíae mercenárius. Serváta est dígnitas nóminis, ut postrémo magnitúdo cla-

résceret dignitátis. Vidéte, caríssimi, quantum sit eleemósynae méritum: Angelum méruit habére operárium. Vidétis quantum próficit mórtuos sepelíre, ut oblátio ejus per Angelum Raphaélem ad coeléstem ascénderet Majestátē. Vidétis, quia eleemósyna a morte líberat, et ipsa purgat peccáta, facit purgatiónem oculórum, líberat a ténebris peccatórum. Tobis via sua dedúcitur, Sara tot viris contristáta per Angelum matrimónio copulátur.

℟. Ubi introíeris domum tuam, dixit Angelus Ráphael ad Tobíam, statim adóra Dóminum Deum tuum, et grátias agens ei, accéde ad patrem tuum, et osculáre eum: * Statímque lini super óculos ejus ex felle isto piscis, quem portas tecum; scias enim, quóniam mox aperiéntur óculi ejus, et vidébit pater tuus lumen coeli, et in aspéctu tuo gaudébit. ℣. Tolle tecum ex felle isto piscis; erit enim necessárium.— Statímque. Glória Patri. Statímque.

In tertio Nocturno.

Ańa. Est hic Sara Raguélis fília, quae tibi conjúgio dábitur, et omnis substántia ejus. Psalmus. Cantáte Dómino. 438.

Ańa. Septem viros hábuit, quos daemónium oppréssit: tímeo ne mihi símile contíngat. Psalmus. Dóminus regnávit. 438.

Ańa. Per tres dies oratióni cum uxóre tua vacábis, ut in sémine Abrahae benedictiónem in fíliis consequáris. Psalmus. Bénedic ánima mea Dómino. 439.

℣. Apprehéndit Angelus Ráphael daemónium. ℟. Et relegávit illud in desérto superióris Ægypti.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* v.

IN illo témpore: Erat dies festus Judaeórum, et ascéndit Jesus Hierosólymam. Et réliqua. Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Tractatu xvii. *in cap.* v. *Joannis.*



IRUM non esse debet a Deo factum miráculum, mirum enim esset, si homo fecísset. Magis gaudére, quam mirári debémus, quia Dñus noster, et Salvátor Jesus Christus homo factus est, quam quod divína inter hómines Deus fecit. Plus est enim ad salútem nostram, quod factus est propter hómines, quam quod fecit inter hómines; et plus est, quod vítia sanávit animárum, quam quod sanávit languóres córporum moriturórum.

℟. Benedícite Deum coeli, dixit Angelus Ráphael, et coram ómnibus vivéntibus confitémini ei : * Quia fecit vobíscum misericórdiam suam. ℣. Ipsum benedícite, et cantáte illi, et narráte ómnia mirabília ejus.—Quia fecit.

Lectio viii.

SED quia ipsa ánima nec eum nóverat, a quo sanánda erat ; et óculos habébat in carne, unde facta corporália vidéret ; nondum habébat sanos in corde, unde Deum laténtem agnósceret. Fecit quod vidéri póterat, ut sanarétur, unde vidéri non póterat. Ingréssus est locum, ubi jacébat magna multitúdo languéntium, caecórũ, claudórum, aridórum.

℟. Tempus est ut revértar ad eum qui me misit, dixit Angelus Ráphael : * Vos autem benedícite Dóminum, et narráte ómnia mirabília ejus. ℣. Confitémini ei coram ómnibus viventibus, quia fecit vobíscum misericórdiã suam.—Vos. Glória Patri. Vos.

Lectio ix.

ET cum esset médicus et animárum et córporum, et qui venísset sanáre omnes ánimas creditorórum, de illis languéntibus unum elégit, quem sanáret, ut unitátem significáret. Si mediocri corde, et quasi humáno captu et ingénio considerémus faciéntem, et quod ad potestátem pértinet, non magnum áliquid perfécit : et quoad benignitátem, parum fecit. Tot jacébant, et unus curátus est, cum posset uno verbo omnes erígere.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES
et per Horas, Añae.

1. Missus est Angelus * Ráphael ad Tobíam et Saram, ut curáret eos. Psalm. Dóminus regnávit, cum reliquis de Laudibus, 18.

2. Ingréssus Angelus *ad Tobíam, salutávit eum, et dixit : Gáudium sit tibi semper.

3. Forti ánimo * esto, Tobía : in próximo enim est, ut a Deo curéris.

4. Benedícite Deum coeli, et coram ómnibus vivéntibus confitémini illi, quia fecit vobíscum misericórdiam suam.

5. Pax vobis, * nolíte timére : Deum benedícite, et cantáte illi.

Capitulum. *Tob.* xii.

QUANDO orábas cum lácrymis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, et mórtuos abscondébas per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino.

Hymnus.

CHRISTE sanctórum
decus Angelórum,
Rector humáni géneris, et
Auctor,
Nobis sacrátum tríbue be-
nígnus
Scándere coelum.

Angelum nobis médicum
salútis
Mitte de coelis Ráphael,
ut omnes
Sanet aegrótos, paritérque
nostros
Dírigat actus.

Hinc Dei nostri Génitrix
María,
Totus et nobis chorus An-
gelórum
Semper assístat, simul et
beáta
Cóncio tota.

Praestet hoc nobis Déi-
tas beáta
Patris, ac Nati, paritérque
sancti
Spíritus, cujus résonat in
omni
Glória mundo.
Amen.

℣. In conspéctu Ange-
lórum psallam tibi, Deus
meus. ℟. Adorábo ad tem-
plum sanctum tuum, et
confitébor nómini tuo.

Ad Bened. Aña. Ego
sum Ráphael Angelus, qui
asto ante Dóminum : vos
autem benedícite Deum, et
narráte ómnia mirabília
ejus, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui beátum Ra-
phaélem Archángelũ
Tobíae fámulo tuo cómitem
dedísti in via : concéde no-
bis fámulis tuis; ut ejúsdem
semper protegámur custó-
dia, et muniámur auxílio.
Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Antiph. Ingréssus An-
gelus.

Capit. Quando orábas,
ut supra. cclxxxi.

℟. br. Stetit Angelus, *
Juxta aram templi. Stetit.
℣. Habens thuríbulum áu-
reum in manu sua. Juxta.
Glória Patri. Stetit.

℣. Ascéndit fumus aró-
matum in conspéctu Dñi.
℟. De manu Angeli.

AD SEXTAM.

Aña. Forti ánimo.

Capitulum. *Tob.* xii. *c.*

ET nunc misit me Dó-
minus, ut curárem
te, et Saram uxórem fílii
tui a daemónio liberárem.
Ego enim sum Ráphael
Angelus, unus ex septem,
qui astámus ante Dómi-
num.

℟. br. Ascéndit fumus
arómatum, * In conspéctu
Dómini. Ascéndit. ℣. De
manu Angeli. In conspé-
ctu. Glória Patri. Ascén-
dit.

℣. In conspéctu Ange-
lórum psallam tibi, Deus

meus. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

AD NONAM.

Aña. Pax vobis.

Capitulum. *Tob.* xii. *d.*

TEMPUS est, ut revértar ad eum, qui me misit: vos autem benedícite Deum, et narráte ómnia mirabília ejus.

℟. br. In conspéctu Angelórum, * Psallam tibi, Deus meus. In conspéctu. ℣. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Psallam. Glória Patri. In conspéctu. ℣. Adoráte Deum. ℟. Omnes Angeli ejus.

IN II. VESPERIS.

Aña. Missus est Angelus, cum reliquis Añis de Laudibus. cclxxxi. Psalm. Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica. 134. et loco ultimi, Psalm. Confitébor tibi, Dómine. 443.

Capitulum, Hymnus et Versiculus ut in primis Vesperis. cclxxv.

Ad Magnif. Aña. Princeps gloriosíssime, Ráphael Archángele, esto memor nostri: hic, et ubíque semper precáre pro nobis Fílium Dei.

Oratio. Deus, qui beátum, ut supra. cclxxxii.

DIE XXV. OCTOBRIS.

In festo S. Bonifacii I., Papae Confess. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi,

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. lxi. praeter sequentia.

In Hymno mutatur tertius versus.

Oratio. Da quaesumus.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BONIFACIUS Románus, patre Jucúndo Presbytero, post beátum Zósimum humánis rebus exémptum, Románae Ecclésiae episcopátum adéptus est. Is annósus Présbyter, ac in lege doctíssimus, bonísque móribus comprobátus, invítus, ac relúctans, totíus pópuli acclamatióne, ac Urbis optimátum consénsu, a septuagínta Presbyteris, novémque diversárum provinciárum Epíscopis, divínae institutiónis órdine serváto, consecrátus est in basílica Júlii, quo témpore Eulálius Archidiáconus, Diacónibus circumvéntis, paucissimísque de clero, ac multitúdine turbátae plebis, in locum sibi non débitum, per ámbitum próruens, ordinátur in Constantiniána

basílica. Eo in schísmate Bonifácius legítimus Póntifex, veheménter depréssus, coáctus est beáti Petri basílicam desérere, et una cum suis ad beáti Pauli secédere. Deláta mox causa ad Episcopórum concílium, cum Patres inter se dissidérent, plenióri synodo res tota servátur, jussis intérea, Honórii Augústi ópera, tum Bonifácio, tum Eulálio, ab Urbe discédere. Quare hic Antium, sanctae Felicitátis basílicam ille pétiit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus.

Lectio v.

SED cum Eulálius se in Urbem intrusísset, occasionémque praebuísset públicae seditiónis, Honórius ea re commótus, Eulálium Urbe pelléndum, Bonifácium vero in eam inducéndum rescrípsit, quod frequénti Episcopórum synodo confirmátum fuit. Itaque Bonifácius regréssus, sollícita cura conátus est cuncta per mútuam restitúere concórdiam, cui et in futúrum consúluit, ne post óbitum suum gravióri scissúra distraherétur Ecclésia. Piissimórum autem imperatórum devotióne gaudébat, et contra inimícos grátiae Dei, non solum apostólicis, sed etiam régiis utebátur edíctis ; et lícet ipse doctíssimus esset, advérsus libros tamen Pelagianórum, beáti Augustíni Episcopi respónsa poscébat ; cui et Augustínus tantum détulit, ut ei sua scrípta non tam ediscénda, quam examinánda, et emendánda diréxerit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo únxi eum.—Manus.

Lectio vi.

PATROCLUM Arelatensem Episcopum aliénae Metrópolis jura invadéntem, représsit ; datísque lítteris ad Hilárium Narbonénsem Episcopum, jussit, ut jure Metropolitáni, et apostólicae sedis praeceptióne, ad pervásum locum accéderet, agéndaque vidéret, et apostólicae sedi cuncta referret. Constítuit, ne múlier, vel mónacha sacráta pállia contíngeret, aut laváret ; neve quis incénsum in ecclésia póneret, nisi miníster esset. Servum, vel cúriae, vel rei cuílibet obnóxium, cléri-

cum fíeri vétuit. Fecit oratórium in coemetério sanctae Felicitátis Mártyris, juxta corpus ejus, cujus, itémque sancti Sylváni sepúlchrum ornávit, plúribus donis oblátis. Déinque fama celebérrimus, et grátia Dei plenus, ejúsdem glóriam adéptus est, Honório, et Theodósio princípibus, sepultúsque in coemetério sanctae Felicitátis via Salária, octávo Kaléndas Novémbris. Semel mense Decémbri creávit Presbyteros trésdecim, Diáconos tres, Epíscopos per divérsa loca sex supra trigínta. Pontificátum ténuit annos quinque, minus duóbus ménsibus, et tribus diébus.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Homilia super Evangelium : Homo péregre. lxx.

Nona Lectio SS. Chrysanthi et sociorum, Martyrum cum eorumdem Commemoratione in Laudibus ut in Breviario.

DIE XXVI. OCTOBRIS.

In festo S. Evaristi, P. M. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Communi unius Martyris, xxvii. praeter sequentia.

Oratio. Infirmitátem.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

EVARISTUS Graecus natióne, patre Judaeo génitus, christiánae pietátis studiosíssimus Trajáno imperatóre ad cáthedram Petri promótus est, sedítque in ea annos novem, menses tres. Fecit ordinatiónes quátuor, mense Decémbri, ac creávit Presbyteros decem et septem, Diáconos duos, Epíscopos per divérsa loca quíndecim.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Descenditque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

ECCLESIARUM títulos Urbis Romae Presbyteris eum divisísse légimus, ut unusquísque

suae paroeciae términis, ac limítibus distinguerétur ; et mandásse, ut altária, in quibus sacra fiunt, extrúcta ex lápide, benedicerénturt : Ut septem Diáconi Epíscopum custodírent, ipsíque adéssent, dum praedicatiónis evangélicae offício, et ministério fúngitur, quasi tráditae ab illo doctrínae testes.

℟. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.—Et voluntáte.

Lectio vi.

CONSTITUIT étiam ex traditióne apostólica, ut matrimónium públice celebrétur, et Sacerdótis benedíctio adhibeátur. His, alíisque salutáribus, utilibúsque constitutiónibus edéndis pontificátus sui tempus transégit, non tamen illud omísit, ut simulacrórum cultum ex ánimis hóminum avélleret ; qua in re, cum strénue laborásset, martyrio coronátus est, ac sepúltus prope sepúlchrum príncipis Apostolórum in Vaticáno, séptimo Kaléndas Novémbris.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitae et intellectus : et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum.—Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In tertio Nocturno, Homilia super Evang. Si quis venit. xxxvi.

DIE XXXI. OCTOBRIS.

In festo S. Siricii, Papae Confess. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. lxi. praeter sequentia.

In Hymno mutatur tertius versus.

Oratio.

DEUS, qui beátum Sirícium Confessórem, atque Pontíficem ecclesiásticae disciplínae propagatórem exímium effecísti, da Ecclésiae tuae, ejus institútis proficere, et méritis adjuvári. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

SIRICIUS Románus ex Presbytero Tituli Pastóris, vita functo sancto Dámaso Papa, cleri, populíque univérsi acclamatióne ad apostólicam

liquis Antiphonis de Laudibus. Psalmus. Dixit Dominus. cum reliquis de Dominica, & loco ultimi, Psalm. Confitebor tibi Domine in toto corde meo: * quoniam. 139.

Capitulum, Hymnus, & V. ut in j Vesperis. cccxxiij.

Ad Magnificat, Antiphona. Princeps gloriosissime Raphaël Archangele, esto memor nostri: hìc, & ubique semper precare pro nobis Filium Dei.

Oratio. Deus, qui beatum. ut suprà. cccxxx.

DIE. XXXI. OCTOBRIS.

In festo sancti Wolfgangi Episcopi Ratisponensis.

Duplex.

Pro tota Germania.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. xlix. præter ea, quæ sequuntur.

Oratio.

DEus, qui nobis æternæ salutis beatum Wolfgangum Episcopum & ministrum tribuisti: præsta quæsumus; ut, quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

WOlfgangus nobili in Suevia genere prognatus, rerum exterarum fuit, & sui contemptor egregius, solum ex animo Deum quærens, honores amplissimos ab Henrico Trevirensium Episcopo sibi oblatos recusavit, illoque demortuo, pollicitationibus aliorum contemptis, monasticam tandem vitam, cujus semper desiderio flagraverat, est amplexus. Sacris Ordinibus à beato Udalrico initiatus, cùm in Pannoniam prædicandi Evangelii causa se priùs contulisset, propter conjunctam in eo eximia cum pietate prudentiam, Othonis Imperatoris studio, totiusque Cleri & populi acclamatione, Ecclesiæ Ratisponensi ritè præficitur.

℣. Inveni David. lv.

Lectio v.

SUscepto Episcopatus munere, gregem Domini verbo pavit, & exemplo, sanctissimisque Ecclesiam temperavit institutis. Monasterio sancti Emmerami, quod jam diu Episcopi administraverant, restitutis proventibus, magno illius bono insignem virum Romualdum præposuit. Sanctimonialium cœnobium, quod ipse fundaverat, tam sanctè instituit, ut collapsa in aliis disciplina eo exemplo sit facilè restaurata, novoque pietatis odore capta

Brigida, Bavariæ Ducis filia, sponsum Christum secuta, ad sacras se Virgines aggregavit. Bohemis, quò ampliora apud illos fides incrementa caperet, contempto suæ Ecclesiæ detrimento, rejectis aliorum consiliis, proprium dari Episcopum libentissimè permisit. ℣. Posui adjutorium. lvj.

Lectio vj.

EGregiam viri sanctitatem comprobarunt energumeni, & variis languoribus oppressi, quos precatione sanavit. Divino afflatus instinctu, sanctum Henricum Imperatorem regnaturum, fratrem ipsius Brunonem ad Episcopatum promotum iri, è sororibus alteram Reginam, Abbatissam alteram fore prædixit. Denique cùm viginti & ampliùs annis in seduli Pastoris munere peractis, extremum sibi diem imminere intelligeret, quæ ex usitata liberalitate supererant, per manus pauperum præmisit, sacræque Eucharistiæ viatico præmunitus, in sancti Othmari æde, uti divinitùs anteà futurum acceperat, sanctissimam vitam pari morte conclusit, Ratisponæ in templo sancti Emmerami sepultus. ℣. Iste est qui. lvj.

In tertio Nocturno, Homilia sancti Hilarii Episcopi in Evangelium. Vigilate quia nescitis. de eodem Communi. lxiij.

OFFICIUM PATROCINII B. MARIÆ VIRGINIS.

Duplex majus.

Pro omnibus Hispaniarum Regi subjectis recitandum aliqua die Dominicæ Novembris ab Ordinario loci eligenda.

Ad Vesperas, Antiphona. Dum esset Rex. cum reliquis Antiphonis, Psalmis, Capitulo, & Hymno, ut in Officio parvo B. Mariæ. cxlj. ℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata. ℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Magnificat, Antiphona. Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam festivitatem.

Oratio.

COncede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere: & gloriosa beatæ Mariæ semper virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia. Per Dominum nostrum.

Deinde fit commemoratio Dominicæ occurrentis.

Ad

sedem evéctus est, obniténte frustra Ursicíno schismático, gratulánte vero in primis Valentiniáno imperatóre, qui magnum innocéntiae, et probitátis exémplum eum praedicávit. Ipse sui pontificátus exórdio decretálem epístolam, salubérrimis institutiónibus plenam, ad Himérium dedit Tarraconénsẽ Epíscopum, áliis Hispaniárum Eccléssiis communicándam, ut corrúpti clericórum mores emendaréntur, et disciplínae vigor instaurarétur, quam in Africa quoque collabéntem, hábita Romae synodo octogínta Episcopórum, reparándam curávit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus.

Lectio vi.

INNUMERA sunt caetera, quae pro fídei defensióne toto sui pontificátus témpore invícte perégit. Joviniánum mónachum, sanctae virginitátis hostem, et christiánum Epicúrum in Romána synodo anathémate confíxit. Bonósum quoque Sardicénsem Epíscopum Christi divinitátem, et Deíparae post partum virginitátem inficiántem damnávit. Manichaeos ex Urbe ejéctos imperiáli lege saeculáribus poenis coercéndos subjécit; redeúntes vero ad Ecclésiam in monastéria detrúdi, ac nonnísi in vitae éxitu ad communiónem récipi vóluit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus.

Lectio vi.

RELIGIONIS tuéndae, et amplificándae stúdium, quod sane quam máximum declarábat, egrégie adjúvit magnus Theodósius imperátor, qui cum sublátis Gentílium simulácris, templísque interdíctis, aut evérsis, idolórum cultum omnem aboléri jussísset, christiána relígio, ipso sedénte Pontífice, mirífice propagáta est. Praecláris pro Ecclésia functus labóribus, editísque sanctíssimis légibus, septuagenário major obdormívit in Dómino anno salútis trecentésimo nonagésimo octávo. Sedit in pontificátu annos círciter quatuórdecim. Ejus corpus e coemetério Priscíllae via Salária in títulum sanctae Praxédis a

Pascháli primo translátum est. Illíus vero nomen Benedíctus decimusquártus Póntifex máximus, plene vindicáta ejus ab objéctis crimínibus innocéntia, in Román Martyrológii tábulas referri jussit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Ipse Glória Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Homília super Evangelium : Vigiláte. lxxv. cum nona Lectione Vigiliae ejusque Commem. in Laudibus.

DOMIN. IV. OCTOBR.

In festo SS. Reliquiarum. Duplex.

Pro aliquibus locis.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum. xliv. praeter sequentia.

Oratio.

AUGE in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in sanctórum tuórum Relíquiis mirabília operáris : et fac nos immortális glóriae partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex Tractátu sancti Joánnis Damascéni de fide orthodóxa.

Lectio iv. *Lib.* 4. *Cap.* xvi.

CHRISTUS Dóminus Sanctórum Relíquias velut salutíferos fontes praebuit, ex quibus plúrima nobis benefícia manant, suavissimúmque unguéntum prófluit. Nec vero quisquam huic sermóni fidem détrahat ; nam si aqua in desérto ex áspera et sólida rupe, atque ex ásini maxílla ad sedándam Samsónis sitim, Deo ita volénte, prosíliit, erítne, cur cuíquam incredíbile videátur, ex Mártyrum Relíquiis suáve unguéntum scaturíre ? Mínime certe ; iis quidem, quibus Dei poténtia honórque, quo Sanctos suos ácciit, perspéctus et explorátus est. Átque illud quidem véteri lege comparátum erat, ut quisquis mórtuum contigísset, immúndus censerétur ; verum hi in mortuórum número mínime habéndi sunt.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes praecéptis tuis, ut inveniréntur illaesi in aquis válidis : * Terra appáruit árida, et in mari

Rubro via sine impedimento. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquae, et torrénte inundavérunt.—Terra appáruit.

Lectio v.

EX quo enim ípsamet vita, ac vitae Auctor inter mórtuos adscríptus est, eos, qui in spe resurrectiónis fideíque erga eum diem extrémum clausérunt, mórtuos haudquáquam appellámus. Quómodo enim mórtuum corpus mirácula édere queat? Per eos daemones expellúntur, morbi profligántur, aegróti sanántur, caeci prospíciunt, lepródsi mundántur, tentatiónes ac moeróres discutiúntur, ac dénique omne donum óptimum a Patre lúminum, eórum ópera, ad eos qui fide mínime dúbia póstulant, descéndit. Quid non labóris suscípias, ut patrónum quemdam nanciscáris, qui te mortáli regi ófferat, ac tuo nómine ad eum verba fáciat? Annon ígitur hi honorándi sunt, qui totíus humáni géneris patrónos se profiténtur, ac Deo nostra causa súpplicant?

℟. Vérbera carnífícum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine: * Ut haerédes fierent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia.—Ut.

Lectio vi.

HONORANDI certe, et quidem ita, ut in eórum nómine templa Deo extruámus, dona offerámus, eórum memóriam colámus, atque in ea spirituáliter oblectémur; quo nimírum laetítia nostra iis, a quibus invitámur, cóngruat; ac non, dum eos cólere et demeréri studémus, offendámus pótius, et irritémus. Quibus enim rebus Deus cólitur, iísdem quoque servi ipsíus oblectántur; quibus autem Deus offénditur, iísdem étiam ipsíus mílites offendúntur. Quocírca in psalmis, et hymnis, et cánticis spirituálibus, et compunctióne, et eórum, qui in egestáte versántur, commiseratióne, quibus obséquiis Deus potíssimum conciliátur, Sanctos colámus: státuas ipsis ac visíbiles imágines erigámus: imo ipsi virtútibus eórum imitándis hoc consequámur, ut vivae eórum státuae atque imágines simus.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dñus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos: et in témpore erit respéctus illórum: * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem: et fidéles in dilectióne acquiéscent

illi. — Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In tertio Nocturno, Homilia in Evang. Descéndens Jesus, de Communi secundo loco. lviii.

FESTA NOVEMBRIS.

DOMINICA II.

Novembris.

In festo Patrocinii B. M. V. Duplex.

Pro aliquibus locis.

Omnia ut in festis beatae Mariae Virg. clviii. praeter sequentia.

Ad Magnif. Añа. Sancta María, succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto foemíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuum sanctum Patrocínium.

Deinde fit Commemoratio Dominicae occurrentis.

℟. xii. Felix namque es sacra virgo María, et omni laude digníssima : * Quia ex te ortus est sol justítiae, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto foemíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuum sanctum Patrocínium. — Quia ex te ortus.

Lectio nona de Homilia Dominicae occurr., ejusque Commemoratio tam in Laudibus quam in secundis Vesperis.

DIE XIII. NOVEMBR.

In festo S. Nicolai I., Papae Confess. Duplex.

Pro Clero Urbis et alibi.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, lxi. praeter sequentia.

Oratio. Da quaesumus.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

NICOLAUS hujus nóminis primus, natióne Románus, patre Theodóro regionário, Benedícto tértio e vivis subláto, mirábili ómnium consensióne, anno Christi octingentésimo quinquagésimo octávo, a clero eléctus, et ex basílica príncipis Apostolórum, in qua latitábat, per vim edúctus, adductúsque in Lateranénse patriarchíum, Románus Póntifex renuntiátus est. A prima puerítia pietátem, omnémque virtútem cóluit, eósque in sacris lítteris progréssus fecit, ut eum Sérgius secúndus in ipso eódem Patriarchío, Ecclésiae Románae Subdiáconum. Leo vero

quartus Diáconum creáverint, Benedíctus demum tértius, ejus consílio et ductu, univérsam Ecclésiam administráverit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus.

Lectio v.

EXTANT plúrimae ab eo scriptae epístolae, in quibus errántes corréxit, supérbos deprésit, oppréssos recreávit. Episcopos, reges, imperatóres in offício contínuit. Joánnis Ravennátis Archiepíscopi contumáciã fregit. Hincmarum Rheménsem Archiepíscopum, de injústa Rhotáldi Episcopi Suessioniénsis depositióne ácriter reprehéndit, ejus ea de re, nec non synodi Sylvanecténsis judícium abrogávit; tum apud sanctam Maríam Majórem in pervigílio Nativitátis Domínicae missárum solémnia explens, Episcopum ipsum prístinae dignitáti, et paulo post suae sedi plene restítuit. Lothárium regem, qui rejécta legítima uxóre Theutbérga, Waldrádam concubínam dúxerat, intentáto anathémate, ad saniórem mentem redúxit. Electiónem Phótii láici hóminis reprobávit, et Patriárcham Ignátium in prístinam sedem restítuit. Ecclésiae demum Románae jura ita defendit, ut síngulae illíus epístolae quasi tótidem fortíssima sedis apostólicae muniménta esse videántur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus enim mea.

Lectio vi.

CUM illíus zelus intra tunc praescríptos Ecclésiae fines continéri non posset, ad conversiónem infidélium applícuit ánimum, fecítque, ut amplíssima Bulgarórum gens, una cum rege, ad Christi fidem convérsa, Ecclésiae Románae, frendénte licet imperatóre schismático, accésserit. Operam quoque suam privátis pietátis offíciis sédulo navávit. Hinc descrípta ómnium indigéntium nómina apud se habére vóluit, ut síngulis accurátius succúrreret. Reparándis étiam, ornandísque basílicis Urbis, praecípue Lateranénsi patriarchío liberálem manum appósuit, et nulliis súmptibus pepércit. Inito demum décimo

pontificátus anno, in coelum migrávit, et in Vaticáno sepúltus est.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.— Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Nocturno, Homilia super Evangelium : Homo péregre. lxx.

In Vesperis, Oratio. Exáudi. lxxii.

EADEM DIE

In festo S. Stanislai Kostkae Confessoris. Duplex.

Pro tota Italia et Insulis adjacentibus.

Omnia de Communi Confessóris non Pontif. lxxxiii. praeter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui inter caetera sapiéntiae tuae mirácula, étiam in ténera aetáte matúrae sanctitátis grátiam contulísti : da quaesumus ; ut beáti Stanislái exémplo, tempus instánter operándo rediméntes, in aetérnam íngredi réquiem festinémus. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

STANISLAUS senatória Kostkárum gente ortus in Polónia, quam olim esset milítiam secutúrus, nomen Jesu praenuntiávit, paritúrae matris grémio divínitus inscríptum. Virginitátem adhuc puer ita cóluit, ut patérna in mensa si quid minus pudíce dictum audísset, prae horróre exánimis corrúeret, Ad Viennénse in Austria semináriun studiórum causa missus, non minus exémplo sodálibus, quam veneratióni fuit. Coáctus inde in lutheráni hóspitis aedes migráre, ibíque a Paulo fratre ad liberiórem vitam omni étiam asperitátum génere incitátus, domésticum bellum toto biénnio constantíssime sustínuit, ad aetérna se, non ad cadúca natum affírmans. Itaque únicum illi erat rerum coeléstium desidérium : perpétua cum Deo consuetúdo, cultus Deíparae ádeo tener, ut matrem suavíssime appelláret.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et

osténdit illi regnum Dei.— Et dedit.

Lectio v.

QUOTIDIANAE fratris vexatióni crebra ipse jejúnia, flagélla, aliósque insóntis corpúsculi cruciátus adjíciens, lethálem in morbum íncidit. Quo ingravescénte, cum daemonem horréndi canis spécie insiliéntem signo crucis terfugásset, sacrum Viáticum, quod in haerética domo decúmbens frustra ab homínibus petébat, ab Angelis accépit. Mox ad púeri Jesu compléxum a beatíssima ejus Matre cómiter admíssus, ac Societáti jussus nomen dare, súbito conváluit. Sed cum áditum ad illam patris timor in Germánia praeclúderet; peregríni hábitu, solus, pedes, mendícus fugam arrípuit, certus non sístere, nisi voti compos fiat. Iter non uno Dei benefício prósperum fuit. Nam praeterália, Pauli prófugum fratrem jam assequéntis equi, immísso divínitus torpóre, constitérunt; et Stanisláus Angelórum pane iterum Angélico ministério reféctus, post duodécies centéna pássuum míllia, tandem Romae in Societátem Jesu a sancto Francísco Bórgia generáli praepósito méruit cooptári.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

GIRONIS emériti virtútes in religiósae vitae palaestra splendídius eluxére. Cháritas praesértim erga Deum, in quem assídue alienáta a sénsibus mente rapiebátur. Inde illi fácies semper accénsa, nonnúnquam irrádians, perénnes lácrymae, ardor péctoris tantus, ut média quoque híeme foret ingésta idéntidem gélida temperándus. Itaque amóre vérius quam febri aestuans, die assúmptae in coelum Vírgini sacro, ad ejus triumphálem pompam própius, ut optáverat, spectándam, ab ipsa beatárum Vírginum choro stipáta vocátus est ex Quiriáli domo probatiónis, anno innocéntis vitae décimo octávo, óperum plénior quam diérum. Multis post óbitum miráculis in sua praesértim Polónia enítuit, cujus armis contra formidábiles Turcárum exércitus spectábilis e coelo ádfuit non semel; et civitátes álias peste, álias incéndio liberávit. Quamóbrem Clemens décimus eum inter

primários totíus regni patrónos constítuit. Benedíctus vero decimustértius (quod a Cleménte undécimo jam pridem fúerat decrétum) in Sanctórum número retulit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* x.

IN illo témpore : Oblláti sunt Jesu párvuli, ut manus eis impóneret. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

In Psalmo cxviii.

QUID párvulus, nisi húmilis ? Haec sunt mirabília testimónia tua, Dómine, quae scrutáta est ánima párvuli hujus : et ídeo invénit, quia humiliátus est, et párvulus factus est. Quis enim facit mandáta tua, sicut faciénda sunt, idest ex fide, quae per dilectiónem Dei operátur, nisi ejus in corde per Spíritum sanctum ipsa diléctio diffundátur ? Hoc étiam iste párvulus confitétur. Os meum, inquit, apérui, et attráxi spíritum, quia mandáta tua desiderábam. Quid desiderábat, nisi fácere mandáta divína ? Sed non erat unde fáceret infírmus fórtia, et párvulus magna. Apéruit os, cónfitens, quod per se ipse non fáceret, et attráxit unde fáceret.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua.—Ipse intercédat.

Lectio viii.

JUNIOR sum ego, inquit, et contémptus : justificatiónes tuas non sum oblítus. Non sicut inimíci mei, qui oblíti sunt verbórum tuórum. Vidétur autem minor aetáte non oblítus justificatiónes Dei dolére pro inimícis suis aetáte majóribus, qui oblíti sunt. Nam quid est, júnior ego non sum oblítus, nisi illi majóres oblíti sunt ? Sed contémptum se dicit hic júnior; ídeo factus est major ; quia ignobília, et contemptibília mundi elégit Deus, et ea, quae non sunt, tamquam

sint, ut ea, quae sunt, evacuéntur. Et ecce sunt novíssimi, qui erant primi: et primi, qui erant novíssimi.

℟. Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora dóminus vester ventúrus sit. — Et vos símiles. Glória Patri. Et vos símiles.

Lectio ix.

ISTE autem júnior non est oblítus, quia non suam vóluit habére justítiam, sed Dei; de qua étiam nunc dicit: Justítia tua, justítia in aetérnum. Propter hanc passus est persecutiónem júnior a majóre, ut díceret júnior, quod séquitur: Tribulátio, et necéssitas invenérunt me; mandáta tua meditátio mea est. Saeviant, persequántur; dum tamen mandáta Dei non relinquántur, et ex ipsis mandátis étiam qui saeviunt diligántur. Intellléctum da mihi et vivam. Intellléctum poscit iste júnior, quem si non habéret, non super senióres intellígeret. Sed eum poscit in tribulatióne et necessitáte, quo intélligat, quam sit contemnéndum, quod ei possunt auférre persequéntes inimíci, a quibus se dicit esse contémptum.

Te Deum laudámus. 17.

DIE XIV. NOVEMBRIS.

In festo sancti Deusdedit, Papae Confessoris. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. lxi. praeter sequentia.

In Hymno mutatur tertius versus.

Oratio. **Da quaesumus.**

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BONIFACIO hujus nóminis quarto e vivis subláto, postquam sedes apostólica ménsibus quinque, et duódecim diébus vacásset, beátus Deúsdedit egrégiis virtútibus, et exímia sanctitáte conspícuus, natióne Románus, patre Stéphano, unánimi ómnium consensióne, ex Subdiácono Románus Póntifex creátus est. Ut autem Subdiáconus Póntifex crearétur, tunc primum áccidit absque majórum exémplo; sed ut, áliis praetermíssis, Deúsdedit eligerétur, insígnis ejúsdem sanctimónia praestitit, qua mirífice inter tot ténebras illustrátus emícuit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus.

Lectio v.

HIC a domo Dei regíminis inítium fecit. Cleri enim máximam curam gessit, quem cum imminútum, et valde distráctum invenísset, eúmdem plúrimum auxit, in prístinas sedes restítuit, et multis benefíciis cumulávit ; sed plane doléndum est, tanti Pontíficis facta, scriptórum inópia, aut certe témporis injúria, obscúra mansísse, quae quidem insígnia fuísse opórtuit, cum eum antíquitus Ecclésia inter Sanctos recéperit, et ánnua commemoratióne ut Sanctum fúerit veneráta.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus.

Lectio vi.

ILLUD tamen unum, ac singuláre non éxcidit. Cum enim ob terraemótus vehementíssimos, elephántiae lues orta esset, dum afflíctae Urbi sanctíssimus Póntifex prospíceret, praesénsque raro exémplo aegros invíseret, unum ex illis, in quo Christum contemplátus est, benígne complexus, et osculátus, divíno miráculo, eúmdem a lepra mundávit, ut vétera Ecclésiae monuménta testántur. Epístolae ab eo scriptae fragméntum extat, in quo luculéntum de spirituáli cognatióne decrétum continétur. Ubi demum tres annos sedísset, ex hac vita discéssit, anno Christi sexcentésimo décimo séptimo, et sepúltus est in Vaticáno.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Homilia super Evangelium : Homo péregre, ut in Communi Confess. Pontif. lxx.

DIE XIX. NOVEMBR.

In festo S. Pontiani, Papae Martyris. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Communi unius Martyris, xxvii. praeter sequentia.

Oratio. Infirmitátem.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

PONTIANUS Románus praefuit Ecclésiae Alexándro imperatóre : qui sanctum Pontíficem, propter christiánae fídei confessiónem, in Sardíniam ínsulam cum Hippólyto Presbytero relegávit. Ubi is pro Christi fide multis calamitátibus afflíctus, decimotértio Kaléndas Decémbris e vita migrávit. Ejus corpus Fabiáno Pontífice, cum clero Romam delátum, in coemetério Callísti via Appia sepelítur. Sedit annos quátuor, menses quátuor, dies viginti-quínque. Fecit ordinatiónes duas mense Decémbri, quibus creávit Presbyteros sex, Diáconos quinque, Epíscopos per divérsa loca sex.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Descenditque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum.—Et dedit.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

De S. Cypriano, Serm. xii.

Lectio v.

SERMONEM éxigit tam grata et religiósa solémnitas, qua passiónem beáti Mártyris Pontiáni celebrámus. Tristis procul dúbio tunc Ecclésia fuit, non damno cadéntis, sed desidério recedéntis ; semper cúpiens vidére praeséntem tam bonum rectórem, atque doctórem. Sed quos afflíxerat sollicitúdo certáminis, consoláta est coróna victóris. Et nunc non solum sine ulla tristítia, verum étiam cum ingénti laetítia cuncta, quae tunc gesta sunt, legéndo recólimus ; diéque isto gaudére nobis concéssum est, non timére. Neque enim formidámus terribíliter veniéntem, sed expectámus hiláriter redeúntem.

℟. Desidérium ánimae ejus tribuísti ei, Dómine : * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.—Et voluntáte.

Lectio vi.

TUNICA córporis morte non moriebátur in ánimo pastóris vigilántia pastorális, et cura tuéndi domínici gregis usque ad extrémum vitae hujus diem, mente sóbria tenebátur. Nec excutiébat ab ánimo diligéntiam fidelíssimi dispensatóris manus jam próxima cruénti carnífici. Ita

se Mártyrem cogitábat futúrum, ut esse non oblivíscerétur Epíscopum; magis curans, quam ratiónem pastórum príncipi de commíssis sibi óvibus rédderet, quam quid infidéli de fide própria respónderet. Amábat quippe eum, qui Petro díxerat : Amas me? Pasce oves meas. Et pascébat oves ejus, pro quibus sánguinem fúndere, illum ímitans se praeparábat.

℣. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus :* Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitae, et intellécTus, et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum. — Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

In tertio Nocturno, Homília S. Hilarii Episcopi in Evangélium : Nihil est **opértum,** de Communi tertio loco. **xlii.**

DIE XXVI. NOVEMBR.

In festo sancti Silvestri, Abbatis. Duplex.

Pro aliquibus locis.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. **lxxxiii.** praeter sequentia.

Oratio. **Intercéssio nos quaesumus Dómine,**

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

SILVESTER Auxími in Picéno nóbili génere ortus, statim puerílem aetátem lítteris ac bonis móribus mirífice exornávit. Adoléscens Bonóniam ad stúdia jurisprudéntiae missus a patre, cum sanctis lítteris a Deo mónitus dedísset óperam, paréntis incúrrit indignatiónem, quam aequo ánimo toto decénnio pértulit. Ob egrégiam ejus virtútem a canónicis cathedrális Auximánae Ecclésiae sócius honóris eléctus est ; in quo múnere pópulo oratiónibus, exémplo, et conciónibus opem tulit.

℣. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum :* Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum deduxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.— Et dedit.

Lectio v.

INTER funus nóbilis cujúsdam defúncti, in apérto túmulo formósi viri, suíque propínqui, defórme cadáver conspíciens: Ego, inquit, sum, quod hic fuit ; quod hic est, ego ero. Et mox peráCto fúnere, illa

sibi Dómini occurrénte sententia: Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me: in solitúdinem majóris perfectiónis stúdio secéssit, ibíque vigíliis, oratiónibus, jejuniísque déditus, crudas tantum herbas in cibum saepius adhíbuit. Ut autem magis latéret hómines, várias mutávit sedes; ac demum pervénit ad montem Fanum, locum, quamvis prope Fabriánum, eo tamen témpore desértum: ibíque in honórem sanctíssimi patris Benedícti templum eréxit, congregationísque Silvestrinórum fundaménta jecit sub régula, et hábitu in visióne sibi ab eódem Sancto osténsis.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

AT ínvidens Sátanas váriis terróribus illíus mónachos turbáre nitebátur, noctu monastérii jánuas hostíliter invádens. Sed vir Dei hostis ímpetum ita représsit, ut mónachi in sancto institúto magis confirmaréntur, ac patris sanctitátem agnóscerent. Spíritu prophetíae, aliísque donis enítuit; quae ut semper profúnda humilitáte conservávit, ita contra se daemonis invídiam concitávit, a quo praeceps actus per scalas oratórii, et prope interiméndus, praesentíssimo Vírginis benefício incolumitáti rédditus est. Quod benefícium perpétua, et singulári in illam pietáte commendávit ad últimum usque vitae spíritum, quem fere nonagenárius sanctitáte, et miráculis clarus Deo réddidit anno salútis millésimo ducentésimo sexagésimo primo, sexto Kaléndas Decémbris.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno, Homilia in Evangel. **Ecce nos relíquimus ómnia,** de Communi Abbatum. **xcix.**

EADEM DIE.

In festo S. Leonardi a Portu Mauritio, Conf. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontif. **lxxxiii.** praeter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui ad obstináta peccatórum corda per evangélicam praedicatiónem ad poeniténtiam flecténda, beátum Leonárdum Confessórem tuum admirábili sanctitáte et invícto dicéndi róbore suscitásti : da, quaesumus ; ut contritiónis lácrymas, ad quas ob durítiam cordis nostri sine te permovéri non póssumus, per ejus preces ac mérita consequámur. Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

LEONARDUS a Portu Maurítio, in ora Ligústica Itáliae piis paréntibus natus, étiam a prima puerítia mirífica quadam propensióne ad pietátem proténdit indícia futúrae sanctitátis. Quae multo clarióra deínde ejus in adolescéntia eluxérunt, cum Romam proféctus in collégio Románo stúdiis litterárum ac philosóphiae óperam dedit. Ita enim in illa scholárum celebritáte est versátus, ut dum ingénii exercitatióne némini concéderet, innocéntia morum, austeritáte vitae, contémptu sui, stúdio rerum divinárum omnes antecéderet ; ádeo ut in adolescénte alter Aloysius Gonzága collégio illi rédditus viderétur. His pósitis fundaméntis, ad consummándum sanctitátis opus, quod aedificáre coeperat, inter sodáles Caravitános adléctus, dum de more illíus sodalítii totus esset in navánda ópera apostólicis Urbis concionatóribus, captus apostolátus sanctitáte, nihil magis in votis habére coepit, quam se totum proximórum salúti dedicáre. Ad quod vitae genus quo facílius formarétur, terrénis ómnibus abdicátis, in famíliam fratrum Minórum Reformatórum institúti rigidióris ingréssus est. Hic, quámdiu vixit, nunquam a summa sanctitáte est visus abésse. Admiránda in domésticis légibus servándis vigilántia, singuláre oratiónis stúdium, exímius in Jesum atque Deíparam amor, assídua in afflictándo córpore acérbitas, ardens in próximos cháritas, summa in omni virtútum laude ánimi demíssio, eum absolútum sanctitátis exémplar constituébant.

℟. Honéstum fecit illum Dñus, et custodívit eum ab inimícis : et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam.

℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Et dedit.

Lectio v.

EX hac virtútis schola, suscépto sacerdótio, atque theológicis stúdiis ad praedicatiónem formátus, urgénte in próximos charitáte, tamquam e cárcere ad cursum ad lucrándas ánimas egréssus, tanta contentióne apostolátum suscépit, ut, conátibus impar ejéctu sánguinis, apostólicis labóribus in ipso praedicatiónis exórsu abstinére ei fúerit necésse. Hoc ex morbo, quinto post anno, Deíparae ope relevátus, ad prístinam contentiónem ita se renovávit, ut prodígii loco haberétur, in corpúsculo ádeo gráviter affécto, inédia, vigíliis, maceratiónibus semper extenuáto, tantam inésse firmitátem. Hoc in vitae génere nunquam nec perículis detérritus, nec labóribus defatigátus, annos quátuor supra quadragínta perseverávit : quanta cum animárum utilitáte, declárant Itáliae regiónes, admirábili ejus dicéndi vi, qua vel obstinatíssimos quosque pervincébat, ad religiónis stúdium revocátae, ac urbs Roma praecípue, quae conciónibus ejus, ad quas étiam Benedíctus decimusquártus intérfuit, ádeo ad virtútem exársit, ut fructus adhuc perénnent admirándi illíus apostolátus. Nec vero, dum exterórum salúti consulébat, suos obliviscebátur : nam, beneficio Cosmae tértii, in solitúdine Etrúriae comparáta ea domo, in quam ipse sese a praedicatióne recípere ad sancti Ignátii exercítia solébat, auctor fuit iis, qui árctius Deo adhaerére vellent, ut eo secéderent, ibíque juxta leges ab ipso cónditas, et a Cleménte undécimo probátas, secréti a pópulo, asperióri vitae génere uteréntur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum.—Et ad portas.

Lectio vi.

IDEM plura sodalítia Urbis excóluit, atque illud praecípue sanctíssimi cordis Jesu, quod est in sancti Theodóri templo : in iis multa instítuit, quibus in Christum atque in Deíparam honor mirífice est auctus. Horum dulcíssima nómina in ore habébat semper, et tamquam praesídia certa salútis prae fóribus domórum palam proponénda curábat. Passiónis

Domínicae meditándae stúdium propagávit, sacéllis in amphitheátro Flávio aedificátis, ad quae cruciátus Christi, crucem ad Calvárium bajulántis, recolerántur. Ab eo étiam perpétua sacraménti eucharístici adorátio praecípuis in Itáliae úrbibus est constitúta. His ígitur aliísque admirándis virtútum méritis matúrus coelo, postquam et prophetíae dono, et miraculórum virtúte Deus sanctitátem servi sui confirmásset, cum tempus appropinquáret retributiónis, ut Benedícto decimoquárto fidem praestáret, cui núspiam nisi Romae se moritúrum promíserat, ex praedicatióne Bononiénsi, ad quam ab eódem fúerat missus, in Urbem revérsus, labóribus fractus, morbo tentári coepit; quo cum defíceret, Ecclésiae sacris expiátus, postquam postréma salútis mónita frátribus suis dedísset, anno aetátis suae quinto et septuagésimo sanctíssime obdormívit in Dómino, die vigésima sexta Novémbris, in coenóbio sancti Bonaventúrae, ubi nunc ejus corpus cólitur: eíque Pius sextus, qui vivéntem magno honóre habúerat, absolúto prius rite de virtútibus ac miráculis servi Dei judício, anno ab ejus óbitu quadragésimo quinto, Beatórum honóres, Officium et Missam decrévit: Pius autem nonus Póntifex máximus festis saeculáribus Petri et Pauli Apostolórum príncipum anno millésimo octingentésimo sexagésimo séptimo solémni ritu, adstántibus Episcopis orbis univérsi, Sanctórum fastis inscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium: Sint lumbi, de Communi primo loco. xcii. Nona Lectio sancti Petri Episcopi et Martyris.

DIE XXVIII. NOVEMB.

In festo S. Gregorii III., Papae Confessoris. Duplex.

Pro Clero Urbis et alibi.

Omnia de Communi Confessoris Pontif. lxi. praeter sequentia.

Oratio. Da quaesumus.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

GREGORIUS hujus nóminis tértius, natióne Syrus, patre Joánne, Gregório secúndo vita functo, unánimi cleri, et pópuli consénsu, nec non divíno quodam instínctu, cum digníssimus ómnium esset, subrogátus est, anno Christi septingentésimo trigésimo primo. Vir singulári doctrína, et virtúte, latína et graeca lingua erudítus, mirábili dicéndi facúndia, atque ádeo felíci memória, ut totum Psaltérium memóriter recitáret; is demum, quem praedecessóri suo Gregório, doctrína et prudéntia sapientíssimi hómines aequiparándum esse duxérunt.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus.

Lectio v.

CATHOLICAE fídei propugnátor acérrimus, Leónem Isáurum imperatórem Iconoclástam patérnis mónitis et lítteris ad saniórem mentem redúcere conátus est. Sed cum nihil proficeret, convocáto Romae nonagínta quinque Episcopórum concílio, sacrárum imáginum cultum apostólico decréto firmávit, et diro anathémate fériit Iconómachos. Quae cum ad Leónis aures pervenísset, áltius rugíre coepit, misítque advérsus Gregórium florentíssimam classem cum potentíssimo exército, sed haec, volénte, ac víndice Deo, in Hadriático saeva tempestáte agitáta, foedo naufrágio périit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus.

Lectio vi.

QULTA quoque a Luitprándo Longobardórum rege iníque passus est, qui et Urbem longa obsidióne cinxit, et sancti Petri basílicam sacrílega manu dirípuit. In his angústiis sanctíssimus Póntifex ad Cárolum Martéllum, antecessóris exémplo, legátos cum sacris munéribus destinávit. Munívit Urbis moenia, largas in egénos eleemósynas erogávit, novas basílicas a fundaméntis extrúxit, antíquas ornávit, ac restaurávit, Vaticánam praesértim, intra quam oratórium auro, argénto,

gemmis, omníque pretiósi óperis génere ditátum eréxit, in quo sanctórum Apostolórum, et Mártyrum relíquias, summa cura, et diligéntia toto christiáni orbis ámbitu conquisítas repósuit, et coléndas expósuit, eo máxime témpore, quo illas hagiómachi diabólico furóre proculcábant. Multa monastéria restítuit, et sanctis légibus instrúxit, statuítque, ut Presbyteri, et mónachi altérnis nóctu, diúque divínas laudes celebrárent. Fractus demum labóribus, méritis licet, atque virtútibus ínclytus, anno sui pontificátus undécimo nondum perácto, quarto Kaléndas Decémbris pie óbiit in Dómino, et in praedícto oratório Vaticáno sepúltus est.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna. — Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Nocturno, Homilia super Evangelium : Homo péregre. lxx.

In Vesperis, Oratio. Exáudi. lxxii.

DIE XXIX. NOVEMBR.

In festo S. Gelasii I., Papae Confess. Duplex.

Pro Clero Urbis, et alibi.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis. Ixi. praeter sequentia.

In Hymno mutatur tertius versus.

Oratio. Da quaesumus.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

GELASIUS, gente Africánus, patre Valério, in Felícis tértii locum subrogátus, pontificátum gessit annos quátuor, menses octo, duodevigínti dies. Creávit in dúplici ordinatióne Diáconos duos, Presbyteros trigínta et duos, sexagínta septem per divérsa loca Epíscopos. Vir sane singulári fídei propagándae, ac servándae zelo ardentíssimus, omni litteratúra, praesértim sacra instructíssimus, et intrépidi péctoris róbore, tum ad vindicánda Ecclésiae, et sedis apostólicae jura, tum ad retundéndam haereticórum, et schismaticórum protérviam armátus.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil

profíciet inimícus in eo: et fílius iniquitátis non nocébit ei.—Manus.

Lectio v.

EJUS cura, et stúdio non clerus modo plúrimum auctus est, verum étiam univérsa Ecclésia magnis increméntis adolévit. In quo certe illíus prudéntia mirábilis fuit, cum eo témpore Anastásius imperátor haeréticus, et Theodorícus Ariánus rerum utriúsque impérii potiéntur. Imminénte famis períc̃ulo, úbere annóna Urbem recreávit. Lupercália, áliaque Gentílium spectácula, quae ad haec usque témpora, post tam multa imperatórum edícta advérsus idololatríam lata, et Romanórum Pontíficum stúdia ad eam extirpándam adhíbita, viguísse constat, Andrómacho senatóre, aliísque Románis, frustra licet, refragántibus, pénitus abolévit. ℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.—Manus.

Lectio vi.

ALIA quamplúrima ad dignitátem et disciplínam Eccclésiae spectántia praestitit, sancívit, et scripsit. Defensóres Acácii, Euphémium praesértim Constantinopolitánum damnávit; scriptísque ad divérsos nervosíssimis juxta atque doctíssimis lítteris, vel eos in offício contínuit, vel aberrántes redúxit. Pelagiános, Manichaeos, et álios haeréticos coércuit, eorúmque libros públicis flammis tradi curávit. Praeter Decretáles, et Hymnos ecclesiásticos, egrégia scripsit opúscula contra Nestórium, Aríum, Pelágium, et Eutychétem. Sed illud prae caeteris memorándum, quod libros canónicos ab áliis, et probátos ab apócryphis in Romána synodo septuagínta Episcopórum, singulári decréto distínxit. Post multos demum labóres in regénda universáli Ecclésia exantlátos, sanctíssimus, et doctíssimus Póntifex pie óbiit in Dómino undécimo Kaléndas Decémbris anno Christi quadringentésimo nonagésimo sexto, et sepúltus est in Vaticáno.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna. — Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In tertio Nocturno, Homilia super Evangelium: **Homo péregre. lxx.**

Lectio ix. de Homilia Vigiliae S. Andreae.

In Laudibus fit Commemoratio Vigiliae et sancti Saturnini Martyris, ut in Breviario.

OFFICIUM
DE SS. SACRAMENTO.

Ex Indulto Clementis Papae XI. dato Romae 17. Augusti 1715. recitandum in Germania, sub ritu semiduplici omnibus Feriis quintis, non impeditis festo novem Lectionum, etiam translato; excepto Adventu, Quadragesima, Vigiliis, Octavis privilegiatis, ac etiam Feria illa, in qua secundum Rubricas Officium Dominicae aliquando erit apponendum, etc. juxta tenorem Decreti 20. Martii 1706.

Si in Feria iv. vel vi. occurrerit aliquod festum novem Lectionum, Vesperae ordinandae erunt juxta Rubricas de Concurrentia Officii.

Ad Completor. Feria iv. dicitur in fine Hymni:

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine.

etiamsi in Vesperis facta sit tantum Commemoratio de SS. Sacramento, nisi Hymni illius festi, quod Feria iv. celebratum est, aliter concludendi sint, ut in Transfiguratione Domini. Eodem modo terminantur Hymni per Horas, Feria v. usque ad Completorium inclusive, dummodo in Vesperis fiat de SS. Sacramento Commemoratio, et Hymnus Vesperarum sit ejusdem metri, nec habeat festum sequens conclusionem propriam.

AD VESPERAS.

℣. Deus in adjutórium, etc. Glória Patri. Allelúia.

Añae. 1. Sacérdos in aetérnum, * Christus Dóminus secúndum órdinem Melchísedech, panem et vinum óbtulit.

Psalmus. Dixit Dóminus. 134.

2. Miserátor Dóminus * escam dedit timéntibus se in memóriam suórum mirabílium.

Psalmus. Confitébor tibi, Dómine. 134.

3. Cálicem * salutáris accípiam, et sacrificábo hóstiam laudis.

Psalmus. Crédidi. 138.

4. Sicut novéllae olivárum, * Ecclésiae fílii sint in circúitu mensae Dómini.

Psalm. Beáti omnes. 144.

5. Qui pacem * ponit fines Ecclésiae, fruménti ádipe sátiat nos Dóminus.

Psalmus. Lauda Jerúsalem Dóminum. 156.

Capitulum. 1. *Cor.* xi. *c.*

FRATRES, Ego enim accépi a Dómino, quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus, in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens fregit, et dixit : Accípite, et manducáte : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur : hoc fácite in meam Commemoratiónem.

Hymnus.

PANGE lingua gloriósi
Córporis mystérium,
Sanguinísque pretiósi,
Quem in mundi prétium
Fructus ventris generósi
Rex effúdit géntium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intácta Vírgine,
Et in mundo conversátus,
Sparso verbi sémine,
Sui moras incolátus
Miro clausit órdine.

In suprémae nocte coenae,
Recúmbens cum frátribus,
Observáta lege plene
Cibis in legálibus,
Cibum turbae duodénae
Se dat suis mánibus.

Verbum caro, panem verum,
Verbo carnem éfficit,
Fitque Sanguis Christi merum,
Et si sensus déficit ;
Ad firmándum cor sincérum
Sola fides súfficit.

Si expositum fuerit SS. Sacramentum, genuflectitur in Choro, dum dicitur Versus sequens :

Tantum ergo Sacraméntum
Venerémur cérnui :
Et antíquum documéntum
Novo cedat rítui :
Praestet fides suppleméntum
Sénsuum defectui.

Genitóri, Genitóque
Laus et jubilátio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedíctio ;
Procedénti ab utróque
Compar sit laudátio.

Amen.

℣. Panem de coelo praestitísti eis. ℟. Omne delectaméntum in se habéntem.

Ad Magnificat, Ańa. O quam suávis est, * Dómine, spíritus tuus, qui ut dulcédinem tuam in fílios demonstráres, pane suavíssimo de coelo praestito, esuriéntes reples bonis, fastidiósos dívites dimíttens inánes.

Oratio.

DEUS, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuae memóriam reliquísti : tríbue, quaesumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári; ut redemptiónis tuae fructum in nobis júgiter sentiámus : Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Si occurrat aliquod festum simplex, fit de eo Commemoratio.

Deinde fiunt Commemorationes communes, seu Suffragia, ut in Psalterio. 157. si facienda sint.

Ad Completorium et per Horas, in fine Hymnorum dicitur :

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine.

Et dicuntur Preces Dominicales, ut in Psalterio, si dicendae sint.

AD MATUTINUM.

Invitator. Christum Regem adorémus, dominántem Géntibus : * Qui se manducántibus dat spíritus pinguédinem. Psalmus. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

SACRIS solémniis juncta sint gáudia,
Et ex praecórdiis sonent praecónia :
Recédant vétera, nova sint ómnia,
Corda, voces, et ópera.
Noctis recólitur coena novíssima,
Qua Christus créditur agnum et ázyma
Dedísse frátribus, juxta legítima
Priscis indúlta pátribus.
Post agnum typicum, explétis épulis,
Corpus Domínicum datum discípulis,
Sic totum ómnibus, quod totum síngulis,
Ejus fatémur mánibus.
Dedit fragílibus córporis férculum,
Dedit et trístibus sánguinis póculum,
Dicens, Accípite quod trado vásculum ;
Omnes ex eo bíbite.
Sic sacrifícium istud instítuit,
Cujus offícium commítti vóluit
Solis Presbyteris, quibus sic cóngruit,
Ut sumant et dent caeteris.
Panis angélicus fit panis hóminum,
Dat panis coelicus figúris términum :
O res mirábilis, mandúcat Dóminum
Pauper, servus, et húmilis.
Te trina Déitas únaque póscimus,
Sic nos tu vísita, sicut te cólimus,
Per tuas sémitas duc nos quo téndimus,
Ad lucem, quam inhábitas.
Amen.

In primo Nocturno.

Ańa. Fructum salutíferum. Psalm. Beátus vir. 4.

Ańa. Fructum salutíferum gustándum dedit Dóminus mortis suae témpore.

Ańa. A fructu fruménti. Ps. Cum invocárem. 160.

Aña. A fructu fruménti et vini multiplicáti fidéles, in pace Christi requiéscunt.

Aña. Communióne cálicis. Psalmus. Consérva me, Dómine. 11.

Aña. Communióne cálicis, quo Deus ipse súmitur, non vitulórum sánguine, congregávit nos Dóminus.

℣. Panem coeli dedit eis. ℟. Panem Angelórum manducávit homo.

Pater noster. Absolutio. Exáudi, Dómine. ℣. Jube, domne, benedícere. Bened. Benedictióne perpétua.

Lectiones primi Nocturni semper leguntur de Scriptura occurrente, cum ℟℟. positis infra.

℟. i. Immolábit haedum multitúdo filiórum Israël ad vésperam Paschae : * Et edent carnes, et ázymos panes. ℣. Pascha nostrum immolátus est Christus : ítaque epulémur in ázymis sinceritátis et veritátis.— Et edent. Benedictio. Unigénitus Dei Fílius.

℟. ii. Comedétis carnes, et saturabímini pánibus * Iste est panis, quem dedit vobis Dóminus ad vescéndum. ℣. Non Móyses dedit vobis panem de coelo, sed Pater meus dat vobis panem de coelo verum.— Iste est panis. Benedictio. Spíritus sancti grátia.

℟. iii. Respéxit Elías ad caput suum subcinerícium panem : qui surgens comédit, et bibit : * Et ambulávit in fortitúdine cibi illíus usque ad montem Dei. ℣. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in aetérnum.— Et ambulávit. Glória Patri. Et ambulávit.

In secundo Nocturno.

Aña. Memor sit Dñus. Psalmus. Exáudiat te. 16.

Aña. Memor sit Dóminus sacrifícii nostri : et holocáustum nostrum pingue fiat.

Aña. Parátur. Psalmus. Dóminus regit me. 34.

Aña. Parátur nobis mensa Dómini advérsus omnes, qui tríbulant nos.

Aña. In voce exultatiónis. Psalmus. Quemádmodum desíderat. 67.

Aña. In voce exultatiónis résonent epulántes in mensa Dómini.

℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti. ℟. Et de petra, melle saturávit eos.

Pater noster. Absolutio. Ipsíus piétas. ℣. Jube, domne, benedícere. Bened. Deus Pater omnípotens.

Lectiones secundi Nocturni ponuntur inferius post Officium ordine mensium, cum suis Responsoriis.

In tertio Nocturno.

Aña. Introíbo. Psalmus. Júdica me, Deus. 75.

Ańa. Introíbo ad altáre Dei, sumam Christum, qui rénovat juventútem meam.

Ańa. Cibávit nos Dñus. Psalmus. Exultáte Deo adjutóri. 104.

Ańa. Cibávit nos Dóminus ex ádipe fruménti, et de petra, melle saturávit nos.

Ańa. Ex altári tuo. Ps. Quam dilécta. 106.

Ańa. Ex altári tuo, Dómine, Christum súmimus : in quem cor et caro nostra exúltant.

℣. Edúcas panem de terra. ℟. Et vinum laetíficet cor hóminis.

Pater noster. Absolutio. A vínculis. ℣. Jube, domne, benedícere. Benedictio. Evangélica léctio.

Lectiones tertii Nocturni cum suis Responsoriis ponuntur inferius post Lectiones secundi Nocturni, ordine mensium.

AD LAUDES
et per Horas, Ańae.

1. Sapiéntia * aedificávit sibi domum, míscuit vinum, et pósuit mensam. Psalm. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Angelórum esca * nutrivísti pópulum tuum, et panem de coelo praestitísti eis.

3. Pinguis est panis * Christi, et praebébit delícias régibus.

4. Sacerdótes sancti * incénsum et panes ófferunt Deo.

5. Vincénti * dabo manna abscónditum, et nomen novum.

Capitulum. 1. *Cor.* xi. *c.*

FRATRES, Ego enim accépi a Dómino, quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus in qua nocte tradebátur accépit panem, et grátias agens fregit, et dixit : Accípite, et manducáte : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur : hoc fácite in meam Commemoratiónem.

Hymnus.

UERBUM supérnum pródiens,
Nec Patris linquens déxteram,
Ad opus suum éxiens,
Venit ad vitae vésperam.

In mortem a discípulo
Suis tradéndus aemulis,
Prius in vitae férculo
Se trádidit discípulis.

Quibus sub bina spécie
Carnem dedit et Sánguinem :
Ut dúplicis substántiae
Totum cibáret hóminem.

Se nascens dedit sócium,
Convéscens in edúlium,
Se móriens in prétium,
Se regnans dat in praemiu.

O salutáris óstia,
Quae coeli pandis óstium :
Bella premunt hostília,
Da robur, fer auxílium.

Uni trinóque Dómino
Sit sempitérna glória:
Qui vitam sine término
Nobis donet in pátria.
Amen.

℣. Pósuit fines tuos pacem. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te.

Ad Benedictus, Aña. Ego sum * panis vivus, qui de coelo descéndi: si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in aetérnum.

Oratio. Deus, qui nobis, ut supra. cccvii.

Si occurrat aliquod festum simplex, fit de eo Commemoratio.

Deinde fiunt Commemorationes communes, seu Suffragia, ut in Psalt. 157.

AD PRIMAM.

℟. br. Christe Fili. ℣. Qui natus es de María Vírgine.

Et dicuntur Preces Dominicales, ut in Psalt. 29.

AD TERTIAM.

Aña. Angelórum esca.

Capit. Fratres, Ego enim accépi, ut supra.

℟. br. Panem coeli * Dedit eis. Panem. ℣. Panem Angelórum manducávit homo. Dedit eis. Glória Patri. Panem coeli.

℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti. ℟. Et de petra, melle saturávit eos.

AD SEXTAM.

Aña. Pinguis est panis.

Capitulum. 1. *Cor.* xi. *f.*

QUOTIESCUMQUE enim manducábitis panem hunc, et cáiicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis, donec véniat.

℟. br. Cibávit illos * Ex ádipe fruménti. Cibávit ℣. Et de petra, melle saturávit eos. Ex ádipe. Glória Patri. Cibávit.

℣. Edúcas panem de terra. ℟. Et vinum laetíficet cor hóminis.

AD NONAM.

Aña. Vincénti.

Capitulum. 1. *Cor.* xi. *f.*

QUICUMQUE manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígne: reus erit Córporis et Sánguinis Dómini.

℟. br. Edúcas panem * De terra. Edúcas. ℣. Et vinum laetíficet cor hóminis. De terra. Glória Patri. Edúcas.

℣. Pósuit fines tuos pacem. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te.

IN II. VESPERIS.

Omnia dicuntur sicut in primis. cccvi.

Ad Magnif. Aña. O sacrum * convívium, in quo Christus súmitur: recólitur memória passiónis ejus: mens implétur grátia, et futúrae glóriae nobis pignus datur.

Oratio. Deus, qui nobis, ut supra. cccvii.

Si occurrat aliquod festum simplex, fit de eo Commemoratio.

Deinde fiunt Commemorationes communes, seu Suffragia, ut in Psalterio. 157. si facienda sint.

MENSIBUS
SEPTEMBRI, ET OCTOBRI.

In secundo Nocturno.

Ex libro S. Ambrósii Epíscopi de Sacraméntis.

Lectio iv. *Lib.* 4. *cap.* iv.

AUCTOR sacramentórum quis est, nisi Dóminus Jesus? De coelo ista sacraménta venérunt. Consílium enim omne de coelo est. Vere autem magnum est et divínum miráculum, quod pópulo pluit Deus manna de coelo: et non laborábat pópulus, et manducábat. Tu forte dicis: Meus panis est usitátus. Sed panis iste, panis est ante verba sacramentórum: ubi accésserit consecrátio, de pane fit caro Christi. Hoc ígitur adstruámus. Quómodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratióne. Consecrátio ígitur quibus verbis est, et cujus sermónibus? Dómini Jesu. Nam réliqua ómnia, quae dicúntur, laudem Deo déferunt: orátio praemíttitur pro pópulo, pro régibus, pro caeteris: ubi venítur ut conficiátur venerábile Sacraméntum, jam non suis sermónibus Sacérdos, sed útitur sermónibus Christi.

℟. Coenántibus illis accépit Jesus panem, et benedíxit, ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait: * Accípite, et comédite, hoc est corpus meum. ℣. Dixérunt viri tabernáculi mei: Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur?—Accípite.

Lectio v.

ERGO sermo Christi hoc cónficit Sacraméntum. Quis sermo Christi? Nempe is, quo facta sunt ómnia. Jussit Dñus, et factum est coelum: jussit Dóminus, et facta est terra: jussit Dóminus, et facta sunt mária: jussit Dñus, et omnis creatúra generáta est. Vides ergo quam operatórius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermóne Dómini Jesu, ut incíperent esse quae non erant: quanto magis operatórius est, ut quae erant, in áliud commuténtur? Coelum non erat, mare non erat, terra non erat. Sed audi dicéntem: Ipse dixit, et facta sunt: ipse mandávit, et creáta sunt. Ergo tibi ut respóndeam, non erat corpus Christi ante consecratiónẽ,

sed post consecratiónem, dico tibi quod jam corpus est Christi. Ipse dixit, et factum est : ipse mandávit, et creátum est.

℟. Accépit Jesus cálicem, postquam coenávit, dicens: Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine : * Hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea.—Hoc fácite

Lectio vi. *Cap.* v.

JAM redi mecum ad propositiónem meam. Magnum quidem et venerábile, quod manna Judaeis pluit e coelo. Sed intélligе, quid est ámplius, manna de coelo, an corpus Christi ? Corpus Christi útique, qui auctor est coeli. Deínde, manna qui manducávit, mórtuus est: qui manducáverit hoc corpus, fiet ei remíssio peccatórum, et non moriétur in aetérnum. Ergo non otióse, cum áccipis, tu dicis, Amen; jam in spíritu cónfitens, quod accípias corpus Christi. Dicit tibi Sacérdos, corpus Christi : et tu dicis, Amen; hoc est, verum. Quod confitétur lingua, téneat affféctus.

℟. Ego sum panis vitae: patres vestri manducavérunt manna in desérto, et mórtui sunt : * Hic est panis de coelo descéndens, ut si quis ex ipso mandúcet, non moriátur. ℣. Ego sum panis vivus, qui de coelo descéndi : si quis, manducáverit ex hoc pane, vivet in aetérnum. — Hic est. Glória Patri. Hic est.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* vi. f.

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis Judaeórum : Caro mea vere est cibus : et sanguis meus vere est potus. Et réliqua.

De Homília sancti Hilárii Epíscopi.

Lib. 8. *de Trinit. ante med.*

ON est humáno aut saeculi sensu in Dei rebus loquéndum. Quae scripta sunt legámus : et quae legérimus, intelligámus ; et tunc perféctae fídei offício fungémur. De naturáli enim in nobis Christi veritáte quae dícimus, nisi ab eo díscimus, stulte atque ímpie dícimus. Ipse enim ait: Caro mea vere est esca, et sanguis meus vere est potus. Qui edit carnem meam, et bibit sánguinem meum, in me manet, et ego in eo. De veritáte carnis et sánguinis non relíctus est ambigéndi locus.

℟. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum

sánguinem, * In me manet, et ego in eo. ℣. Non est ália nátio tam grandis, quae hábeat deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis.—In me manet.

Lectio viii.

NUNC enim et ipsíus Dómini professióne, et fide nostra vere caro est, et vere sanguis est. Et haec accépta atque hausta id effíciunt, ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit. Anne hoc véritas non est? Contíngat plane his verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum negant. Est ergo in nobis ipse per carnem, et sumus in eo, dum secum hoc, quod nos sumus, in Deo est. Quod autem in eo per sacraméntum communicátae carnis et sánguinis simus, ipse testátur, dicens: Et hic mundus jam me non videt, vos autem me vidébitis: quóniam ego vivo, et vos vivétis: quóniam ego in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis.

℟. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: * Et qui mandúcat me, vivet propter me. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitae et intelléctus.—Et qui. Glória Patri. Et qui.

Lectio ix. de S. Simplici, si occurrat; alias:

Lectio ix.

QUOD autem in nobis naturális haec únitas sit, ipse ita testátus est: Qui edit carnem meam, et bibit sánguinem meum, in me manet, et ego in eo. Non enim quis in eo erit, nisi in quo ipse fúerit: ejus tantum in se assúmptam habens carnem, qui suam súmpserit. Perféctae autem hujus unitátis sacraméntum supérius jam docúerat, dicens: Sicut me misit vivens Pater et ego vivo per Patrem: et qui mandúcat meam carnem, et ipse vivet per me. Vivit ergo per Patrem: et quo modo per Patrem vivit, eódem modo nos per carnem ejus vivémus.

Te Deum laudámus. 17.

MENSE NOVEMBRI.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Cyrílli Epíscopi Jerosolymitáni.

Catechesi mystagog. iv.

Lectio iv.

IPSA beáti Pauli doctrína abúnde suffícere vidétur, ut certam vobis de divínis mystériis fidem fáciat: quibus digni rédditi, concorpórei, ut ita dicam, et consanguínei Christi facti estis. Ipse enim modo clamábat, quod in

nocte qua tradebátur Dóminus noster Jesus Christus accípiens panem, et grátias agens fregit, et dedit discípulis suis, dicens : Accípite, et manducáte : hoc est corpus meum. Et accípiens cálicem, et grátias agens, dixit : Accípite, et bíbite : hic est sanguis meus. Cum ígitur ipse de pane pronuntiáverit ac díxerit : Hoc est corpus meum : quis audébit deínceps ambígere? Et cum idem ipse tam asseveránter díxerit : Hic est sanguis meus : quis unquam dubitáverit, ut dicat, non esse ejus sánguinem?

℟. Coenántibus. cccxii.

Lectio v.

AQUAM olim in vinum convértit in Cana Galilaeae, quod habet quamdam cum sánguine propinquitátem : et eum parum dignum existimábimus, cui credámus quod vinum in sánguinem transmutárit? Ad eas núptias, quibus córpora copulántur, vocátus, praeter opiniónem ómnium hoc fecit miráculum : et non multo magis sic eum corpus et sánguinem suum fruénda nobis donásse persuásum firmiter habébimus, ut ea cum omni certitúdine tamquam corpus ipsíus, et sánguinem sumámus? Nam in spécie panis dat nobis corpus, et in spécie vini dat nobis sánguinem : ut, cum súmpseris, gustes corpus et sánguinem Christi, fáctus ejúsdem córporis et sánguinis párticeps. Sic enim effícimur Christíferi, hoc est, Christum in corpóribus nostris feréntes, cum corpus ejus et sánguinem in membra nostra recípimus : sic secúndum beátum Petrum, divínae natúrae consórtes réddimur.

℟. Accépit Jesus. cccxiii.

Lectio vi.

OLIM cum Judaeis Christus dísserens : Nisi manducavéritis, inquit, carnem meam, et bibéritis meum sánguinem, non habébitis vitam in vobis. Cum autem illi, quae dicta fúerant, non spiritáliter accepíssent, offénsi abiérunt retro : putábant enim quod eos ad manducándas carnes hortarétur. Erant et in véteri testaménto panes propositiónis : verum illi cum fúerint véteris testaménti, finem jam accepérunt. In novo vero testaménto panis est coeléstis, et calix salutáris, qui et ánimam et corpus sanctíficant. Quamóbrem non sic haec atténdas velim, tamquam sint nudus et simplex panis, nudum et simplex vinum : corpus enim sunt et sanguis Christi. Nam

etiámsi sensus illud tibi renúntiat, fides tamen te confírmet. Ne júdices rem ex gustu : sed te citra ullam dubitatiónem fides certum reddat, quod sis dignus factus, qui córporis et sánguinis Christi particeps fieres.

℟. Ego sum. cccxiii.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vii. *Cap.* vi. *f.*

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis Judaeórum : Caro mea vere est cibus : et sanguis meus vere est potus. Et réliqua. Homília sancti Cyrílli Epíscopi Alexandríni. *Lib.* 4. *in Joann. cap.* xvii.

QUI mandúcat, inquit, carnem meam, et bibit sánguinem meum in me manet, et ego in illo. Sícuti enim si quis liquefáctae cerae áliam ceram infúderit, álteram cum áltera per totum commísceat necésse est ; sic qui carnem et sánguinem Dómini récipit, cum ipso ita conjúngitur, ut Christus in ipso, et ipse in Christo inveniátur. Símili quodam modo apud Matthaeum compéries. Símile est, inquit, regnum coelórum ferménto, quod accéptum abscóndit múlier in farínae satis tribus. Sicut parum, ut Paulus ait, ferménti totam massam ferméntat : sic párvula benedíctio totum hóminem in seípsam áttrahit, et sua grátia replet : et hoc modo in nobis Christus manet, et nos in Christo.

℟. Qui mandúcat. cccxiii.

Lectio viii.

NOS vero si vitam aetérnam cónsequi vólumus, si largitórem immortalitátis habére in nobis desiderámus, ad recipiéndam benedictiónem libénter concurrámus ; caveamúsque ne loco láquei damnósam religiónem diábolus nobis praeténdat. Recte (inquit) dicis : scriptum tamen esse non ignorámus, judícium sibi comédere atque bíbere illum, qui de pane cómedit, et de cálice bibit indígne. Ego ígitur probo meípsum, et indígnum invénio. Quando ígitur, quicúmque tu es, qui ista dicis, dignus eris ? Quando Christo te ipsum ófferes ? Nam si peccándo indígnus es, et peccáre non désinis (quis enim delícta intélligit ? secúndum Psalmístam) expers omníno eris vivificae hujus sanctificatiónis.

℟. Misit me. cccxiv.

Lectio ix. de S. Simplici, si occurrat ; alias :

Lectio ix.

QUARE pias quaeso, cogitatiónes suscípias, studióse sanctéque vivas, et benedictiónem partícipes : quae (mihi crede) non mortem solum, verum étiam morbos omnes depéllit. Sedat enim, cum in nobis máneat Christus, saeviéntem membrórum nostrórum legem: pietátem corróborat, perturbatiónes ánimi extínguit, aegrótos curat, collísos redíntegrat : et sicut pastor bonus, qui ánimam suam pro óvibus pósuit, ab omni nos érigit casu.

Te Deum laudámus. 17.

OFFICIUM
IMM. CONCEPT. BEATAE MARIAE VIRGINIS.

Ex Indulto S. R. C. aliquibus in locis recitandum sub ritu semiduplici, quolibet Sabbato, non impedito festo novem Lectionum, etiam translato; excepto Adventu, Quadragesima, Vigilia, Octava privilegiata, ac etiam Feria illa, in qua, secundum Rubricas, Officium Dominicae aliquando erit apponendum, etc. juxta tenorem Decreti 20. Martii 1706.

Si in Feria sexta occurrerit aliquod festum novem Lectionum, Vesperae ordinandae sunt juxta Rubricam de Concurrentia Officii.

Notandum, quod ad Completorium Feriae sextae in fine Hymni dicitur:

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,

etiamsi in Vesperis facta sit tantum Commemoratio de Immaculata Conceptione.

IN VESPERIS.

Ańa. Tota pulchra es María, cum reliquis de Laudibus. cccxxiii. Psalmi ut in festis beatae Mariae Virginis per annum. clviii.

Capitulum. *Prov.* viii. *c.*

DOMINUS possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab aetérno ordináta sum, et ex antíquis ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi et ego jam concépta eram.

Hymnus. Ave, maris stella. clx.

℣. Immaculáta Concéptio tua, Dei Génitrix Virgo. ℟. Gáudium annuntiávit univérso mundo.

Ad Magnif. Ańa. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia fecit mihi magna qui potens est, allelúia.

Oratio.

DEUS, qui per Immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum

Fílio tuo habitáculum praeparásti : quaesumus ; ut qui ex morte ejúsdem Fílii tui praevísa, eam ab omni labe praeservásti, nos quoque mundos ejus intercessióne ad te pervenire concédas. Per eúmdem Dóminum.

Commem. communes de S. Joseph, de Apostolis, de Patrono et de Pace ut in Psalterio. 157.

AD MATUTINUM.

Invit. Immaculátam Conceptiónem Vírginis Maríae celebrémus : * Christum ejus Fílium adorémus Dóminum. Psalmus. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus.

PRAECLARA custos vírginum,
Intácta mater Núminis,
Coeléstis aulae jánua,
Spes nostra, coeli gáudium.

Inter rubéta lílium,
Colúmba formosíssima,
Virga e radíce gérminans
Nostro medélam vúlneri.

Turris dracóni impérvia,
Amíca stella náufragis,
Tuére nos a fráudibus,
Tuáque luce dírige.

Erróris umbras díscute,
Syrtes dolósas ámove,
Fluctus tot inter, déviis
Tutam reclúde sémitam.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna saecula.
Amen.

In primo Nocturno.

Ańa. Admirábile est nomen tuum, * Dómine, in univérsa terra, quia in Vírgine María dignum tibi habitáculum praeparásti. Psalmi ut in festis B. M. V. per annum. clxi.

Ańa. In sole * pósuit Deus tabernáculum suum.

Ańa. In Conceptióne sua * accépit María benedictiónem a Dómino et misericórdiam a Deo salutári suo.

℣. Deus omnípotens praecínxit me virtúte. ℟. Et pósuit immaculátam viam meam.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

℟. i. Per unum hóminem peccátum in hunc mundum intrávit, in quo omnes peccavérunt. * Ne tímeas, María, invenísti grátiam apud Deum. ℣. Erípuit Dñus ánimam tuam de morte, et contra inimícum factus est protéctor tuus. — Ne tímeas.

℟. ii. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me : * Et narrábo vobis quanta fecit Deus ánimae meae. ℣. Vivit Dóminus, quóniam adimplévit in me misericórdiam suam. — Et.

℟. iii. Elécta mea cándida sicut nix in Líbano ; sicut favus distíllans lábia ejus : * Mel et lac sub lingua illíus. ℣. Veni de Líbano, sponsa mea, veni,

coronáberis coróna gratiárum. ℣. Mel et lac. Glória Patri. Mel et lac.

In secundo Nocturno.

Ańa. Diffúsa est grátia* in Conceptióne ejus, et speciósa appáruit inter fílias hóminum.

Ańa. Adjúvit eam* Deus mane dilúculo; sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Ańa. Gloriósa* dicta sunt de te, cívitas Dei; fundávit te Dóminus in móntibus sanctis.

℣. In hoc cognóvi quóniam voluísti me. ℟. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Ex Bulla dogmática Pii Papae noni.

Lectio iv.

OMNES norunt quanto stúdio haec de Immaculátae Deíparae Vírginis Conceptióne doctrína a spectatíssimis religiósis Famíliis et celebrióribus theológicis Académiis, ac praestantíssimis divinárum rerum sciéntia Doctóribus fúerit trádita, asserta ac propugnáta. Omnes páriter norunt quantópere sollíciti fúerint Sacrórum Antístites vel in ipsis ecclesiásticis convéntibus palam publicéque profitéri, sanctíssimam Dei Genitrícem Vírginem Maríam ob praevísa Christi Dñi Redemptóris mérita nunquam originali subjacuísse peccáto, sed praeservátam omníno fuísse ab orígine labe, et idcírco sublimióri modo redémptam. Quibus illud profécto gravíssimum et omníno máximum accédit, ipsam quoque Tridentínam synodum, cum dogmáticum de peccáto originali éderet decrétum, quo juxta sacrárum Scripturárum sanctorúmque Patrum ac probatissimórum conciliórum testimónia, státuit ac definívit: Omnes hómines nasci originali culpa infectos; tamen solémniter declarásse: Non esse suae intentiónis, in decréto ipso tantáque definitiónis amplitúdine comprehéndere beátam et Immaculátam Vírginem Dei Genitrícem Maríam. Hac enim declaratióne Tridentíni Patres, ipsam beatíssimam Vírginem ab originali labe solútam, pro rerum temporúmque adjúnctis, satis innuérunt, atque ádeo perspícue significárunt, nihil ex divínis Lítteris, nihil ex traditióne, Patrúmque auctoritáte rite afférri posse, quod tantae Vírginis praerogatívae quovis modo refragétur.

℟. Ego ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram: ego feci in coelis ut orirétur lumen indefíciens. Nondum erant

abyssi, et ego jam concépta eram. ℣. Deus enim creávit me in justítia, et apprehéndit manum meam, et servávit me.—Nondum.

Léctio v.

ET re quidem vera hanc de Immaculáta beatíssimae Vírginis Conceptióne doctrínã quotídie magis gravíssimo Ecclésiae sensu, magistério, stúdio, sciéntia ac sapiéntia tam spléndide explicátam, declarátam, confirmátam, et apud omnes cathólici orbis pópulos ac natiónes miréndum in modum propagátam, in ipsa Ecclésia semper extitísse véluti a majóribus accéptam, ac revelátae doctrínae charactére insignítam, illústria venerándae antíquitátis Ecclésiae Orientális et Occidentális monuménta validíssime testántur. Equidem Patres Ecclesiaeque Scriptóres, coeléstibus edócti elóquiis, nihil antíquius habuére, quam in libris ad explicándas Scriptúras, vindicánda dógmata, erudiendósque fidéles elucubrátis, summam Vírginis sanctitátem, dignitátem, atque ab omni peccáti labe integritátem, ejúsque praecláram de tetérrimo humáni géneris hoste victóriam, multis mirísque modis certátim praedicáre atque efférre.

℟. Nihil inquinátum in eam incúrrit: ℣. Candor est lucis aetérnae et spéculum sine mácula. ℟. Est enim haec speciósior sole, et luci comparáta invenítur púrior.—Candor.

Léctio vi.

QUAPROPTER enarrántes verba, quibus Deus praeparáta renovándis mortálibus suae pietátis remédia inter ipsa mundi primórdia praenúntians, et deceptóris serpéntis retúdit audáciam et nostri géneris spem mirífice eréxit ínquiens: Inimicítias ponam inter te et muliérem, et semen tuum et semen illíus, docuére: divíno hoc oráculo clare apertéque demonstrátum fuísse misericórdem humáni géneris Redemptórem, scílicet Unigénitum Dei Fílium Christum Jesum ac designátam beatíssimam ejus Matrem Vírginem Maríam, ac simul ipsíssimas utriúsque contra diábolum inimicítias insígniter expréssas. Quocírca sicut Christus Dei hominúmque mediátor, humána assúmpta natúra, delens quod advérsus nos erat chirógraphum decréti, illud cruci triumphátor affíxit, sic sanctíssima Virgo, arctíssimo et indissolúbili vínculo cum eo conjúncta, una cum illo et per illum, sempitérnas

contra venenósum serpéntem inimicítias exércens ac de ipso plenissime triúmphans, illíus caput immaculáto pede contrívit.

℟. Signum magnum appáruit in coelo: Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus: * Et in cápite ejus coróna stellárum duódecim. ℣. Induit eam Dñus vestiméntis salútis, induménto justítiae, et quasi sponsam ornávit eam monílibus suis.—Et in cápite. Glória Patri. Et in cápite.

In tertio Nocturno.

Ańa. Sanctimónia et magnificéntia* in Conceptióne ejus; annuntiáte in ómnibus pópulis glóriam ejus.

Ańa. Laetámini omnes* in Dño: et confitémini memóriae sanctitátis ejus.

Ańa. Notum fecit* Dñus opus suum: in conspéctu géntium revelávit glóriam Genitrícis suae.

℣. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me. ℟. Nec delectásti inimícos meos super me.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* i.

IN illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilaeae, cui nomen Názareth, ad vírginem desponsátam viro cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen vírginis María. Et réliqua.

Homília sancti Sophrónii Epíscopi.

Hom. in Deiparae Annunt.

AERE benedícta tu in muliéribus, quóniam Hevae maledictiónem in benedictiónem commutásti; quóniam Adam, qui prius jacébat execratióne percúlsus, ut per te benedicerétur effecísti. Vere benedícta tu in muliéribus, quóniam benedíctio Patris per te affúlsit homínibus, eósque a véteri maledícto liberávit. Vere benedícta tu in muliéribus, quia per te progenitóres tui salútem invéniunt; tu síquidem genitúra es Servatórem, qui divínam ipsis salútem comparábit. Vere benedícta tu in muliéribus, quóniam sine sémine eum protulísti fructum, qui benedictiónem terrárum orbi elargítur, ipsúmque a maledictióne spinas germinánte rédimit. Vere benedícta tu in muliéribus, quia múlier naturáli conditióne cum sis, Dei tamen Génitrix reípsa fies. Etenim si qui ex te nascitúrus est secúndum veritátem Deus est incarnátus, ipsa jure meritóque díceris Deípara, quippe quae Deum veríssime paris.

℟. Hortus conclúsus, soror mea sponsa, hortus conclúsus, fons signátus; *

℟. br. In hoc cognóvi, * Quóniã voluísti me. In hoc. ℣. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me. Quóniam. Glória Patri. In. ℣. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me. ℟. Nec delectásti inimícos meos super me.

AD NONAM.

Aña. Trahe nos.

Capitulum. *Apoc.* xii.

SIGNUM magnum appáruit in coelo: Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, et in cápite ejus coróna stellárũ duódecim.

℟. br. Exaltábo te, Dómine, * Quóniam suscepísti me. Exaltábo. ℣. Nec delectásti inimícos meos super me. Quóniam suscepísti. Glória Patri. Exaltábo te. ℣. Immaculáta Conceptio tua, Dei Génitrix Virgo. ℟. Gáudium annuntiávit univérso mundo.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis Vesperis. cccxvii.

Ad Magnif. Aña. Sancta María, succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto foemíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Immaculátam Conceptiónem.

Oratio. Deus, qui per Immaculátam, ut supra.

Kalendarium Festorum

PRO ALIQUIBUS LOCIS.

Domin. prima non impedita post Oct. SS. Apost. Petri et Pauli. Commem. omnium SS. S. R. E. Summorum Pontificum, duplex. ccxxvi.

September.

IV. Rosae Viterbiensis, Virginis, duplex. ccxxxii.
VI. Rosaliae, Virg. Panormitanae, semiduplex. ccxxxiv.
IX. Sergii I., Papae et Conf., duplex. ccxxxvi.
X. Hilari, Papae et Conf., duplex. ccxxxvii.
XX. Agapiti I., Papae et Conf., duplex. ccxxxix.
XXVI. Eusebii, Papae et Conf., duplex. ccxl.

October.

I. Gregorii, Episc. majoris Armeniae et Mart., duplex. ccxlii.
V. Gallae, Viduae, duplex. ccxliv.
VII. Marci, Papae et Conf., duplex. ccxlvi.
Dominica secunda Octobris. Maternitatis beatae Mariae Virginis, duplex majus. ccxlvii.
Dominica tertia Octobris. Puritatis beatae Mariae Virginis, duplex. ccliv.
XXI. Ursulae et soc., Virg. et Mart., duplex. cclxi.
XXII. Pulcheriae Imperatricis, Virginis, duplex. cclxiii.
XXIII. SS. Redemptoris, duplex. cclxvii.
XXIV. Raphaelis Archangeli, duplex majus. cclxxv.
XXV. Bonifacii I., Papae et Conf., duplex. cclxxxiii.
XXVI. Evaristi, Papae et Mart., duplex. cclxxxv.
XXXI. Siricii, Papae et Conf., duplex. cclxxxvi.
Dominica quarta Octobris. SS. Reliquiarum, dupl. cclxxxviii.

November.

Dominica secunda Novembris. Patrocinii beatae Mariae Virginis, duplex. ccxc.
XIII. Nicolai I., Papae et Conf., duplex. ccxc.
XIII. Stanislai Kostkae, Conf., duplex. ccxcii.
XIV. Deusdedit, Papae et Conf., duplex. ccxcv.
XIX. Pontiani, Papae et Mart., duplex. ccxcvi.
XXVI. Silvestri, Abbatis, duplex. ccxcviii.
XXVI. Leonardi a Portu Mauritio, Conf., duplex. ccxcix.
XXVIII. Gregorii III., Papae et Conf., duplex. cccii.
XXIX. Gelasii I., Papae et Conf., duplex. ccciv.
Officium votivum de Sanctissimo Sacramento. cccvi.
Officium votivum Immac. Conceptionis B. M. V. cccxvii.

Praeparatio ad Missam

PRO OPPORTUNITATE SACERDOTIS FACIENDA.

Ańa. Ne reminiscáris, * Dómine, delícta nostra, vel paréntum nostrórum ; neque vindíctam sumas de peccátis nostris.

Quae Antiphona in Festis duplicibus tantum duplicatur.

Deinde dicuntur sequentes Psalmi.

Psalmus lxxxiii.

QUAM dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum : * concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum : * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum: * rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua, Dómine : * in saecula saeculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te : * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum, in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protéctor noster áspice Deus : * et réspice in fáciem Christi tui :

Quia mélior est dies una in átriis tuis * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei, * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam et

veritátem díligit Deus : * grátiam, et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia : * Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Glória Patri, etc.

Psalmus lxxxiv.

BENEDIXISTI, Dómine, terram tuam : * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuae : * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam : * avertísti ab ira indignatiónis tuae.

Convérte nos, Deus salutáris noster : * et avérte iram tuam a nobis.

Numquid in aetérnum irascéris nobis ? * aut exténdes iram tuam a generatióne in generatiónem ?

Deus, tu convérsus vivificábis nos : * et plebs tua laetábitur in te.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam : * et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus : * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos : * et in eos, qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus : * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia et véritas obviavérunt sibi : * justítia, et pax osculátae sunt.

Véritas de terra orta est : * et justítia de coelo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem : * et terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit : * et ponet in via gressus suos.

Glória Patri, etc.

Psalmus lxxxv.

INCLINA, Dómine, aurem tuam, et exáudi me : * quóniam inops, et pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum : * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.

Miserére mei, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die : * laetífica ánimã servi tui, quóniam ad te, Dñe, ánimam meam levávi.

Quóniam tu, Dómine, suávis et mitis : * et multae misericórdiae ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam : * et inténde voci deprecatiónis meae.

In die tribulatiónis meae clamávi ad te : * quia exaudísti me.

Non est símilis tui in diis,

Dómine : * et non est secúndum ópera tua.

Omnes Gentes quascúmque fecísti, vénient, et adorábunt coram te, Dñe : * et glorificábunt nomen tuum.

Quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília : * tu es Deus solus.

Deduc me, Dómine, in via tua, et ingrédiar in veritáte tua : * laetétur cor meum ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, * et glorificábo nomen tuum in aetérnum :

Quia misericórdia tua magna est super me : * et eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, et synagóga poténtium quaesiérunt ánimam meam : * et non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu, Dómine Deus miserátor et miséricors, * pátiens, et multae misericórdiae, et verax,

Réspice in me, et miserére mei, * da impérium tuum púero tuo : et salvum fac fílium ancíllae tuae.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, et confundántur : * quóniam tu, Dómine, adjuvísti me, et consolátus es me.

Glória Patri, etc.

Psalmus cxv.

CREDIDI, propter quod locútus sum : * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo : * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dño, * pro ómnibus, quae retríbuit mihi ?

Cálicem salutáris accípiam : * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : * pretiósa in conspéctu Dñi mors sanctórum ejus :

O Dómine, quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancíllae tuae.

Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dñi invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Glória Patri, etc.

Psalmus cxxix.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine : * Dñe, exáudi vocem meam :

Fiant aures tuae intendéntes, * in vocem deprecatiónis meae.

Si iniquitátes observáveris, Dómine : * Dómine, quis sustinébit ?

Quia apud te propitiátio est : * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dñum misericórdia : * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Glória Patri, etc.

Postea repetitur Añia. Ne reminiscáris, Dómine, delícta nostra, vel paréntum nostrórũ ; neque vindíctam sumas de peccátis nostris.

Deinde Sacerdos dicit :

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Ego dixi, Dñe, miserére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

℣. Convértere, Dómine, aliquántulum. ℟. Et deprecáre super servos tuos.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodũ sperávimus in te.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et Sancti tui exúltent.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dñe. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

AURES tuae pietátis, mitíssime Deus, inclína précibus nostris : et grátia sancti Spíritus illúmina cor nostrum : ut tuis mystériis digne ministráre, teque aetérna charitáte dilígere mereámur.

DEUS, cui omne cor patet, et omnis volúntas lóquitur, et quem nullum latet secrétum : purífica per infusiónem sancti Spíritus cogitatiónes cordis nostri, ut te perfécte dilígere, et digne laudáre mereámur.

URE igne sancti Spíritus renes nostros, et cor nostrum, Dómine, ut tibi casto córpore serviámus, et mundo corde placeámus.

ENTES nostras, quaesumus, Dómine, Paráclitus, qui a te procédit, illúminet : et indúcat in omnem, sicut tuus promísit Fílius, veritátem.

ADSIT nobis, quaesumus, Dómine, virtus Spíritus sancti : quae et corda nostra cleménter expúrget et ab ómnibus tueátur advérsis.

DEUS, qui corda fidélium sancti Spíritus illustratióne docuísti : da

nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de ejus semper consolatióne gaudére.

CONSCIENTIAS nostras, quaesumus Dómine, visitándo purífica: ut véniens Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus, parátam sibi in nobis invéniat mansiónem: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia saecula saeculórum. Amen.

Orationes

PRO OPPORTUNITATE SACERDOTIS ANTE CELEBRATIONEM, ET COMMUNIONEM DICENDAE.

Oratio sancti Ambrosii Episcopi.

DIE DOMINICA.

SUMME Sacérdos, et vere Póntifex Jesu Christe, qui te obtulísti Deo Patri hóstiam puram, et immaculátam in ara crucis pro nobis míseris et peccatóribus, et qui dedísti nobis carnem tuam ad manducándum, et sánguinẽ tuum ad bibéndum, et posuísti mystérium istud in virtúte Spíritus sancti tui, dicens: Haec quotiescúmque fecéritis, in mei memóriam faciétis. Rogo per eúmdem sánguinem tuum, magnum salútis nostrae prétium: rogo per hanc miram, et ineffábilem charitátem, qua nos míseros, et indígnos sic amáre dignátus es; ut laváres nos a peccátis nostris in sánguine tuo: doce me servum tuum indígnum, quem inter caetera dona tua étiam ad officium sacerdotále vocáre dignátus es, nullis meis méritis, sed sola dignatióne misericórdiae tuae: doce me, quaeso, per Spíritum sanctum tuum, tantum tractáre mystérium ea reveréntia, et honóre, ea devotióne, et timóre, quibus opórtet, et decet. Fac me per grátiam tuam semper illud de tanto mystério crédere, et intellígere, sentíre, et firmiter tenére, dícere, et cogitáre quod tibi placet, et éxpedit ánimae meae. Intret spíritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, et sine strépitu verbórum loquátur omnem veritátem. Profúnda quippe sunt nimis, et sacro tecta velámine. Propter magnam cleméntiam tuam concéde mihi missárum solémnia mundo corde, et pura mente celebráre. Lí-

bera cor meum ab immundis, et nefándis, vanis et nóxiis cogitatiónibus. Muni me beatórum Angelórum pia et fida custódia, ac tutéla fortíssima, ut hostes ómnium bonórum confúsi discédant. Per virtútem tanti mystérii, et per manum sancti Angeli tui repélle a me, et a cunctis servis tuis duríssimum spíritum supérbiae, et caenodóxiae, invídiae, et blasphémiae, fornicatiónis, et immundítiae, dubietátis et diffidéntiae. Confundántur qui nos persequúntur: péreant illi qui nos pérdere festínant.

FERIA SECUNDA.

REX vírginum, et amátor castitátis et integritátis, coelésti rore benedictiónis tuae extíngue in córpore meo fómitem ardéntis libídinis: ut máneat in me tenor castitátis córporis et ánimae. Mortífica in membris meis carnis stímulos, omnésque libidinósas commotiónes, et da mihi veram, et perpétuam castitátem, cum caeteris donis tuis, quae tibi placent in veritáte: ut sacrifícium laudis casto córpore, et mundo corde váleam tibi offérre. Quanta enim cordis contritióne, et lacrymárum fonte, quanta reveréntia et tremóre, quanta córporis castitáte, et ánimae puritáte istud divínum, et coeléste sacrifícium est celebrandum, ubi caro tua in veritáte súmitur, ubi sanguis tuus in veritáte bíbitur, ubi ima summis, terréna divínis jungúntur, ubi adest sanctórum Angelórum praeséntia, ubi tu es sacrifícium, et Sacérdos mirabíliter, et ineffabíliter constitútus!

FERIA TERTIA.

QUIS digne hoc celebráre póterit, nisi tu Deus omnípotens offeréntem féceris dignum? Scio, Dómine, et vere scio, et idípsum pietáti tuae confíteor, quia non sum dignus accédere ad tantum mystérium, propter nímia peccáta mea, et infinítas negligéntias meas. Sed scio, et veráciter ex toto corde meo credo, et ore confíteor, quia tu potes me fácere dignum, qui solus potes fácere mundum de immúndo concéptum sémine, et de peccatóribus justos, et sanctos. Per hanc omnipoténtiam tuam te rogo, Deus meus, ut concédas mihi peccatóri hoc Sacrifícium celebráre cum timóre et tremóre, cum cordis puritáte, et lacrymárum fonte, cum laetítia spirituáli et coelésti gáudio. Séntiat mens mea dulcédi.

nem beatíssimae praesén-tiae tuae et excúbias sanctórum Angelórum tuórum in circúitu meo.

FERIA QUARTA.

EGO enim, Dómine, memor venerándae Passiónis tuae accédo ad altáre tuum, licet peccátor, ut ófferam tibi sacrifícium, quod tu instituísti, et offérri praecepísti in commemoratiónē tui, pro salúte nostra. Súscipe illud, quaeso, summe Deus, pro Ecclésia sancta tua, et pro pópulo, quem acquisísti Sánguine tuo. Et quóniam me peccatórem inter te, et eúmdem pópulum tuum médium esse voluísti, licet in me áliquod boni óperis testimónium non agnóscas, offícium saltem dispensatiónis créditae non recúses : nec per me indígnum eórum salútis péreat prétium, pro quibus víctima salutáris dignátus es esse redémptio. Prófero étiam, Dómine, (si dignéris propítius intuéri) tribulatiónes plébium, perícula populórum, captivórum gémitus, misérias orphanórum, necessitátes peregrinórum, inópiam debílium, desperatiónes languéntium, defé-ctus senum, suspíria júvenum, vota vírginum, laménta viduárum.

FERIA QUINTA.

TU enim miseréris ómnium, Dómine : et nihil odísti eórum quae fecísti. Memoráre, quae sit nostra substántia : quia tu Pater noster es, quia tu Deus noster es, ne irascáris satis, neque multitúdinem víscerum tuórum super nos contíneas. Non enim in justificatiónibus nostris prostérnimus preces ante fáciem tuam, sed in miseratiónibus tuis multis. Aufer a nobis iniquitátes nostras: et ignem sancti Spíritus in nobis cleménter accénde. Aufer cor lapídeum de carne nostra ; et da nobis cor cárneum, quod te amet, te díligat, te delectétur, te sequátur, te perfruátur. Orámus, Dñe, cleméntiam tuam, ut seréno vultu famíliam tuam, sacri tui nóminis offícia praestolántem, aspícere dignéris : et ut nullíus sit írritum votum, nullíus vácua postulátio, tu nobis preces súggere, quas ipse propítius audíre, et exaudíre delectéris.

FERIA SEXTA.

ROGAMUS étiam te, Dñe sancte Pater, et pro spirítibus fidélium defunctórum : ut sit illis salus, sánitas, gáudium, et refrigérium, hoc magnum pietátis sacraméntū. Dñe

Deus meus, sit illis hódie magnum, et plenum convívium de te pane vivo, qui de coelo descendísti, et das vitam mundo, de tua carne sancta, et benedícta, Agni vidélicet immaculáti, qui tollit peccáta mundi, quae de sancto, et glorióso beátae vírginis Maríae útero est assúmpta, et de Spíritu sancto concépta : ac de illo pietátis fonte, qui per lánceam mílitis ex tuo sacratíssimo látere emanávit, ut exínde refécti, et satiáti, refrigeráti, et consoláti, exúltent in laude, et glória tua. Peto cleméntiam tuam, Dómine, ut descéndat super panem tibi sacrificándum plenitúdo tuae benedictiónis, et sanctificátio tuae divinitátis. Descéndat étiam, Dómine, illa sancti Spíritus tui invisíbilis, incomprehensibilísque majéstas, sicut quondam in Patrum hóstias descendébat, qui et oblatiónes nostras Corpus, et Sánguinem tuum efficiat, et me indígnum sacerdótem dóceat tantum tractáre mystérium cum cordis puritáte, et lacrymárum devotióne, cum reveréntia, et tremóre, ita ut plácide, ac benígne suscípias sacrifícium de mánibus meis ad salútem ómnium, tam vivórum, quam defunctórum.

SABBATO.

ROGO étiam te, Dñe, per ipsum sacrosánctum mystérium Córporis, et Sánguinis tui, quo quotídie in Ecclésia tua páscimur, et potámur, ablúimur, et sanctificámur, atque uníus summae divinitátis partícipes efficimur : da mihi virtútes tuas sanctas, quibus replétus, bona consciéntia ad Altáre tuum accédam, ita ut haec coeléstia sacraménta efficiántur mihi salus, et vita. Tu enim dixísti ore tuo sancto, et benedícto : Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Ego sum panis vivus qui de coelo descendi. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in aetérnum. Panis dulcíssime, sana palátum cordis mei, ut séntiam suavitátem amóris tui. Sana illud ab omni languóre, ut nullam praeter te séntiam dulcédinem. Panis candidíssime, habens omne delectaméntum, et omnem sapórem, qui nos semper réficis, et nunquam in te déficis : cómedat te cor meum, et dulcédine sapóris tui repleántur víscera ánimae meae. Mandúcat te Angelus ore pleno ; mandúcet te peregrínus homo pro módulo suo, ne defícere possit in via, tali recreátus viático.

Panis sancte, panis vive, panis munde, qui descendísti de coelo, et das vitam mundo, veni in cor meum, et munda me ab omni inquinaménto carnis, et spíritus. Intra in ánimam meam, sana, et munda me intérius, et extérius. Esto tutámen, et contínua salus ánimae, et córporis mei. Repélle a me insidiántes mihi hostes : recédant procul a praeséntia poténtiae tuae, ut foris, et intus per te munítus, recto trámite ad tuum regnum pervéniam : ubi non in mystériis, sicut in hoc témpore ágitur, sed fácie ad fáciem te vidébimus, cum tradíderis regnum Deo, et Patri, et eris Deus ómnia in ómnibus. Tunc enim me de te satiábis satietáte mirífica, ita ut nec esúriam, nec sítiam in aetérnum : Qui cum eódem Deo Patre, et Spíritu sancto vivis, et regnas per ómnia saecula saeculórũ. Amen.

ALIA ORATIO
ante Missam.

AD mensam dulcíssimi convívii tui, pie Dñe Jesu Christe, ego peccátor de própriis méritis nihil praesúmens, sed de tua confídens misericórdia, et bonitáte accédere véreor, et contremísco. Nam cor et corpus hábeo multis crimínibus maculátum, mentem, et linguam non caute custodítam. Ergo, o pia Déitas, o treménda majéstas, ego miser inter angústias deprehénsus, ad te fontem misericórdiae recúrro, ad te festíno sanándus, sub tuam protectiónem fúgio : et quem júdicem sustinére néqueo, salvatórem habére suspíro. Tibi, Dómine, plagas meas osténdo : tibi verecúndiam meam détego. Scio peccáta mea multa, et magna, pro quibus tímeo. Spero in misericórdias tuas, quarum non est número. Réspice ergo in me óculis misericórdiae tuae, Dñe Jesu Christe, Rex aetérne, Deus et homo, crucifíxus propter hóminem. Exáudi me speréntem in te: miserére mei pleni misériis et peccátis, tu qui fontem miseratiónis nunquam manáre cessábis. Salve, salutáris víctima, pro me, et omni humáno génere in patíbulo crucis obláta. Salve nóbilis et pretióse Sanguis de vulnéribus crucifíxi Dómini mei Jesu Christi prófluens, et peccáta totíus mundi ábluens. Recordáre, Dómine, creatúrae tuae, quam tuo Sánguine redemísti. Poenitet me peccásse, cúpio emendáre quod feci. Aufer ergo a me, clementíssime Pater, omnes iniquitátes et peccáta mea:

ut purificátus mente et córpore, digne degustáre méreár Sancta Sanctórum : et concéde, ut haec sancta praelibátio Córporis et Sánguinis tui, quam ego indígnus súmere inténdo, sit peccatórum meórum remíssio, sit delictórum perfécta purgátio, sit túrpium cogitatiónum effugátio, ac bonórum sénsuum regenerátio, operúmque tibi placéntium salúbris efficácia, ánimae quoque et córporis, contra inimicórum meórum insídias, firmíssima tuítio. Amen.

Oratio S. Thomae de Aquino.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, ecce accédo ad sacraméntum unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi, accédo tamquam infírmus ad médicum vitae, immúndus ad fontem misericórdiae, caecus ad lumen claritátis aetérnae, pauper et egénus ad Dóminum coeli et terrae. Rogo ergo imménsae largitátis tuae abundántiam, quátenus meam curáre dignéris infirmitátem, laváre foeditátem, illumináre caecitátem, ditáre paupertátem, vestíre nuditátem : ut panem Angelórum, Regem regum, et Dóminum dominántium, tanta suscípiam reveréntia, et humilitáte, tanta contritióne, et devotióne, tanta puritáte, et fide, tali propósito, et intentióne, sicut éxpedit salúti ánimae meae. Da mihi, quaeso, Domínici Córporis, et Sánguinis non solum suscípere sacraméntum, sed étiam rem et virtútem sacraménti. O mitíssime Deus, da mihi corpus unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi, quod traxit de vírgine María, sic suscípere, ut córpori suo mystico mérear incorporári, et inter ejus membra connumerári. O amantíssime Pater, concéde mihi dilectum Fílium tuum, quem nunc velátum in via suscípere propóno, reveláta tandem fácie perpétuo contemplári : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia saecula saeculórum. Amen.

Oratio.

Gregorius XIII. Pontifex maximus concessit cuilibet dicenti quae sequuntur, 50 annorum Indulgentiam.

EGO volo celebráre Missam, et confícere Corpus et Sánguinem Dñi nostri Jesu Christi, juxta ritum sanctae Románae Ecclésiae, ad laudem omnipoténtis Dei, totiúsque Cúriae triumphántis, ad utilitátem meam, totiúsque Cúriae militántis, pro ómni-

bus, qui se commendaverunt oratiónibus meis in génere, et in spécie, et pro felíci statu sanctae Románae Eccléśiae. Amen.

GAUDIUM cum pace, emendatiónem vitae, spátium verae poeniténtiae, grátiam, et consolatiónem sancti Spíritus, perseverántiam in bonis opéribus, tríbuat mihi omnípotens et miséricors Dóminus. Amen.

Quia Sacerdos, aut tacita mentis cogitatione, aut submissa vocis expressione debet recitare singillatim nomina, pro quibus in illa celebratione vult singulariter orare (ut insinuatur per illas litteras N. N. in Canone contentas) et ne hujusmodi determinatarum personarum nominatio, ob multitudinem, aut incertum ordinem, ingerat Sacerdoti celebranti confusionem, non inutile erit sequentem servare ordinem ex 20 quaest. Quodlibet. Doctoris Subtil. et ex aliorum gravissimorum Doctorum scriptis excerptum.

Meménto, Dómine, si tibi placet,

Vivorum.

1 DEI, parentum, cognatorũ, fratrum, sororum, et amicorum meorum omnium.

2 Coetus Cardinalium, ac omnium Superiorum ordinis, atque Sacerdotum, et sanctae Ecclesiae ministrorum.

3 Omnium meae curae subjectorum, tamquam spiritualium filiorum, et omnium fundatorum, patronorum, et benefactorum spiritualium, et temporalium.

4 Omnium principum christianorum, dominationum, et rerum publicarum temporalium.

5 Omnium peccantium, inimicorumque meorum, atque conversionis omnium haereticorum, et infidelium.

6 Et omnium, pro quibus scis, et vis me debere orare.

Mortuorum.

1 ANIMARUM parentum, fratrum, sororum, cognatorum, atque amicorum omnium.

2 Animarum omnium benefactorum, tam spiritualium, quam corporalium.

3 Animarum omnium mihi in genere, et in specie commissarum.

4 Animarum Praelatorum, Sacerdotum, et omnium ministrorum sanctae Romanae Ecclesiae Dei, et Apostolicae.

5 Animarum morte improvisa corporibus exutarum, atque earum, qua-

rum non est specialis memoria.

6 Animarum, quae mei occasione in purgatorio purgantur : earum quoque miserrime in purgatorio existentium.

7 Et earum omnium, pro quibus scis, et vis me debere orare.

Gratiarum actio post Missam.

Ańa. Trium puerórum * cantémus hymnum, quem cantábant Sancti in camíno ignis, benedicéntes Dóminum.

Quae Antiphona in Festis duplicibus tantum duplicatur.

Canticum trium puerorum. *Danielis* iii. *e.*

BENEDICITE ómnia ópera Dómini Dómino : * laudáte et superexaltáte eum in saecula.

Benedícite Angeli Dñi Dómino : * benedícite coeli Dómino.

Benedícite aquae omnes, quae super coelos sunt, Dño : * benedícite omnes virtútes Dómini Dómino.

Benedícite sol et luna Dómino : * benedícite stellae coeli Dómino.

Benedícite omnis imber et ros Dómino : * benedícite omnes spíritus Dei Dómino.

Benedícite ignis et aestus Dómino : * benedícite frigus et aestus Dómino.

Benedícite rores et pruína Dómino : * benedícite gelu et frigus Dómino.

Benedícite glácies et nives Dómino : * benedícite noctes et dies Dómino.

Benedícite lux et ténebrae Dómino : * benedícite fúlgura et nubes Dómino.

Benedícat terra Dñum: * laudet et superexáltet eum in saecula.

Benedícite montes et colles Dómino : * benedícite univérsa germinántia in terra Dómino.

Benedícite fontes Dño : * benedícite mária et flúmina Dómino.

Benedícite cete et ómnia, quae movéntur in aquis, Dño : * benedícite omnes vólucres coeli Dómino.

Benedícite omnes béstiae et pécora Dómino : * benedícite fílii hóminum Dño.

Benedícat Israël Dóminum : * laudet et superexáltet eum in saecula.

Benedícite sacerdótes Dómini Dómino : * benedícite servi Dñi Dómino.

Benedícite spíritus, et ánimae justórum Dómino: * benedícite sancti, et húmiles corde Dómino.

Benedícite Ananía, Azaría, Mísaël Dómino : * laudáte et superexaltáte eum in saecula.

Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu : * laudémus et superexaltémus eum in saecula.

Benedíctus es, Dómine, in firmaménto coeli : * et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in saecula.

Hic non dicitur Glória Patri, neque Amen.

Psalmus cl.

LAUDATE Dóminum in sanctis ejus: * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubae : * laudáte eum in psaltério, et cíthara.

Laudáte eum in tympano, et choro : * laudáte eum in chordis, et órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus: laudáte eum in cymbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

Glória Patri, etc.

Deinde repetitur Antiph.

Aña. Trium puerórum cantémus hymnum, quem cantábant Sancti in camíno ignis, benedicéntes Dñum.

Postea Sacerdos dicit :

KYRIE eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua. ℟. Et sancti tui benedícant tibi.

℣. Exultábunt sancti in glória. ℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis. ℟. Sed nómini tuo da glóriam.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

DEUS, qui tribus púeris mitigásti flammas ignium: concéde propítius: ut nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum.

ACTIONES nostras quaesumus Dómine, aspirándo praeveni, et adjuvándo proséquere : ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, et per te coepta finiátur.

DA nobis, quaesumus Dómine, vitiórum nostrórum flammas extínguere, qui beáto Lauréntio tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Orationes

POST CELEBRATIONEM, ET COMMUNIONEM DICENDAE.

Oratio S. Thomae de Aquino.

GRATIAS tibi ago, Dñe sancte, Pater omnípotens, aetérne Deus, qui me peccatórem indígnum fámulum tuum, nullis meis méritis sed sola dignatióne misericórdiae tuae sátiáre dignátus es pretióso córpore, et sánguine Fílii tui Dñi nostri Jesu Christi. Et precor, ut haec sancta Commúnio non sit mihi reátus ad poenam, sed intercéssio salutáris ad véniam. Sit mihi armatúra fídei, et scutum bonae voluntátis. Sit vitiórum meórum evacuátio: concupiscéntiae, et libídinis exterminátio; charitátis, et patiéntiae, humilitátis, et obediéntiae, omniúmque virtútum augmentátio: contra insídias inimicórum ómnium, tam visibílium, quam invisibílium, firma defénsio: mótuum meórum, tam carnálium, quam spirituálium, perfécta quietátio: in te uno, ac vero Deo firma adhaesio: atque finis mei felix consummátio. Et precor te, ut ad illud ineffábile convívium me peccatórem perdúcere dignéris, ubi tu cum Fílio tuo, et Spíritu Sancto, Sanctis tuis es lux vera, satíetas plena, gáudium sempitérnum, jucúnditas consummáta, et felícitas perfécta. Per eúmdem Christum.

Alia Oratio S. Bonaventurae.

TRANSFIGE, dulcíssime Dómine Jesu, medúllas, et víscera ánimae meae suavíssimo, ac salubérrimo amóris tui vúlnere, vera, serenáque et Apostólica sanctíssima charitáte, ut lángueat, et liquefíat ánima mea solo semper amóre et desidério tui, te concupíscat, et defíciat in átria tua, cúpiat dissólvi, et esse tecum. Da, ut ánima mea te esúriat, panem Angelórum, refectiónem animárum sanctárum, panem nostrum quotidiánum supersubstantiálem, habéntem omnem dulcédinem, et sapórem, et omne delecta-

méntum suavitátis : te, in quem desíderant Angeli prospícere, semper esúriat, et cómedat cor meum, et dulcédine sapóris tui repleántur víscera ánimae meae: te semper sítiat fontem vitae, fontem sapiéntiae et sciéntiae, fontem aetérni lúminis, torréntem voluptátis, ubertátem domus Dei : te semper ámbiat, te quaerat, te invéniat, ad te tendat, ad te pervéniat, te meditétur, de te loquátur, et ómnia operétur in laudem, et glóriam nóminis tui, cum humilitáte et discretióne, cum dilectióne et delectatióne, cum facilitáte et affféctu, cum perseveántia usque in finem : et tu sis solus semper spes mea, tota fidúcia mea, divítiae meae, delectátio mea, jucúnditas mea, gáudium meum, quies et tranquíllitas mea, pax mea, suávitas mea, odor meus, dulcédo mea, cibus meus, refféctio mea, refúgium meum, auxílium meum, sapiéntia mea, pórtio mea, posséssio mea, thesáurus meus, in quo fixa, et firma, et immobíliter semper sit radicáta mens mea, et cor meum. Amen.

Oratio ad Beatissimam Virginem Mariam.

O SACRATISSIMA, o sereníssima, et ínclyta gloriósa virgo María, quae Creatóre ómnium creaturárum in tuo sacratíssimo útero fuísti digna portáre, sólaque virgíneo úbere lactáre : cujus veracíssimum, sacrúmque corpus, et sánguinem ego indígnus peccátor, modo súmere praesúmpsi : tuam humíliter déprecor misericórdiam, ut apud ipsum pro me peccatóre intercédere dignéris ; ut, quidquid in hoc tam ineffábili, ac digníssimo Sacrifício, per me indígnum ignoránter, vel negligénter, aut accidénter, seu irreverénter, scílicet in tractándo, et suméndo, ac ministrándo actum est, commíssum, vel omíssum : tuis sacratíssimis précibus indulgére dignétur idem Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus, qui cum Patre, et Spíritu Sancto vivit, et regnat in saecula saeculórum. Amen.

Rhythmus sancti Thomae ad sacram Eucharistiam.

ADORO te devóte, latens Déitas,
Quae sub his figúris vere látitas :
Tibi se cor meum totum súbjicit,
Quia te contémplans, totum déficit.
Visus, tactus, gustus in te fállitur
Sed audítu solo tuto créditur :

Credo quidquid dixit Dei Fílius,
Nil hoc verbo veritátis vérius.
In cruce latébat sola Déitas,
At hic latet simul et humánitas :
Ambo tamen credens, atque cónfitens,
Peto quod petívit latro poenitens.
Plagas, sicut Thomas, non intúeor,
Deum tamen meum te confíteor :
Fac me tibi semper magis crédere,
In te spem habére, te dilígere.
O memoriále mortis Dñi,
Panis vivus vitam praestans hómini
Praesta meae menti de te vívere,
Et te illi semper dulce sápere.
Pie pellicáne Jesu Dómine,
Me immúndum munda tuo sánguine :
Cujus una stilla salvum fácere
Totum mundum quit ab omni scélere.
Jesu, quem velátum nunc aspício,
Oro fiat illud, quod tam sítio :
Ut te reveláta cernens fácie,
Visu sim beátus tuae glóriae. Amen.

Oratio

A PAPA URBANO VIII. EDITA.

ANTE óculos tuos, Dómine, culpas nostras férimus, et plagas quas accépimus, conférimus.
Si pensámus malum quod fécimus, minus est quod pátimur, majus est quod merémur.
Grávius est quod commísimus, lévius est quod tolerámus.
Peccáti poenam sentímus, et peccándi pertináciam non vitámus.
In flagéllis tuis infírmitas nostra téritur, et iníquitas non mutátur.
Mens aegra torquétur, et cervix non fléctitur.
Vita in dolóre suspírat, et in ópere non se emén-dat.
Si expéctas, non corrígimur : si víndicas, non durámus.
Confitémur in correctióne quod égimus : oblivíscimur post visitatiónem quod flévimus.

Si exténderis manum, faciénda promíttimus : si suspénderis gládium, promíssa non sólvimus.

Si férias, clamámus ut parcas : si pepérceris, íterum provocámus ut férias.

Habes, Dómine, confiténtes reos : nóvimus quod nisi dimíttas, recte nos périmas.

Praesta Pater omnípotens sine mérito quod rogámus, qui fecísti ex níhilo qui te rogárent. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

℣. Gregem tuum, Pastor aetérne, non déseras. ℟. Sed per beátos Apóstolos tuos perpétua defensióne custódias.

℣. Prótege, Dñe, pópulum tuum ad te clamántem, et Apostolórum tuórum patrocínio confidéntem. ℟. Perpétua defensióne custódias.

℣. Oráte pro nobis, sancti Apóstoli Dei. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio.

PRAESTA, quaesumus omnípotens Deus, ut nullis nos permíttas perturbatiónibus cóncuti, quos in Apostólicae confessiónis petra solidásti. Per Dóminum nostrum.

IMPLORET, clementíssime Dñe, nostris opportúnam necessitátibus opem devóte a nobis proláta meditátio, qua sanctus olim Joánnes Chrysóstomus, in hac Basílica cónditus, te cum beatíssimis Apóstolis Petro et Paulo repraesentávit sic colloquéntem : Circúmdate hanc novam Sion, et circumvalláte eam : hoc est, custodíte, muníte, précibus firmáte : ut quando iráscor in témpore, et Orbem terrae concútio, aspíciens sepúlchrum vestrum nunquam desitúrum, et quae libénter propter me géritis stigmáta, iram misericórdia vincam, et ob hanc percípiam vestram intercessiónem. Etenim quando Sacerdótium et Regnum vídeo lacrymári, statim quasi compátiens ad commiseratiónem flecor, et illíus meae vocis reminíscor : Prótegam Urbem hanc propter David servum meum, et Aaron sanctum meum. Dómine, fiat, fiat : Amen, Amen.

Index

PSALMORUM, CANTICORUM ET HYMNORUM.

PSALMORUM.

cxix.	AD DOMINUM cum tribularer clamavi.	138
xxvij.	Ad te, Domine, clamabo ; Deus meus, ne sileas a me.	50
xxiv.	Ad te, Domine, levavi animam meam.	33
cxxij.	Ad te levavi oculos meos.	142
xxviij.	Afferte Domino, filii Dei.	51
lxxvij.	Attendite popule meus legem meam.	96
xlviij.	Audite haec, omnes gentes.	72
cxviij.	BEATI immaculati in via.	26
cxxvij.	Beati omnes, qui timent Dominum.	144
xxxj.	Beati, quorum remissae sunt iniquitates.	53
xl.	Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem.	67
j.	Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum.	4
cxj.	Beatus vir qui timet Dominum.	135
cij.	Benedic anima mea Domino. . . . . Benedic.	120
ciij.	Benedic anima mea Domino. . . . Confessionem.	121
xxxiij.	Benedicam Dominum in omni tempore.	55
cxliij.	Benedictus Dominus Deus meus.	154
lxxxiv.	Benedixisti, Domine, terram tuam.	107
xcj.	Bonum est confiteri Domino.	118
xcv.	CANTATE Domino. . . . . Cantate.	112
cxlix.	Cantate Domino. . . . . laus ejus.	21
xcvij.	Cantate Domino. . . . . quia mirabilia.	117
xviij.	Coeli enarrant gloriam Dei.	15
lxxiv.	Confitebimur tibi, Deus.	94
cx.	Confitebor tibi, Domine. . . . in consilio.	134
ix.	Confitebor tibi, Domine. . . . narrabo.	7
cxxxvij.	Confitebor tibi, Domine. . . . quoniam.	150
cvj.	Confitemini Domino quoniam bonus. . . . Dicant.	126
cxvij.	Confitemini Domino quoniam bonus. . . . . Dicat.	24
civ.	Confitemini Domino ; et invocate.	123
cv.	Confitemini Domino quoniam bonus. . . . . Quis.	124
cxxxv.	Confitemini Domino. . . . . quoniam in aeternum.	148
xv.	Conserva me, Domine, quoniam speravi in te.	11
cxv.	Credidi, propter quod locutus sum.	138
iv.	Cum invocarem exaudivit me Deus justitiae meae.	160
cxxix.	DE PROFUNDIS clamavi ad te, Domine.	64
xliij.	Deus, auribus nostris audivimus.	68
xlix.	Deus deorum Dominus locutus est.	73
lxij.	Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.	19

xxi.	Deus, Deus meus, respice in me.	34
lxix.	Deus, in adjutorium meum intende.	90
liij.	Deus, in nomine tuo salvum me fac.	24
lxxj.	Deus, judicium tuum regi da.	91
cviij.	Deus, laudem meam ne tacueris.	129
lxvj.	Deus misereatur nostri, et benedicat nobis.	19
xlv.	Deus noster refugium, et virtus.	70
lxxxij.	Deus, quis similis erit tibi.	105
lix.	Deus, repulisti nos, et destruxisti nos.	81
lxxxj.	Deus stetit in synagoga deorum.	105
lxxviij.	Deus, venerunt Gentes in haereditatem.	99
xciij.	Deus ultionum Dominus.	111
cxiv.	Dilexi, quoniam exaudiet Dominus.	137
xvij.	Diligam te, Domine, fortitudo mea.	13
xxxviij.	Dixi: Custodiam vias meas.	65
cix.	Dixit Dominus Domino meo.	134
xxxv.	Dixit injustus ut delinquat in semetipso.	57
lij.	Dixit insipiens in corde suo. . . . Deus.	77
xiij.	Dixit insipiens in corde suo. . . . Dominus.	10
cxl.	Domine, clamavi ad te, exaudi me.	152
vij.	Domine Deus meus, in te speravi.	5
lxxxvij.	Domine Deus salutis meae.	108
viij.	Domine Dominus noster.	6
cxlij.	Domine, exaudi. . . . . auribus.	114
cj.	Domine, exaudi. . . . . et clamor.	119
xx.	Domine, in virtute tua laetabitur rex.	116
vj.	Domine, ne in furore. . . . Miserere.	5
xxxvij.	Domine, ne in furore. . . . Quoniam.	59
cxxx.	Domine, non est exaltatum cor meum.	145
cxxxviij.	Domine, probasti me, et cognovisti me.	150
iij.	Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me.	5
xiv.	Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo.	10
lxxxix.	Domine, refugium factus es nobis.	101
xxiij.	Domini est terra, et plenitudo ejus.	32
xxvj.	Dominus illuminatio mea, et salus mea.	49
xxij.	Dominus regit me, et nihil mihi deerit.	34
xcij.	Dominus regnavit, decorem indutus est.	18
xcvj.	Dominus regnavit, exultet terra.	113
xcviij.	Dominus regnavit, irascantur populi.	117
cxxxiij.	ECCE nunc benedicite Dominum.	161
cxxxij.	Ecce quam bonum et quam jucundum.	147
lviij.	Eripe me de inimicis meis, Deus meus.	80
cxxxix.	Eripe me, Domine, ab homine malo.	151
xliv.	Eructavit cor meum verbum bonum.	69
cxliv.	Exaltabo te, Deus meus Rex.	154
xxix.	Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me.	51
xix.	Exaudiat te Dominus in die tribulationis.	16
lxiij.	Exaudi, Deus, orationem meam cum deprecor.	82
lx.	Exaudi, Deus, deprecationem meam.	81
liv.	Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexeris.	77

xvj.	Exaudi, Domine, justitiam meam.	12
xxxix.	Expectans expectavi Dominum.	66
lxxx.	Exultate Deo adjutori nostro.	104
xxxij.	Exultate justi in Domino.	55
lxvij.	Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus.	84
lxxxvj.	FUNDAMENTA ejus in montibus sanctis.	108
lxxxv.	INCLINA, Domine, aurem tuam, et exaudi me.	107
cxxv.	In convertendo Dominus captivitatem Sion.	143
x.	In Domino confido.	8
cxiij.	In exitu Israël de Ægypto.	136
xxx.	In te, Domine, speravi. . . . . libera me.	52
lxx.	In te, Domine, speravi. . . . . et eripe me.	90
lxv.	JUBILATE Deo. . . . . psalmum.	83
xcix.	Jubilate Deo. . . . . servite.	19
xxxiv.	Judica, Domine, nocentes me.	55
xlij.	Judica me, Deus, et discerne.	75
xxv.	Judica me, Domine, quoniam ego.	33
cxxj.	LAETATUS sum in his, quae dicta sunt mihi.	141
cxlv.	Lauda anima mea Dominum.	155
cxlvij.	Lauda Jerusalem Dominum.	156
cxlviij.	Laudate Dominum de coelis.	21
cl.	Laudate Dominum in sanctis ejus.	22
cxvj.	Laudate Dominum omnes Gentes.	138
cxlvj.	Laudate Dominum quoniam bonus.	156
cxxiv.	Laudate nomen Domini.	147
cxij.	Laudate pueri Dominum.	135
cxx.	Levavi oculos meos in montes.	139
xlvij.	MAGNUS Dominus, et laudabilis nimis.	71
cxxxj.	Memento, Domine, David.	146
lvj.	Miserere mei, Deus, miserere mei.	79
lv.	Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit.	78
l.	Miserere mei, Deus, secundum.	60
c.	Misericordiam, et judicium.	119
lxxxviij.	Misericordias Domini.	109
cxxvj.	NISI Dominus aedificaverit domum.	144
cxxiij.	Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israël.	142
xxxvj.	Noli aemulari in malignantibus.	57
lxj.	Nonne Deo subjecta erit anima mea.	82
lxxv.	Notus in Judaea Deus.	95
xlvj.	OMNES Gentes plaudite manibus.	71
cvij.	PARATUM cor meum, Deus paratum cor meum.	128
lxxij	QUAM bonus Israël Deus.	92
lxxxiij.	Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum.	106
ij.	Quare fremuerunt Gentes.	4
cxxiv.	Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion.	142
xc.	Qui habitat in adjutorio Altissimi.	161
lxxix.	Qui regis Israël, intende.	100
lj.	Quid gloriaris in malitia.	74

cxxviij.	SAEPE expugnaverunt me a juventute mea.	144
lxviij.	Salvum me fac, Deus.	88
xj.	Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus.	9
lvij.	Si vere utique justitiam loquimini.	79
cxxxvj.	Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus.	149
lxiv.	TE DECET hymnus, Deus, in Sion.	86
xij.	USQUEQUO, Domine, oblivisceris me in finem.	9
lxxiij.	Ut quid, Deus, repulisti in finem.	93
xciv.	VENITE, exultemus Domino.	2
v.	Verba mea auribus percipe, Domine.	61
cxlj.	Voce mea ad Dominum . . . . deprecatus sum.	153
lxxvj.	Voce mea ad Dominum . . . . et intendit mihi.	95

CANTICORUM.

Canticum Moysi.

Audite coeli quae loquor. 131

Canticum trium puerorum.

Benedicite omnia opera Domini Domino. 20

Canticum Zachariae.

Benedictus Dominus Deus Israël. 23

Canticum Moysi.

Cantemus Domino: gloriose. 102

Canticum Isaiae.

Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi. 62

Canticum Habacuc

Domine, audivi auditionem tuam. 114

Canticum Ezechiae.

Ego dixi: In dimidio dierum meorum. 75

Canticum Annae.

Exultavit cor meum in Domino. 86

Canticum B. M. V.

Magnificat anima mea Dominum. 137

Canticum Simeonis.

Nunc dimittis servum tuum, Domine. 162

Symbolum S. Athanasii.

Quicumque vult salvus esse. 27

Hymnus SS. Ambrosii et Augustini.

Te Deum laudamus: te Dominum confitemur. 27

HYMNORUM.

ÆTERNA Christi munera. . . . Apostolorum. v.
Æterna Christi munera. . . . . Et gloriam. ccxvii.
Æterna coeli gloria. 116
Æterne rector siderum. 457
Æterne rerum Conditor 22
Ales diei nuntius. 76
Alto ex Olympi vertice. cxlii.
Aurora jam spargit polum. 133
Ave maris stella. clx.

CHRISTE sanctorum decus Angelorum. . . . . Gentis. 442
Christe sanctorum decus Angelorum. . . . . Rector. cclxxxii.
Christo profusum sanguinem. xlv.
Coelestis Urbs Jerusalem. cxxxi.
Coeli Deus sanctissime. 145
Coelo Redemptor praetulit. ccxlviii.
Consors Paterni luminis. 65
Corpus domas jejuniis. 482
Creator alme siderum. . . . . Commune. cclxxxvii.
Creator alme siderum. . . . . Qui. 302
Custodes hominum psallimus Angelos. 451

DEUS, tuorum militum. xxvii.

ECCE jam noctis tenuatur umbra. 22
Exultet orbis gaudiis. iv.

FORTEM virili pectore. cxxiii.

GENTIS Poloniae gloria. 481

HAEC est dies, qua candidae. 473
Hominis superne Conditor. 153
Hujus oratu, Deus alme, nobis. cxxiv.

IMMENSE coeli Conditor. 139
Invicte Martyr, unicum. xxxviii.
Iste confessor Domini, colentes. 397, lxi.

JAM lucis orto sidere. 24
Jam sol recedit igneus. 157
Jam toto subitu vesper eat polo. 382
Jesu, corona celsior. 403, xciv.
Jesu, corona Virginum. cv.
Jesu, Redemptor omnium. lxxii.

LUCIS Creator optime. 137
Lustra sex qui jam peregit. 375
Lux ecce surgit aurea. 103

MAGNAE Deus potentiae. 149
Memento, rerum Conditor. clxxviii.

NOCTE surgentes vigilemus omnes.	3
Nox atra rerum contegit.	88
Nox et tenebrae et nubila.	87
Nunc sancte nobis Spiritus.	40
O GLORIOSA virginum.	clxxi.
O quot undis lacrymarum.	381
O stella Jacob fulgida.	cclv.
PANGE lingua gloriosi. . . . Corporis.	cccvii.
Pange lingua gloriosi. . . . . Lauream.	368
Placare, Christe, servulis.	495
Praeclara custos virginum.	ccliv.
Primo die, quo Trinitas.	3
QUEM terra, pontus, sidera.	clxi.
RECTOR potens, verax Deus.	43
Regis superni nuntia.	473
Rerum Creator optime. . . . Mentes.	cclxviii.
Rerum Creator optime. . . . Te.	76
Rerum Deus, tenax vigor.	46
Rex gloriose Martyrum.	lv.
Rex gloriose Praesulum.	ccxxvi.
SACRIS solemniis juncta sint gaudia.	cccviii.
Salutis aeternae dator.	506
Salutis humanae Sator.	cclxxiii.
Sanctorum meritis inclyta gaudia.	xliv.
Somno refectis artubus.	49
Splendor Paternae gloriae.	63
Summae Parens clementiae.	166
Summe Deus clementiae.	393
TE deprecante, corporum.	484
Telluris alme Conditor.	143
Te lucis ante terminum.	161
Te Mater alma Numinis.	ccliii.
Te splendor et virtus Patris.	430
Tibi Christe splendor Patris.	cclxxv.
Tu Trinitatis Unitas.	104
VERBUM supernum prodiens.	cccx.
Vexilla Regis prodeunt.	367
Virginis Proles, Opifexque Matris. . . . Haec.	cvi.
Virginis Proles, Opifexque Matris. . . . Hujus.	cvi.

Index

FESTORUM ET OFFICIORUM D.N.J.C., BEATAE MARIAE VIRGINIS, ET SANCTORUM, NECNON DOMINICARUM, OCTAVARUM ET VIGILIARUM,

alphabetico ordine dispositus.

ÆGIDII, Abbatis.	1 Sept.	339
Agapiti I., Papae et Confessoris.	20 Sept.	ccxxxix.
Andreae, Apostoli.	30 Nov.	576
Andreae Avellini, Confessoris.	10 Nov.	530
Angelorum Custodum.	2 Oct.	451
BEATÆ Mariae Virginis de Mercede.	24 Sept.	423
Bibianae, Virginis et Martyris.	2 Dec.	583
Birgittae, Viduae.	8 Oct.	464
Bonifacii I., Papae et Confessoris.	25 Oct.	cclxxxiii.
Brunonis, Confessoris.	6 Oct.	461
CÆCILIÆ, Virginis et Martyris.	22 Nov.	558
Callisti I., Papae et Martyris.	14 Oct.	471
Caroli, Episcopi et Confessoris.	4 Nov.	512
Catharinae, Virginis et Martyris.	25 Nov.	571
Chrysanthi et Dariae, Martyrum.	25 Oct.	486
Clementis, Papae et Martyris.	23 Nov.	563
Commemoratio omnium SS. S. R. E. Summorum Pontificum. Dominica prima non impedita post Octavam SS. Apost. Petri et Pauli.		ccxxvi.
Commemoratio S. Saturnini, Mart.	29 Nov.	574
Cornelii et Cypriani, Pontif. et Mart.	16 Sept.	394
Cosmae et Damiani, Martyrum.	27 Sept.	426
Cypriani et Justinae, Martyrum.	26 Sept.	425
DECOLLATIONIS S. Joannis Baptistae.	29 Aug.	327
Dedicationis S. Michaelis Archangeli.	29 Sept.	430
Dedicationis basilicae SS. Salvatoris.	9 Nov.	526
Dedicationis basilicarum SS. Apost. Petri et Pauli.	18 Nov.	548
Deusdedit, Papae et Confessoris.	14 Nov.	ccxcv.
Didaci, Confessoris.	13 Nov.	542
Dionysii, Episc., Rustici et Eleutherii, Mart.	9 Oct.	465
Dominicae Septembris. I.		165
Dominicae Septembris. II.		173
Dominicae Septembris. III.		181
Dominicae Septembris. IV.		192
Dominicae Septembris. V.		200

Dominicae Octobris.
I. 209
II. 219
III. 228
IV. 238
V. 247

Dominicae Novembris.
I. 259
II. 268
III. 277
IV. 287
V. 295

EDUARDI Regis, Confessoris. 13 Oct. 469
Elisabeth, Viduae. 19 Nov. 551
Eusebii, Papae et Confessoris. 26 Sept. ccxl.
Eustachii et Sociorum, Martyrum. 20 Sept. 412
Evaristi, Papae et Martyris. 26 Oct. 487
Evaristi, Papae et Martyris. 26 Oct. cclxxxv.
Exaltationis sanctae Crucis. 14 Sept. 366

FELICIS de Valois, Confessoris. 20 Nov. 553
Francisci, Confessoris. 4 Oct. 459
Francisci Borgiae, Confessoris. 10 Oct. 467

GALLAE, Viduae. 5 Oct. ccxliv.
Gelasii I., Papae et Confessoris. 29 Nov. ccciv.
Gertrudis, Virginis. 15 Nov. 544
Gregorii, Episcopi et Martyris. 1 Oct. ccxlii.
Gregorii III., Papae et Confessoris. 28 Nov. cccii.
Gregorii Thaumaturgi, Episc. et Confess. 17 Nov. 546

HEDWIGIS, Viduae. 17 Oct. 476
Hieronymi, Presbyteri, Confess. et Doct. 30 Sept. 440
Hilari, Papae et Confessoris. 10 Sept. ccxxxvii.
Hilarionis, Abbatis. 21 Oct. 485

Homiliae et Orationes Dominicarum post Pentecosten.
XI. 303
XII. 304
XIII. 305
XIV. 307
XV. 308
XVI. 309
XVII. 310
XVIII. 312
XIX. 313
XX. 314
XXI. 315
XXII. 317
XXIII. 318
XXIV. 324

Homiliae et Orationes Domin. quae superfuerunt post Epiphaniam.
III. 319
IV. 321
V. 322
VI. 323

IMPRESSIONIS SS. Stigmatum in corpore S. Francisci, Confessoris.	17 Sept.	397
JANUARII, Episcopi, et Soc. Martyrum.	19 Sept.	409
Joannis a Cruce, Confessoris.	24 Nov.	568
Joannis Cantii, Confessoris.	20 Oct.	481
Josephi a Cupertino, Confessoris.	18 Sept.	403
LAURENTII Justiniani, Episc. et Conf.	5 Sept.	343
Leonardi a Portu Mauritio, Conf.	26 Nov.	ccxcix.
Lini, Papae et Martyris.	23 Sept.	421
Lucae, Evangelistae.	18 Oct.	478
MARCI, Papae et Confessoris.	7 Oct.	463
Marci, Papae et Confessoris.	7 Oct.	ccxlvi.
Martini, Episcopi et Confessoris.	11 Nov.	534
Martini, Papae et Martyris.	12 Nov.	540
Maternitatis beatae Mariae Virginis. Dominica secunda Octobris.		ccxlvii.
Matthaei, Apostoli et Evangelistae.	21 Sept.	415
NATIVITAS beatae Mariae Virginis.	8 Sept.	345
Nicolai de Tolentino, Confessoris.	10 Sept.	357
Nicolai I., Papae et Confessoris.	13 Nov.	ccxc.
Nominis (SS.) beatae Mariae Virginis. Domin. infra Oct. Nativitatis B. M. V.		351
OCTAVA Nativitatis B. M. V. 2 die.	9 Sept.	355
4 die.	11 Sept.	359
5 die.	12 Sept.	362
6 die.	13 Sept.	364
Octava.	15 Sept.	377
Octava omnium Sanctorum. 2 die.	2 Nov.	508
3 die.	3 Nov.	510
5 die.	5 Nov.	516
6 die.	6 Nov.	518
7 die.	7 Nov.	520
Octava.	8 Nov.	523
Octava Dedicationis Ecclesiae. 2 die.		cxliv.
3 die.		cxlvi.
4 die.		cxlviii.
5 die.		cl.
6 die.		clii.
7 die.		cliv.
Octava.		clvi.
Officium votivum de SS. Sacramento.		cccvi.
Officium votivum Immaculatae Conceptionis beatae Mariae Virginis.		cccxvii.
PATROCINII beatae Mariae Virginis. Dominica secunda Novembris.		ccxc.
Petri, Episcopi et Martyris.	26 Nov.	573
Petri de Alcantara, Confessoris.	19 Oct.	479

Placidi et Sociorum, Martyrum.	5 Oct.	461
Pontiani, Papae et Martyris.	19 Nov.	ccxcvi.
Presentationis beatae Mariae Virginis.	21 Nov.	556
Pulcheriae Imperatricis, Virginis.	22 Oct.	cclxiii.
Puritatis beatae Mariae Virginis. Dominica tertia Octobris.		ccliv.
QUATUOR Temporum Septembris. Feria iv.		186
Feria vi.		189
Sabbato		190
RAPHAELIS Archangeli,	24 Oct.	cclxxv.
Raymundi Nonnati, Confessoris.	31 Aug.	336
Redemptoris (SS.)	23 Oct.	cclxvii.
Reliquiarum (SS.) Domin. quarta Octobris.		cclxxxviii.
Remigii, Episcopi et Confessoris.	1 Oct.	450
Rosae a S. Maria, Virg. Limanae.	30 Aug.	324
Rosae Viterbiensis, Virginis.	4 Sept.	ccxxxii.
Rosaliae, Virg. Panormitanae.	6 Sept.	ccxxxiv.
Rosarii (SS.) beatae Mariae Virginis. Dominica prima Octobris.		447
SANCTORUM omnium.	1 Nov.	495
Septem Dolorum beatae Mariae Virginis. Dominica tertia Septembris.		381
Sergii I., Papae et Confessoris.	9 Sept.	ccxxxvi.
Silvestri, Abbatis.	26 Nov.	ccxcviii.
Simonis et Judae, Apostolorum.	28 Oct.	488
Siricii, Papae et Confessoris.	31 Oct.	cclxxxvi.
Stanislai Kostkae, Confessoris.	13 Nov.	ccxcii.
Stephani Regis, Confessoris.	2 Sept.	340
TERESIAE, Virginis.	15 Oct.	473
Thomae de Villanova, Episc. et Conf.	22 Sept.	418
URSULAE et Soc., Virg. et Mart.	21 Oct.	cclxi.
VIGILIA SS. Apost. Simonis et Judae.	27 Oct.	487
Vigilia omnium Sanctorum.	31 Oct.	492
Vigilia S. Andreae, Apostoli.	29 Nov.	574
WENCESLAI, Martyris.	28 Sept.	428

Oratio

AD D. N. JESUM CHRISTUM CRUCIFIXUM.

Quam qui ante quamcumque ipsius imaginem recitaverint, plenariam peccatorum remissionem lucrari poterunt: cum facultate eamdem indulgentiam in suffragium defunctorum fidelium applicandi[1].

ECce ego, o bone et dulcíssime Jesu, ante conspéctum tuum génibus me provólvo, ac máximo ánimi ardóre te oro, atque obtéstor, ut meum in cor vívidos Fídei, Spei et Charitátis sensus, atque veram erratórum meórum poeniténtiam eáque emendándi firmíssimam voluntátem velis imprímere; dum magno ánimi affécTu et dolóre tua quinque vúlnera mecum ipse consídero, ac mente contémplor, illud prae óculis habens, quod jam in ore ponébat suo David prophéta de te, o bone Jesu: Fodérunt manus meas et pedes meos, dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Pius Papa IX. ex decr. S. Congr. Indulg. 31 Julii 1858 inhaerendo Decretis Praedecessorum suorum, eorumdemque concessiones confirmando, etiam quoad applicationem pro animabus in Purgatorio detentis, benigne declaravit praememoratam Indulg. plenariam lucrari ab iis utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes, confessi sacraque Communione refecti, dictam orationem En ego, *etc. quocumque idiomate dummodo versio sit fidelis, ante quamcumque SSmi. Crucifixi imaginem devote recitaverint, ac insuper per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint.*

[1] Decr. Congr. Indulg. 10 Apr. 1821, 17 Sept. 1825, 28 Sept. 1838, ad 2.

Oratio

A SACERDOTIBUS POST MISSAM RECITANDA.

Pius Papa IX. ex Decreto S. Cong. indulg. 11 Dec. 1846, revocata quacumque alia concessione, sacerdotibus qui sequentem orationem inter alias preces pro gratiarum actione post Missam recitaverint, indulgentiam trium annorum, fidelibus defunctis etiam applicabilem, benigne concessit.

OBSECRO te, dulcíssime Dómine Jesu Christe, ut Pássio tua sit mihi virtus, qua múniar, prótegar, atque deféndar. Vúlnera tua sint mihi cibus potúsque, quibus pascar, inébrier, atque delécter. Aspérsio Sánguinis tui sit mihi ablútio ómnium delictórum meórum. Mors tua sit mihi glória sempitérna. In his sit mihi refóctio, exultátio, sánitas, et dulcédo cordis mei. Qui vivis et regnas in saecula saeculórum. Amen.

Alia Oratio.

Pius PP. IX. ex Decr. S. C. Indulg. die 9. Januarii 1854, revocata quacumque praecedenti concessione, indulsit in perpetuum ut omnes utriusque sexus Christi fideles, qui corde saltem contrito, ac devote sequentes invocationes recitaverint, tercentum dierum Indulgentiam pro qualibet recitatione lucrari valeant; ac Indulgentiam septem tantum annorum una dumtaxat vice in die acquirendam, si eas emiserint Sacerdotes post peractum Missae sacrificium, caeterique Fideles postquam fuerint sacra communione refecti; si vero per integrum mensem semel saltem in die enuntiatas invocationes corde ut supra contrito, ac devote effuderint, Indulgentiam Plenariam una die cujuslibet mensis uniuscujusque arbitrio eligenda, dummodo vere poenitentes, confessi sacraque Synaxi refecti, aliquam Ecclesiam, seu publicum Oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem ejusdem Sanctitatis Suae pie oraverint, consequantur, facta insuper potestate eas omnes, Plenariam nempe et partiales Indulgentias, animabus in Purgatorio detentis applicandi.

ANIMA Christi, sanctífica me. Corpus Christi, salva me. Sanguis Christi, inébria me. Aqua láteris Christi, lava me. Pássio Christi, confórta me. O bone Jesu, exáudi me. Intra tua vúlnera abscónde me. Ne permíttas me separári a te. Ab hoste malígno defénde me. In hora mortis meae voca me. Et jube me veníre ad te, ut cum Sanctis tuis laudem te in saecula saeculórum. Amen.

RITUS

BENEDICTIONIS APOSTOLICAE

In articulo mortis a Sacerdotibus ad id delegatis impertiendae.

Benedictio in articulo mortis, cum soleat impertiri post Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae, et Extremae Unctionis illis infirmis, qui vel illam petierint, dum sana mente et integris sensibus erant, seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis; impertienda iisdem est, etiamsi postea linguae, caeterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium, vel amentiam inciderint. Excommunicatis vero, impoenitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda.

Habens praedictam facultatem, ingrediendo cubiculum, ubi jacet infirmus, dicat: ℣. **Pax huic dómui.** ℟. **Et ómnibus habitántibus in ea.**

Ac deinde aegrotum, cubiculum, et circumstantes aspergat aqua benedicta, dicendo Antiphonam: **Aspérges me, Dómine, hyssópo, et mundábor: lavábis me et super nivem dealbábor.**

Quod si aegrotus voluerit confiteri, audiat illum, et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de hujus Benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat; tum instruat, atque hortetur, ut morbi incommoda ac dolores in anteactae vitae expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum, quas peccando promeruit. Tum piis ipsum verbis consoletur, in spem erigens, fore, ut ex divinae munificentiae largitate eam poenarum remissionem, et vitam sit consecuturus aeternam.

Sacerdos dicat:

℣. **Adjutórium nostrum in nómine Dómini.** ℟. **Qui fecit coelum et terram.**

Ańa. Ne reminiscáris, Dómine, delícta fámuli tui (vel ancíllae tuae): neque vindíctam sumas de peccátis ejus.

Kýrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster, etc.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum, (vel ancíllam tuam, et sic deinceps). ℟. Deus meus, sperántem in te.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

CLEMENTISSIME Deus, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui néminem vis períre in te credéntem, atque sperántem: secúndum multitúdinem miserationum tuárum réspice propítius fámulum tuum N., quem tibi vera fides, et spes christiána comméndat. Vísita eum in salutári tuo, et per Unigéniti tui passiónem et mortem, ómnium ei delictórum suórum remissiónem, et véniam cleménter indúlge: ut ejus ánima in hora éxitus sui te júdicem propitiátum invéniat, et in sánguine ejúsdem Fílii tui ab omni mácula ablúta, transíre ad vitam mereátur perpétuam. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Tum dicto ab uno ex clericis astantibus Confíteor, etc. Sacerdos dicat: Misereátur, etc. deinde:

DOMINUS noster Jesus Christus, Fílius Dei vivi, qui beáto Petro Apóstolo suo dedit potestátem ligándi, atque solvéndi: per suam piíssimam misericórdiam recípiat confessiónem tuam, et restítuat tibi stolam primam, quam in baptísmate recepísti: et ego, facultáte mihi ab Apostólica Sede tribúta, indulgéntiam plenáriam, et remissiónem ómnium peccatórum tibi concédo, in nómine Patris, et Fílii, et Spíritus sancti.

PER sacrosánctae humánae reparatiónis mystéria, remíttat tibi omnípotens Deus omnes praeséntis, et futúrae vitae poenas, Paradísi portas apériat, et ad gáudia sempitérna perdúcat. Amen.

Benedícat te omnípotens Deus, Pater, Filius, et Spíritus sanctus. Amen.

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis generalis faciendae, neque praemissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim Sacerdos Benedictionem ei impertiatur.

Benedictio habitus

AC RECEPTIO CONFRATRUM B. M. V. DE MONTE CARMELO.

Propria Ordinis Carmelitarum.

Sodalitati huic nomen daturus, ipso die ad poenitentiae atque Eucharistiae Sacramenta accedat, ut plenariam Indulg. a Paulo V. concessam lucrari valeat.

Si fieri potest, Scapulare benedicendum est ad Altare Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo, duobus cereis accensis.

Sacerdos superpelliceum induat, una cum stola albi coloris.

Genuflexo qui habitum recipit, Sacerdos stans dicat:

SUSCEPIMUS, Deus, misericórdiam tuam in médio templi tui: secúndum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terrae: justítia plena est déxtera tua. Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster, secreto.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Salvum fac servum tuum. ℟. Deus meus, sperántem in te. ℣. Mitte ei, Dómine, auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eum. ℣. Nihil proficiat inimícus in eo. ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei. ℣. Dñe, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dñus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

SUSCIPIAT te Christus in número fidélium suórum, et nos, licet indígni, te suscípimus in oratiónibus nostris. Concédat tibi Deus per Unigénitum suum, mediatórem Dei et hóminum, tempus bene vivéndi, locum bene agéndi, constántiam bene perseverándi, et ad aetérnae vitae haereditátem felíciter perveniéndi: et sicut nos hódie fratérna cháritas spirituáliter jungit in terris, ita divína pietas, quae dilectiónis est auctrix et amátrix, nos cum fidélibus suis conjúngere dignétur in coelis. Per eúmdē Christum Dñum nostrum. ℟. Amen.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dñi. ℟. Qui fecit cœlum et terram. ℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc, et usque in saeculum. ℣. Dñe, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Dñus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

ÆTERNE Pater et omnípotens Deus, qui Unigénitum tuum vestem nostrae mortalitátis indúere voluísti, obsecrámus imménsam tuae largitátis bene ✠ dictiónem in hoc genus efflúere vestiménti, quod sancti Patres ad innocéntiae et humilitátis indícium, a renuntiántibus saeculo gestári sanxérunt; et sic ipsum bene ✠ dícere dignéris, ut quicúmque eo usus fúerit, indúere mereátur ipsum Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia saecula saeculórum. ℟. Amen.

Orémus.

SUPPLICITER te, Dómine, rogámus, ut super hunc hábitum servo tuo (vel ancíllae tuae), imponéndum bene ✠ díctio tua benígna descéndat: ut sit bene ✠ díctus, atque divína virtúte procul pellántur hóstium nostrórum visibílium et invisibílium tela nequíssima. ℟. Amen.

Aspergat habitum aqua benedícta, et imponendo dicat: Accipe vir devóte (vel devóta múlier) hunc hábitum benedíctum: precántes sanctíssimam Vírginem, ut ejus méritis illum pérferas sine mácula, et te ab omni adversitáte deféndat, atque ad vitam perdúcat aetérnam. ℟. Amen.

Adésto, Dñe, supplicatiónibus nostris: et hunc fámulum tuum (vel hanc ancíllam tuam), quem (vel quam) Sodalitáti sanctae Religiónis Carmelitárũ sociámus, perpétua tríbue firmitáte corroborári, ut, perseveránti propósito, in omni sanctitáte tibi váleat famulári.

Prótege, Dómine, fámulum tuum (vel ancíllam tuam), subsídiis pacis et Beátae Maríae semper Vírginis patrocíniis confidéntem a cunctis hóstibus redde secúrum (vel secúram).

Bene ✠ dícat te Cónditor coeli et terrae, Deus omnípotens, qui te elígere dignátus est ad Beatíssimae Vírginis Maríae de Monte Carmélo Societátem et Confraternitátem: quam precámur, ut in hora óbitus tui cónterat caput serpéntis, qui tibi est adversárius, et tandem, tamquam victor palmam, et corónam sempitérnae haereditátis consequáris. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Si autem habitus solum sit benedicendus, incipitur a ℣. Adjutórium nostrum, usque ad orationem Supplíciter, inclusive. Deinde aspergat confratrem aqua benedícta et subjungat:

Ego auctoritáte, qua fungor, et mihi concéssa, recí-

pio te ad Confraternitátem sacrae Religiónis Carmelitárum, et invéstio, ac partícipem te fácio ómnium bonórum spirituálium ejúsdem Ordinis. In nómine Patris, et Fí ✠ lii et Spíritus sancti. Amen.

His expletis, describatur Confratris nomen in codice Confraternitatis, et paucis, sed efficacioribus verbis Sacerdos eum adhortetur ad caute, pie, sancteque vivendum, ne Deiparam offendat, quam in posterum peculiari devotionis obsequio et affectu colere, ac veluti singularem ac dulcissimam matrem prosequi fas erit.

Benedictio Rosariorum B. M. V.

Propria Ordinis Praedicatorum.

℣. Adjutórium nostrum, in nómine Dómini. ℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

OMNIPOTENS et miséricors Deus, qui propter exímiam charitátem tuam qua dilexísti nos, Fílium tuum unigénitum, Dñum nostrum Jesum Christum, de coelis in terram descéndere, et de Beatíssimae Vírginis Maríae Dñae nostrae útero sacratíssimo, Angelo nuntiánte, carnem suscípere, crucémque ac mortem subíre, et tértia die glorióse a mórtuis resúrgere voluísti, ut nos eríperes de potestáte diáboli: obsecrámus imménsam cleméntiam tuam; ut haec signa Rosárii, in honórem, et laudem ejúsdem Genitrícis Fílii tui ab Ecclésia tua fidéli dicáta bene ✠ dícas, et sancti ✠ fices, eísque tantam infúndas virtútem Spíritus sancti, ut quicúmque horum quódlibet secum portáverit, atque in domo sua reverénter tenúerit, et in eis ad te, secúndum hujus sanctae Societátis institúta, divína contemplándo mystéria devóte oráverit, salúbri et perseveránti devotióne abúndet, sitque consors et párticeps ómnium gratiárum, privilegiórum, et indulgentiárum, quae eídem Societáti per sanctam Sedem Apostólicam concéssa fuérunt, ab omni hoste visíbili et invisíbili semper et ubíque in hoc saeculo liberétur, et in éxitu suo ab ipsa Beatíssima Vírgine María Dei Genitríce tibi plenus bonis opéribus praesentári mereátur. Per eúmdem

Dóminum nostrum Jesum Christum, etc. ℟. Amen.

Deinde aspergantur aqua benedicta.

Benedictio Domorum

EXTRA SABBATUM SANCTUM.

Parochus, seu alii Sacerdótes volentes aliquam particularem domum, vel generaliter domos fidelium alio tempore infra annum aspergere aqua benedicta, ingredientes domum dicant: **Pax huic dómui et ómnibus habitántibus in ea.**

Deinde loca aspergendo, dicant Añam **Aspérges me, Dómine, hyssópo, et mundábor: lavábis me, et super nivem dealbábor.**

Psalmus **Miserére mei, Deus, secúndum magnam misericórdiam tuam.** ℣. **Glória Patri,** etc.

Et repetitur Aña **Aspérges me,** etc.

℣. **Dómine, exáudi oratiónem meam.** ℟. **Et clamor meus ad te véniat.**

℣. **Dóminus vobíscum.**

℟. **Et cum spíritu tuo.**

Orémus.

EXAUDI nos, Dñe sancte, Pater omnípotens, aetérne Deus: et míttere dignéris sanctum Angelũ tuum de coelis, qui custódiat fóveat, prótegat, visitet, atque defendat omnes habitántes in hoc habitáculo. Per Christum Dñum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO AD OMNIA.

Haec benedictionis formula adhiberi potest, a quovis sacerdote, pro omnibus rebus, de quibus specialis benedictio non habetur in Rituali Romano.

℣. **Adjutórium nostrum in nómine Dómini.** ℟. **Qui fecit coelum et terram.**

℣. **Dóminus vobíscum.**

℟. **Et cum spíritu tuo.**

Orémus.

DEUS, cujus verbo sanctificántur ómnia, benedictiónem tuam effúnde super creatúram istam (vel creatúras istas): et praesta, ut quisquis ea (vel eis) secúndum legem et voluntátem tuam cum gratiárum actióne usus fúerit, per invocatiónem sanctíssimi Nóminis tui, córporis sanitáte, et ánimae tutélam, te auctóre, percípiat. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. **Amen.**

Deinde illam (vel illas) Sacerdos aspergit aqua benedicta.

Explicit Pars Autumn. Breviarii Romani impressa in aedibus Soc. S. Joannis Evang., Tornaci Nerviorum iii. id. Mai m.dccc.lxxvii.

Officia nonnulla

QUAE NON REPERIUNTUR SUIS LOCIS IN FINE BREVIARII.

FESTA SEPTEMBRIS.

DOMINICA I.
Septembris.

Officium S. Angeli Custodis. Duplex ii. classis cum Octava.

Pro aliquibus locis.

Officium fit ut in festo, et in Breviario ii. Octobr. 451.
Nona Lectio legitur de Dominica occurrente, de qua fit Commemoratio in Laudibus et in utrisque Vesperis.

FERIA SECUNDA
infra Octavam sancti Angeli Custodis.

Officium per Octavam dicitur ut in die festi.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente, nimirum de Dominica prima Septembris, quia heri non sunt lectae.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Augustíni Episcopi.
Lib. II. *de Civit. Dei c.* xxxi.

Lectio iv.

SANCTI Angeli, ad quorum societátem et congregatiónem in hac peregrinatióne laboriosíssima suspirámus, sicut habent permanéndi aeternitátem, ita cognoscéndi facilitátem, et requiescéndi felicitátem; sine difficultáte quippe nos ádjuvant, quóniam spirituálibus mótibus puris et líberis non labórant.

℣. Vivit ipse Dóminus, * Quóniam custodívit me Angelus ejus, et hinc eúntem, et ibi commorántem, et inde huc reverténtem. ℣. Et non permísit me Dóminus ancíllam suam coinquinári. —Quóniam.

Lectio v.

Idem ibidem. Cap. xxxi.

NOS duas societátes angélicas intellígimus, unam fruéntem Deo, álteram tuméntem typho. Unam, cui dícitur: Adoráte eum omnes Angeli ejus: áliam, cujus princeps dicit: Haec ómnia dabo tibi, si

prostrátus adoráveris me. Unam sancto Dei amóre flagrántem : álteram própriae celsitúdinis immúndo amóre fumántem. Et quóniam sicut scriptum est : Deus supérbis resístit, humílibus autem dat grátiam ; illam in coelis habitántem, istam inde deiéctam, in hoc ínfimo aéreo coelo tumultuántem.

℟. Angelus Dómini descéndit cum Azaría et sóciis ejus in fornácem, et excússit flammam ignis de fornáce : * Et non tétigit eos omníno ignis, neque contristávit. ℣. Benedíctus Deus eórum, qui misit Angelum suum, et éruit servos suos qui credidérunt in eum.— Et non.

Lectio vi.

ILLAM luminósa pietáte tranquíllam, istam tenebrósis cupiditátibus turbuléntam. Illam Dei nutu cleménter subveniéntem, juste ulciscéntem ; istam suo fastu subdéndi, et nocéndi libídine aestuántem. Illam, ut quantum vult, cónsulat, Dei bonitátis minístram, istam, ne quantum vult, nóceat, Dei potestáte fraenátam. Illam huic illudéntem, ut nolens prosit persecutiónibus suis ; hanc illi invidéntem, cum peregrínos cólligit suos.

℟. In omni tribulatióne eórum non est tribulátus, * Et Angelus faciéi ejus salvávit eos. ℣. In dilectióne sua, et indulgéntia sua ipse redémit eos, et portávit eos, et elevávit eos cunctis diébus saeculi. — Et Angelus faciéi. Glória Patri. Et Angelus faciéi.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xviii.

IN illo témpore : Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes : Quis, putas, major est in regno coelórum ? Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 3. *Comm. in Matth. cap.* xviii.

POST invéntum statérem, post tribúta réddita, quid sibi vult Apostolórum repentína interrogátio. Quis, putas, major est in regno coelórum ? Quia víderant pro Petro et Dño idem tribútum rédditum, ex aequalitáte prétii arbitráti sunt, Petrum ómnibus Apóstolis esse praelátum, qui in redditióne tribúti Dómino fúerat comparátus: ídeo intérrogant, quis major sit in regno coelórum. Vidénsque Jesus cogitatiónes eórum, et causas erróris intélligens, vult desidérium glóriae, humilitátis contentióne sanáre.

℟. Machabaeus, et qui cum eo erant, cognovérunt expugnári praesídia : * Cum fletu, et lácrymis rogábant Dñum, et omnis turba simul, ut bonum Angelum mítteret ad salútem Israël. ℣. Cum páriter prompto ánimo procéderent Hierosólymis, appáruit praecédens eos eques in veste cándida.— Cum fletu. Benedíctio. Quorum festum cólimus.

Lectio viii.

SI autem manus tua, vel pes tuus scandalízat te, abscínde eum, et prójice abs te. Necésse est quidem veníre scándala : vae tamen ei est hómini, qui quod necésse est ut fiat in mundo, vítio suo facit ut per se fiat. Igitur omnis truncátur affféctus, et univérsa propínquitas amputátur, ne per occasiónem pietátis unusquísque credéntium scándalis páteat. Si, inquit, ita est quis tibi conjúnctus, ut manus, pes, óculus, et est útilis atque sollícitus, et acútus ad perspiciéndum ; scándalum autem tibi facit, et propter dissonántiam morum te pértrahit in gehénnam : mélius est ut propinquitáte ejus, et emoluméntis carnálibus cáreas, ne dum vis lucrifácere cognátos et necessários, causam hábeas ruinárum.

℟. Tu Dómine qui misísti Angelum tuum sub Ezechía rege Juda, et interfecísti de castris Sennácherib centum octógínta quinque míllia : * Et nunc Dominátor coelórum mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timóre et tremóre magnitúdinis bráchii tui. ℣. Ut métuant qui cum blasphémia véniunt advérsus sanctum pópulum tuum.—Et nunc. Glória Patri. Et nunc.

Lectio ix.

DICO enim vobis, quia Angeli eórum semper vident fáciem Patris mei. Supra dixerat, per manum et pedem et óculum, omnes propinquitátes et necessitúdines, quae scándalum fácere póterant, amputándas : austeritátem ítaque senténtiae subjécto praecépto témperat, dicens: Vidéte, ne contemnátis unum ex pusíllis istis. Sic, inquit, praecípio severitátem, ut commiscéri cleméntiam dóceam : quia Angeli eórum in coelis vident semper fáciem Patris. Magna dígnitas animárum, ut unaquaeque hábeat ab ortu nativitátis in custódiam sui Angelum delegátum. Unde légimus in Apocalypsi Joánnis : Angelo Ephesi, et reliquárum Ecclesiárum, scribe haec. Apóstolus quo, que praecipit velári cápita

in ecclésiis foeminárum propter Angelos.
Te Deum laudámus. 17.

FERIA TERTIA
infra Octávam
sancti Angeli Custodis.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Bernárdi Abbátis. *In festivitate S. Michaelis.*

Lectio iv.

HIC est funículus triplex, quo de excélso coelórum habitáculo ad consolándos, ad visitándos, ad adjuvándos nos, attráhitur superéminens cháritas Angelórum, propter Deum, propter nos, propter seípsos. Propter Deum útique, cujus tanta erga nos misericórdiae víscera ipsi quoque imitántur. Propter nos, in quibus própriam similitúdinem miserántur. Propter seípsos, quorum órdines instaurándos ex nobis toto desidério praestolántur. In ore enim parvulórum, qui lacte modo vescúntur, et nondum sólido cibo, perficiénda est laus illa majestátis divínae, cujus habéntes primítias angélici Spíritus, beáta delectatióne fruúntur : sed tanto avídius nos expéctant, quanto consummatiónis ejus expectatióne et expetitióne sollicitántur.

℟. Vivit ipse. 1.

Lectio v.

QUAE cum ita sint, pensáte étiam, quanta nobis sollicitúdine opus est, ut dignos nos exhibeámus eórum frequéntia, et eo modo conversémur in conspéctu Angelórum, ne forte sanctos offendámus obtútus. Vae enim nobis, si quando provocáti peccátis et negligéntiis nostris, indígnos nos judicáverint praeséntia et visitatióne sua, ut jam necésse habeámus et nos plángere, et dícere cum Prophéta : Amíci mei, et próximi mei advérsum me appropinquavérunt, et stetérunt ; et qui juxta me erant, de longe stetérunt ; et vim faciébant, qui quaerébant ánimam meam. Elongátis nimírum eis, quorum praeséntia protégere nos, et propulsáre póterat inimícum.

℟. Angelus Dómini. 2.

Lectio vi.

QUOD si tam necessáriam habémus familiaritátem dignatiónis angélicae, cavénda nobis est eórum offénsa, et in his máxime exercéndum, quibus eos nóvimus oblectári. Sunt enim plúrima, quae eis placent, et quae in nobis invenire deléctat, ut est sobríetas, cástitas, paupértas voluntária, crebri in coelum gémitus, et oratiónes

cum lácrymis et cordis intensióne. Attamen super ómnia haec unitátem et pacem a nobis éxigunt Angeli pacis. E contra vero nihil aeque offéndit, et ad indignatiónē próvocat eos, quómodo dissensiónes et scándala.

℟. In omni. 2.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xviii.

IN illo témpore: Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes: Quis, putas, major est in regno coelórum? Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex variis in Matthaeum locis, Homilia xviii.

AE mundo ab scándalis. Mundum istum, terrénum locum dicit: neque vero de coelo et terra intellígere debémus mundum, sed mundum hic intelligámus terrénum; ideo quod dixit Dñus: Regnum meum non est de isto mundo: si essem de mundo: amáret me mundus. Et dícitur ad Apóstolos: Vos non estis de mundo.

℟. Machabaeus. 3.

Lectio viii.

UAE ígitur mundo, hoc est, terréno loco, ab scándalis: necésse enim est ut véniant scándala: non quia necésse, sed quia mundo necésse ut véniant. Vidéte quod dícimus, subtíle est: si necésse est ut véniant scándala, ergo absque culpa est ille, per quem venit scándalum.

℟. Tu Dómine. 3.

Lectio ix.

SED nos dícimus, scándalum non venit nisi in terréno mundo. Vis tibi non veníre scándalum? noli esse terrénus. Proptérea dico, mundus terrénus scándalum habet, terra ista necésse est ut hábeat scándalum: noli portáre terrénum, sed coeléstem, et scándalum non habébis. Verúmtamen vae hómini illi, per quem scándalum venit.

Te Deum laudámus. 17.

FERIA QUARTA
infra Octávam
sancti Angeli Custodis.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Hilárii Episcopi. *In Psalm.* cxxxvii.

Lectio iv.

N conspéctu Angelórum psallam tibi. Parum sibi exístimat Prophéta esse, ut homínibus tantum praeséntibus psallat, quia hómines corporálium tantum negotiórum offícia inspíciunt: in eo

enim quod psallit, modum complácitae operatiónis Deo osténdit. Non ergo quae vidéntur in córpore, cerni desíderat; sed ea quae spirituáliter natúrae spirituáles contuéntur, gérere festínat. Scit enim sub spécula Angelórũ vitam omnem morésque ágere, et ubíque haec divinórum ministerió-rum auxília fidélibus cunctis assístere, ut scriptum est: Praeest Angelus Dómini in circúitu timéntium eum.

℟. Vivit ipse. 1.

Lectio v.

LEGEM étiam Móysi in manu Mediatóris per Angelos fuísse depósitam docet Apóstolus. Nec non et Eliséus absolutíssime dócuit, humánas infirmitátes Angelórum auxíliis defendi, et in ómnibus perículis, si fides máneat, in nobis adésse spirituálium virtútum defensiónem. Nam cum rex Syriae cápere Geth urbem, in qua idem Prophéta Eliséus esset, paráret, et nocturnis itinéribus exércitũ suum, qui antelucánus urbem obsidéret, destinásset, puer Eliséi conspécta obsidióne. dixit: O dómine, quid faciémus? Et dixit: Noli timére, quia plures sunt nobíscum, quam cum illis.

℟. Angelus Dómini. 2.

Lectio vi.

ET orávit Eliséus ad Dóminum, et dixit: Adáperi Dñe óculos púeri hujus, ut vídeat: et apéruit Dóminus óculos púeri, et vidit. Et ecce mons erat plenus equis, et cúrribus in gyro Eliséi, et descendérunt ad eos. Tantus et tam nóbilis Prophéta solus contemplatióne auxiliórum spirituálium dignus est. Sed orátio ejus ad Deum, visum incorporálium étiam púero suo méruit. In horum ígitur assisténtium humánis auxíliis Angelórũ conspéctu psallat Prophéta, simplícibus spirituálium óperum contemplatióne placitúrus.

℟. In omni. 2.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xviii.

IN illo témpore: Accesérunt discípuli ad Jesum, dicéntes: Quis, putas, major est in regno coelórum? Et réliqua.

Homília sancti Bernárdi Abbátis.

Tom. 1. *in festivitate S. Michaelis, Serm.* xi.

UDISTIS, fratres, evangélicam lectiónem advérsus eos, qui pusíllos scandalízant, satis terribíliter intonántem. Né-

mini blandítur Véritas, néminem palpat, nullum sedúcit, apérte denúntians, quóniam vae hómini illi, per quem scándalum venit : éxpedit ei, ut suspendátur in collo ejus mola asinária : et pro suávi jugo, et levi ónere Salvatóris, gravi mole terrénae cupiditátis húmeris ejus impósita, demergátur in profúndum maris hujus magni, et spatiósi mánibus, quod est sine dúbio saeculum nequam. Períre síquidem necésse est hóminem, qui charitátem non habet, étiam si tradíderit corpus suum ita ut árdeat, et hoc díxerim, fratres, ut in ea charitáte, et unanimitáte, et pace, in qua statis in Dómino, sollíciti sitis perseveráre, et abundáre magis.

℟. Machabaeus. 3.

Lectio viii.

QUAE est enim spes nostra, et gáudium nostrum, et coróna glóriae? nonne únitas et unanímitas vestra, in qua gáudeo vos inveníri fraternitátis amatóres, et ante ómnia mútuam in vobismetípsis charitátem habéntes, quod est vínculum perfectiónis? In hoc enim cognóscunt omnes, étiam Angeli sancti, quod Christi estis discípuli, si dilectiónem habuéritis ad ínvicem. Dénique potest hinc quoque fratérnae dilectiónis utílitas magnífice commendári : numquid enim Christi grátia diligémur ab Angelis, si de mútuae dilectiónis inópia cognovérint nequáquã ejus nos esse discípulos? Numquid diligémur ab eis propter nos ipsos, id est, spirituális natúrae similitúdinem, si invenímur non dilígere humánae natúrae nostrae consórtes, imo vero, si ex eis quae inter nos sunt contentiónibus, carnáles nos magis quam spirituáles esse constíterit?

℟. Tu Dómine. 3.

Lectio ix.

DENIQUE numquid Angeli díligent nos propter seípsos, et futúram de nobis civitátis suae restauratiónem, si (quod absit) unum, quo solo uníri, coaedificári eis póssumus, defúerit glútinum charitátis? Quómodo sperábunt reaedificándos de nobis perpétuos civitátis illíus muros, si cognóverint, si víderint, nos non lápides esse vivos, qui possint ínvicem cohaerére, sed magis púlverem, quem prójicit ventus a fácie terrae, quem uníus verbi flatus in túrbinem éxcitet, et suspiciónis cujúslibet levíssima aura dispérgat? Et haec quidem dixísse suffíciat, pro eo quod ait Dómi-

nus : Si quis scandalizáverit unum de pusíllis istis.

Te Deum laudámus. 17.

FERIA QUINTA
infra Octávam
sancti Angeli Custodis.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. 9. *de Civit. cap.* xxii.

Lectio iv.

ANGELIS bonis omnis corporálium temporaliúmque rerum sciéntia vilis est, non quod eárum ignári sint, sed quod illis Dei, qua sanctificántur, cháritas cara est. Prae cujus non tantum incorporáli, verum étiam incommutábili et ineffábili pulchritúdine, cujus sancto amóre inardéscunt, ómnia quae infra sunt, et quod illud est, non sunt, seque ipsos intra illa contémnunt, ut ex toto, quod boni sunt, eo bono, ex quo boni sunt, perfruántur.

℟. Vivit ipse. 1.

Lectio v.

Ibid. lib. 10. *cap.* vii.

ANGELI in coeléstibus sédibus constitúti immortáles et beáti, qui Creatóris sui participatióne gaudent, cujus aeternitáte firmi, cujus veritáte certi, cujus múnere sancti sunt, quóniam nos mortáles et míseros, ut immortáles beatíque simus, misericórditer díligunt, nolunt nos sibi sacrificáre, sed ei, cujus et ipsi nobíscum se sacrifícium esse novérunt.

℟. Angelus Dómini. 2.

Lectio vi.

QUUM ipsis sumus una cívitas Dei, cui dícitur in Psalmo : Gloriósa dicta sunt de te cívitas Dei ; cujus pars in nobis peregrinátur, pars in illis opitulátur. De illa quippe supérna civitáte, ubi Dei volúntas intelligíbilis atque incommutábilis lex est, de illa supérna quodámmodo cúria (géritur namque ibi cura de nobis) ad nos ministráta per Angelos sancta Scriptúra descéndit.

℟. In omni. 2.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xviii.

IN illo tempore : Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes : Quis, putas, major est in regno coelórum ? Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis,

Tom. i. in festo S. Michaelis.

AM vero quem non móveat quod séquitur in Evangélio : Si óculus tuus scandalizáverit te, érue

eum ? Numquid enim corporálem hunc óculum monémur erúere, aut unam ex mánibus istis, simíliter et unum abscíndere pedem ? Absit a nobis hujúsmodi carnális omníno et nimis ridiculósa cogitátio.

℟. Machabaeus. 3.

Lectio viii.

QORRO triplex fíeri scandálum istud quotidiáno nobis nosse licet experiménto. Intérdum enim est in nobis spiritális intentiónis óculus simplex, et qui grátiae magis quam noster dicéndus sit ; sed scandalízat nos óculus noster, et qui vere a nobis est, dum volúntas nostra áliam minus castam importúne ingerit intentiónem ; sed habémus super hoc salúbre consílium Salvatóris : Erue eum, inquit, et prójice abs te. Hoc autem fiet, si non conséntias, si abjícias, si resístas. Símili modo de manu ac pede est intelligéndum.

℟. Tu Dómine. 3.

Lectio ix.

QUM autem bonis opéribus inténtos, ad ália ópera tráhere volúntas própria conátur, manus nostra est, quae scandalízat nos, sed abscíndi debet, et prójici a nobis, ut non ei consentiámus. Sic étiam proficere in sancta conversatióne, et ascéndere per gradus scalae, quae Jacob appáruit, ac, juxta quod ait Psalmísta, de virtúte in virtútem ire desiderántes, saepius scándalum pátimur a pede quodam pusillanimitátis, et negligéntiae nostrae, qui nimírum descéndere magis, ac remíssius ire conátur ; sed abscíndi eum necésse est, ut pes grátiae, qui stat in diréćto, cúrrere possit sine offensióne, sine scándalo, sine impedimento.

Te Deum laudámus. 17.

FERIA SEXTA

infra Octavam
sancti Angeli Custodis.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

In festivitate S. Michaelis.

Lectio iv.

SIGNUM est, ut glóriam Angelórum non capiéntes, tanto magis amplectámur misericórdiã, qua nimírum constat, nihilóminus abundáre domésticos Dei, coeli cives, príncipes paradísi. Testátur enim Apóstolus, qui raptus ad tértium coelum, beátae illi cúriae méruit interésse, atque ejus nosse secréta, quóniam omnes administratórii sunt spíritus, missi

in ministérium propter eos, qui haereditátem cápiunt salútis. Neque id cuíquam incredíbile videátur, quandóquidem ipse quoque Creátor, et Rex Angelórum venit non ministrári, sed ministráre, et ánimam suam dare pro multis.

℟. Vivit ipse. 1.

Lectio v.

OMNISTRANT Angeli, sed de aliéno, offeréntes Deo bona ópera, non sua, sed nostra, et nobis ejus grátiam referéntes. Unde et Scriptúra dicit : Quóniam ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini de manu Angelórum : sollícite praemísit, data ei fuísse incénsa multa. Nostros enim sudóres, non suos ; nostras, non suas lácrymas ófferunt Deo; nobis quoque ejus múnera réferunt, non sua. Non sic minister ille sublímior cunctis, sed humílior univérsis, qui semetípsum óbtulit sacrifícium laudis, qui Patri ófferens ánimam suam, nobis minístrat usque hódie carnem suam.

℟. Angelus Dómini. 2.

Lectio vi.

HUJUS ítaque tanti minístri grátia, nihil mirum si dignánter nobis, imo et libénter Angeli sancti minístrent. Ipsi enim amant nos, quia nos amávit Christus. Dícitur certe vulgári provérbio : Qui me amat, amat et canem meum. Nos vero, o beáti Angeli, catélli sumus Dómini illíus, quem tanto affféctu dilígitis. Catélli, inquam, cupiéntes saturári de micis, quae cadunt de mensis Dominórum nostrórum, qui estis vos. Et haec díxerim, fratres, ut ampliórem de caetero erga beátos Angelos fidúciam habeátis, ac proínde familiárius in omni necessitáte vestra illórum invocétis auxília ; sed et digne in eórum praeséntia conversári, et magis ac magis eórum vobis conciliáre grátiam, captáre benevoléntiam, exoráre cleméntiam studeátis.

℟. In omni. 2.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xviii.

IN illo témpore : Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes : Quis, putas, major est in regno coelórum? Et réliqua.

Homilia sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex Homilia x. *in Matth.*

VIDETE, ne contemnátis unum de párvulis istis. Párvulos non aetáte, sed multórum aestimatióne appellávit ; páuperes, inquam, ignótos, cae-

terósque hujúsmodi, quos multi contémnunt, qui revéra párvuli non sunt, cum, Creatóris ómnium amíci sint : quos ipse multo magis venerabilióres facit, dicens: Quia Angeli eórum semper vident fáciem Patris mei qui in coelis est.

℟. Machabaeus. 3.

Lectio viii.

HINC maniféstum est, quia omnes Sancti Angelos hábeant. Apóstolus étiam ait de mulíere, quóniam velámen débeat habére in cápite propter Angelos ; et Móyses : Státuit fines, inquit, Géntium secúndum número Angelórum Dei. Hic vero non de Angelis simplíciter dícitur, sed de Angelis excelléntibus atque suprémis. Nihil enim áliud designátur, cum fáciem, dicat, Patris mei aspíciunt, quam summa fidúcia eórum, et honor praecípuus.

℟. Tu Dómine. 3.

Lectio ix.

VIDES, quot quibúsque ratiónibus ad modéstiam, et ad curam tenuiórum fratrum nos révocat ? Infántem in médio státuit, et dixit : Efficiámini sicut párvuli : et quicúmque talem suscéperit párvulum, me suscípiet ; et quicúmque hunc scandalizáverit, extréma luet supplícia : et scandalizántes hómines, étiam si loco mánuum atque oculórum nobis essent, abscíndere jussit. Angelórum quoque auctoritáte, qui hos ténues fratres tutántur, ut eos venerémur, impéllit.

Te Deum laudámus. 17.

SABBATO

infra Octavam

sancti Angeli Custodis.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi.

Serm. i. *de Eliseo.*

Lectio iv.

HOSTIUM tumúltus bellicósos mínime timére debémus, nec quámlibet numerósam hóstium multitúdinem formidáre. Quóniam, sicut ait Apóstolus, major est qui in nobis est, quam qui in mundo : hoc est, poténtior est ad protegéndos fámulos suos Christus, quam diábolus ad instigándos inimícos ; quamvis enim idem diábolus cólligat sibi turbas, et crudéli eas armet insánia ; tamen fácile destruúntur, quia melióribus pópulum suum Salvátor circúmdat auxíliis. Ait enim Prophéta : Immíttet Angelum Dóminus in circúitu timéntium eum, et erípiet

eos. Quod si Angelus Dómini timéntes eum de perículis éripit, non potest timére bárbarũ, qui timúerit Salvatórem.

℟. Vivit ipse. 1.

Lectio v.

Idem in Epistola ad Hebraeos, cap. i.

QUID miráris, si Fílio ministérium éxhibent Angeli, cum étiam nostrae salútis minístros eos constet effectos? Fílius tamen sicut Dóminus salvat : isti vero sicut servi salúti praedestinatórum desérviunt. Intellígite ígitur, quantus honor nobis exístit, ad quos sicut ad amícos, ita minístros Angelos suos déstinat Deus.

℟. Angelus Dómini. 2.

Lectio vi.

Idem in Psalmum xxxvii.

QUI juxta me erant, de longe stetérunt : ne mysticus quidem pietátis abhórreat affectus, ut pro Angelis díxerit, qui praeténdunt timéntibus Dñum, ut erípiant eos de tentatiónibus, quas ferre non possunt. Quómodo ergo longe stant, qui ad adjuméntum sunt attribúti? Sed non illi se séparant, sed qui urgétur tentatiónibus, putat eos longe abésse, quos própius sibi adésse desíderat, et arbitrátur dissimuláre, cum illi adjuvándi tempus nutu sui imperatóris expéctent, qui athlétam suum quo gloriósius vínceret, diútius certáre praecépit.

℟. In omni. 2.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* xviii.

IN illo témpore : Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes : Quis, putas, major est in regno coelórum? Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Ex Homilia lix.

EURIOSE, inquit, scrutámini vos, quis vestrum major sit, et de primátus honóre conténditis. Ego autem si quis humiliórem se caeteris non effécerit, ipso ingréssu coelésti omníno indígnum ássero. Recte autem ante óculos monstratióne párvuli totam rem pósuit, ipso aspéctu eos convértens, ac persuádens, ut absque simulatióne áliqua humilitátem amplectántur.

℟. Machabaeus. 3.

Lectio viii.

PARVULI autem non invidére, nec inánem expectáre glóriam, nec primátus desideráre dignitátem novérunt : sed máxime hanc virtútem póssident,

puram dico simplicitátem, et humilitátem. Non ergo fortitúdine tantum, ac prudéntia, sed humilitátis quoque virtúte, et simplicitáte nobis opus est; quae si non adest, salus nostra certe cláudicat.

℟. Tu Dómine. 3.

Lectio ix.

PARVULUM autem aetáte, et quidem, mea sententia, valde párvulum, qui ab ómnibus esset passiónibus liber: in médio státuit. Illa enim aetas omni arrogántia, omni glóriae inánis furóre, omni livóris insánia, omni contentiónis cupiditáte, caeterísque hujúsmodi afféctibus immúnis est. Cumque praecípuis muniátur virtútibus, simplicitátis scílicet ac humilitátis, de nulla istárum supérbit, ita dúplici philosóphia ornátur.

Te Deum laudámus. 17.

DOMINICA II.
Septembris.

Die Octava S. Angeli Custodis. Duplex.

Lectiones primi Nocturni de Dominica occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis

Ex Serm. xii. *super Psalmum. Qui habitat.*

Lectio iv.

ANGELIS suis mandávit de te. Mira dignátio, et vere magna diléctio charitátis. Quis enim? quibus? de quo? quid mandávit? studióse considerémus, fratres, diligénter commendémus memóriae hoc tam grande mandátum. Quis enim mandávit? cujus sunt Angeli? cujus mandátis obtémperant? cujus obédiunt voluntáti? Nempe Angelis suis mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis. Nec cunctántur, quin étiam in mánibus tollant te. Summa ergo Majéstas mandávit Angelis, et Angelis suis mandávit. Illis útique sublímibus tam beátis, tam próxime sibi cohaeréntibus, tam familiáriter sibi adhaeréntibus, et vere domésticis Dei mandávit de te. Tu quis es? Quasi vero non sit homo putrédo, et fílius hóminis vermis.

℟. Vivit ipse. 1.

Lectio v.

SED quid putas mandávit de te? numquid scripsit contra te amaritúdines: numquid ut contra fólium, quod vento rápitur, osténdant poténtiam suam, et stípulam siccam persequántur? numquid ut tollant ímpium, ne vídeat

glóriam Dei? mandándum istud est, non mandátum. Itaque Angelis suis mandávit de te, ut custódiant te. Pretiósum depósitum nobis commíserat, fructum crucis suae, prétium sánguinis sui; non est conténtus custódia hac tam parum tuta, tam parum útili, tam frágili, tam insufficiénti. Super muros tuos Jerúsalem constítuit custódes, nempe étiam ipsi qui vidéntur muri, aut in muro ipso colúmnae, his custódibus egent, et máxime.

℟. Angelus Dómini. 2.

Lectio vi.

QUANTAM tibi debet hoc verbum inférre reveréntiam, afférre devotiónem, conférre fidúciam? Reveréntiam pro praesénția, devotiónem pro benevoléntia, fidúciam pro custódia. Caute ámbula, ut vidélicet, cui adsunt Angeli, sicut eis mandátum est, in ómnibus viis tuis : in quovis diversório, in quovis ángulo, Angelo tuo reveréntiam habe. Tu ne áudeas illo praesénte, quod vidénte me non audéres? Caeterum etsi tam párvuli sumus, et tam magna nobis, nec modo tam magna, sed et tam periculósa via restat, quid tamen sub tantis custódibus timeámus? nec superári, nec sedúci, minus autem sedúcere possunt, qui custódiunt nos in ómnibus viis nostris. Fidéles sunt, prudéntes sunt, poténtes sunt, quid trepidámus? tantum sequámur eos, adhaereámus eis, et in protectióne Dei coeli commorémur.

℟. In omni. 2.

In tertio Nocturno, Lectiones vii. et viii. ut in die festi.

Lectio ix. de Homilia Dominicae occurrentis, cujus fit Commemoratio in Laudibus et utrisque Vesperis.

Si dies Octava S. Angeli Custodis inciderit in festum Nativitatis B. Mariae Virg. fit de B. Maria Virg. cum Commemor. diei Octavae sancti Angeli Custodis.

DIE X. OCTOBRIS.

In festo
sancti Ludovici Bertrandi,
Confessoris. Duplex.
Pro aliquibus locis.

Omnia de Comm. Confessoris non Pontif. lxxxiii. praeter ea quae sequuntur.

Oratio.

DEUS, qui beátum Ludovícum Confessórem tuum per córporis mortificatiónem et fidei praecónium Sanctórum glóriae coaequásti : praesta, ut quod fide profitémur, pietátis opéribus júgiter impleámus. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

℣. Lectio iv.

LUDOVICUS Bertrándus, Valéntiae in Hispánia Tarraconénsi honéstis piísque paréntibus natus, ab ipsa pene infántia sanctitátis ac poeniténtiae tyrocínium inchoávit. Exácta puerítia intérdum nuda cubábat humo, noctes saepe ducébat insómnes, ac in pietátis et charitátis offícia sédulus incumbébat. Mundi contémptu, ac religiósae vitae ardóre succénsus, paréntum artes, quibus eum a sancto propósito dimovére conabántur, mira constántia superávit. Sui tandem voti compos effé ctus, Praedicatórum órdini nomen dedit, ubi brevi tantum profécit, ut vel provectióribus ipsis, quamvis tyro, fúerit exémplo. Emíssa professióne, mirum quot et quantis virtútum increméntis priórem vitae ratiónem cumulárit. Jejúniis, flagéllis, ciliciis, vigiliísque carnem domans, mentem jugi oratiónis pábulo nutriébat, ex quo tantum intérnae ánimi modéstiae, ac puritátis hauriébat, ut vel in ejus óculis, ac vultu appareréret.

℟. Honéstum fecit illum Dñus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem aetérnam. ℣. Justum dedúxit Dñus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei.—Et dedit.

Lectio v.

ADHUC júvenis, novitiórum praeféctus institútus, eos ad omnem verbo et exémplo sanctimóniam efformábat. Ad Occidentáles Indos evangélicus praedicátor missus, quamvis uno tantum Hispánico uterétur idiómate, eum tamen divérsae, atque inter se díssitae natiónes, sua véluti loquéntem lingua, síngulae audiébant, ex quibus innúmeros ad christiánam fidem addúxit : ibíque venénum non semel sibi a bárbaris propinátum innóxie hausit. Públicam vitiórum objurgatiónem, tamquam in se unum diréctam nóbilis quidam ultúrus, mortem Ludovíco inténtat, cum strictus in eum sclopus in Crucifixi formam repénte convértitur. Quo miráculo nefárius aggréssor permótus, ad sancti viri pedes provolútus, tanti facínoris véniam eníxe deprecátur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriae índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum

Dóminus lorícam fídei, et ornáviteum.—Et ad portas.

Lectio vi.

HUMILITATE ac patiéntia insígnis, illud idéntidem usurpábat : Dómine hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in aetérnum parcas. Prophético afflátus spíritu multa praedíxit. Ignem signo crucis extínxit, tempestátem sedávit, ferárum ímpetus cohíbuit, mórtuis vitam, caesis visum, claudis gressum, surdis réddidit audítum. Tandem durióris poeniténtiae labóribus fractus, in morbum incidit, sacrísque mystériis rite expiátus, migrávit in coelum, séptimo Idus Octóbris, anno millésimo quingentésimo octogésimo primo, aetátis vero suaequinquagésimo quinto. Quem multis étiam post óbitum miráculis clarum Paulus quintus Beatórum, Clemens vero décimus Sanctórum número adscrípsit. Ejus demum festum Alexánder octávus instánte rege cathólico, ab univérso ditiónis ipsíus clero saeculári, sub ritu dúplici celebrándum decrévit, sanctúmque Confessórem novi regni Granaténsis patrónum apostólica auctoritáte declarávit.

℣. Iste homo perfécit ómnia quae locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam: Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna.—Quia. Glória Patri. Quia.

In tertio Nocturno, Homilia sancti Gregorii Papae in Evangelium : Sint lumbi vestri, ut in eodem Communi. xcii.

DIE XVII. OCTOBRIS.

In festo B. Margaritae Mariae Alacoque, Virginis. Duplex.

Omnia de Comm. Virginum. ciii. praeter sequentia.

Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui investigábiles divítias cordis tui beátae Margarítae Vírgini mirabíliter revelásti ; da nobis ejus méritis et imitatióne, ut te in ómnibus, et super ómnia diligéntes, jugem in eódem corde tuo mansiónem hábere mereámur : Qui vivis.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ARGARITA María Alacoque in pago dioecésis Augustodunénsis honésto génere nata, miro

praeveniéntis grátiae instínctu a téneris annis viam perfectiónis arrípuit, ac primos innocentíssimi cordis affféctus ad eam interióris vitae formam, ad quam divínitus elécta erat, compósuit. Puéllula vix dum ratiónis compos nihil magis in delíciis hábuit, quam génibus pósitis, junctísque mánibus coelésti sponso sístere se, ei cor suum dicáre, et virginálē devovére castitátem, ipso intérius votum supra aetátem inspiránte. Stúdium placéndi Jesu, et píetas in Deíparam, cui se ab illo commendátā novit, páriter crevére cum annis. Ex hoc Christi amóre, quem produ-cta ad plures horas meditátio alébat, ingens exársit patiéndi amor, ut ei, quem únice diligébat, símilem se exhibéret. Hinc corpus jejúniis, vigíliis, aliísque asperitátibus ad morbum usque afflíxit: ánimum vero inter diutúrnas vexatiónes, quas patre orbáta a fámulis pértulit, ad imáginem ejus, qui mitis est, et húmilis corde constánter effíngens, brevi ad magnam sanctitátem in ipso saeculo pervénit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : ℣. Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℟. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.—Et dedúcet.

Lectio v.

ORDINEM Visitatiónis sanctae Maríae, quo a propínquis abésset lóngius, Parédii ingréssa, statim in tirocínio cunctis religiósae vitae virtútibus indúbium sanctitátis spécimen praebuit. Interim Christus sublimióris oratiónis dono, intérnis locutiónibus, aliísque charismátibus sponsam suam illustráre et ad sua consília próprius dispónere instítuit. Inter vária apparitiónes illa máxime célebris fuit, qua ante Eucharístiam oránti Jesus semetípsum conspiciéndum óbtulit, et divínum cor suum in apérto péctore flammis incénsum, et spinis constríctum osténdit, praecepítque, ut pro tali charitáte, et ad reparándas ingratórum hóminum injúrias illa públicum cordi suo cultum, magnis propósitis gratiárum praemiis, instituéndum curáret, et cunctántem humilitátis causa, seque tantae rei ímparem dictitántem, promísso auxílio et praenuntiáto succéssu confirmávit. Exínde fidíssima Christi sponsa hoc unum spiráre, verbis, exémplis, scriptis, jugi vitae suae sacrifício hoc unum quaerere visa est, ut sanctíssimo cordi Jesu intérior, exteriórque cultus, qualem ei plácere ab ipso

didícerat, ab ómnibus tribuerétur, quod et tunc fíeri mirabíliter coepit, et póstea, approbánte sancta sede, quanto fructu sit perféctum univérsus orbis cathólicus testátur.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo laetítiae. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi.

QUOD enixe a Dño petíerat, ut illústria ejus dona in sui contémptum verteréntur, abúnde obtínuit. Nunquam enim defuére domi et foris qui illam mísere illúsam credéntes, aut saltem dubitántes, ejus spíritum dictériis cárperent, vel certe assíduis ac duris subjícerent experiméntis : in quibus tamen mitíssimae Vírginis humílitas, patiéntia, obediéntia, et cháritas magis semper eluxérunt. Contumélias quoque ac minas ab extráneis ob nóbilem alúmnam a tirocínio fórtiter dimíssam invícta constántia tolerávit. Accessére morbi graves, et diutúrni, quibus levándis remédia a médicis obláta nocébant. Inter haec illa in divíno Christi corde absórpta, et igne charitátis ejus incénsa plura et gravióra pati semper optábat, extrémum morbum patientíssime toleránti súbito divíni judícii cogitátio tantum injécit metum, ut cum tremóre ac fletu Crucifíxum stringens misericórdiã sibi precarétur : sed mox consolatiónes Dei laetificavérunt ánimam ejus. Igitur tamquam consummáta charitátis víctima, die décima séptima Octóbris ad sponsum evolávit, annos nata tres et quadragínta. Coeléstem ejus glóriam mirácula confirmavérunt, quibus rite probátis, eam Pius nonus Póntifex máximus magna piórum gratulatióne quartodécimo Kaléndas Octóbris anni millésimi octingentésimi sexagésimi quarti beatárum Vírginum coetui adscrípsit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximae ejus, * Afferéntur tibi in laetítia et exultatióne. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In tertio Nocturno de Homilia in Evangel. primo loco. cxv.

DIE V. NOVEMBRIS.

In festo beatae Franciscae Ambosiae, Ducissae Britanniae, sanctimonialis ordinis Carmelitarum. Duplex.

Omnia de Communi non Virginum. cxxiii. praeter sequentia.

Oratio.

GUORUM corda fidélium Deus miserátor illústra : et beátae Francíscae précibus gloriósis fac nos próspera mundi despícere, et coelésti semper consolatióne gaudére. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BEATA Francísca illústres hábuit paréntes Ludovícum Ambósium vicecómitem de Thouars, et Maríam De Rieux ex antíqua prosápia Británnica. Adhuc infántula, ducta est ad aulam Joánnis quinti, ducis Británniae, ibíque curae trádita uxóris ipsíus, soróris Cároli séptimi regis Galliárum, piae ac religiósae mulíeris, quae sancto Vincéntio Ferrério in spirituálibus magístro usa fúerat. Tali institutríce, Francísca, quam Dóminus praevénerat in benedictiónibus dulcédinis, crevit aetáte, crevit et pietáte, ita ut ferant quinquénnem judicátam esse dignam quae ad sacram synáxim accéderet, raro quidem exémplo, mérito vero singuláris innocéntiae et judícii maturitáte, qua serva Dei, licet puéllula, nihil tamen puerile gessit. Quum annum décimum quintum attigísset solémniter nupsit Petro secúndo fílio Joánnis ducis, cui jam a plúribus annis more ejus témporis desponsáta fúerat. In matrimónio collocáta, ómnium virtútum spécimen dedit, mirae praesértim patiéntiae, quum Petrus aemulatióne prava obcaecátus, illam saevíssime afflíxerit. Nam vúlnera et contumélias humíliter tólerans ob amórem Jesu Christi crucifíxi, ita cónjugem Dómino lucráta est, ut deínceps sibi ínvicem sancte aemulántes, virtútibus in dies proficerent; atque mútua pollicitatióne pacti sunt, ut qui altérutri supérstes foret in perpétua continéntia dégeret, vel religiónem profiterétur.

℟. Propter veritátem. 17.

Lectio v.

QORTUO Francísco, fratre suo natu majóre, Petrus cum cónjuge ad corónam ducálem ex testaménto Joánnis quinti, vocátus est. Tum virtútes beátae Francíscae clárius emicuére, quum in throno pósita est, tamquam lucérna super candelábrum ut lucéret ómnibus. Voluptátes mundánas ac tumultuósa

gáudia ab aula remóvit ; et ita sapiénter horas distríbuit, ut médium diem et ámplius in oratiónem et ópera charitátis insúmeret. Corpus suum cilíciis operiébat, jejúniis domábat, ac flagéllis affligébat. Cháritas in páuperes effúsa erat, quos fere quotídie visitábat, ac potíssimum verecúndos et miséria erubescéntes matérna dilectióne recreábat. A luxu véstium abhórrens hábitu modestíssimo utebátur, cujus ab exémplo tota província brevi compósita est. Hoc autem praeclárum sanctimóniae testimónium a Petro moriénte beáta Francísca accepísse fertur, qui coram optimátibus regni proféssus dícitur se vírginem relínquere quam vírginem accéperat. Deus vero ancíllam suam in statu viduitátis multíplici tribulatióne perfécit. Propínqui ejus ípseque Ludovícus undécimus rex Galliárum pro víribus conáti sunt, ut eam removérent a propósito continéntiae, quod toto corde propter amórem Jesu Christi ampléxa fúerat. Sed beáta Francísca inter persecutiónes inimíci nunc blandiéntis, nunc minántis, invícta permánsit : cujus heróicam constántiam Deus, ceu relátum est, miráculo comprobávit.

℟. Dilexísti justítiam. 18.

Lectio vi.

TANDEM voti compos facta, aetátis suae quadragésimo, ad ascetérium evolávit, atque festo Annuntiatiónis die hábitum beátae Maríae Vírginis de Monte Carmélo, a beáto Joánne Soreth, totíus órdinis prióre generáli, Venétiis in Británnia, devotíssime accépit. Quae jam in saeculo exémplar perfectiónis eváserat, postquam mundo valedíxit, de virtúte in virtútem, cum benedictióne Dómini, ascéndit ; ómnia monástica institúta prorsus adímplens, pietáte férvida in Deum, dilectióne sancta sorórum, sui ipsíus perfécto contémptu, zelo paupertátis atque austérae mortificatiónis. Jussu autem Sixti Papae quarti venit ad coenóbium Nostrae Dóminae de Scótiis, prope Nannétas, ubi réliquum vitae cursum sanctíssime complévit, atque obdormívit in Dómino, die quarta Novémbris, féria sexta, hora nona, anno millésimo quadringentésimo octogésimo quinto : últimũ vale soróribus relínquens in haec verba, quae frequéntius usurpáre sólita erat : Eia, ágite ut Deus super ómnia diligátur. Séptimo post mortem anno, sepúlcrum ejus elevátum est, quod Deus signis et grátiis

illustrávit, et per tria saecula cultus servae Dei indefésse exhíbitus, sive a moniálibus Scotiánis, sive a fidélibus eo úndique confluéntibus. Quem rite expénsum Pius nonus Póntifex máximus decréto apostólico confirmávit, et festum beátae Francíscae Ambósiae cum missa et offício celebrári die quinta Novémbris benígne indúlsit.

℟. Fallax grátia. cxxvi.

In iii. Noct., Homília in Evang. Símile est. cxxvi.

DIE XXVI. SEPTEMB.

In festo B. Mariae de Socos, Virg. Duplex.

Pro omnibus tam Saecular. quam Regular. omnium regn. et provinc. Imperio subjectis.

Omnia de Comm. Virg.

IN I. VESPERIS.

Ad Magnif. Aña. Flagéllis et caténa María corpus domábat : siléntio et abstinéntia ánimum custodiébat: oratiónibus incessánter instábat, docens Christi sponsas vas corruptíbile in sanctificatióne et honóre possidére.

Oratio.

DEUS, qui nos cónspicis in tot perículis constitútos pro nostra fragilitáte non posse subsístere: concéde propítius; ut, intercedénte beáta María fámula tua, de praeséntis vitae flúctibus edúcti ad aetérnae salútis portum perveníre valeámus. Per Dóminum.

Commem. SS. Cypriani et Justinae, Martyrum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

MARIA, nóbili família de Cervellióne Barcinóne in Hispánia nata, et a paréntibus in Dei timóre primis ab annis enutríta, virginitátem suam, cum decem et octo esset annórum, illi devóvit. Ejus vivéndi rátio erat, in públicum rárius prodíre, aegrotántibus doméstici sédulo adésse, et in nosocomío ter in hebdómada paupéribus ministráre. Annum trigésimum agens, defúncto patre, hábitum órdinis sanctae Maríae de Mercéde prima ex foeminis suscípiens, sanctimoniálibus ejúsdem órdinis ducem, et magístram, et exémplar se praebuit, ac distribúto património in redemptiónem captivórum, professiónem in eódem órdine una cum voto de laborándo pro rediméndis captívis emísit.

℟. Propter veritátē. cxiii.

Lectio v.

QUATRE e vivis subláta, cum áliquot honéstis foeminis ejúsdem institúti piam sanctámque vitam perégit : sólita quotídie mulíerum, a suis frátribus redemptárum, ac Barcinónem adveniéntium, pedes in hospitáli domo laváre ; quínquies in hebdómada sacra Eucharístia réfici, terque jejunáre solo pane et aqua conténta ; quotidiánis flagéllis ínsuper et férrea caténa corpus suum afflígens. Siléntium, quod mira observántia colébat, inánibus verbis nunquam infrégit, ac párcius indúlgens somno, expetébat ab ejúsmodi necessitáte liberári, ut illo solo fruerétur incessánter, quo jucundántur coeli, et Angeli laetántur. Quod diúrni témporis supérerat ab oratióne et pietátis exercítiis, in páuperes juvándos impendébat : nullum officii genus praetermíttens, quo afflíctos consolarétur, oppréssos liberáret, et vinctos edúceret de carcéribus.

℟. Dilexísti. cxiii.

Lectio vi.

FUTURAS maris tempestátes praenuntiábat, illásque saepe suis oratiónibus sedávit : visa aliquóties super undas incédere, quo fratres captivórum redemptóres, aliósque in mari periclitántes serváret incólumes : unde ei María de Subsídio, vulgo de Socos, nomen est índitum. Dénique post multa virtútum insígnia, Barcinóne migrávit ad Dóminum, décimo tértio Kaléndas Octóbris, anno salútis millésimo ducentésimo nonagésimo. Ejus corpus, ex quo suavíssimus odor manábat, sepúltum est in ecclésia fratrum órdinis sui : quod nonagésimo post anno, Epíscopo Barcinonénsi, Petro Arragóniae rege, caeterísque aulae et civitátis primátibus adstántibus, solémni pompa elevátum, incorrúptum repértum fuit, ac decentióri loco, ubi religióse cólitur, asservátur.

℟. Afferéntur. cxiii.

In tertio Noct., Homilia in Evang. Símile erit. cxv.

Lectio ix. de SS. Mart.

Ad Bened. Ańa. Adducéntur in laetítia et exultatióne Regi Dómino Vírgines post Maríam, ut in sanctitáte et justítia sérviant illi, et quocúmque íerit, ipsum Agnum sequántur.

Commem. SS. Martyrum.

IN II. VESPERIS.

Ad Magnif. Ańa. Mare et venti Maríae obédiunt, angélici candóris virtúte pollénti : aquae multae cessérunt ardóri charitátis ejus.

DIE XIV. NOVEMBR.

S. Josaphat, Episcopi et Martyris.

Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart. Pont. præter seq. Oratio.

EXCITA, quæsumus Dómine, in Ecclésia tua Spíritum, quo replétus beátus Jósaphat Martyr et Póntifex tuus ánimam suam pro óvibus pósuit : ut, eo intercedénte, nos quoque eódem Spíritu moti ac roboráti ánimam nostram pro frátribus pónere non vereámur. Per Dóminum. in unitáte ejúsdem.

Inj. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente. In secundo Nocturno. Lectio iv.

JOSAPHAT Kuncewítius nobílibus et cathólicis paréntibus Vladimíriæ in Volhínia natus, cum puérulus matrem de Christi passióne loquéntem audíret, jáculo a látere imáginis Jesu Crucifixi immísso, vulnus in corde suscépit. Dei amóre incénsus, ádeo oratióni aliísque piis opéribus instáre cœpit, ut provectióribus adolescéntibus exémplo et admiratióni esset. Vicénnis inter claustráles sancti Basílii alúmnos monásticam régulam proféssus, mirum quos in evangélica perfectióne progréssus fécerit. Nudis pédibus, frigidíssima licet sæviénte regiónis hyeme, incedébat : carnes numquam, vinum nonnísi ex obediéntia adhíbuit, asperrimóque cilício ad óbitum usque corpus afflíxit. Castitátis florem, quem ab adolescéntia Vírgini Deíparæ vóverat, inviolátum servávit. Virtútis doctrinæque ejus brevi sic fama percrébuit, ut quamvis júnior, Byténii monastério præféctus sit : mox Vilnénsis Archimandríta ac demum Archiepíscopus Polocénsis, invítus quidem, sed cathólicis gestiéntibus, fúerit renuntiátus.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

HAC dignitáte auctus, nihil de prióri vivéndi ratióne remíttens,

nonnísi divínum cultum et creditárum sibi óvium salútem cordi hábuit. Cathólicæ unitátis ac veritátis strénuus propugnátor, totis víribus adlaborávit ut schismáticos hæreticósque ad communiónem cum beáti Petri sede redúceret. Summum Pontíficem ejúsque potestátis plenitúdinem ab impudentíssimis impiórum calúmniis et erróribus, qua conciónibus, qua scriptis pietáte ac doctrína refértis deféndere numquam déstitit. Episcopálem jurisdictiónem et Ecclésiæ bona a láicis usurpáta vindicávit. Incredíbile dictu est quot hæréticos in sinum matris Ecclésiæ revocáverit. Uniónis vero Græcæ Ecclésiæ cum Latína Josaphátum promotórem extitísse præclaríssimum, étiam pontifícia orácula disérte testántur. Ad hæc, et templi Dei decóri instaurándo, et sacrárum vírginum extruéndis ædibus, aliísque piis opéribus juvándis, mensæ suæ provéntus ultro erogávit. In páuperes ádeo effúsus, ut cum olim inópiæ cujúsdam víduæ sublevándæ nihil occúrreret, episcopále pállium, seu Omophórion, oppignorár jússerit.

Desidérium ánimæ.

Lectio vj.

Tot cathólicæ fídei increménta perditíssimórum hóminum ádeo excitavérunt ódia, ut, conspiratióne ínita, Christi athlétam ad necem quærerent; quam sibi imminére ipse in suo ad pópulum sermóne prænunciávit. Cum ítaque Vitépscum pastorális visitatiónis grátia profectus esset, illi archiepiscopáles invádunt ædes: óbvios quosque fériunt ac cædunt. Tum vir mitíssimus quæréntibus sponte occúrrit, cósque amíce compéllans, Filioli, inquit, quare familiáres meos cæditis? Si quid contra me habétis, ecce adsum. Hinc ímpetu facto, eum verbéribus contúndunt, telis confódiunt, ac demum immáni secúri necátum, in flumen projíciunt; die duodécima Novémbris anni sexcentésimi vicésimi tértii supra millésimum, ætátis ejus quadragésimi tértii. Corpus mirábili luce circumfúsum, ex imo flúminis álveo elátum est. Sanguis Mártyris parricídis ipsis in primis prófuit, qui fere omnes cápitis damnáti, ejuráto schísmate suum scelus detestáti sunt. Cum tantus Præsul plúrimis post óbitum coruscáret miráculis,

eum Urbánus Octávus Póntifex Máximus Beatórum honóribus decorávit, Pius Nonus tértio kaléndas Júlias anni millésimi octingentésimi sexagésimi séptimi, cum sæculária Apostolórum Príncipum solémnia celebraréntur, coram Patrum Cardinálium senátu, simúlque adstántibus fere quingéntis Patriárchis, Metropolítis et Epíscopis cujuscúmque ritus, qui ex toto terrárum orbe convénerant, hunc ecclesiásticæ unitátis adsertórem, primum ex orientálibus, solémni ritu in Vaticána Basílica Sanctórum órdini accénsuit. Cujus Officium ac Missam Leo décimus tértius Summus Póntifex ad univérsam exténdit Ecclésiam.

℟. Stola jucunditátis.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Cap. 10.

Lectio vii.

IN illo témpore dixit Jesus Pharisæis : Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilia Sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia 59. *in Joannem.*

MAGNUM quiddam, dilectíssimi, magnum, inquam, est Ecclésiæ prælátio ; et quæ multa índiget sapiéntia et fortitúdine, qualem Christus propósuit, ut ánimam pro óvibus ponámus, et numquam illas deserámus, ut lupo generóse resistámus. Hæc enim inter pastórem et mercenárium est differéntia. Alter própriæ, contémpta, óvium semper salúti invígilat. Pastóris ergo exémplo demonstráto, deceptóres duos méminit ; furem mactántem et rapiéntem oves, et mercenárium permitténtem, neque defendéntem commíssas.

℟. Coróna áurea.

Lectio viii.

QUOD superiori témpore Ezéchiel his verbis insectátus est : Væ pastóribus Israel: nonne pascébant semetípsos? nonne greges pascúntur a pastóribus? sed illi contrárium faciébant, quod máximæ malítiæ genus est, et plurimórum causa malórum ; idcírco, inquit, neque quod abjéctum erat, reducébant, neque quod períerat quærébant: neque confráctum alligábant : neque infírmum consolidábant : quóniam se, non gregem pascébant. Idem et Paulus áliis verbis si-

gnificat : omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi.

℟. Hic est vere Martyr.

Lectio IX.

VERUM ab utróque se dissidére osténdit Christus : ab illis quidem qui in aliórum perníciem véniunt, cum dicat se proptérea venisse, ut vitam habérent : ab his autem, qui oves a lupis rapi negligébant, dicéndo se propter eas ánimam pónere, ne oves perírent. Nam cum Judæi ipsum interímere vellent, non proptérea déstitit a doctrína, neque credéntes trádidit, sed pérstitit, et pértulit mortem : ídeo frequénter inquit : Ego sum pastor bonus. Quæ cum nullo niti testimónio videréntur (quod enim póneret ánimam suam non multo post re demonstrátum est; quod autem vitam habérent et abundántius habérent, eventúrum erat in futúro sæculo) álterum ab áltero confírmat.

Te Deum laudámus.

Concordant cum originalibus penes Secretariam Sacrorum Rituum Congregationis existentibus. In fidem, etc. Ex eadem Secretaria hac die 18 Decembris 1882.

Loco ✠ Signi.

S. R. C. Secretarius.

Imprimi possunt. Mechliniæ, die 22 Januarii 1883.

Victor Augustus Card. Derbampo,
Arch. Mechlin.

Mechliniæ, H. Dessain. — mdcccclxxxiii.

OFFICIA PROPRIA

SANCTORUM

ECCLESIÆ CATHEDRALIS, CIVITATIS ET DIŒCESIS

RURÆMUNDENSIS,

A SACRA RITUUM CONGREGATIONE APPROBATA ET EDITA JUSSU

Ill.Lmi ET Rmi DOMINI JOANNIS AUGUSTINI, EPISCOPI RURÆMUNDENSIS, ETC.

PARS AUTUMNALIS.

RURÆMUNDÆ,
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA DIŒCESIS RURÆMUNDENSIS
APUD VIDUAM A. WELSCH.
MDCCCLXXVI.

APPROBATIO.

Per præsentes Archidiœcesis Mechliniensis typographo H. Dessain Officiorum Proprium, Nobis a SS. Domino nostro Pio IX, Decreto S. R. C. 5 Septembris 1867 benigne concessum, reimprimendi ad normas beneplacitas atque evulgandi licentiam, in quantum opus est, libenter concedimus, modo debita Ordinarii loci adprobatio accesserit.

Ruræmundæ, hac 12 mensis Octobris 1875.

(L. ✝ S.) ✝ J. A. PAREDIS, Episc. Ruræmund.

Hæc Officia propria Diœcesis Ruræmundensis, quum omnino cum Originalibus a S. R. C. revisis et approbatis concordent, imprimi possunt.

Mechliniæ, 15 Novembris 1875.

VICTOR AUGUSTUS CARD. DECHAMPS,
Arch. Mechlin.

KALENDARIUM.

SEPTEMBER.

Dom. j. Sept. **SS. Angelorum Custodum,** duplex 2 cl. cum Octava.
3. **S. Remacli episc. et conf.** semid.
4. **S. Rosaliæ virg.** semid.
Dom. ij. Sept. **Dies octava SS. Angelorum Custodum,** duplex.
10. **S. Theodardi episc. et mart.** duplex. **Com. Oct. Nativ. B. M. V.**
11. **S. Otgeri conf.** duplex. (Dies fixa ex 10 hujus.) **Com. Oct. et SS. Proti et Hyacinthi mart.**
12. **S. Nicolai de Tolentino conf.** duplex. (Dies fixa ex 10 hujus.) **Com. Octavæ.**
17. **S. Lamberti episc. et mart.** duplex. (Trajecti et in S. Petro duplex 2 cl.)
22. **SS. Mauritii et Sociorum mart.** duplex.
25. **S. Materni episc. et confl** duplex. (Dies fixa ex 14 hujus.)
26. **Impressio Stigmatum in corpore S. Francisci Assisien.** duplex. (Dies fixa ex 17 hujus.) **Com. SS. Cypriani et Justinæ mart.**

OCTOBER.

2. **S. Thomæ a Villanova episc. et conf.** duplex. (Dies fixa ex 22 Sept.)
5. **B. Mariæ de Socos virg.** duplex. (Dies fixa ex 22 Sept.)
Dom. ij. Oct. **Gaudiorum B. M. V.** duplex majus.
8. **S. Birgittæ viduæ.** duplex. **Com. S. Amoris conf.**
9. **SS. Dionysii et Sociorum mart.** duplex.
10. **S. Francisci Borgiæ conf.** duplex 2 cl.
11. **S. Ludovici Bertrandi conf.** duplex. (Dies fixa ex 10 hujus.)
21. **SS. Ursulæ et Sociarum virg. et mart.** duplex. **Com. S. Hilarionis abb.**
Dom. iv. Oct. **SS. Reliquiarum,** duplex majus.
23. **S. Severini episc. et conf.** simplex.
24. **S. Raphaelis Archangeli,** duplex.
31. **S. Wolfgangi episc. et conf.** duplex. **Com. Vigiliæ**

NOVEMBER.

Dom. j. Nov. **Patrocinii B. M. V.** duplex majus.

3. **S. Huberti episc. et conf.** duplex. **Com. Oct. omnium Sanctorum.**
5. **S. Perpetui episc. et conf.** semid. (Dies fixa ex 4 hujus.) **Com. Oct.**
7. **S. Willibrordi episc. et conf.** duplex. **Com. Oct.**

Domin. post Oct. omnium SS. **Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum,** duplex I cl. cum Octava

14. **S. Albrici episc. et conf.** duplex.
16. **S. Cuniberti episc. et conf.** semid. (Dies fixa ex 12 hujus.)
21. **Præsentatio B. M. V.** duplex majus. **Com. S. Alberti episc. et mart.**
26. **S. Amelbergæ virg.** duplex. (Dies fixa ex 21 hujus.) **Com. S. Petri Alexandrini episc. et mart.**
27. **S. Trudonis conf.** semid. (Dies fixa ex 25 hujus.)
28. **S. Odæ virginis** semid.

OFFICIA VOTIVA.

Qualibet Feria V intra annum, non impedita Officio IX Lectionum etiam translato, extra tamen Adv., Quadrag.; Ferias, Vigilias, Octavasque privilegiatas, Officium votivum SS. Sacramenti, sub ritu duplici.

Quolibet Sabbato, ut supra non impedito, et sub ritu duplici minori, Officium votivum Immaculatæ Conceptionis Deiparæ, die 25 Septembris anno 1863 approbatum.

OFFICIA PROPRIA SANCTORUM

ECCLESIÆ CATHEDRALIS, CIVITATIS ET DIŒCESIS

RURÆMUNDENSIS.

PARS AUTUMNALIS.

FESTA SEPTEMBRIS.

DOM. I. SEPTEMBRIS.

In Festo SS. Angelorum Custodum.

Duplex 2 cl. cum Oct.

Omnia ut in fine Breviarii.

DIE III. SEPTEMBRIS.

In Festo S. Remacli, Episc. et Conf.

Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

Oratio.

DEUS, mundi auctor et creátor, qui hodiérnam festivitátem beáti Remácli, Confessóris tui atque Pontíficis migratióne in cœlos consecrásti: præsta quæsumus; ut cujus ánnua celebritáte devótis exultámus obséquiis, ejus suffrágiis tuæ pietátis consequámur auxílium. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex vita per Monachum Stabulensem anon., et Notgerum apud Boll. et Mabillon.

REMACLUS in Aquitánia natus est, patre Albútio, matre Matrínia, géneris nobilitáte et divitiárum cópia claris, a quibus beáto Sulpítio, episcopo Bituricénsi, religióse instituéndus trádítus est. Crescénte cum ætáte divínæ charitátis fervóre, ad monastérium tránsiit, quod beátus Elígius, vir ea tempestáte in aula

NOVEMBER.

Dom. j. Nov. **Patrocinii B. M. V.** duplex majus.

3. **S. Huberti** episc. et conf. duplex. **Com. Oct. omnium Sanctorum.**
5. **S. Perpetui** episc. et conf. semid. (Dies fixa ex 4 hujus.) **Com. Oct.**
7. **S. Willibrordi** episc. et conf. duplex. **Com. Oct.**

Domin. post Oct. omnium SS. **Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum,** duplex 1 cl. cum Octava.

14. **S. Albrici** episc. et conf. duplex.
16. **S. Cuniberti** episc. et conf. semid. (Dies fixa ex 12 hujus.)
21. **Præsentatio B. M. V.** duplex majus. **Com. S. Alberti** episc. et mart.
26. **S. Amelbergæ** virg. duplex. (Dies fixa ex 21 hujus.) **Com. S. Petri Alexandrini** episc. et mart.
27. **S. Trudonis** conf. semid. (Dies fixa ex 25 hujus.)
28. **S. Odæ** virginis semid.

OFFICIA VOTIVA.

Qualibet Feria V intra annum, non impedita Officio IX Lectionum etiam translato, extra tamen Adv., Quadrag.; Ferias, Vigilias, Octavasque privilegiatas, Officium votivum SS. Sacramenti, sub ritu duplici.

Quolibet Sabbato, ut supra non impedito, et sub ritu duplici minori, Officium votivum Immaculatæ Conceptionis Deiparæ, die 25 Septembris anno 1863 approbatum.

OFFICIA PROPRIA SANCTORUM

ECCLESIÆ CATHEDRALIS, CIVITATIS ET DIOECESIS

RURÆMUNDENSIS.

PARS AUTUMNALIS.

FESTA SEPTEMBRIS.

DOM. I. SEPTEMBRIS.

In Festo SS. Angelorum Custodum.

Duplex 2 cl. cum Oct.

Omnia ut in fine Breviarii.

DIE III. SEPTEMBRIS.

In Festo S. Remacli, Episc. et Conf.

Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

Oratio.

DEUS, mundi auctor et creátor, qui hodiérnam festivitátem beáti Remácli, Confessóris tui atque Pontíficis migratióne in cœlos consecrásti: præsta quæsumus; ut cujus ánnua celebritáte devótis exultámus obséquiis, ejus suffrágiis tuæ pietátis consequámur auxílium. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex vita per Monachum Stabulensem anon., et Notgerum apud Boll. et Mabillon.

REMACLUS in Aquitánia natus est, patre Albútio, matre Matrínia, géneris nobilitáte et divitiárum cópia claris, a quibus beáto Sulpítio, episcopo Bituricénsi, religióse instituéndus tráditus est. Crescénte cum ætáte divínæ charitátis fervóre, ad monastérium tránsiit, quod beátus Elígius, vir ea tempestáte in aula

Dagobérti, Francórum regis, non solum rebus geréndis sed et sanctimónia celebérrimus, Solemniaci prope Lemovicum nuper fundáverat, in quo centum quinquaginta mónachis sub regulári observántia vivéntibus, Remáclum, jam tum sapiéntiæ et sanctæ conversatiónis títulis máxime commendátum, præfécit. Quo magístro, christiánæ perfectiónis tanta ibi víguit sollicitúdo, ut præ cæteris Gálliæ monastériis florére viderétur.

℣. Invéni David.

Lectio v.

IPSE hæc Sigebértus, pissimus rex Austrasiórum, munificéntiam régiam in condéndis cœnóbiis exhíbuit. Primum ex iis Casæcongidúni, Chínium inter et Bullónium, ad diœcésis Trajecténsis fines constrúxit, accíto Remáclo, qui servos Dei in sanctióris vitæ norma instrúeret, eísque præésset. Hic ínterim ibi in cœléstium contemplatióne aliquándiu consédit, sed cum sanctitátis ejus fama in omnem regiónem penetrásset, ut Amándus Trajecténsis ecclésiæ Præsulátum abdicáverat, Clerus et pópulus Trajecténsis, suffragánte étiam Rege, effecérunt ut Remáclus, quantúmvis rénitens, ipsi substituerétur, médio circiter sæculo séptimo. Quam sancte vero et juste in hoc suo múnere conversátus fúerit, vix quis enarráre sufficiet: erat quippe páuperum et orphanórum pater, viduárum pius adjútor, infirmórum benignissimus consolátor, créditam sibi plebem in timóre Dei et amóre confírmans. Discipulórum multórum pater fuit et institútor, e quorum número beáti Theodárdus, Hadelínus et Trudo extitérunt.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

QUANTUM apud Sigebértum regem grátia valébat, sanctus Præsul eo referébat, ut ejus ópera ædes sacras et monastéria extrúeret, in quibus

Deo cultus stábilis quin et regno firmíssimum præsídium collocarétur. In iis éminent duo celebérrima cœnóbia, quæ ad sancti Remácli preces Sigebértus in recónditis Arduénnæ sáltibus ædificávit, et insígnibus ópibus auxit, Malmundárium et Stabulétum, quæ beátus Epíscopus solémni ceremónia dedicávit, ac suo nómine regénda Theodárdo discípulo commendávit. Porro Remáclus, jam dudum monásticæ quiétis amans, post multas et importúnas preces a Rege tandem obtínuit, ut abdicáto episcopátu, optátam quam áliis paráverat quiétem sibi licéret amplécti. Mox Theodárdum sibi successórem canónice subrogándum curávit, et utriúsque Abbatíæ régimen ipsemet assúmens, sanctimóniæ fructus adhuc in plures diffúdit. Ætáte conféctus suos ad oratiónis stúdium aliásque virtútes, præsértim ad pacem et concórdiam, peramánter et fórtiter cohortátur, ac sumpto sanctíssimo Viático, opéribus bonis plenus, Stabuléti in Christo obdormívit tértio Nonas Septémbris. Corpus in sancti Martíni templo, ab ipso cóndito, sepelítur; quod, miráculis clarum, póstea e terra edúctum, ac decéntius in sancti Petri Basílicam illátum, modo, Abbátia templóque destrúctis, in ejúsdem ópidi parochiáli ecclésia, sancto Sebastiáno sacra máxima veneratióne cólitur. ℟. Iste est qui ante.

In iij. Nocturno Homília in Evang. Designávit Dóminus, de Communi Evang. cum ℟℟. de Comm. Conf. Pont.

DIE IV. SEPTEMBRIS.

In Festo S. Rosaliæ, Virg. Panormitanæ.
Semiduplex.
Omnia ut in fine Breviarii.

DIE X. SEPTEMBRIS.

In Festo S. Theodardi, Episc. et Mart.
Duplex
Omnia de Comm. unius Mart. præter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Theodardi, Mártyris tui atque Pontíficis, gloriósa solemnitáte lætíficas : sólita pietátis tuæ largitáte concéde benígnus ; ut cujus victóriæ triúmphum pio amóre venerámur in terris, societátis ejus lætítiam adípisci, te largiénte, mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Deinde fit com. Oct. Nativitatis B. M. V.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex vita per auctorem anon. pervetustum, per Sigeb. Gembl., et Actis apud Boll.

THEODARDUS, nóbili génere in Gállia natus, a puerítia arctam viam, per quam elécti ad vitam tendunt, elégit. Monásticæ disciplínæ studiósus, sub beáto Remáclo, Trajecténsi epíscopo, voluntárie Christi suáve jugum portávit : a quo deínde ad Malmundárii et Stabuléti cœnóbia sub eo regénda assúmptus, talem se in illo múnere exhíbuit, ut Remáclus, solitáriæ vitæ amóre episcopátum dimíttens, Theodárdum sibi quoque in hunc suffíciéndum curáverit ; qui mox ómnibus, quæ Præsulem comméndant, virtútibus fulgére visus est. Ecclésias suæ diœcésis vísitans, vetustáte collabéntes aut témporum injúria dirutas restauráre, seu novas exstrúere satégit. At vero, quod plúrimum Theodárdo laudi est, illústrem sancti Lambérti adolescéntiam ita rexit ac promóvit, ut ille ómnium ore votísque públicis designarétur moderatóris sui successor.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

THEODARDUS cum múneri suscépto sollícitus instáret, hæc inter álias eum cura ácrius remordebat, quod divérsas Ecclésiæ suæ possesiónes ab ímpiis diréptas jam pridem cérneret injúste

detinéri. Quare his benígno justítiæ zelo admónitis, cum se nihil proficere, imo eos magis magísque obdurátos, sibíque gráviter infénsos esse comperíret, admirábili constántia pro juris subsídio Childericum, Austrásiæ regem, cum paucis ádiens, cum in saltum, qui dícitur Biwalt, haud procul ab urbe Nemeténsi, nunc Spira, pervenísset, ibi ab Ecclésiæ suæ prædónibus, Deum pro ipsis orans, crudéli cæde perímitur, anno sexcentésimo sexagésimo octávo aut nono. ℟. Desidérium ánimæ.

Lectio vj.

Ad cujus exánime corpus plura illíco patráta sunt mirácula, quibus vicíni íncolæ permóti illud apud se honorífice sepeliérunt. Quo cum póstea Wormátiæ primóres miraculórum fama excitáti venissent, ut ipsum in civitátem suam transférrent, subórta repentína fúlgurum, toníruum et nimbórum procélla, a cœpto desístere coácti sunt. Sed cum exínde beátus Lambértus, tanti Mártyris dignus et discípulus et succéssor illuc ipsum repeténdi causa progréssus fuísset, semel licet repúlsam passus, áltero tamen suo advéntu haud ægre obtínuit, secúmque redúxit, ac Tneodárdi túmulo Légiam decorávit, quam et ipse póstmodum próprio nobilitávit martyrio. Sub finem sæculi décimi octávi moto túrbine, sancti Theodárdi Reliquiæ in Germániam deportátæ, paucis post annis in hodiérnam ecclésiam cathedrálem Leodiénsem translátæ, religióse servántur. ℟. Stola jucunditátis.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Si quis vult, de Comm. ij. loco. In Laudibus fit com. Oct. Nativit. B. M. V. In ij. Vesperis fit a Capitulo de S. Otgero, cum com. ut infra.

DIE XI. SEPTEMBRIS.

In Festo S. Otgeri, Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf.

non Pont. præter seq. Oratio.

DEUS, qui hodiérnam diem beáti Otgéri Confessóris tui solemnitáte sacrásti: tribue quæsumus; ut Ecclésia tua ejus précibus et méritis muniátur. Per Dóminum.

Deinde fit com. S. Theodardi, Añа. Qui vult. ℣. Justus. Oratio. Deus, qui nos, ut supra.

Postea Oct. Nativ. B. M. V. nec non et SS. Proti et Hyacinthi, Mart. ut in Breviário.

In j. Noct. Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex vita per Anon. et vita Sociorum ejus, apud Boll.

WIRO in episcopum Scótiæ eléctus, juxta gentis illíus consuetúdinem, Romam profectus est, Summi Pontíficis mánibus consecrándus; qua in peregrinatióne collégam hábuit Plechélmum, ad episcopális quoque múneris ápicem in eódem Scótiæ regno destinátum. Cum autem per Angliam iter instituérent, divínitus illis associátus est Otgérus Levíta, qui fervénti supérnæ pietátis desidério accénsus, terréna contémnens et beátis illis viris adhæréns, ad sanctórum Petri et Pauli visénda límina eámdem cum illis sanctámque peregrinatiónem ingréssus est.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

ERAT pervulgáta illa et frequens, illíus máxime témporis Christianórum religio, ut, Dei et Sanctórum causa, itíneris et labóris perícula susciperent, monuménta et Relíquias eórum religióse visitatúri. Et hoc ipsum in sua illa peregrinatióne sanctus Otgérus spectábat: ut e sanctórum locórum aspéctu et præsénti divinórum beneficiórum memória ad majórem erga Deum et Sanctos ejus pietáti affléctum excitarétur. Quod útique est consecútus, crescénte semper in sancto viro rerum præséu-

tium fastídio, et ætérnórum amóre: Deo in hac étiam vita hanc véluti mercédem sanctæ peregrinatiónis labóribus atque moléstiis rependénte, quando ea qua decet religióne, et in vindictam requoque et satisfactiónem peccatórum, a Christi fidélibus suscipiúntur.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

Cum autem Románus Póntifex Wirónem invítum diúque reluctántem ordinásset episcopum, eumdémque honórem Plechélmo fuísset impertítus, in pátriam cum sancto Otgéro revérsi sunt. Sed Wiro, arrépta póstmodum ália opportunitáte, Plechélmum episcopum cum religióso diácono Otgéro assúmens per mare Gállicum in Fránciam profectus est, ubi a Pipino Francórum duce perbenígne excépti sunt. Qui cum sanctitáte et verbi prædicatióne trium horum virórum Gálliam univérsam illustrátam cognovísset, locum illis a strépitu semótum, prope Ruræmúndam designávit, qui mons Petri ántea, nunc Odíliæ mons dicitur. Ibi ergo sanctus Otgérus cœléstem in terris vitam ducens, ac multos verbo et exémplo ad requm præséntium contémptum et ætérnórum amórem inflámmans, beáto fine quiévit, miráculis étiam post mortem clarus. ℟. Iste homo.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Sint lumbi, de Comm.

Lectio ix. de SS. Martyribus, et com. in Laudibus post com. Oct. Nativ. B. M. V.

DIE XVII. SEPTEMBRIS.

In Festo S. Lamberti, Episc. et Mart. Duplex.

In Civitate Mosæ-Trajectensi et suburbio S. Petri, duplex 2 cl.

Omnia de Comm. unius Mart. præter sequentia.

Ad Vesperas Antæ et Capitulum de Laudibus. Psalmi de Dominica, et loco ultimi, Ps. Laudate Dóminum, omnes gentes.

Hymnus.

HYMNUM cantémus grátiæ
Christo, qui Rex est glóriæ,
Et Mártyris victóriam
Ducámus ad memóriam.
Adsunt sacra solémnia
Quibus docet Ecclésia,
Qua sit virtúte præditus
Lambértus Martyr íncly-
tus.
Invíctus in certámine
Athléta Christi nómine
Fidem sincéram ténuit,
Et charitáte mícuit.
Dum minístros nequítiæ,
Nec parcens aulæ régiæ,
Salúbriter redárguit,
Christi Martyr occúbuit.
Sic pro gregis regímine
Suo perfúsus sánguine,
Triúmphans cum lætítia
Pergit ad lucis átria.
Hoc præstet summa Déi-
tas,
In unitáte Trínitas,
Ut nos Lambérti méritis
Cœli fruámur gáudiis.
Amen.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnificat, Añ.

Gloriósus Martyr Lambértus et ætérno Regi sacérdos dilectíssimus, insígni ex prosápia Trajecténsi vico éxtitit oriúndus, allelúia.

Oratio ut ad Laudes.

Ad Matutinum, invit.

Deum Unum et Trinum, qui beátum hódie coronávit Lambértum, * Veníte, adorémus. Ps. Veníte.

Hymnus ut in j. Vesperis.

In primo Nocturno.

Añ. Lambértus in puerítia formósus et nóbilis, eléctus in gente et progénie sua. Psalm. Beátus vir, cum reliquis de Comm. unius Mart.

Añ. Spíritus sapiéntiæ, et humilitátis grátia in ejus vultu resplendébat.

Añ. Pontificáli officio suscépto, timóre Dómini replétus, ópera bona quotídie multiplicábat.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Lectiones, a Miléto, de Communi.

℣. j. Gloriósus Martyr Lambértus et ætérno Re-

gi sacérdos dilectíssimus, Insígni ex prosápia Trajectónsi vico éxtitit oriúndus. ℣. Puer quidem strénuus nitebátur totis víribus fíeri vir perféctus. Insígni.

℟. ij. Sanctus Lambértus parvipendébat præséntia, véluti devóverat a puerítia, * Æstimans pro níhilo ómnia præter id quod erat ætérnæ salútis grátia. ℣. Cœléstibus ánimo inhærens, sese in holocáustum Dómino mactábat. Æstimans.

℟. iij. Sanctum Dómini Lambértum dilátum honóribus sanctimóniæ, cœtus fidélium páriter congregátus, * Episcópum sibi fíeri acclamávit. ℣. Regális étiam celsitúdo ac prócerum multitúdo. Episcópum. Glória Patri. Episcópum.

In secundo Nocturno.

Ańa. Angélicam conversatiónem duxit in labóribus, in jejúniis, in vigíliis, in oratiónibus, in charitáte.

Ańa. Cum auctoritáte gentíbus prædicábat, apostólicam normam in doctrína divína servans.

Ańa. In Christo charitáte secúrus, Evangélii luce errántium corda replébat et ad viam veritátis adducébat.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Lectio iv.

E vita per Godescalcum diac. Leod. coævum, et Monum. apud Mabillon.

LAMBERTUS illústri prosápia Trajécti ad Mosam oriúndus, a púero sacris lítteris per prudentíssimos magístros imbútus fuit. Ætáte matúrior sancto Theodárdo, epíscopo Trajectónsi, ut divínis dogmátibus plénius erudirétur, a patre commendátus est, tantámque grátiam in conspéctu Pontíficis invenire méruit, ut quasi fílium, et quoad sibi licéret, successórem Lambértum designáret. Post cujus necem, Francórum regis Childerici et pópuli consílio ad episcopálem dignitátem Trajectónsis ecclésiæ, quantúm-

vis invítus, surrogátur, cum ómnium ánimos charitáte, castitáte, sapiéntia, ac rerum divinárum stúdio sibi conciliásset; quam quidem provínciam, licet júnior, senílis tamen prudéntiæ doctrína et gravitáte præditus, tam sapiénter et laudabíliter administrávit, ut pópulo amábilis, atque Regi. præ ómnibus Pontifícibus et Optimátibus, carus fúerit.

℟. Almífluus Præsul Dómini Lambértus, sortítus culmen sacerdótii perpétui, stúduit pietátis augére ópera.* Qui pontificáli auctus erat ínfula. ℣. Mactábat omni die holocáustum Dómino, non ex pécore aliéno, sed ex córpore próprio. Qui.

Lectio v.

CHILDERICO interfécto, Lambértus invidórum et politicórum conspiratióne de sede episcopáli, sub annum sexcentésimum septuagésimum quartum dejéctus, septénnio in monastério Stabulénsi exulávit. Quo elápso, própriæ sedi per Pipínum Ansegísi fílium, Austrásiæ príncipem, magno cum honóre, totiúsque cleri et plebis gratulatióne et applàusu restitúitur. Omnibus deínde boni patóris pártibus egrégie perfúnctus est; verbis pondus addébant exémpla virtútum, liberalitátis præsértim erga páuperes, præclárae quoque modéstiæ in véstium domúsque apparátu, quem nihil a vulgári distáre vóluit. Martyrii cúpidus ad Taxándros, Brabántos aliósque iis finítimos pópulos, adhuc éthnicæ superstitióni erróribus déditos, digréssus, eos jugi prædicatióne et admirábili patiéntia ad Christum convértit, vere horum Apóstolus.

℟. Lambértus Christi athléta cleménter ferens cuncta, * Præsulátus liquit sceptrum, comméndans curam óvium ei qui lavit baptísmate, ac redémit sánguine. ℣. Cumque discéderet vir mitíssimus, omnis eum pópulus lamentabátur. Præsulátus.

Lectio vj.

CUM castitátis amátor Lambértus, zelo religiónis ductus, regni primátes increpáret, et in eórum flagítia inveheréтur, innocens ipse a nocéntibus, apud oratórium sanctórum mártyrum Cosmæ et Damiáni, in vico Leódio, expánsis in modum crucis bráchiis orans, sagítta transverberátus, décimo quinto Kaléndas Octóbris, aulam regni cœléstis, perpétuo victúrus, intrávit, annis quadragínta episcopus. Sancti Mártyris corpus e domésticis pauci, qui stragem evásserant, navículæ impósitum, secúndo Mosæ flúmine, detulérunt Trajectum, quæ urbs, tanquam episcopális sedes, illud apud se humándum ex débito resposcébat. Appúlsum tota cívitas, velut óptimi patris sui funus ducens, magno luctu, ac laméntis excépit, illúdque ad vicínam sancti Petri basílicam delátum, clerus populúsque per totam noctem sacras excúbias agéntes, póstero die in patérno sepúlcro tumulárunt; ubi mox Deus Mártyris sui mérita palam fecit: a multis enim cívibus cœléstis ibi Angelórum melódia, et huic mixta notíssima vox ipsíus Lambérti die noctúque audíta est. Póstea vero sanctus Hubértus sacrum pignus, divíno módnitu, ad locum martyrii redúxit, ubi modo, destrúcta ecclésia, quam Leodiénses Patróno suo Lambérto dedicáverant, ejus exúviæ in hodiérna ecclésia cathedráli, públicæ veneratióni expósitæ quiéscunt.

℟. Sacérdos Dei mitíssimus ardébat plane intérius flamma Paráclíti Spíritus: * Idcírco extérius frígoris contémpsit cruciátus. ℣. Cœlum ejus pávuit précibus, et orátio ad supérnos pervénit audítus. Idcírco. Glória Patri. Idcírco.

In tertio Nocturno.

Ant. Cursum consúmmans, corónam justítiæ

expectábat: ante óculos ejus semper dies última versabátur.

Ána. Bráchia sua in similitúdinem crucis exténdens, et oratiónem cum lácrymis fundens, corpus suum ad terram prosternébat.

Ána. Felíci cruóre membris perfúsis, beátum réddidit spíritum, ad cujus famulátum Angeli præstant obséquium.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 12.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Et réliqua.

Homilia sancti Augustíni Episcopi.

Ex Tract. 51. *in Joan.*

SI quis mihi minístrat, me sequátur. Quid est, Me sequátur, nisi, Me imitétur? Christus enim pro nobis passus est, ait Apóstolus Petrus, relínquens nobis exémplum, ut sequámur vestígia ejus. Ecce quod dictum est: Si quis mihi minístrat, me sequátur. Quo fructu? Qua mercéde? Quo præmio? Et ubi sum, inquit, ego, illic et minister meus erit. Gratis amétur, ut óperis, quo ministrátur illi, prétium sit, esse cum illo. Ubi enim bene erit sine illo, aut quando esse male póterit cum illo? Audi evidéntius: Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus. Quo honóre, nisi ut sit cum Fílio ejus? Quod enim supérius ait: Ubi ego sum, illic et minister meus erit; hoc intellígitur expósuisse cum dicit: Honorificábit eum Pater meus. Nam quem majórem honórem accípere póterit adoptátus, quam ut sit ubi est Unicus; non æquális factus divinitáti, sed consociátus æternitáti?

℟. Iste miles eméritus, vir præ máxima tribula-

tióne purgátus, óvium suárum vócibus attóllitur, * Et in cáthedra pontificáli decénter relocátur. ℣. In corde illius sincéritas et legis plenitúdo, in ore ipsíus véritas erat et pulchritúdo. Et in.

Lectio viij.

QUID sit autem minístrare Christo, cui óperi merces tanta propónitur, hoc pótius debémus inquírere. Cum enim dixit, Si quis mihi minístrat, me sequátur : hoc intélligi vóluit ac si díceret : Si quis me non séquitur, non mihi minístrat. Minístrant ergo Jesu Christo, qui non sua quærunt, sed quæ Jesu Christi. Hoc est enim, Me sequátur, vias ámbulet meas, non suas. Nec tantum ea quæ ad misericórdiam pértinent corporálem, sed ómnia bona ópera propter Christum fáciens (tunc erunt enim bona, quóniam finis Legis Christus, ad justítiam omni credénti), minister est Christi usque ad illud opus magnæ charitátis, quod est ánimam suam pro frátribus pónere: hoc est enim et pro Christo pónere; quia et hoc propter sua membra dictúrus est, cum pro istis fecísti, pro me fecísti. Sic minístrántem Christo honorificábit Pater ejus honóre illo magno, ut sit cum Fílio ejus, nec unquam deficiat felícitas ejus. ℣. Pretiósus Dómini sacérdos Lambértus frúitur gaudens et exúltans societáte Apostolórum, glórificatióne Prophetárum, confessióne Mártyrum, cohæreditáte Confessórum, integritáte Vírginum ; * Obtinétque palmam perénnis glóriæ et stolam jucunditátis ætérnæ. ℣. Exánimes artus nec liquit cœlica virtus ; monstrávit pópulis quantæ fúerit bonitátis. Obtinétque. Glória Patri. Obtinétque.

Si fuerit Feria Quatuor Temporum, Lectio ix dicitur de Homilia in Evang. Feriæ cum com. ejus in Laudibus tantum ; alias ut sequitur.

Lectio ix.

CUM ergo audítis, fratres, Dóminum dicéntem : Ubi ego sum, illic et minister meus erit, nolíte tantúmmodo bonos Epíscopos et cléricos cogitáre : étiam vos pro modo vestro ministráte Christo, bene vivéndo, eleemósynas faciéndo, nomen doctrinámque ejus quibus potuéritis prædicándo ; ut unusquísque étiam paterfamílias hoc nómine agnóscat patérnum affectum suæ famíliæ se debére. Pro Christo et pro vita ætérna suos omnes admóneat, dóceat, hortétur, corrípiat, impéndat benevolántiam, exérceat disciplínam ; ita in domo sua ecclesiásticum et quodámmodo episcopále implébit officium, ministrans Christo, ut in ætérnum sit cum ipso. Te Deum laudámus.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Erat vere dignus beátus Lambértus, rectam habens conversatiónem cum ómnibus, allelúia.

2. Consílium et opus suum semper ad Deum convertébat : cor ejus et pedes dirécti erant ad evangelizándum pacem.

3. Lambértus Christi martyr, coronátus triúmphat, victóriæ palmam tenens ; Abrahæ sinu recéptus, exúltat cum Christo in cœléstibus regnis, allelúia.

4. Magnum triúmphum méruit in sæcula Lambértus, qui fulget in virtútibus.

5. Laudémus Dóminum in beáti Antístitis Lambérti méritis gloriósis : ad sepúlchrum ejus ægri véniunt et sanántur.

Capitulum. 2. *Cor.* 1.

FRATRES, Sicut abúndant passiónes Christi in nobis, ita et per Christum abúndat consolátio nostra : sive autem tribulámur, pro vestra exhortatióne et salúte ; sive consolámur, pro vestra consolatióne.

Hymnus.

NOVUM melos decantémus
In Lambérti nómine,
Votum mentis ordinémus

Cum vocáli cármine,
Ut condígne resonémus
Cœlitum melódiæ.
℣. Post decéssum Confessóris,
Sub anno tredécimo,
Ipsi dare vas honóris
Plácuit Altíssimo,
Et levári ossa foris
Cum decóre máximo.
℣. Aperítur monuméntum
Gloriósi córporis,
Nullum passi detriméntum,
Vetustáte témporis,
Sed illæsum est invéntum
Os cum membris cæteris.
℣. O Lambérte, consecrátam
Terram a te prímitus
Cathedráque decorátam
Tua, serva précibus,
Atque plebem congregátam
Hic in tuis láudibus.
Amen.
℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Benedictus, Añа.

Sanctum Dómini Lambértum, ditátum honóribus sanctimóniæ, plebs Trajecténsium páriter congregáta, Epíscopum sibi fieri acclamávit, allelúia.

Oratio.

INTERCESSIO, quæsumus Dómine, beáti Lambérti, Mártyris tui atque Pontíficis, tuam nobis non désinat placáre justítiam, et nostrum tibi devótum efficere famulátum. Per Dóminum.

Ad Tertiam, Añа.

Consílium et.

Capit. Fratres, Sicut abúndant, ut supra.

℟. br. Glória, et honóre, * Coronásti eum, Dómine. Glória et. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória et. ℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Ad Sextam, Añа.

Lambértus Christi.

Capitulum. 2. *Cor.* 4.

HABENTES spíritum fídei, sicut scriptum est: Crédidi, propter quod locútus sum: et nos crédimus, propter quod et lóquimur: sciéntes quóniam, qui suscitávit Jesum, et nos cum Jesu suscitábit, et constítuet vobíscum: ómnia enim propter vos.

℟. br. Posuísti, Dómine, * Super caput ejus. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Super. Glória Patri. Posuístu. ℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam, et magnum decórem impónes super eum.

Ad Nonam, Añа.

Laudémus Dóminum.

Capitulum. *Act.* 20.

NIHIL véreor, nec fácio ánimam meam pretiosiórem quam me, dúmmodo consúmmem cursum meum, et ministérium verbi quod accépi a Dómino Jesu, testificári Evangélium grátiæ Dei. ℟. br. Magna est glória ejus, * In salutári tuo. Magna. ℣. Glóriam, et magnum decórem impónes super eum. In. Glória Patri. Magna. ℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Vesp. omnia ut in j. Vesperis, Psalmi de Dñica et loco ultimi, Ps. Crédidi. ℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Magníficat, Añа.

Angeli Dei custodiéntes monuméntum, et sua illum laude celebrántes, modulatióne dulcíssima resonábant, allelúia.

DIE XXII. SEPTEMBR.

In Festo SS. Mauritii et Sociorum Mart.

Duplex.

Omnia de Comm. plur. Mart. præter sequentia.

Oratio. Annue, ut in Breviario.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente. In Quatuor Temporibus, Fratres, Debitóres, de Communi, et Lectio ix de Homilia Feriæ occurr. cum ejus com. in Laudibus tantum.

In secundo Nocturno.

Ex Epístola S. Euchérii.

Lectio iv.

Epist. ad Salvium.

SUB Maximiáno, qui Románæ reipúblicæ cum Diocletiáno colléga impérium ténuit, per divérsas fere províncias laniáti, aut interfécti sunt Mártyrum pópuli. Erat in exército légio mílitum qui Thebæi appellabántur :

viri in rebus béllicis strénui, et virtúte nóbiles, sed nobilióres fide: erga Imperatórem fortitúdine, erga Christum devotióne certábant: Et Evangélici præcépti étiam sub armis non immémores, reddébant quæ Dei erant Deo, et quæ Cæsaris Cæsari restituébant. Itaque cum hi, sicut et cæteri míli-tum, ad pertrahéndam Christianórum multitúdinem destinaréntur, soli crudelitátis ministérium detrectáre ausi sunt, atque hujúsmodi præcéptis se obtemperatúros negant.

℟. Sancti tui.

Lectio v.

CITUR cógnito Maximiánus Thebæórum respónso, décimum quemque ex eádem legióne gládio feríri jubet, quo facílius cæteri régiis præcéptis térriti metu céderent. Ubi vero ad Thebæos denuntiátio iteráta pérvenit, cognitúmque est ab eis injúngi sibi rursum executiónes profánas, vociferátio, ac tumúltus in castris exóritur, affirmántium nunquam se ulli in hæc tam sacrílega ministéria cessúros: extréma experíri sátius esse, quam advérsus christiánam fidem veníre. His deínde compértis Maximiánus, omni béllua crudéntior, ímperat ut íterum décimus eórum morti detur, et cæteri nihilómínus ad hæc, quæ sprévérant, compelleréntur. Quibus jussis dénuo in castra perlátis, segregátus est atque percússus qui décimus sorte obvénerat; reliqua vero se mílitum multitúdo, mútuo sermóne instigábat, ut in tam præcláro ópere persísterent.

℟. Vérbera carníficum.

Lectio vj.

NCITAMENTUM tamen máximum fídei in illo témpore penes sanctum Maurítium fuit, Primicérium tunc, sicut trádi-tur, legiónis ejus, qui cum Exupério campiductóre et Cándido senatóre, mílitum accendébat, exhortándo síngulos et monéndo, fidem; sequendós-

que admonébat sócios illos, et contubernáles suos, qui jam in cœlum præcésserant. His ítaque primóribus atque auctóribus animáti, Maximiáno, insánia adhuc æstuánti, mandáta mittunt, sicut pia ita et fórtia, quibus ille audítis, despérans gloriósam eórum constántiam posse revocári, una senténtia intérfici omnes decrévit, et rem cónfici circumfúsis mílitum agmínibus jubet. Qui cum missi ad beatíssimam legiónem veníssent, stringunt in sanctos ímpii ferrum mori non recusántes. Cædebántur ítaque passim gládiis non reclamántes, sed depósitis armis cervíces persecutóribus præbéntes. Sic interfécta est illa plane angélica légio quæ, ut crédimus, cum Angelórum legiónibus jam colláudat semper in cœlis Dóminum Deum Sábaoth. Sancti vero Maurítii, sicut et sociórum ejus ex ágmine sancti Gereónis, qui eódem témpore in campis Agrippinæ Colóniæ trucidáti sunt, notábiles Relíquiæ ab immemoriáli témpore Trajécti, in ecclésia sancti Servátii, honorántur.

℟. Tamquam aurum.

In iij. Nocturno Homília in Evang. Cum audiéritis, de Communi.

DIE XXV. SEPTEMB.

In Festo S. Materni, Epísc. et Confessoris.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

Ad Magníficat, Ánt.

Ave pater Gálliæ, cœlitus vocáte; ave flos Germániæ, Póntifex beáte: nos, Matérne, hódie, dante Trinitáte, fac hærédes glóriæ vera charitáte.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio.

DEUS, qui pópulo tuo sanctum dedísti Matérnum prædicatórem: concéde, quæsumus; ut tanti Pontíficis intercessióne, et tuæ pietátis defensióne, ab ómnibus liberémur advérsis, et tranquílla mente in tua

semper laude lætémur.
Per Dóminum.

Nisi Festum S. Materni transferri contingat: tunc enim in j. Vesperis (si a Capitulo fiat de eodem Festo) dicitur Hymnus, Ad honórem conditóris, ut ad Matutinum.

Ad Matutinum, Hymnus.

AD honórem Conditóris,
Cui vivunt ómnia,
Diem magni Confessóris
Célebret Ecclésia,
In qua cursus et labóris
Est adéptus præmia.
Primum hic præordinátur
Divína cleméntia :
Ad Germános destinátur
Petri providéntia :
Annos quaterdénos datur
Prædicándi grátia.
Tandem, cursu consummáto,
Corpus a Tungrénsibus
Expetítum planctu grato,
Et Coloniénsibus,
Rheno sursum obliquáto,
Fertur Trevirénsibus.
Serve Dei præclécte,
Tua per suffrágia,
O Matérne, Deum flecte,
Impetráta vénia,
Nos salútis ut perféctæ
Consequámur gáudia.
Sit ætérnæ Majestáti
Virtus et poténtia :
Detur sanctæ Trinitáti
Honor, laus, et glória:
Uni summæ Deitáti
Par sit reveréntia. Amen.

In j. Nocturno Lectiones, Finis legis Christus, ut in Festo S. Andreæ Apostoli.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Martyr. Rom., Actis apud Bolland. et monum. loci.

MATERNUS sancti Petri Apóstoli discípulus, ab eóque una cum Eucharío et Valério in Gálliam et Germániam ablegátus fuísse perhibétur, ad Evangélium Jesu Christi géntibus annuntiándum. Gloriátur autem Trevirórum civitas se per tres illos prædicatóres lúmine fidei fuísse illustrátam, et jam tum collocátam penes se episcopálem cáthedram, in qua primum Eucharius, dein Valérius, ac post hunc Matérnus legítima successióne séderint, adeóque hanc unam fuísse ex illis Eccle-

siis, quas sanctus Irenæus, Apostólico ævo próximus, áliis vetústis scriptóribus adstipulántibus, ea jam tempestáte in Germánia et Céltica seu Gállia extitísse testátur. Quæ quidem tradítio áliquot inde sæculis ita plúribus Románis Pontifícibus rata visa fuit, ut propter ipsam præcípue in honóre Trevirénsem Ecclésiam habéndam, ejúsque Antístites insignibus privilégiis ornándos esse censúerint.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Porro ab ipsis Ecclésiæ exórdiis lucem Evangélicam étiam Tungrórum regióni affulsísse, antiquíssima, jam olim toto in orbe recépta tradítio constánter affírmat, Románæ quoque Ecclésiæ testimónio roborata, quo Matérnus, sancti Petri Apóstoli discípulus, ac Trevirénsis Epíscopus órdine tértius, decessórum suórum Euchárii et Valérii labóre ampliáto, Tungrénses, Coloniénses ac finítimos pópulos ad fidem Christi perdúxisse memorátur. De quibus étiam célebris est sancti Leónis Papæ Noni sententia : quod egrégios dogmatístas Euchárium, Valérium et Matérnum beatíssimus Petrus Apostolórum Princeps instrúxit et instrúctos ordinávit, et ad prædicándum diréxit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

Matérnus ítaque fortíssimus christiánæ fídei prædicátor, vigilantíssimúsque propagátor éxtitit, multásque ecclésias váriis in locis Deo consecrávit. Ei aliquándo noctu inter precándum Euchárius et Valérius decóra spécie visi, diem adésse mortis nuntiárunt. Qui cum discípulos ad fidei constántiam vitæque integritátem esset hortátus, et sanctíssimæ Eucharistíæ Sacraménto confirmátus, postquam Trevirénsem, Coloniénsem et Tungrénsem Ecclésiam per multos annos sanctíssime et prudentíssime rexísset, ad

summam senectútem evéctus, apud nóbilem Ubiórum Metrópolim Colóniam Agrippínam, obdormívit in Dómino, décimo octávo Kaléndas Octóbris, Coloniénsis et Tungrénsis primus, Trevirénsis vero urbis tértius epíscopus. Sacrum corpus Tréviros delátum, in ecclésia sancti Euchárii, quæ nunc sancti Matthíæ nuncupátur, appósitum fuit. Inde vero anno millésimo trigésimo séptimo Archiepíscopus Poppo sacra pignora ad Majórem Trevirénsem ecclésiam transtulit. Non immérito Trajecténses, æque ac Trevirénses, Coloniénses et Tungrénses, alíque tum Bélgii tum Germániæ pópuli, sanctum Matérnum tanquam primum eárum regiónum fidei-christiánæ præcónem et Apóstolum summa semper veneratióne ac pietáte prosecúti sunt, quippe qui fidem ab illo úberi provéntu, lætóque succéssu accepére : quæ a longo tot ætátum lapsu, Deo juvánte, persevérat intemeráta.

℟. Iste est qui ante.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vij. *Cap.* 16.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homilia S. Irenæi Epíscopi et Mártyris.

Lib. 1. *adv. Hær. cap.* 10. *initio.*

ECCLESIA, tamétsi per univérsum orbem usque ad extrémos terræ fines dispérsa, fidem eam ab Apóstolis eorúmque discípulis accéptam summo stúdio et cura, perínde atque unam domum íncolens consérvat, ac velut ánimam unam atque unum idémque cor habens, his æque fidem accómmodat, et miro consénsu, quasi uno ore prædita, hæc prædicat, docet et tradit. Quanquam enim dispares inter se mundi linguæ sunt,

una tamen et éadem est traditiónis vis; ac neque hæ quæ in Germániis sitæ sunt Ecclésiæ, áliter credunt aut áliter tradunt, nec quæ in Hispániis aut Gálliis, aut in Oriénte, aut in Ægypto, aut in Africa, aut in Mediterráneis oris regiónibus sedem habent. Verum út sol hic a Deo cónditus in univérso mundo unus atque idem est, ita étiam veritátis prædicátio passim lucet, omnésque hómines, qui ad veritátis agnitiónem veníre cúpiunt, illústrat.

℣. Amávit eum.

Lectio viij.

Ex lib. 3. *cap.* 3. *initio.*

TRADITIONEM itaque Apostolórum in toto mundo manifestátam, in omni Ecclésia adest respícere ómnibus qui vera velint vidére: et habémus annumeráre eos, qui ab Apóstolis institúti sunt Epíscopi in Ecclésiis, et successóres eórum usque ad nos. Sed quóniam valde longum est in hoc tali volúmine ómnium Ecclesiárum enumeráre successiónes; máximæ et antiquíssimæ, et ómnibus cógnitæ, a gloriosíssimis duóbus Apóstolis Petro et Paulo Romæ fundátæ et constitútæ Ecclésiæ, eam quam habet ab Apóstolis traditiónem, et annuntiátam homínibus fidem, per successiónes Episcopórum pervéniéntem usque ad nos, indicántes, confúndimus omnes eos qui quoquo modo prætérquam opórtet cólligunt. Ad hanc enim Ecclésiam propter potiórem principalitátem necésse est omnem convenire Ecclésiam, hoc est, eos qui sunt úndique fidéles, in qua semper ab his qui sunt úndique, conserváta est ea quæ est ab Apóstolis traditio.

℣. Sint lumbi.

Lectio ix. *Cap.* 4.

CUI ordinatióni asséntiunt multæ gentes Barbarórum, eórum qui in Christum credunt, sine charta et atraménto scriptam habéntes per Spíritum in córdibus

suis salútem, et véterem traditiónem diligénter custodiéntes. Hanc fidem qui sine lítteris credidérunt, quantum ad sermónem nostrum bárbari sunt, quantum autem ad sententiam, et consuetúdinem, et conversatiónem, propter fidem per quam sapientíssimi sunt, et placent Deo, conversántes in omni justítia, et castitáte, et sapiéntia.

Te Deum laudámus.

Ad Benedictus, Ána.

Laus et benedíctio Deo in Matérno, cujus nos orátio voto hodiérno, eréptos ab ímpio hoste et inférno, corónet in sólio pacis sempitérno.

In ij. Vesperis omnia ut in j. præter ultimum Ps. Meménto.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

FESTA OCTOBRIS.

DIE III. OCTOBRIS.

In Festo B. Mariæ de Socos, Virg.

Duplex.

Omnia ut in fine Breviarii, ad 22 Septembris.

DOM. II. OCTOBRIS.

In Festo Gaudiorum B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in Festis B. M. V. per annum, etiam Lectiones trium Nocturnorum.

DIE VIII. OCTOBRIS.

Com. S. Amoris, Conf.

Oratio.

CONCEDE nobis, quæsumus Dómine, fervéntibus ánimis beáti Amóris, Confessóris tui, solémnia celebráre; cujus diversis virtútibus decoráta tibi vita complácuit. Per Dóminum.

Lectio ix.

Ex vita apud Bolland.

BEATUS Amor, ortu Aquitánus, a prima ætáte se totum Dei servítio devóvit. Carnis desidéria insigni córporis macerátione refrénans, assíduis interim précibus mentem récreans, in amóre divino in dies proficiébat. Tum pátria opibúsque pro Christo relíctis, Romam peregrinátus est, ut per intercessiónem sanctórum

siis, quas sanctus Irenæus, Apostólico ævo próximus, áliis vetústis scriptóribus adstipulántibus, ea jam tempestáte in Germánia et Céltica seu Gállia extitísse testátur. Quæ quidem tradítio áliquot inde sæculis ita plúribus Románis Pontifícibus rata visa fuit, ut propter ipsam præcípue in honóre Trevirénsem Ecclésiam habéndam, ejúsque Antístites insígnibus privilégiis ornándos esse censúerint.

℟. Invéni David.

Lectio v.

PORRO ab ipsis Ecclésiæ exórdiis lucem Evangélicam étiam Tungrórum regióni affulsísse, antiquíssima, jam olim toto in orbe recépta tradítio constánter affírmat, Románæ quoque Ecclésiæ testimónio roboráta, quo Matérnus, sancti Petri Apóstoli discípulus, ac Trevirénsis Epíscopus órdine tértius, decessórum suórum Eucharii et Valérii labóre ampliáto, Tungrénses, Coloniénses ac finítimos pópulos ad fidem Christi perdúxisse memorátur. De quibus étiam célebris est sancti Leónis Papæ Noni senténtia : quod egrégios dogmatístas Eucharium. Valérium et Matérnum beatíssimus Petrus Apostolórum Princeps instrúxit et instrúctos ordinávit, et ad prædicándum diréxit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

MATERNUS ítaque fortíssimus christiánæ fídei prædicátor, vigilantissimúsque propagátor éxtitit, multásque ecclésias váriis in locis Deo consecrávit. Ei aliquándo noctu inter precándum Eucharius et Valérius decóra spécie visi, diem adésse mortis nuntiárunt. Qui cum discípulos ad fidei constántiam vitæque integritátem esset hortátus, et sanctíssimæ Eucharistíæ Sacraménto confirmátus, postquam Trevirénsem, Coloniénsem et Tungrénsem Ecclésiam per multos annos sanctíssime et prudentíssime rexísset, ad

summam senectútem evéctus, apud nóbilem Ubiórum Meropolim Colóniam, Agrippínam, obdormívit in Dómino, décimo octávo Kaléndas Octóbris, Coloniénsis et Tungrénsis primus, Trevirénsis vero urbis tértius epíscopus. Sacrum corpus Tréviros delátum, in ecclésia sancti Eucharii, quæ nunc sancti Matthíæ nuncupátur, appósitum fuit. Inde vero anno millésimo trigésimo séptimo Archiepíscopus Poppo sacra pignora ad Majórem Trevirénsem ecclésiam tránstulit. Non immérito Trajectenses, æque ac Trevirénses, Coloniénses et Tungrénses, alíque tum Bélgii tum Germániæ pópuli, sanctum Matérnum tanquam primum eárum regiónum fidei christiánæ præcónem et Apóstolum summa semper veneratióne ac pietáte prosecúti sunt, quippe qui fidem ab illo úberi provéntu, lætóque succéssu accepére: quæ a longo tot ætátum lapsu, Deo juvánte, persevérat intemeráta.

℟. Iste est qui ante.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vij. *Cap.* 16.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homília S. Irenæi Epíscopi et Mártyris.

Lib. 1. *adv. Hær. cap.* 10. *initio.*

ECCLESIA, tamétsi per univérsum orbem usque ad extrémos terræ fines dispérsa, fidem eam ab Apóstolis eorúmque discípulis accéptam summo stúdio et cura, perínde atque unam domum íncolens consérvat, ac velut ánimam unam atque unum idémque cor habens, his æque fidem accómmodat, et míro consénsu, quasi uno ore prædita, hæc prædicat, docet et tradit. Quanquam enim díspares inter se mundi linguæ sunt,

una tamen et éadem est traditiónis vis; ac neque hæ quæ in Germániis sitæ sunt Ecclésiæ, áliter credunt aut áliter tradunt, nec quæ in Hispániis aut Gálliis, aut in Oriénte, aut in Ægypto, aut in Africa, aut in Mediterráneis oris regiónibus sedem habent. Verum ut sol hic a Deo cónditus in univérso mundo unus atque idem est, ita étiam veritátis prædicátio passim lucet, omnésque hómines, qui ad veritátis agnitiónem veníre cúpiunt, illústrat.

℣. Amávit eum.

Lectio viij.

Ex lib. 3. *cap.* 3. *initio.*

TRADITIONEM ítaque Apostolórum in toto mundo manifestátam, in omni Ecclésia adest respícere ómnibus qui vera velint vidére: et habémus annumeráre eos, qui ab Apóstolis instituti sunt Epíscopi in Ecclésiis, et succéssóres eórum usque ad nos. Sed quóniam valde longum est in hoc tali volúmine ómnium Ecclesiárum enumeráre successiónes; máximæ et antiquíssimæ, et ómnibus cógnitæ, a gloriosíssimis duóbus Apóstolis Petro et Paulo Romæ fundátæ et constitútæ Ecclésiæ, eam quam habet ab Apóstolis traditiónem, et annuntiátam homínibus fidem, per successiónes Episcopórum pervéniéntem usque ad nos, indicántes, confúndimus omnes eos qui quoquo modo prætérquam opórtet cólligunt. Ad hanc enim Ecclésiam propter potiórem principalitátem necésse est omnem convenire Ecclésiam, hoc est, eos qui sunt úndique fidéles, in qua semper ab his qui sunt úndique, conserváta est ea quæ est ab Apóstolis traditio.

℣. Sint lumbi.

Lectio ix. *Cap.* 4.

CUI ordinatióni asséntiunt multæ gentes Barbarórum, eórum qui in Christum credunt, sine charta et atraménto scriptam habéntes per Spíritum in córdibus

suis salútem, et véterem traditiónem diligénter custodiéntes. Hanc fidem qui sine lítteris credidérunt, quantum ad sermónem nostrum bárbari sunt, quantum autem ad senténtiam, et consuetúdinem, et conversatiónem, propter fidem per quam sapientíssimi sunt, et placent Deo, conversántes in omni justítia, et castitáte, et sapiéntia. Te Deum laudámus.

Ad Benedictus, Ánta.

Laus et benedíctio Deo in Matérno, cujus nos orátio voto hodiérno, eréptos ab ímpio hoste et inférno, corónet in sólio pacis sempitérno.

In ij. Vesperis omnia ut in j. præter ultimum Ps. Meménto.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

FESTA OCTOBRIS.

DIE III. OCTOBRIS.

In Festo B. Mariæ de Socos, Virg.

Duplex.

Omnia ut in fine Breviarii, ad 22 Septembris.

DOM. II. OCTOBRIS.

In Festo Gaudiorum B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in Festis B. M. V. per annum, etiam Lectiones trium Nocturnorum.

DIE VIII. OCTOBRIS.

Com. S. Amoris, Conf.

Oratio.

CONCEDE nobis, quæsumus Dómine, fervéntibus ánimis beáti Amóris, Confessóris tui, solémnia celebráre; cujus diversis virtútibus decoráta tibi vita complácuit. Per Dóminum.

Lectio ix.

Ex vita apud Bolland.

BEATUS Amor, ortu Aquitánus, a prima ætáte se totum Dei servítio devóvit. Carnis desidéria insigni córporis macratióne refrénans, assíduis ínterim précibus mentem récreans, in amóre divino in dies proficiébat. Tum pátria opibúsque pro Christo relíctis, Romam peregrinátus est, ut per intercessiónem sanctórum

Apostolórum Deus velíet manifestáre, qua vivéndi ratióne ipsi quam perfectíssime inservíret. Itaque divíno afflátus spíritu, Trajéctum ad Mosam próperat. In itínere Mediolanénse territórium pertránsiens, infírmum quem médici curáre nequíverant oratióne sanávit. Trajécti multum témporis apud sancti Servátii sepúlcrum exégit. Sanctíssimam vitam pretiósa coram Deo et homínibus morte finívit, múltis in vita et post óbitum miráculis clarus. Cultum ecclesiásticum a primis tempóribus obtínuit Trajécti, Tungris, et præsértim in monastério Belísiæ, ad quod corpus translátum honorífice repósitum fuit usque ad finem sæculi décimi octávi, et abbatíæ ac templi in honórem sancti Amóris dedicáti destructiónem. Insígnis Reliquiárum pars in summa reipúblicæ calamitáte studióse serváta, post plures annos auctoritáte Ordinárii recógnita, ad ecclésiam parochiálem ejúsdem loci, vulgo Munsterb lsen, pervénit, ubi débita veneratióne cólitur.

Te Deum laudámus.

DIE IX. OCTOBRIS.

In Festo SS. Dionysii et Soc., Mart. Duplex.

Omnia ut in Breviario.

DIE X. OCTOBRIS.

In Festo S. Francisci Borgiæ, Conf. Duplex ij. classis.

Omnia ut in Breviario.

In j. Nocturno Lectiones Beátus vir, de Comm. ij. loco.

DIE XI. OCTOBRIS.

In Festo S. Ludovici Bertrandi, Conf. Duplex.

Omnia ut in fine Breviarii, die x. Octobris.

DIE XXI. OCTOBRIS.

In Festo SS. Ursulæ et Soc., Virg. Mart. Duplex.

Omnia de Comm. Virg. præter sequentia.

In utrisque Vesperis ad Magníficat, et in Laudibus ad Benedíctus, Ańa. Prudéntes vírgines, aptáte vestras lámpades. ecce

sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Adducéntur Regi vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Dómine Deus noster, sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum Ursulæ et Sociárum ejus, palmas incessábili devotióne venerári; ut, quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Deinde fit com. S. Hilarionis, ut in Breviario.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Actis et Regestis Secretariæ Sacrorum Rituum Congregationis.

DUM sæculo quinto fere médio, Attila, Hunnórum dux, a prima sua in Gállias irruptióne, ubi ad Catalaunum profligátus fúerat, in Pannóniam revertebátur, ántequam Rhenum trajícerat, nobilíssimam urbem Colóniam Agrippínam aggréditur, et ob ódium Cathólicæ Religiónis, quæ ibi máxime florébat, eam rapína ac cædibus vastábat. Sævíssimo autem impetu bárbari libídine æstuántes, in vírgines puéllas irruébant, quæ a Británnia emigrántes ibídem commorabántur; inter quas præclaríssima éxtitit virgo Ursula nómine, quæ cæteras hortabátur Sócias, ómnia pótius subíre torménta, mortémque crudelíssimam obíre, quam virgináles pudicítiæ detriméntum pati. ℟. Propter veritátem.

Lectio v.

CUM nóbile hoc virgíneum agmen constantíssime Hunnis restitísset, partim ab ipsis gládio trucidátæ, partim sagíttis transfíxæ, partim véctibus contúsæ martyrium consummárunt. Ursula vero super cóetum suárum velut cœléstium margaritárum acérvum gloriósa víctima procúmbens, púrpura pro fide

et castitáte fusi sánguinis decoráta, exércitum géminis virginitátis et fídei corónis insígnem in cœlum triúmphans introdúxit. Postquam vero sæva barbarórum procélla déflúxit, Coloniénses supérstites vírginum aliorúmque cívium Mártyrum córpora ut pretiósa pignora collegérunt, et summo honóre condidérunt.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vj.

IN agro virgíneo sánguine rubro, in quo sacra quies Martyribus data fuit, basílica ædificáta est, jam médio sæculo séptimo Sanctárum Virginum dicta, ob quarum reveréntiam nullum exínde cadáver humánum illic tumulabátur. Quæ sæculo nono monastérium facta, initio décimi moniáles ob metum Hungarórum prófugas recépit, semper ab ínclytæ civitátis Præsúlibus liberáliter dotáta et pie visitáta. Conspiciúntur usque in hunc diem eccléśiæ sæpe restaurátæ muri Mártyrum lóculis úndique exornáti, dum major Reliquiárum pars intra chori paríetes et sub paviménto látitant; cernúntur in próximo oratório innúmera vírginum cápita, martyrii vestígiis passim insignita, partim crínibus sanguinoléntis tecta. Hæc sacra pignora prætéritis tempóribus piis peregrinatiónibus fidéles prosequúti sunt.

℟. Afferéntur Regi.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 25.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem vírginibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 93, *al.* 23 *de verb. Dom.*

SAPIENTIUM lámpades ardébant de óleo intérno, de consciéntiæ secu-

ritáte, de interióre glória, de íntima charitáte. Ardébant tamen et illárum fatuárum. Quare tunc ardébant? Quia non déerant laudes hóminum. Póstea vero quum surrexérunt, id est, in resurrectióne a mórtuis, cœpérunt aptáre lámpades suas, id est, præparáre Deo ópera suórum réddere ratiónem. Et quia tunc nemo est, qui laudet, omnis homo causæ suæ vacat, nemo est tunc, qui non de se cógitet, non ergo erant qui óleum vénderent, cœpérunt deficere lámpades, et convertérunt se fátuæ ad quinque prudéntes: Date nobis de óleo vestro, quia lámpades nostræ extinguúntur. Hoc quærébant quod consuéverant, id est, alíeno óleo lucére, ad aliénas laudes ambuláre.

℣. Gloriósum sánguinem fudérunt pro Dómino, amavérunt Christum in vita sua, imitátæ sunt eum in morte sua: * Et ideo corónas triumphále meruérunt. ℟. Unus spíritus, et una fides erat in eis. Et ideo.

Lectio viij.

CLAUSUM est óstium. Et quid illis dictum est: Non novi vos? Non illas novit, qui ómnia novit? Quid ergo est: Non novi vos? Improbo vos, réprobo vos: in arte mea non vos agnósco, ars mea nescit vítia. Hoc est autem magnum: et nescit vítia, et júdicat vítia: nescit faciéndo, júdicat arguéndo. Sic ergo non novi vos. Iérunt, intravérunt quinque prudéntes. Quam multi estis, fratres mei, in nómine Christi: sint in vobis quinque prudéntes, sed nolíte: quinque hómines. Sint in vobis quinque prudéntes, ad istam prudéntiam quinárii número pertinéntes. Véniet enim hora, et quando nescímus, véniet. Média nocte vénit. Vigiláte. Sic clausit Evangélium: Vigiláte, quia nescítis diem, neque horam.

℟. Istæ sunt, quæ veníunt ex magna tribula-

tióne, * Et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia: et meruérunt habére corónas perpétuas. Et lavérunt. Glória Patri. Et lavérunt.

Lectio ix. S. Hilarionis (e duabus fit una), et com. in Laudibus.

Si legenda non est ix. Lectio de S. Hilarione, tunc suprascriptæ Lectiones de Homilia dividantur ita: Lectio vij. Sapiéntium usque ad réddere ratiónem: Lectio viij. Et quia, usque ad ad aliénas laudes ambuláre: Lectio ix. Clausum est usque ad finem.

DOM. IV. OCTOBRIS.

In Festo SS. Reliquiarum sive SS. quorum Reliquiæ in Ecclesiis Diœcesis asservantur.

Duplex majus.

Omnia de Comm. plur. Mart. præter sequentia.

Oratio.

AUGE in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in Sanctórum tuórum Reliquiis mirabília operáris; et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones. Fratres, Debitóres.

In secundo Nocturno.

Ex Tractátu S. Joánnis Damascéni de Fide orthodóxa.

Lectio iv.

Lib. 4. Cap. 15.

CHRISTUS Dóminus Sanctórum Reliquias velut salutíferos fontes præbuit, ex quibus plúrima nobis beneficia manant, suavissimúmque unguéntum prófluit. Nec vero quisquam huic sermóni fidem détrahat; nam si aqua in desérto ex áspera et sólida rupe, atque ex ásini maxilla ad sedándam Samsónis sitim, Deo ita volénte, prosíliit, erítne, cur cuíquam incredíbile videátur, ex Mártyrum Reliquiis suáve unguéntum scaturíre? Mínime certe, iis quidem, quibus Dei poténtia, honórque, quo Sanctos suos áfficit, perspéctus et ex-

plorátus est. Atque illud quidem véteri lege comparátum erat, ut quisquis mórtuum contigísset, immúndus censerétur; verum hi in mortuórum número minime habéndi sunt.

℟. Sancti tui, Dómine.

Lectio v.

EX quo enim ipsamet vita, ac vitæ Auctor inter mórtuos adscríptus est, eos, qui in spe resurrectiónis fideíque erga eum, diem extrémũ clausérunt, mórtuos haud quáquam appellámus. Qui enim mórtuum corpus mirácula édere queat? Per ea dæmones expellúntur, morbi profligántur, ægróti sanántur, cæci prospíciunt, leprósi mundántur, tentatiónes ac mœróres discutiúntur, ac dénique omne donum óptimum a Patre lúminum, córum ópera ad eos, qui fide minime dúbia póstulant, descéndit. Quid non labóris suscípias, ut patrónum quemdam nanciscáris, qui te mortáli regi ófferat, ac tuo nómine ad eum verba fáciat? An non ígitur hi honorándi sunt, qui totíus humáni géneris patrónos se profiténtur, ac Deo nostra causa súpplicant?

℟. Vérbera carnificum.

Lectio vj.

HONORANDI certe, et quidem ita, ut in eórum nómine templa Deo extruámus, dona offerámus, eórum memóriam colámus, atque in ea spirituáliter oblectémur; quo nimírum lætítia nostra iis, a quibus invitámur, cóngruat, ne, dum eos cólere et demeréri studémus, offendámus pótius, et irritémus. Quibus enim rebus Deus cólitur, iisdem quoque servi ipsíus oblectántur; quibus autem Deus offénditur, iísdem étiam ipsíus mílites offendúntur. Quocírca in psalmis, et hymnis, et cánticis spirituálibus, et compunctióne, et córum, qui in egestáte versántur, commiseratióne, quibus obséquiis Deus potíssimum conciliátur,

Sanctos colámus, státuas ipsis, et visíbiles imágines erigámus; imo ipsi virtútibus eórum imitándis hoc consequámur, ut vivæ eórum státuæ atque imágines simus.

℟. Tamquam aurum.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Descéndens Jesus, de Communi ij. loco.

Lectio ix. Hom. Dñicæ et com. in Laudibus.

DIE XXIII. OCTOBRIS.

In Festo S. Severini, Episc. et Conf.

Oratio.

DEUS, qui beátum Severínum, Confessórem tuum atque Pontíficem, hodiérna die ad ætérnæ vitæ suscepísti mansiónem: concéde quæsumus; ut ejus intercessióne vitam mereámur ætérnam. Per Dóminum.

E sancto Gregório Turonénsi de Miráculis S. Martíni.

Lectio ij. *Lib.* 1. *Cap.* 4.

SEVERINUS, Coloniénsis civitátis epíscopus, vir honéstæ vitæ et per cuncta laudábilis, dum die Domínica loca sancta ex consuetúdine post matutínos hymnos cum suis cléricis circumíret, illa hora qua beátus Martínus óbiit, audívit chorum canéntium in sublími, vocatúmque Archidiáconum interrogávit si aures ejus percúterent voces, quas ille atténtus audíret. Respóndit: Nequáquam. Tunc ille: Diligéntius, inquit, auscúlta. Archidiáconus autem cœpit sursum collum exténdere, aures erígere, et super summos artículos báculo sustentánte stare. Sed credo eum non fuísse æquális mériti, a quo hæc non merebántur audíri. Tunc prostráti terræ, ipse páriter et beátus Epíscopus, Dóminum deprecántur, ut hoc ei divína pietas audíre permítteret.

Lectio iij.

ERECTIS autem, rursum intérrogat senex: Quid audis? Qui ait: Voces psalléntium tamquam in cœlo áudio, sed quid sit prorsus ignóro. Cui

ille : Ego tibi quid sit narrábo. Dóminus meus Martínus epíscopus migrávit ex hoc mundo, et nunc Angeli canéndo eum déferunt in excélsum. Et ut parúmper moræ esset, ut hæc audiréntur, diábolus eum cum iníquis ángelis retinére tentávit, nihílque suum in eódem repériens, confúsus abscéssit. Quid ergo de nobis peccatóribus erit, si tanto sacerdóti vóluit pars inimica nocére ? Hæc sacerdóte loquénte, notávit tempus Archidiáconus, et Turónes misit velóciter qui hæc diligénter inquíreret. Qui véniens, eo die et hora manifestíssime cognóvit transísse beátum Martínum, quo sanctus Severínus audívit psalléntium chorum. Sanctus hic Epíscopus sæculo quarto Agrippinénsem ecclésiam singulári sanctitáte illustrávit, et Colóniæ in ecclésia sanctórum Cornélii et Cypriáni, quæ ab ipso ædificáta fuísse créditur atque nunc nomen óbtinet, honorífice requiéscit.

Te Deum laudámus.

DIE XXIV. OCTOBRIS.

In Festo S. Raphaelis, Archangeli.
Duplex.
Omnia ut in fine Breviarii.

DIE XXXI. OCTOBRIS.

In Festo S. Wolfgangi, Episc. et Conf.
Duplex.
Omnia ut in fine Breviarii.

FESTA NOVEMBRIS.

DOM. I. NOVEMBRIS.

Festum Patrocinii B. M. V.
Duplex majus.
Omnia ut in fine Breviarii.

DIE III. NOVEMBRIS.

In Festo S. Huberti, Episc. et Conf.
Duplex.
Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.
In Hymn. 1ste Confessor, mutatur tertius versus.
Oratio.

DEUS, qui perénnem glóriam sancti Confessóris tui atque Pontíficis Huberti ánimæ con-

tulísti : tríbue quæsumus; ejus nos apud te ita patrocíniis adjuvári, ut cum eo vitam possideámus ætérnam. Per Dóminum.

Et fit com. Oct. Omnium SS. ut in Breviario.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

E vita per anonym. familiar. apud Surium, Anselm. canon. Leod., et Monum. apud Mabill. Gall. Christ. et Bened. Pap. XIV.

HUBERTUS, ex Aquitániæ principum régia stirpe natus, primóque vitæ témpore mundi vanitátibus addictus fuísse perhibétur. Qui póstea in Austrásiam véniens, supérna grátia mutáto consílio, totum se Deo vóvit, et beáto Lambérto Trajecténsi epíscopo, tanquam magístro, perféctæ conversiónis adipiscéndæ causa, se submísit; cui deínde, per martyrium subláto, in epíscopátu succéssit. Ab ínitio Præsulátus facultátes univérsas in egénos distribuit, et se totum charitátis officiis dedit : nam oppréssos juvábat, inopum miserebátur, cárcere inclúsos, pœnis subjéctos inviségat et subsídio consolabátur : eleemósynas autem, quas manu gestábat, ea ánimi pietáte largiebátur, ac si Christo ipsi dedísset. Amáris lácrymis deflébat, quod sancti Lambérti prædecessóris sui mérita martyrii glória ássequi non licéret : quam débitam peccátis suis pœnam dicébat.

℟. Invéni David.

Lectio v.

ANNO epíscopátus sui décimo tértio, sæpe de cœlo mónitus, Lambérti sacrum corpus, solémni pompa, Trajécto Légiam redúxit, et ibídem in loco martyrii magna cum veneratióne recóndidit : sedem étiam epíscopálem, quam sanctus Servátius Tungris Trajéctum transtúlerat, ipse Leódii, cujus civi-

tátis fundaménta pósuit, fixit. Non solum gregi suo invigiláre, sed víribus ómnibus ovíle Christi adaugére sátagens, Arduénnæ íncolis, genti adhuc bárbaræ, Evangélium indeféssus prædicávit, eámque Christo lucrifécit. Tum et Taxándros atque Brabántos, jam sancti Lambérti ópera ad fidem Christiánam convérsos, vita, sacris conciónibus et miráculis in ea corroborávit. Templis idolórum subvérsis, ecclésiæ Christiáno ritu constructæ et honorátæ sunt. Diéi sui óbitus anno ante eam íntegro præscius, toto anno oratiónibus, vigíliis et eleemósynis majóri stúdio vacábat ; imminénte autem témpore, quo a vínculo córporis solvéndus erat, Sanctórum memórias óbiens, per eórum suffrágia mortem suam Dómino commendábat, et fratrum circumstántium intercessiónem humíliter petébat.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

In Brabántiam profectus, ut novam ibi ecclésiam consecráret, Sacris peráctis, febre corrípitur, et in villa sua Furæ Ducum non procul Bruxéllis delúbuit. In agóne dæmonis artes, Psalmo nonagésimo, adhíbita aqua lustráli, elúsit. Licet autem morbus semper augerétur, ipse tamen de consuéto oratiónum penso nihil omíttens, Horas étiam canónicas persolvébat. Dénique Symbolo fidei recitáto, inter Oratiónis Domínicæ verba, senectúte bona plenus, vita cessit Sanctórum jungéndus agmínibus. Corpus Leódium máximo pópuli concúrsu dedúctum, et post áliquot annos elevátum, públicæ fidélium veneratióni expósitum fuit : quod sæculo nono sine omni corruptióne invéntum, sub Walcándo episcopo Leodiénsi ad monastérium Andaínum, sancti Hubérti nómine póstmodum nuncupátum transfértur:

ubi perénni miraculórum glória fulget, eórum præcípue salúte, qui rabidórum animálium morsu infécti sunt, quales jam inde a sæculo nono, immíssa in frontem stolæ sancti Hubérti partícula, sanátos fuísse, fide digna ejúsdem sæculi monuménta testántur.

℟. Iste est qui ante.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Homo pé regre, de Communi Conf. Pont.

DIE V. NOVEMBRIS.

In Festo S. Perpetui, Episc. et Conf.

Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

In Hymno. Iste Conféssor, mutatur tertius versus.

Oratio.

PROPITIARE, quæsumus Dómine, nobis indígnis fámulis tuis, per sancti Perpétui, Confessóris tui atque Pontíficis, mérita gloriósa: ut ejus pia intercessióne, ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Dóminum.

Deinde fit com. Oct. Omnium Sanctorum, ut in Breviario.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Actis apud Ghesq. in Actis SS. Belgii.

SANCTUS Perpétuus, ad majóra ab adolescéntia comparátus, iis sédulo se institúerat sciéntiis et virtútibus, quas Apostólici requirunt labóres. In eo vis tanta emícuit dicéndi ad pópulum christiánum, ut nomen Doctóris fidélium mérito obtinúerit. Nihil autem ore proferébat, quod manu non confirmáret: hinc beáto Gondúlpho, episcopo Trajecténsi, defúncto, ómnium votis succéssit. Qua dignitáte præditus omnes exéruit ánimi corporísque vires ut tantum munus impléret: incitábant illústria, quæ prémeret sanctórum antecessórum vestígia. Deprávátos hóminum mores corrígere, disciplínam ec-

clesiásticam promovére non déstitit; páuperum protectiónem semper suscépit: eórum quippe et Ecclésiæ bona advérsus potentiórum injúrias fórtiter vindicásse tráditur. ℟. Invéni David.

Lectio v.

INTER hæc pública charitátis officia, sui nequáquam immemor, assurgéntes forte dæmonis invidéntia cupiditátes sic retundébat, ut victor supra ómnia humána mentem attóllens, immérsam in cœléstium arcanórum contemplatiónem suavíssima cum Deo familiaritáte conjúngeret. Singulári in Maríam Vírginem, et Apostolórum Princípem, ac mártyrem Vincéntium ferebátur affectu. Sacrátam huic ædem frequens visébat, dum Dionánti, quod beáti Monúlphi múnere in episcopórum Trajecténsium erat potestáte, versabátur, sancti Mártyris triúmphis mentem ad fórtia érigens. ℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

HISCE bonórum óperum stúdiis inténtus ad sanctam senectútem pervénit, ac trédecim, ut fertur, annis in veri patstóris offício consúmptis beáto fine quiévit prídie Nonas Novémbris, labénte sæculi séptimi prima parte. Sepúltus est Dionánti in oratório sancti Vincéntii: ex ejus córpore diu emanávit óleum ægris salúbre; quare, crescénte miraculórum fama, ex húmili loco ad sacram Beátæ Maríæ Vírginis basílicam sancti viri corpus, confluénte pópulo, solémniter delátum est, sanctúmque Perpétuum óppidi sui Tutelárem adscivére Dionanténses. ℟. Iste est qui ante.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 5.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homilía S. Gregórii Papæ. *Hom. 17. in Evang. circa finem.*

MISSIS prædicatóribus dícitur: Vos estis sal terræ. Si ígitur cibus Dei est pópulus, condiméntum cibi sacerdótes esse debuérunt. Sed quia, dum nos ab oratiónis et eruditiónis sanctæ usu cessámus, sal infatuátum est, condíri non valet cibus Dei; atque idcírco ab auctóre non súmitur, quia exigénte fatuitáte nostra, minime conditur. Pensémus ergo, qui unquam per linguam nostram convérsi, qui de pervérso suo ópere nostra increpatióne corrépti, pœniténtiam egérunt? Quis luxúriam ex nostra eruditióne deséruit? Quis avarítiam, quis supérbiam declinávit? Pensémus quod lucrum Deo fécimus nos, qui, accépto talénto, ab eo ad negótium missi sumus? Étenim dicit: Negotiámini dum vénio. Ecce jam venit; ecce de nostro negótio lucrum requírit. Quale ei animárum lucrum de nostra negotiatióne monstrábimus? Quot ejus conspéctui animárum manípulos de prædicatiónis nostræ sége te illatúri sumus?

℟. Amávit eum.

Lectio viij.

PONAMUS ante óculos nostros illum tantæ districtiónis diem, quo Judex véniet, et ratiónem cum servis suis, quibus talénta crédidit, ponet. Ecce, in majestáte terríbili, inter Angelórum atque Archangelórum choros, vidébitur. In illo tanto exámine electórum ómnium et reprobórum multitúdo deducétur, et unusquísque, quid sit operátus, ostendétur. Ibi Petrus cum Judæa convérsa, quam post se traxit, apparébit; ibi Paulus convérsum, ut ita dícerim, mundum ducens; ibi Andréas post se Achàiam, ibi Joánnes Asiam, Thomas Indiam in conspéctum sui Régis convérsam ducet. Ibi omnes Domínici gregis

arietes cum animárum lucris apparébunt, qui sanctis suis prædicatiónibus Deo post se súbditum gregem trahunt. Cum égitur tot pastóres cum grégibus suis ante ætérni Pastóris óculos vénerint, nos míseri quid dictúri sumus, qui ad Dóminum nostrum post negótium vácui redímus, qui pastórum nomen habúimus, et oves, quas ex nutriménto nostro debeámus osténdere, non habémus? Hic pastóres vocáti sumus, et ibi gregem non dúcimus.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Sed numquid, si nos negligímus, omnípotens Deus déserit oves suas? Nullo modo; nam ipse eas, sicut per Prophétam pollícitus est, per semetípsum pascit, omnésque quos prædestinávit ad vitam, flagellórum stímulis, compunctiónis spíritu érudit. Et per nos quidem fidéles ad sanctum baptísma véniunt, nostris précibus benedicúntur, et per impositiónem nostrárum mánuum a Deo spíritum Sanctum percípiunt, atque ipsi ad regnum cœlórum pertíngunt, et ecce nos per negligéntiam nostram deórsum téndimus. Ingrediúntur elécti, sacerdótum mánibus expiáti, cœléstem pátriam, et sacerdótes ipsi per vitam réprobam ad inférni supplícia festínant. Cui ergo rei, cui símiles dixérim sacerdótes malos nisi aquæ baptísmatis, quæ peccáta baptizatórum díluens, illos ad regnum cœléste mittit, et ipsa póstea in cloácas descéndit? Timeámus hæc fratres; convéniat actióni nostræ ipsum ministérium nostrum. De peccatórum nostrórum relaxatióne quotídie cogitémus, ne nostra vita peccáto obligáta remáneat, per quam omnípotens Deus quotídie álios solvit.

Te Deum laudámus.

In Laudibus fit com. Oct. Omnium Sanctorum ut in Breviario.

DIE VII. NOVEMBRIS.

In Festo S. Willibrordi, Episc. et Conf.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui ad prædicándum géntibus glóriam tuam beátum Willibrórdum, Confessórem tuum atque Pontíficem, míttere dignátus es: ejus méritis et intercessióne concéde; ut quæ nobis agénda præcipis, te miseránte adimplére possímus. Per Dóminum.

Et fit com. Oct. Omnium Sanctorum ut in Breviario.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Epist. 97. *S. Bonif. ven. Beda et Alcuino coævis.*

WILLIBRORDUS in Northúmbria, Angliæ província, natus est post médium sæculum séptimum. Patrem hábuit Wilgísum, e Saxónibus oriúndum, qui póstea mónachus factus, sanctitáte flóruit. A prima ætáte, Ripénsis ecclésiæ frátribus religiósis eruditéndus tráditur, ubi pietáte et sacris disciplínis institútus, vitam páriter monásticam amplexus est. Annos natus viginti, arctióris vitæ desidério, cum abbátis licéntia, Hibérniam pétiit, ubi, sub venerabílibus Dei sacerdótibus Egbérto et Wigbérto, per duódecim annos sacris lítteris óperam dedit. Présbyter factus et animárum zelo æstuans, a sancto Egbérto diréctus in Frísiam, cum úndecim sóciis, Ultrajéctum áppulit. A Pipíno Herstállo, qui nuper citeriórem Frísiam céperat, benígne suscéptus, verbum Dei prædicáre cœpit: deínde Romam profectus est, ut Apostólica benedictióne ac missióne munítus, desiderátum evangelizándi géntibus opus iníret; apud Sérgium Primum, Pontíficem Máximum voti sui compos effectus ad prædicándum rédiit.

Quædam vero haud contemnénda traditio ásserit eum sæpius cum sancto Lambérto, episcopo Trajectensi, convenísse et de rebus missiónum fuísse collocútum.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Postquam vero Willibrórdus, cum sóciis, per annos áliquot in Frísia laboráverat, Pipínus, favénte ómnium consénsu, virum venerábilem Romam misit, ut a Sérgio Papa in episcopum ordinátus, majóre adhuc fructu, divíni verbi sémina diffúnderet. Quem Póntifex Máximus honorífice excípiens, impósito Cleméntis nómine, Ultrajectensium archiepíscopum consecrávit, ac mox remísit in Fránciam. Tum vir apostólicus, longe latéque verbum Dei prædicans multósque ab erróre révocans, destrúctis delúbris, plures ecclésias et monastéria nonnúlla construxit, ac sacerdótes per síngula loca constítuit. Anno autem septingentésimo décimo quarto, Pipínus, morti próximus, et uxor ejus Plectrúdis, pro salúte animárum suárum, eídem apostólico patri monastérium Suestrénse donavérunt, cujus ítaque ipse primus abbas effíctus est.

℟. Posui adjutórium.

Lectio vj.

Post mortem vero Pipíni ducis, Cárolus Martéllus, fílius ejus, contra bárbaros strénue pugnávit. Devícto autem, inter cæteros hostes, Radbódo rege, sanctus Willibrórdus Ultrajécti sedem archiepiscopálem firmávit; quam civitátem idem Cárolus, sanctitáte et labóribus Willibrórdi motus, ei cum ómnibus appendícibus liberáliter donávit. Dénique vir sanctus, ad extrémam vitam usque, in sancto semper profíciens ópere, Deo amábilis et omni pópulo gratíssimus, post árdua milítiæ christiánæ certámina, plenus diérum, ad supérnæ remuneratiónis

præmia fuit assúmptus, anno Christi septingentésimo trigésimo nono. Corpus ejus, ut vivens optáverat, in monastério Epternacénsi, ab ipso in honórem sancti Benedícti fundáto, sepúltum est, innumerísque ibídem cláruit miráculis. Ex eo autem loco, post invasiónem Gallórum, in ecclésiam parochiálem, destrúcto monastério, fuit translátum, ubi hucúsque quiéscit.

℟. Iste est qui ante.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Homo péregre, de Comm. Conf. Pont.

DOMINICA PRIMA POST OCT. OMNIUM SS.

Festum Dedicat. omnium Ecclesiarum.

Duplex 1. cl. cum Oct.

Pro universo Diœcesis Clero.

Omnia de Communi.

DIE XIV. NOVEMBRIS.

In Festo S. Albrici, Episc. et Conf.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

Oratio.

LARGIRE, quæsumus Dómine, omnípotens Deus, per mérita beáti Albrici, Confessóris tui atque Pontíficis, fragilitáti nostræ subsídium, et præsta; ut sicut ille Ecclésiæ tuæ éxtitit prædicátor et rector, ita apud te sit pro nobis perpétuus intercéssor. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex vita S. Greg. per S. Ludg., vita S. Ludgeri per Altfrid., cœvos, Molano et Fisen in Flor. Eccl. Leod.

ALBRICUS, pro laudábili sua conversatióne morúmque integritáte, in clerum Ultrajecténsem fuit cooptátus, quo témpore beátus Gregórius illam ecclésiam administrábat; et senescénte Gregório, totíus diœcésis fidélis dispensátor deputátus, condígne clerum rexit et pópulum. Sanctitátis ejus fama pervé-

nit ad regem Cárolum Magnum, tantámque apud ipsum suscitávit veneratiónem, ut, in gravíssimis reipúblicæ negótiis, ejus uníus consília sequerétur, utque, cum in Itáliam expeditiónem susciperet, a Longobardórum injúriis Sedem Apostólicam defensúrus, a se Albrícum abésse nolúerit, cujus sapiéntia regerétur, et defenderétur religióne.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Ex Itália revérsus, Gregório defúncto ómnium votis Ultrajecténsis episcopus eléctus est Albrícus, decessóris sui in pastoráli vigilántia, apostólicis labóribus, et institutióne juventútis, fidélis imitátor. Inter ejus discípulos éminet beátus Ludgérus, quem, sacerdótio initiátum, ad Frísios misit doctórem eum constítuens in pago Oostérgo, in loco ubi sanctus Bonifácius martyrio fúerat coronátus. Dénique, post gestum magna laude episcopátum, vita functus est sanctus Præsul, anno circiter septingentésimo octogésimo tértio. Translátus in monastérium Suestrénse, multis claruit miráculis, ibíque cum sancto ejus decessóre Gregório, a multis sæculis Patróni secundárii veneratiónem habet. Utriúsque Translátio ibídem, die vigésima tértia Septémbris, olim recolebátur.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj. Beáti Patris Albrici, de Comm. Conf. Pont. ij. loco.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Vigiláte de Comm. ij. loco.

DIE XVI. NOVEMBRIS.

In Festo S. Cuniberti, Episc. et Conf.

Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter sequentia.

Oratio. Exáudi, quæsumus, de Communi.

In Hymno mutatur tertius versus.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.
Lectio iv.

Ex Fredegario Schol., Monum. in Gallia Christ. et Diplom. Sigewini.

CUNIBERTUS patre Cralóne, matre Regina ad Mosélam natus, primum Trevirénsis ecclésiæ archidiáconus, deínde, Remédio episcopo Coloniénsi defúncto, ómnium votis succéssor eléctus est anno Dómini sexcentésimo vigésimo tértio. Intérfuit Concílio Reménsi primo sub Sonnátio, in quo multa de hæresum extermínio et de immunitáte ecclesiástica tuénda salúbriter decréta fuére. Non tantum in ecclésia Coloniénsi, sed toto étiam Austrasiórum, quin et Francórum regno ejus sánctitas, prudéntia, humánitas, et beneficéntia singulári ter eluxérunt. Dagobértum primo Austrasiórum, póstea Francórum regem, consíliis adjúvit: sed et officii sui tam sédulo et eo succéssu admónuit, ut prosperitátis subditórum et justítiæ amóre Dagobértus univérsos subjéctos sibi complecterétur, nullúmque ante se habúerit Francórum regem, qui eum laude præcélleret.

℟. Invéni David.

Lectio v.

CUM idem Dagobértus Sigebértum fílium Austrásiæ regem constitúeret, sedémque Metis habére permítteret, eúmdem Cunibérti et ducis cujúsdam tutélæ commísit. Cunibértus autem regis hujus adolescéntiam tam sancte instítuit, tam salúbriter moderátus est, ut Sigebértus prorsus insígnia virtútum exémpla præbúerit, pietatísque suæ præclára monuménta reliquerit. Pipínus sénior, sanctæ Gertrúdis pater, princeps singulári pietátis et virtútum laude commendátus, Cunibérto arctíssima amicítia junctus erat: et Cunibértus, hoc adjutóre, suísque suavíssimis móribus post mortem Dagobérti Austrásios

in officio et pace contínuit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

TANTÙM in aula régia auctoritáte et grátia valébat Cunibértus, ut nihil quod alicújus esset moménti, sine ejus consílio agerétur Sigebérto peténte consénsit, ut cœnóbium Malmundariénse, cujus, uti et Stabulénsis, ædificatiónem sanctus Remáclus jam absólverat, ab hoc consecrarétur. Sanctũ Theodárdum pro sede Trajecténsi consecrávit. In ecclésia sanctárum Vírginũ sepúlchrum sanctæ Ursulæ indício colúmbæ invénit. Extra Colóniæ muros ad Aquilónem, sancti Cleméntis ecclésiam constrúxit, quæ nunc ab eo nomináture, et in qua, Cunibérto post quadragínta episcopátus sui annos sancte mórtuo, sacrum ejus corpus quiéscit. Cum sæculo undécimo, monastério beátæ Maríæ in Grádibus exústo, próximam metropolitánam ecclésiam flamma corríperet, Congregátio sancti Cunibérti sacrum hoc pignus ad Metropolitánam détulit: cumque illud igni appósitum fuísset, Sigewíno archiepíscopo præsénte, flamma evánuit.

℟. Iste est qui ante.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Vigiláte, de Communi Conf. Pont. ij. loco.

DIE XXI. NOVEMBRIS.

Com. S. Alberti Episc. et Martyris.

Oratio.

DEUS, qui beátum Albértum Pontíficem, martyrii coróna decorásti, et ecclesiásticæ libertátis constituísti defensórem: ejus méritis nobis concéde; ut per hujus vitæ tribulatiónes ad promíssam pervenire valeámus felicitátem. Per Dóminum.

Lectio ix.

Ex vita per auct. anon. familiarem.

ALBERTUS, patre Godefrído Tértio, Cómite Lovaniénsi, matre Margaréta Limburgénsi, na-

tus est Lovánii in Castro Cæsaris, ad médium sæculiduodécimi. Abinfántia Deum timébat illúmque partem hæreditátis suæ éligens, cathedrális Leodiénsis clero se addíxit; cumque sanctis móribus inter omnes elucéret, Campíniæ archidiáconus eléctus fuit. Simplícitas ejus ingénua, dulcis mansuetúdo, angélica púritas et prægrándis erga próximum cháritas ómnibus ádeo erat perspícua, ut mórtuo episcopo Leodiénsi Radúlpho, ejus succéssor Albértus ómnium votis designarétur. At imperátor Henrícus sextus Lothário Horstádio simoníace episcopátum adjudicávit. Tum Albértus, ad Románi Pontifícis sententiam próvocans, dissimuláto hábitu, ne ab hóstibus interciperétur, post gravíssimas itíneris ærúmnas Romam pervénit, ubi a Cœlestíno Papa Tértio benígne excéptus fuit. Póntifex ómnibus, ad cánonum normam, matúre perpénsis, Albértum legítime designátum fuísse pronuntiávit, et ob exímias virtútes in Cardinálium adlégit collégium. Cum ígitur in Gálliam rediísset, ab archiepíscopo Rheménsi episcopus consecrátus est: ast tres viri nóbiles e Germánia Rhemos submíssi, pérfide eum, non ita multo post, prope cámdem civitátem trucidárunt. Te Deum laudámus.

DIE XXVI. NOVEMBR.

In Festo S. Amelbergæ, Vírginis.

Duplex.

Omnia de Comm. Virg. præter sequentia.

Oratio.

LÆTIFICET nos, quæsumus Dómine, beátæ Amelbérgæ Vírginis tuæ gloriósa festivitas: ut quæ tibi suis plácuit méritis, pro nostris étiam véniam implóret offénsis. Per Dóminum.

Et fit com. S. Petri Alexandrini Episc. et Mart. ut in Breviario.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

E veteribus monum. Suster. apud Fisen in Flor. Eccl. Leod.

SANCTA Amelbérga, virgo illústris sanctimóniæ, prima monastérii Susterenénsis abbatíssa fuísse tráditur, postquam illud, sanctitúdinis antiquitáte Sanctorúmque exúviis veneránduм, a pisíssimo Lotharíngiæ rege Zuentibóldo, qui et ibídem sepúltus est, fuit instaurátum. Mira disciplínæ integritáte sodáles suas regébat Amelbérga, ibíque ternas prædícti regis fílias instituéndas suscépit, Benedictam scilicet, Cæcíliam et Relíndem, quæ, contémpta régia majestáte, illuc convolárant, ut, Christi humilitátem sectántes, ad puriórem cœléstium rerum amórem incitarén-tur. Quas ad eam perdúxit morum puritátem Amelbérga, ut honórem, Sanctis débitum, póstea consecútæ fuerint.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

POSITIS vitæ sanctióris fundaméntis, Relíndis, ad severiórem solitúdinem anhélans, Fœmáliam, ad Mosam supra Leódium, se cóntulit, ubi vitam sanctitáte administrándam, beáto fine clausísse tráditur. Cum autem Amelbérga ad cœléstem Sponsum migrásset, sacrárum vírginum cœtui præfuit Benedícta, religiósæ disciplínæ magno splendóre; cui succéssit Cæcília, præclára sua vita soróri nequáquam impar. Ambæ soróres, Susteréni, in ecclésia celebérrimi illíus cœnóbii, órdinis sancti Benedícti, quod póstea nobílium vírginum collégium factum est, sepúltæ fuére, earúmque sacra ossa religióse ibi asservántur. Sanctæ étiam Amelbérgæ Relíquiæ in eádem sanctíssimi Salvatóris ecclésia, quæ, extínto a Gallis collégio, modo parochiális est et sanctam Amelbérgam patrónam habet, honorántur. Ejus Translátio ibídem

die última Maji olim recolebátur.

℟. Dilexísti justítiam.

Sermo sancti Máximi Episcopi.

Lectio vj.

In Natali S. Agnetis.

VENI jam Virgo ad thálamum quem quæsísti, ut sponsam te virgínitas immaculáta cómprobet Christi. Felix catérva vírginum, quibus stúdium est tuæ sequi confessiónis vestígia Habébunt enim tecum corónam in cœlo, quæ tecum superavérunt inimícum in mundo. Nam sicut tibi vestígia prosequénti participátio ætérnæ remuneratiónis appáruit, ita eis te imitántibus ætérna crédimus gáudia non negánda. Itaque o spléndida, Christo Dei Fílio et ómnibus Angelis atque Archángelis grata, ut nostri memínisse dignéris, quibus póssumus précibus, exorámus: ut nobis ille tríbuat indulgéntiam, qui tibi tuórum ómnium labórum trádidit palmam.

℟. Afferéntur Regi.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 25.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua. Homília sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. de Virg.

PRUDENTES vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Sciébant enim noctem fore produ̇ctam, et nesciéntes qua hora noctis sponsus veníret, non conténtæ óleo lámpadum, étiam in vasis óleum sumunt, ut, si forte illud quod erat in lampádibus, deficeret, de eo quod in vasis reposúerant ad custódiam lúminis, lámpades implérent. Oleum in lámpade est opus bonum in manifestatióne. Sed dum vidétur a próximis cláritas óperis, dum miránter et laudant, extólli-

tur plerúmque et assúrgit elátus ánimus operántis, et dum in se, non in Dómino, gloriátur, lumen lámpadis adnullátur, et carens foménto cóngruo lampas, quæ coram hóminibus clare lucet, coram Dómino tenebrátur.

℟. Hæc est virgo sápiens.

Lectio viij.

PRUDENTES vero vírgines præter óleum quod in lampádibus habent, óleum áliud in vasis repónunt: quia nimírum sanctæ ánimæ, dum Sponsi sui præstolántur advéntum, dum toto desidério ei clamant quotídie: Advéniat regnum tuum, præter illa ópera, quæ próximis lucent ad Dei glóriam et vidéntur áliqua in occúlto, ubi solus Pater videt ópera, fáciunt, ut si forte illa, quæ conspícua et clara sunt, flatus humánæ laudis extínxerit, óleum occúltæ consciéntiæ suffragétur.

℟. Média nocte.

Lectio ix. de S. Petro Alexandrino, Episc. Mart.

ut in Breviario et com. in Laudibus; alias hæc erit:

Lectio ix.

HÆC est glória fíliæ Regis ab intus, dum plus de óleo quod in vasis consciéntiæ dilucéscit, quam de eo quod lucet déforis, gloriátur, periísse æstimat omne quod cérnitur, nec id dignum júdicat remuneratióne, quod favóres hóminum prosequúntur. Laténter ígitur, quæ prævalet, operátur, petit secrétum, oratiónibus pulsat cœlum, fundit lácrymas testes amóris, et cum dilécto illo suo, suspírio gemitúque fabulátur. Hæc est glória, sed ab intus, sed invísa fíliæ Regis et amícæ. Hoc óleum fátuæ vírgines non habent quia nisi ad nitórem vanæ glóriæ et favórem hóminum bona non operántur: hoc óleum in quo prudéntes confídunt, in ábditis conscientiárum vásculis repónunt.

℣. Te Deum laudámus.

In ij. Vesperis fit com. S. Trudonis.

tus est Lovánii in Castro Cæsaris, ad médium sæculiduodécimi. Abinfántia Deum timébat illúmque partem hæreditátis suæ éligens, cathedrális Leodiénsis clero se addíxit; cumque sanctis móribus inter omnes elucéret, Campíniæ archidiáconus eléctus fuit. Simplícitas ejus ingénua, dulcis manſuetúdo, angélica púritas et prægrándis erga próximum cháritas ómnibus ádeo erat perspícua, ut mórtuo episcopo Leodiénsi Radúlpho, ejus succéssor Albértus ómnium votis designarétur. At imperátor Henrícus sextus Lothário Horstádio simoníace episcopátum adjudicávit. Tum Albértus, ad Románi Pontíficis sententiam provócans, dissimuláto hábitu, ne ab hóstibus interciperétur, post gravíssimas itíneris ærúmnas Romam pervénit, ubi a Cœlestíno Papa Tértio benigne excéptus fuit. Póntifex ómnibus, ad cánonum normam. matúre perpénsis, Albértum legítime designátum fuísse pronuntiávit, et ob exímias virtútes in Cardinálium adlégit collégium. Cum ígitur in Gálliam rediísset, ab archiepíscopo Rheménsi episcopus consecrátus est: ast tres viri nóbiles e Germánia Rhemos submíssi, pérfide eum, non ita multo post, prope cámdem civitátem trucidárunt. Te Deum laudámus.

DIE XXVI. NOVEMBR.

In Festo S. Amelbergæ, Vírginis.
Duplex.
Omnia de Comm. Virg. præter sequentia.

Oratio.

LÆTIFICET nos, quæsumus Dómine, beátæ Amelbérgæ Vírginis tuæ gloriósa festivitas: ut quæ tibi suis p'ácuit méritis, pro nostris étiam véniam implóret offénsis. Per Dóminum.

Et fit com. S. Petri Alexandrini Episc. et Mart. ut in Breviario.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

E veteribus monum. Suster. apud Fisen in Flor. Eccl. Leod.

SANCTA Amelbérga, virgo illústris sanctimóniæ, prima monastérii Susterenénsis abbatíssa fuísse tráditur, postquam illud, sanctitúdinis antiquitáte Sanctorúmque exúviis venerándum, a piíssimo Lotharíngiæ rege Zuentibóldo, qui et ibídem sepúltus est, fuit instaurátum. Mira disciplínæ integritáte sodáles suas regébat Amelbérga, ibíque ternas prædícti regis fílias instituéndas suscépit, Benedíctam scilicet, Cæcíliam et Relíndem, quæ, contémpta régia majestáte, illuc convolárant, ut, Christi humilitátem sectántes, ad puriórem cœléstium rerum amórem incitarénter. Quas ad eam perdúxit morum puritátem Amelbérga, ut honórem, Sanctis débitum, póstea consecútæ fuérint.

℟. Propter veritátem.

Lectio v.

POSITIS vitæ sanctióris fundaméntis, Relíndis, ad severiórem solitúdinem anhélans, Fœmáliam, ad Mosam supra Leódium, se cóntulit, ubi vitam sanctitáte admirándam, beáto fine clausísse tráditur. Cum autem Amelbérga ad cœléstem Sponsum migrásset, sacrárum vírginum cœtui præfuit Benedícta, religiósæ disciplínæ magno splendóre; cui succéssit Cæcília, præclára sua vita soróri nequáquam impar. Ambæ soróres, Susterénsi, in ecclésia celebérrimi illíus cœnóbii, órdinis sancti Benedícti, quod póstea nobílium vírginum collégium factum est, sepúltæ fuére, earúmque sacra ossa religióse ibi asservántur. Sanctæ étiam Amelbérgæ Relíquiæ in eádem sanctíssimi Salvatóris ecclésia, quæ, extíncto a Gallis collégio, modo parochiális est et sanctam Amelbérgam patrónam habet, honorántur. Ejus Translátio ibídem

die última Maji olim recolebátur.

℟. Dilexísti justítiam.

Sermo sancti Máximi Episcopi.

Lectio vj.

In Natali S. Agnetis.

VENI jam Virgo ad thálamum quem quæsísti, ut sponsam te virgínitas immaculáta cómprobet Christi. Felix catérva vírginum, quibus stúdium est tuæ sequi confessiónis vestígia Habébunt enim tecum corónam in cœlo, quæ tecum superavérunt inimícum in mundo. Nam sicut tibi vestígia prosequénti partícipátio ætérnæ remuneratiónis appáruit, ita eis te imitántibus ætérna crédimus gáudia non negánda. Itaque ó spléndida, Christo Dei Fílio et ómnibus Angelis atque Archángelis grata, ut nostri memínisse dignéris, quibus póssumus précibus, exorámus: ut nobis ille tríbuat indulgéntiam, qui tibi tuórum ómnium labórum trádidit palmam.

℟. Afferéntur Regi.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 25.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homília sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. de Virg.

PRUDENTES vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Sciébant enim noctem fore prodúctam, et nesciéntes qua hora noctis sponsus veníret, non conténtæ óleo lámpadum, étiam in vasis óleum sumunt, ut, si forte illud quod erat in lampádibus, deficeret, de eo quod in vasis reposúerant ad custódiam lúminis, lámpades implérent. Oleum in lámpade est opus bonum in manifestatióne. Sed dum vidétur a próximis cláritas óperis, dum miréntur et laudant, extólli-

tur plerúmque et assúrgit elátus ánimus operántis, et dum in se, non in Dómino, gloriátur, lumen lámpadis adnullátur, et carens foménto cóngruo lampas, quæ coram hóminibus clare lucet, coram Dómino tenebrátur.

℟. Hæc est virgo sápiens.

Lectio viij.

PRUDENTES vero vírgines præter óleum quod in lampádibus habent, óleum áliud in vasis repónunt: quia nimírum sanctæ ánimæ, dum Sponsi sui præstolántur advéntum, dum toto desidério ei clamant quotídie: Advéniat regnum tuum, præter illa ópera, quæ próximis lucent ad Dei glóriam et vidéntur áliqua in occúlto, ubi solus Pater videt ópera, fáciunt, ut si forte illa, quæ conspícua et clara sunt, flatus humánæ laudis extínxerit, óleum occúltæ consciéntiæ suffragétur.

℟. Média nocte.

Lectio ix. de S. Petro Alexandrino, Episc. Mart.

ut in Breviario et com. in Laudibus; alias hæc erit:

Lectio ix.

HÆC est glória fíliæ Regis ab intus, dum plus de óleo quod in vasis consciéntiæ dilucéscit, quam de eo quod lucet déforis, gloriátur, perísse æstimat omne quod cérnitur, nec id dignum júdicat remuneratióne, quod favóres hóminum prosequúntur. Laténter ígitur, quæ prævalet, operátur, petit secrétum, oratiónibus pulsat cœlum, fundit lácrymas testes amóris, et cum dilécto illo suo, suspírio gemitúque fabulátur. Hæc est glória, sed ab intus, sed invísa fíliæ Regis et amícæ. Hoc óleum fátuæ vírgines non habent quia nisi ad nitórem vanæ glóriæ et favórem hóminum bona non operántur: hoc óleum in quo prudéntes confídunt, in ábditis conscientiárum vásculis repónunt.

℣. Te Deum laudámus.

In ij. Vesperis fit com. S. Trudonis.

DIE XXVII. NOVEMBR.

In Festo S. Trudonis, Confessoris. Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter seq.

In Hymno, Ste Confessor, mutatur tertius versus.

Oratio.

SANCTI Trudónis Confessóris tui nos, Dómine, precátio sancta tueátur: ut, quod consciéntia nostra non merétur, nobis ejus, qui tibi plácuit, oratióne donétur. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex vita per Donatum diaconum, apud Ghesquierum, in Actis SS. Belgii.

TRUDO, nobílibus et rerum cópia christianáque religióne clarissimis paréntibus in Hasbánia natus, cum ab ipsa puerítia divíni obséquii amóre flagráret, ardentioréque sacrárum litterárum adiscendárum desidério ádmodum adhuc júvenis æstuáret, vovit, si earum sciéntiam, Deo favénte, assequerétur, se de patrimónii bonis monastérium constructúrum, ubi Christo desérviens, quoscúmque posset, secum perseveratúros sibi associáret. Nec vana fuit adolescéntuli piétas et devótio: nam non ita diu post, paréntibus defúnctis, cum larga manu eleemósynas de bonis sibi relíctis erogáret, Angeli apparitióne monétur, ut sanctum Remáclum, Trajecténsem epíscopum, pro voti desidério, ejus ópera et consíliis erudiéndus ádeat.

℟. Honéstum fecit.

Lectio v.

PARET mónitis Trudo, et Remácli, cœlitus étiam horum cónscii, patérne illum excipiéntis, instructióne primum imbútus, dein, ipso sudénte, ad beátum Clodúlphum, Meténsem epíscopum, digréssus est, a quo sacris litteris instrúctus, demum doctrina,

móribus ac pietáte conspícuus, sacro presbyterátus órdini initiátur. Cumque ibídem Deo et sancto Protomártyri Stéphano patrimónii partem oblatióne consecrásset, ad Remáclum epíscopum revérsus, et ab eo ad prædicándum Christi Evangélium assúmptus, hoc munus ita præcláre exércuit ut paganísmum per Hasbániam necdum plane extirpátum studiosíssime profligáverit, et adolescéntes plúrimos, aliósque suo exémplo ad sæculi contémptum indúxerit.

℟. Amávit eum.

Lectio vj.

MONASTERIUM dénique, quod adolescéntulus Deo vóverat, in Hasbániæ vico Sarchínio, próprii ad rivulum Cisíndriam patrimónii prædio, magníficum constrúxit, et amplíssime dotávit; ubi plúribus ex illis quos Christo sacris concióníbus lucrifécerat, sibi associátis, réliquum vitæ suæ tanta pietáte ac sanctimónia, rígidus sui córporis dómitor, perégit, ut et ómnibus, quos ad veræ religiónis perfectiónem informábat, vivo semper exémplo fúerit, et vivens, moriénsque, ac post óbitum stupénda miraculórum multitúdine a Dómino decorári merúerit. Vita cessit Sarchínii, anno Christi círciter sexcentésimo nonagésimo tértio, ætátis suæ sexagésimo quinto, ibidémque honorífice requiéscit: vico illo ejus méritis in insígne óppidum, quod et ab ipso Sancti Trudónis nomen óbtinet, ampliáto.

℟. Iste homo.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Ecce nos relíquimus, de Communi Abbatum.

Vesperæ a Capitulo de sequenti.

DIE XXVIII. NOVEMBR.

In Festo S. Odæ, Virg.

Semiduplex.

Omnia de Comm. Virg. præter sequentia.

Oratio.

DA, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui

beátæ Odæ Vírginis tuæ natalítia cólimus, et ánnua solemnitáte lætémur, et tantæ virtútis proficiámus exémplo. Per Dóminum.

Et fit com. S. Trudonis, Aña. Hic vir. ℣. Justum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex vita per anonymum in Actis Sanctorum Belgii, et vita S. Lamberti per Godeschalcum coævum.

ODA virgo, Scotórum regis fília, cum esset cæcitáte corrépta, fama signórum quæ tum témporis per intercessiónem sancti Lambérti fiébant, in has partes fuit evocáta. Ad locum ígitur martyrii hujus Sancti, ubi Leódium nunc est, appropínquans et de eo a comítibus edócta, Oda intercessiónem sancti Mártyris invocávit, ut, si Dómino placéret, suæque salúti condúceret, lumen oculórum sibi restituerétur, quod continuo est consecúta. At illa, grátias agens Deo, ad locum desideratum perréxit, sanctúmque Lambértum múnerum suórum oblatióníbus magnificávit. ℟. Propter veritátem.

Lectio v.

IN pátriam redux Oda, ecclésiæ límina studiósius frequentáre, carnem jejúniis castigáre, vigíliis prodúcere, seque ipsam totáliter Christi obséquio mancipáre cœpit. Verum cum pater eam ad sæculáres núptias incitáret, virgo, cœlésti jam Sponso per votum castitátis obligáta, nóluit acquiéscere, sed, divino usa consílio, inscio patre, cum fidéli cómite et duábus pedíssequis, natále solum relíquit. Itaque primum ad pia in Itália loca et Romam peregrinatiónem instítuit, qua perácta in Taxándriam venit, ubi, váriis locis peragrátis, mansiónem fixit in território Rodénsi, illúdque sanctitáte sua condecorávit. Die autem éxitus sui appropinquán-

te, Oda gravi infirmitáte corrépta est, susceptísque sacris Ecclésiæ Sacraméntis, laudans Deum eúmque benedícens, dúlciter in Dómino obdormívit, circa annum septingentésimum vigésimum sextum, ætátis suæ, ut putátur, trigésimo sexto.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vj.

FAMA miraculórum crebrescénte, in loco ubi dúxerat et sepúlta erat, ligneum et módicum oratórium fuit exstrúctum, et póstea collegiále templum eréctum. Circa annum millésimum et centésimum, vírginis sanctæ corpus ab Otbérto Leodiénsi epíscopo fuit de terra elevátum. Collégium quidem canonícórum, sæculo décimo sexto ad éxitum vergénte, hæreticórum pravitáte et vi fuit exstínctum, sed templum pene collápsum, felicióre témpore redeúnte, ab incólis loci reædificátum in ecclésiam parochiálem fuit convérsum. Reliquiæ vero quædam ex incéndio, ab hæréticis suscitáte, créptæ in ecclésia parochiáli ejúsdem loci, qui ab ea nomen suum desúmpsit, religióse servántur. Cólitur jam dudum sancta Oda in hac diœcési, speciátim Ventrádii et Weertæ, quibus in locis aliquándiu moráta fúerat, ántequam Rodæ mansiónem fígeret.

℟. Afferéntur Regi.

In iij. Nocturno Homília in Evang. Símile est regnum cœlórum thesáuro, de Communi non Vírginum.

Mechliniæ, H. Dessain. — mdcccclxxvi.

Dominica I. Octobris.

In Solemnitate

Sacratissimi Rosarii B. Mariæ Virg.

Duplex 2. classis.

In I. Vesperis.

Antiph. 1.

Quæ est ista, * speciósa sicut colúmba, quasi rosa plantáta super rivos aquárum?

Psalmi ut in Festis B. M. V. per annum.

2. Virgo potens, * sicut turris David; mille clýpei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium.

3. Ave María, * grátia plena, Dóminus tecum, benedícta tu in muliéribus.

4. Benedíxit te Dóminus * in virtúte sua, quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros.

5. Vidérunt eam * fíliæ Sion vernántem in flóribus rosárum, et beatíssimam prædicavérunt.

Capitulum. Eccli. 24, 39.

In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis: ego quasi rosa plantáta super rivos aquárum fructificávi.

Hymnus.

Cœléstis aulæ Núntius,
Arcána pandens Núminis,
Plenam salútat grátia
Dei Paréntem Vírginem.

Virgo propínquam sánguine
Matrem Joánnis vísitat,
Qui clausus alvo géstiens
Adésse Christum núntiat.

Verbum, quod ante sæcula
E mente Patris pródiit,
E Matris alvo Vírginis
Mortális Infans náscitur.

Templo puéllus sístitur,
Legíque paret Légifer
Hic se Redémptor paúpere
Prétio redémptus ímmolat.

Quem jam dolébat pérditum,
Mox læta Mater ínvenit
Ignóta doctis méntibus
Edisseréntem Fílium.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et almo Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

Sic terminantur Hymni ad Completor. et ad Horas.

℣. Regína sacratíssimi Rosárii, ora pro nobis.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. Ant. Beáta es, * Virgo María, Dei Génitrix, quæ credidísti Dómino; perfécta sunt in te quæ dicta sunt tibi, intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum.

Oratio.

Deus, cujus Unigénitus per vitam, mortem et resurrectiónem suam nobis salútis ætérnæ præmia comparávit: concéde quæsumus; ut hæc mystéria sanctíssimo beátæ Maríæ Vírginis Rosário recoléntes, et imitémur quod cóntinent, et quod promíttunt, assequámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Et fit commem. Dominicæ occurr.

Ad Matutinum.

Invit. Solemnitátem Rosárii Vírginis Maríæ celebrémus: * Christum ejus Fílium adorémus Dóminum.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus.

In monte olívis cónsito
Redémptor orans, prócidit,
Mœret, pavéscit, déficit,
Sudóre manans sánguinis.

A proditóre tráditus
Raptátur in pœnas Deus,
Durísque vinctus néxibus
Flagris cruéntis cæditur.

Intéxta acútis séntibus,
Coróna contuméliæ,
Squallénti amíctum púrpura,
Regem corónat glóriæ.

Molis crucem ter árduæ,
Sudans, anhélans cóncidens,
Ad montis usque vérticem
Gestáre vi compéllitur.

Confíxus atro stípite
Inter sceléstos ínnocens,
Orándo pro tortóribus,
Exsánguis efflat spíritum.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et almo Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Angelus Gábriel * nuntiávit Maríæ: et concépit de Spíritu sancto.

Psalmi trium Nocturnorum ut in Festis B. M. V.

Ant. Intrávit María * in domum Zacharíæ, et salutávit Elísabeth.

Ant. Péperit Fílium * suum primogénitum, et reclinávit eum in præsépio.

℣. Sancta Dei Génitrix semper Virgo María. ℟. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum.

De Libro Ecclesiástici.

Lectio i. Cap. 24.

In ómnibus réquiem quæsívi, et in hæreditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium: et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhábita, et in Israël hæreditáre, et in eléctis meis mitte radíces. Ab inítio, et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei hæréditas illíus, et in ple-

nitúdine Sanctórum deténtio mea.

℟. Súmite psaltérium jucúndum in insígni die solemnitátis vestræ: * Et exsultáte Vírgini adjutríci nostræ. ℣. Cantáte ei cánticum novum: annuntiáte inter gentes glóriam ejus. Et exsultáte.

Lectio ii.

Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion: quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho: Quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris: et quasi storax, et gálbanus, et úngula, et gutta, et quasi Líbanus non incísus vaporávi habitatiónem meam, et quasi bálsamum non mixtum odor meus. Ego quasi terebínthus exténdi ramos meos, et rami mei honóris et grátiæ.

℟. Vidi speciósam ascendéntem désuper rivos aquárum cujus inæstimábilis odor erat nimis: * Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. ℣. Astitit Regína a dextris tuis in vestítu deauráto circúmdata varietáte. Et sicut.

Lectio iii.

Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini: Spíritus enim meus super mel dulcis, et hæréditas mea super mel et favum: Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient: et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant

me, vitam ætérnam habébunt.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? Vidérunt eam fíliæ Sion et beátam dixérunt: * Et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. Et regínæ. Glória Patri. Et regínæ.

In II. Nocturno.

Ant. Cum indúcerent * Jesum paréntes ejus, ut sísterent eum Dómino, Símeon accépit eum in ulnas suas, et benedíxit Deum.

Ant. Requiréntes * Jesum paréntes ejus, invenérunt illum post tríduum in médio doctórum.

Ant. Cœpit contristári, * et factus est sudor ejus in horto, sicut guttæ sánguinis.

℣. Post partum Virgo inviolàta permansísti. ℟. Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

Lectio iv.

Cum Albigénsium hæresis per Tolosátium regiónem ímpie grassarétur, atque áltius in dies radíces ágeret, sanctus Domínicus, qui nuper Prædicatórum órdinis fundaménta jécerat, ad eam convelléndam totus incúbuit. Id ut præstáret valídius, auxílium beátæ Vírginis, cujus dígnitas illis erróribus impudentíssime petebátur, cuíque datum est cunctas hæreses interímere in univérso mundo, eníxis précibus implorávit. A qua (ut memóriæ próditum est) cum mónitus esset ut Rosárium pópulis prædicáret, velut singuláre advérsus hæreses ac vítia præsídium; mirum est, quanto mentis fervóre et quam felíci succéssu injúnctum sibi munus sit exsecútus. Est autem Rosárium certa precándi fórmula, qua quíndecim angelicárum salutatiónum décades, oratióne domínica interjécta distínguimus, et ad eárum sín-

gulas tótidem nostræ reparatiónis mystéria pia meditatióne recólimus. Ex eo ergo témpore pius hic orándi modus mirabíliter per sanctum Domínicum promulgári augeríque cœpit; quem ejúsdem institutórem auctorémque fuísse Summi Pontífices apostólicis lítteris passim affirmárunt.

℟. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri fecísti viríliter: * Quia cunctas hæreses sola interemísti. ℣. Pulchra es et decóra, terríbilis ut castrórum ácies ordináta. Quia.

Lectio v.

Innumerábiles porro fructus ex hac tam salutári institutióne in christiánam rempúblicam dimanárunt, inter quos victória illa mérito numerátur, quam sanctíssimus Póntifex Pius quintus, et ab eo inflammáti christiáni príncipes apud Echínadas ínsulas de Turcárum tyránno potentíssimo reportárunt. Nam cum illa ipsa die ea victória relata sit, qua die sanctíssimi Rosárii sodalitátes per univérsum orbem consuétas supplicatiónes perágerent, statutásque preces de more fúnderent, iis précibus haud immérito refértur accépta. Quod quidem cum étiam Gregórius tértius décimus testátus esset, ut pro tam singulári benefício beátæ Vírgini sub appellatióne Rosárii perénnes grátiæ ubíque terrárum haberéntur, in ecclésiis ómnibus, in quibus altáre Rosárii foret, ~~prima quaque Octóbris Domínica~~ Offícium ritu dúplici majóri perpétuo de ea celebrándum indíxit: aliíque Pontífices Rosárium recitántibus, ejusdémque Rosárii sodalitátibus indulgéntias pene innúmeras concessére.

℟. Déxtera tua magnificáta est in fortitúdine, déxtera tua confrégit inimícos. * Submérsi sunt in aquis veheméntibus, et opéruit eos mare. ℣. Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, quia per te ad níhilum red-

égit inimícos nóstros. Submérsi.

Lectio vi.

Clemens vero undécimus ánimo réputans insígnem páriter victóriam anno millésimo septingentésimo décimo sexto in Hungáriæ regno a Cárolo sexto in imperatórem Romanórum elécto de innúmeris Turcárum cópiis relátam, eo die contigísse quo festum Dedicatiónis sanctæ Maríæ ad Nives celebrarétur, atque eódem ferme témpore, quo sanctíssimi Rosárii confrátres públicam solemnémque supplicatiónem in alma Urbe ingénti pópuli concúrsu magnáque religióne peragéntes, férvidas ad Deum preces pro Turcárum depressióne fúnderent, ac poténtem opem Deíparæ Vírginis in auxílium Christianórum humíliter implorárent: eam ob rem, victóriam illam, nec non liberátam paulo post eorúmdem Turcárum obsidióne Corcyrénsem ínsulam, ejúsdem beátæ Vírginis patrocínio pie cé suit adscribéndam. Quan óbrem ut hujus quoque ta insígnis benefícii perénn semper et memória exst ret et grátia, sanctíssi Rosárii festum ~~cádem d~~ eodémque ritu celebrá dum ad Ecclésiam univé sam exténdit. Hæc ómn Benedíctus décimus tértiu in Breviário Románo a póni jussit. Leo autem té tius décimus in turbule tíssimis Ecclésiæ tempó bus, diúque preméntiu malórum sæva tempestát cunctos in Orbe fidéles, it rátis Apostólicis lítteris a Maríális Rosárii, præsé tim per Octóbrem mense frequéntiam veheménter i céndit, aucto quoque ánn festi solemnitátis ritu, a ditáque Litaníis Lauretán Regínæ sacratíssimi Ros rii invocatióne, et offíci de eádem solemnitáte pr prio Ecclésiæ univérsæ co césso. Sanctíssimam erg Dei Genitrícem cultu h eídem gratíssimo júgit venerémur: ut quæ tóti

gulas tótidem nostræ reparatiónis mystéria pia meditatióne recólimus. Ex eo ergo témpore pius hic orándi modus mirabíliter per sanctum Domínicum promulgári augeríque cœpit; quem ejúsdem institutórem auctorémque fuísse Summi Pontífices apostólicis lítteris passim affírmárunt.

℟. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri fecísti viríliter: * Quia cunctas hæreses sola interemísti. ℣. Pulchra es et decóra, terríbilis ut castrórum ácies ordináta. Quia.

Lectio v.

Innumerábiles porro fructus ex hac tam salutári institutióne in christiánam rempúblicam dimanárunt, inter quos victória illa mérito numerátur, quam sanctíssimus Póntifex Pius quintus, et ab eo inflammáti christiáni príncipes apud Echínadas ínsulas de Turcárum tyránno potentíssimo reportárunt. Nam cum illa ipsa die ea victória reláta sit, qua die sanctíssimi Rosárii sodalitátes per univérsum orbem consuétas supplicatiónes perágerent, statutásque preces de more fúnderent, iis précibus haud immérito referátur accépta. Quod quidem cum étiam Gregórius tértius décimus testátus esset, ut pro tam singulári benefício beátæ Vírgini sub appellatióne Rosárii perénnes grátiæ ubíque terrárum haberéntur, in ecclésiis ómnibus, in quibus altáre Rosárii foret, ~~prima quaque Octóbris Domínica~~ Offícium ritu dúplici majóri perpétuo de ea celebrándum indíxit: aliíque Pontífices Rosárium recitántibus, ejusdémque Rosárii sodalitátibus indulgéntias pene innúmeras concessére.

℟. Déxtera tua magnificáta est in fortitúdine, déxtera tua confrégit inimícos. * Submérsi sunt in aquis veheméntibus, et opéruit eos mare. ℣. Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, quia per te ad níhilum red-

égit inimícos nóstros. Submérsi.

Lectio vi.

Clemens vero undécimus ánimo réputans insígnem páriter victóriam anno millésimo septingentésimo décimo sexto in Hungáriæ regno a Cárolo sexto in imperatórem Romanórum elécto de innúmeris Turcárum cópiis relátam, eo die contigísse quo festum Dedicatiónis sanctæ Maríæ ad Nives celebrarétur, atque eódem ferme témpore, quo sanctíssimi Rosárii confrátres públicam solemnémque supplicatiónem in alma Urbe ingénti pópuli concúrsu magnáque religióne peragéntes, férvidas ad Deum preces pro Turcárum depressióne fúnderent, ac poténtem opem Deíparæ Vírginis in auxílium Christianórum humíliter implorárent: eam ob rem, victóriam illam, nec non liberátam paulo post eorúmdem Turcárum obsidióne Corcyrénsem ínsulam, ejúsdem beátæ Vírginis patrocínio pie cé suit adscribéndam. Quar óbrem ut hujus quoque ta insígnis benefícii perénn semper et memória exst ret et grátia, sanctíssi Rosárii festum ~~cádem d~~ eodémque ritu celebrá dum ad Ecclésiam univé sam exténdit. Hæc ómn Benedíctus décimus tértiu in Breviário Románo a póni jussit. Leo autem té tius décimus in turbule tíssimis Ecclésiæ tempó bus, diúque preméntiu malórum sæva tempestát cunctos in Orbe fidéles, it rátis Apostólicis lítteris a Mariális Rosárii, præsé tim per Octóbrem menser frequéntiam veheménter i céndit, aucto quoque ánn festi solemnitátis ritu, a ditáque Litaníis Lauretán Regínæ sacratíssimi Ros rii invocatióne, et offíc de eádem solemnitáte pr prio Ecclésiæ univérsæ co césso. Sanctíssimam erg Dei Genitrícem cultu h eídem gratíssimo júgit venerémur: ut quæ tóti

Christi fidélibus, Rosárii précibus exoráta, terrénos hostes profligáre dedit ac pérdere, inférnos páriter superáre concédat.

℟. Signum magnum appáruit in cœlo: múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus: * Et in cápite ejus coróna stellárum duódecim. ℣. Dábitur cápiti tuo augméntum gratiárum, et coróna ínclyta próteget te. Et. Glória Patri. Et.

In III. Nocturno.

Ant. Apprehéndit * Pilátus Jesum, et flagellávit.

Ant. Mílites plecténtes * corónam de spinis, imposuérunt super caput ejus.

Ant. Crucis impérium * super húmerum ejus: regnávit a ligno Deus.

℣. Speciósa facta es et suávis. ℟. In delíciis tuis, sancta Dei Génitrix.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vii. Cap. 1. c.

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilia sancti Bernárdi Abbátis.

Sermo de S. Maria.

Ad commendatiónem grátiæ suæ et ad destructiónem humánæ sapiéntiæ, Deus de fémina, sed Vírgine dignátus est carnem assúmere, ut símilem símili rédderet, contrárium contrário curáret, pestíferam spinam evélleret, peccáti chirógraphum potentíssime deléret. Eva spina fuit, María rosa éxstitit. Eva spina vulnerándo, María rosa ómnium affléctus mulcéndo. Eva spina infígens ómnibus mortem, María rosa reddens salutíferam ómnibus sortem. María rosa fuit cándida per virginitátem, rubicúnda per caritátem. Cándida carne, rubicúnda mente, cándida virtútem sectándo, rubicúnda vítia calcándo. Cándida affléctum purificándo, rubicún-

da carnem mortificándo: cándida Deum diligéndo, rubicúnda próximo compatiéndo.

℟. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris, * Et flores mei fructus honóris et honestátis. ℣. Ego mater pulchræ dilectiónis et timóris et agnitiónis et sanctæ spei. Et flores.

Lectio viii.

In serm. de Aquæductu.

Verbum caro factum est, et hábitat jam in nobis. Hábitat in memória nostra, hábitat in cogitatióne, quia usque ad ipsam descéndit imaginatiónem. Quonam modo, inquis? Nimírum jacens in præsépio, in virgináli grémio cubans, in monte prædicans, in oratióne pernóctans, in cruce pendens, in morte pallens, liber inter mórtuos et in inférno ímperans, seu étiam tértia die resúrgens et Apóstolis loca clavórum, victóriæ signa demónstrans, novíssime coram eis cœli secréta conscéndens. Quid horum non vere non pie non sancte cogitátur? ℟. Quidquid horum cógito, Deum cógito et per ómnia est Deus meus. Hæc ego meditári dixi sapiéntiam, et prudéntiam judicávi eructáre memóriam suavitátis: quóniam in hujuscémodi núcleis virga sacerdotális copiósa profúdit, quam in supérni haúriens, ubérius nobis María refúdit. In supérni plane et ultra Angelos, qua Verbum ex ipso Patris corde suscépit.

℟. Surge, própera amíca mea: jam enim hiems tránsiit, imber ábiit et recéssit * Flores apparuérunt in terra nostra. ℣. Dóminus dabit benignitátem, et terra nostra dabit fructum suum. Flores. Glória Patri. Flores.

Lectio ix. de Homilia Dominicæ occurr.

Ad Laudes

et per Horas.

Ant. 1. Lætáre * Virgo Mater: surréxit Christus de sepúlchro.

Ps. Dóminus regnávit. cum reliquis.

2. Ascéndit Deus * in jubilatióne, et Dóminus in voce tubæ.

3. Spíritus Dómini * replévit orbem terrárum.

4. Assúmpta est * María in cœlum; gaudent Angeli; laudántes benedícunt Dóminum, allelúja.

5. Exaltáta est * Virgo María super choros Angelórum, et in cápite ejus coróna stellárum duódecim.

Capitulum. Eccli. 24, 39.

In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis: ego quasi rosa plantáta super rivos aquárum fructificávi.

Hymnus.

Jam morte victor óbruta
Ab ínferis Christus redit,
Fractísque culpæ vínculis,
Cœli reclúdit límina.

Visus satis mortálibus
Ascéndit ad cœléstia,
Dexteræque Patris ássidet
Consors patérnæ glóriæ.

Quem jam suis promíserat,
Sanctum datúrus Spíritum,
Linguis amóris ígneis
Mœstis alúmnis ímpluit.

Solúta carnis póndere
Ad astra Virgo töllitur,
Excépta cœli júbilo,
Et Angelórum cánticis.

Bis sena cingunt sídera
Almæ paréntis vérticem:
Throno propínqua Fílii
Cunctis creátis ímperat.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et almo Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Elégit eam Deus et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam fecit in tabernáculo suo.

Ad Bened. Ant. Solemnitátem * hodiérnam sanctíssimi Rosárii Genitrícis Dei Maríæ devóte celebrémus, ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

Oratio.

Deus, cujus Unigénitus per vitam, mortem et resurrectiónem suam nobis salútis ætérnæ præmia

comparávit: concéde quǽsumus; ut hæc mystéria sanctíssimo beátæ Maríæ Vírginis Rosário recoléntes, et imitémur quod cóntinent, et quod promíttunt, assequámur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit comm. Domin. occurr.

Ad Primam.

In ℟. br. ℣. Qui natus es.

Ad Tertiam.

Capit. de Laudibus.

℟. br. Sancta Dei Génitrix, * Semper Virgo María. Sancta. ℣. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. Semper. Glória Patri. Sancta.

℣. Post partum Virgo invioláta permansísti. ℟. Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

Ad Sextam.

Capitulum. Eccli. 30.

Floréte flores quasi lílium, et date odórem, et frondéte in grátiam; collaudáte cánticum, et benedícite Dóminum in opéribus suis.

℟. br. Post partum Virgo * Invioláta permansísti. Post partum. ℣. Dei Génitri intercéde pro nobis. Invio láta. Glória. Post partum.

℣. Speciósa facta es e suávis. ℟. In delíciis tuis sancta Dei Génitrix.

Ad Nonam.

Capitulum. Eccli. 24.

Quasi cedrus exaltáta sun in Líbano, et quasi cy préssus in monte Sion quasi palma exaltáta sun in Cades, et quasi plantáti rosæ in Jéricho.

℟. br. Speciósa facta es Et suávis. Speciósa. ℣. I delíciis tuis, sancta De Génitrix. Et suávis. Glóri Patri. Speciósa.

℣. Elégit eam Deus e præelégit eam. ℟. Et hab táre eam fecit in taberná culo suo.

In II. Vesperis.

Omnia ut in primis præte sequentia.

Hymnus.

Te gestiéntem gaúdiis,
Te saúciam dolóribu
Te jugi amíctam glória,
O Virgo Mater, pángimus

Ave, redúndans gaúdio
Dum cóncipis, dum vísitas,
Et edis, offers, ínvenis,
Mater beáta, Fílium,

Ave, dolens, et íntimo
In corde agónem, vérbera,
Spinas, crucémque Fílii
Perpéssa, princeps mártyrum.

Ave, in triúmphis Fílii,
In ígnibus Paráclyti,
In regni honóre et lúmine,
Regína fulgens glória.

Veníte gentes, cárpite
Ex his rosas mystériis,
Et pulchri amóris ínclytæ
Matri corónas néctite.

Jesu tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et almo Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Regína sacratíssimi Rosárii, ora pro nobis.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat. Ant. Beáta Mater * et intácta Virgo, gloriósa Regína mundi, séntiant omnes tuum juvámen quicúmque célebrant tuam sanctíssimi Rosárii solemnitátem.

Oratio.

Deus, cujus Unigénitus per vitam, mortem et resurrectiónem suam nobis salútis ætérnæ prǽmia comparávit: concéde quæsumus; ut hæc mystéria sanctíssimo beátæ Maríæ Vírginis Rosário recoléntes, et imitémur quod cóntinent, et quod promíttunt, assequámur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit commemor. Dominicæ occurr.

Concordat cum Originali.

Ratisbonæ, die 15. Augusti 1888.

M. Dandl, Vic. in Spirit. Gen.

Ex Officina Fr. Pustet, S. Sedis Apost. et S. Rit. Congr. Typogr.